UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate || Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

In Qvo Agitvr Nominatim De Sacerdotibus, Confessarijs, Magistris siue Doctoribus, Concionatoribus, Episcopis & alijs Prælatis, eorumque Ministerijs - In septem Tractatus distributus ...

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1629

urn:nbn:de:hbz:466:1-45750

Visual Library

Th. 2057.

I. X
19

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE CHRISTIANA

PERFECTIONE IN OMNIBVS OFFICIIS AC MINISTERIIS HIERARCHIÆ & Reipublicæ Ecclesiasticæ.

TOMVS IV.

IN QVO AGITVR NOMINATIM DE SACERdotibus, Confessarijs, Magistris siue Doctoribus, Concionatoribus, Episcopis & alijs Prælatis, eorumque Ministerijs. In septem Tractatus distributus: quorum argumenta proxima indicat pagina.

AVTHORE R. P. LVDOVICO DE PONTE
E SOCIETATE IESV.

R. P. MELCHIOR TREVINNIVS ex eadem Societate IESV Latinè reddidit. Editio secunda.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM KINCHIVM, sub Monocerote.

ANNO M. DC. XXIX.

Soc^tis Jesv

HIC TOMVS QVARTVS IN SEPTEM TRACTATVS DISTRIBVTVS EST.

Primus de Sacramento Ordinis & Statu Sacerdotali; ac perfectione omnium Ecclesiasticorum.

2. *De Sacrosancto Missæ Sacrificio; ac de perfectione qua illud sit celebrandum & audiendum.*
3. *De perfecta ratione officium diuinum siue horas Canonicas persoluendi.*
4. *De Officijs & ministerijs in genere adiuuandi animas; eorumq; partibus & ornamentis, vt exactè ac perfectè fiant.*
5. *De perfectione Confessariorum in suis ministerijs*
6. *De perfectione in officijs & ministerijs litteras profitentium, & nominatim Magistrorum ac Prædicatorum Euangelicorum.*
7. *De Statu Episcoporum & Prælatorum; & officio animas gubernandi.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ILLVSTRISSIMO, ET REVE-RENDISSIMO DOMINO,

D. FRANCISCO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI à Dietrichſtein/

EPISCOPO OLOMVCENSI, PRINCIPI; REGIAE Capellæ Bohemiæ Comiti, S.C. Regiæq; Maieſtati ab intimis Conſilijs, nec non Regnorum ac Ditionum eiuſdem hæreditariarum Protectori, Omnem fœlicitatem.

QVemadmodum eum P. Ludouici de Ponte Meditationum librum, quem pridem dedicaueram, pietas T^æ. C^is. euicerat, Princeps illuſtriſſime: ita modò hunc alterum ab eodem Autore de Eccleſiaſtica Hierarchia compoſitum, & à me Latinitate donatum T^æ. itidem C^is. publica euincit authoritas. Conuenientiſſimè nimirũ is etiam debebatur, & è Sanctiſſimo Purpuratorum Patrum Senatu tibi, magno Hierarchæ, & vigilantiſſimo vniuerſi gregis, cui à Spiritu ſancto poſitus es Epiſcopus, directori; nam & earum virtutum, quæ in vtroque hoc Sacro Principatu requiruntur, nobilis es Magiſter; & earum, quæ in Te, Princeps Illuſtriſſime, ad omnium admirationem & commendationem irradiant, Index luculentus. Non eges Tu quidem illo altero: cum is, qui in omnibus ſeipſum præbet exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, Magiſtro non egeat; neque Indice opus habes: cùm & Vicarij Chriſti, & Hierarchicus Cardinalium ordo, quando Te vel plurimis, ijſque grauiſſimis Chriſtianæ Reipublicæ difficultatibus tollendis præfecerunt; vel quando Sacræ Cæſareæ M^tis. Prouinciarum Hæreditariarum planè Hie-

rarchicè dixerunt protectorem, quantus sis, Orbi vniuerso ostenderunt: tamen neque ijs, quos opportunè arguere, obsecrare, increpare non potes, erit importunus hic Magister; neque ijs qui se obliuiosos profitentur, inutilis per omnia idem Index: nam ex illo plurimi discent vigilare, laborare, in omnibus opus Euangelicum facere, ministerium suum implere, sobrietatem sectari; ex altero Te, Princeps Illustrissime, & hæc impleuisse omnia, & certauisse bonam certamen, cursum consummasse, fidem seruasse, & vsque ad coronam perseuerasse, poterunt reminisci. Quæ omnia verissima aut affirmari, aut sperari de Te, Princeps Ill^me, & illis, qui Tua præclara facta cognouerunt, (quis autem non cognouit?) est exploratissimum; & illis, qui magnitudinem animi tui perspectam habent, & non dubios conatus in ijs, quæ ad amplificandam Religionem spectant & pietatem, est clarissimum. Accipies itaque hoc qualecunque est Tibi maximè debitum, Princeps Ill^me, munusculum; & societatem Iesu, à cuius filijs hoc ad Te proficiscitur, vt abundatissimè facis, fouebis ac seruabis: in quo quantum Tua beneficentia eius gratias superabit, tantum compensabit T. C. Remunerator eius IESVS: à quo, vt & tu Princeps Ill^me, Ecclesiæ Sanctæ & vniuersæ Reipulicæ Christianæ diutissimè conserueris precibus ex SS. Sacrificijs satagam obtinere. Vale fæliciſsimè, & diutissimè Pragæ, Kalendis Octobris. Anni M. DC. XVII.

Illustriss. C. Vestræ

Humillimus in Christo seruus

Melchior Treuinnius.

PRÆ-

PRÆPOSITI PROVINCIALIS FACVLTAS.

CASPAR DE VEGAS, *Prouinciæ Castellanæ Societ.* IESV *Præpositus Prouincialis, ex particulari admodum* R. P. CLAVDII AQVAVIVA *Præpositi nostri Generalis commissione mihi concessa facultatem concedo: vt, præmissa Catholici Regis Domini nostri licentia, typis euulgetur* Tomus quartus de Perfectione Christiana in omnibus Statibus, Officijs ac Ministerijs Hierarchiæ & Reipublicæ Ecclesiasticæ, *à* P. *Ludouico de Ponte compositus, & grauium Theologorum eiusdem Societatis iudicio examinatus, & approbatus. In cuius rei fidem has literas manu nostrâ subscriptas, sigilloq; Officij nostri munitas dedimus. Vallu-Oleti primo die Febr. Anni* 1613.

CASPAR DE VEGAS PROVINCIALIS.

APPROBATIO R. P. PRIORIS S. AVGVSTINI.

EX mandato vestræ Maiestatis perlegi Quartum Tomum à P. Ludouico de Ponte Societ IESV compositum, cui titulus: *De Perfectione Christiana in omnibus Statibus, Officijs ac Ministerijs Hierarchiæ & Reipublicæ Ecclesiasticæ.* Qui meo iudicio fungitur officio Ducis adeò tuti ac periti, vt qui eum iuxta sui status qualitatem sequantur per varias semitas quas ostendit, per compendia periculorum, & minori labore ad culmen possint perfectionis peruenire. Quàm liber hic admirabili adeo dispositione & ordine tradit, cum doctrina adeò solida, subtilitate spiritûs, pietate adeò graui & prudenti aptaque Sanctorum & Scripturæ Sacræ Authoritate: vt res digna sit suo Authore, qui magnam suam eruditionem, ingenium, & sanctitatem satis ostendit. Quare iudico dandam sibi, quàm petit facultatem, vt libro in lucem edito, crescat ingens illa Spiritûs lux, quam in omnibus materijs, omnibus nationibus hactenus prætulit, in aliis etiam libris, quos edidit; & iam in varias linguas sunt versi. Datum in nostro S. Augustini Conuentu Pompeopoli 18. Septemb. Anni 1616.

FR. DIDACVS MARTINEZ.

De Eccleſiaſt. Hierarch. c. 1. S. Tho. 1. par q. 108. a. 1.

PERVENIMVS TANDEM CHRISTIANE LEctor ad vltimam operis noſtri partem, quæ eſt de Perfectione Chriſtiana, Eccleſiaſticæ Reipublicæ propria, quam S. Dionyſius Hierarchiam appellat, & ſignificat Sacrum Principatum: eò quòd ſit congregatio quædam Perſonarum obſequio Dei dedicatarum, & conſecratarum in variis Statibus, Officiis ac Miniſteriis ampliſſimis, ſimul cum operibus Sacris ac Diuinis: quorum fundamentum eſt Sacrum Ordinis Sacramentum: quod complectitur ſeptem partes, quas vocamus quatuor Ordines Minores, & tres Maiores: inter quos Sacerdotium tanquam Sol inter ſeptem Planetas eminet, ob maiorem ſuorum miniſteriorum celſitudinem: & quoniam reliqui omnes (vt idem S. affirmat) in eo conueniunt cum maxima excellentia, Nam qui Sacerdotium dixit, Sacrorum ſimul omnium vno vocabulo ſignauit ordinem. Quare excellentiores in Sacerdotibus requirit virtutes qui ordines ipſos cum dignitate, quæ par eſt, exercere debent: cum vocati & electi à Deo fuerint particulari vocatione, ad eos exercendos. Quod totum eſt materia & argumentum primi Tractatus. Secundi autem argumentum erit præcipuum Sacerdotij Miniſterium; quod eſt offerre Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, cuius amplitudinem, excellentiam, & fructus explicabimus cum omnibus, quæ pertinent ad illud celebrandum, & cum perfectione audiendũ. Tertius Tractatus erit de miniſterio communi omnibus, qui Sacro Ordine ſunt inſigniti, & multis alijs Eccleſiaſticis ac Religioſis: de Horis ſcilicet Canonicis legendis, aut in Choro decantandis eo ſpiritu ac deuotione, quâ tale opus exigit, ad vtilitates & commoda obtinenda, ad quæ dirigitur. Et quamuis non ita multò antè prodierit liber quidam valde doctus ac pius: ad huius tamen plenitudinem opus fuit ſpeciales Tractatus de duobus his miniſteriis addere. Quæ cum ſint adeo præſtantia ac præclara nunquam deſunt aliqua noua, quæ intellectum illuſtrent & voluntatem alliciant, ad ea æſtimanda & exercenda, cum ea decentia, qua par eſt. Ex quo pergemus ad Quartum Tractatum, in quo de Officiis ac miniſteriis agetur, quæ iuuant ad ſalutem & perfectionem proximorum: explicantes in genere, quæ ſunt omnibus communia: eorum ſcilicet excellentias & vitæ Sanctitatem cum reliquis talentis, quæ officia ipſa exigunt, & vocationẽ Dei, quà ad ipſa eſt accedendum. In Quinto agetur in particulari de miniſteriis Confeſſariorum: iacto primum fundamento virtutum ſcientiæ, ac prudentiæ, in quibus, vt excellant,

ſtude-

studere debent; addeturque perfectus modus seruandus in confessionibus audiendis, in directione animarum circa res omnes obsequij Diuini; in visitandis infirmis, Xenodochiis, carcerebus, & in adiuuandis morituris, & exercendis septem operibus misericordiæ spiritualibus cum singulis pœnitentibus in particulari: reiecta instructione vniuersali ad reliquos duos Tractatus. In Sexto proponentur Officia & Ministeria, litteras variasque scientias profitentium: explicatis in initio, quæ possunt esse communia discipulis & Magistris; Ecclesiasticis, Religiosis, ac Secularibus, circa modum eas discendi ac docendi, & in disputationibus, ac lectionibus: deinde quæ magis propria sunt Doctorum ac Prædicatorum Euangelicorum in suis Concionibus, exhortationibus, Sacrisque lectionibus; & exprimentur præcipuæ virtutes, in quibus debeant eminere; vt sua Ministeria cum Auditorum vtilitate obeant. 6 Vltimus Tractatus complectetur Status & officia Episcoporum & omnium Prælatorum Ecclesiasticorum, ac Religiosorum, & indicabitur modus ad ea accedendi ex Dei vocatione; virtutes ac talenta, quibus ornati esse debeant; modus gubernandi suos subditos, & exercendi feruenter ac prudenter omnes gubernationis actus: quæ omnia præcipuè deducentur ex iis, quæ Christus D. N. docuit S. Ioannem Euangelistam, & ipse annotauit ac misit in septem Epistolis ad Episcopos Asiæ missis: vt expresse habetur in primis tribus Apocalypsis capitibus. Et sic imponemus finem huic operi & viginti quatuor Tractatibus, quos complectitur. In quibus iuxta exiguum meum talentū conatus sum ea omnia explicare, quæ Christiana perfectio complectitur; tam in communi omnium Fidelium Statu, quàm in specialibus Statibus, Officiis, ac Ministeriis trium Rerumpubl. Secularis, Ecclesiasticæ, ac Religiosæ, quas complectitur Ecclesia Catholica: cuius correctioni humiliter subijcio quicquid in eis dixi. Et quoniam ordinariè nos homines vero, bono, ac vtili, quod à Diuino spiritu communicatur, aliquid adiungimus de imbecillo, & imperfecto, quod ex nobis ipsis habemus; supplex & ex toto corde peto, ignosci mihi errores meos, Lectoribus verò huius operis communicare cœlestem lucem, qua separent pretiosum à vili: attribuentes ignorantiæ & parcitati meæ, quod vile & abiectum erit; Deo autem Domino nostro quod bonum ac pretiosum inuenient: vtentes eo in bonum animarum suarum, & ad exequendum perfectè res omnes status, & officij sui, ad gloriam Dei Domini nostri, qui est vnicus ac totalis finis omnium, quæ scripsi. 7

INDEX

INDEX CAPITVM.

TRACTATVS PRIMI, TOMI QVARTI.

DE Sacramento Ordinis, & Statu Sacerdotali; ac perfectione omnium Ecclesiasticorum. Pag. 1

CAP. I. Ecclesiasticam Hierarchiam inniti Sancto Ordinis Sacramento, & gradus aliquos habere. ibid.

CAP. II. Primæ Tonsuræ, & quatuor Minorum Ordinum ministeria, & singulorum perfectio. 6

§ I. *Prima Tonsura.* 7

§. II. *Quatuor Minores Ordines.* 10

CAP. III. Subdiaconatus & Diaconatus; eorumque dotes ac virtutes, qui ad Sacrum Ordinem deliguntur. 14 §. I. 15. §. II. 18

CAP. IV. Statûs Sacerdotalis dignitas & sanctitas, ex collatione cum Sacerdotio Melchisedech & Aaron, ac ipsius Christi Domini nostri. 20

§. I. *Sacerdotium Melchisedech.* 21

§. II. *Sacerdotium Aaron.* 24

CAP. V. Quanta sit præstantia muneris Sacerdotum, & quanta virtutum facultas ad id præstandum sit necessaria, iuxta ea quæ in cæremonijs consecrationis eorum insinuantur. 29. §. I. 31

CAP. VI. Vocatione ad statum Sacerdotalem non indigni vocantur, sed digni; & horum vocationis modus. 35

§ I. *Deus non vocat indignos.* 36

§. II. *Varij modi quibus Deus ad Sacerdotium vocat.* 39

CAP. VII. Teneri Sacerdotes ad instituendum sanctè vitam suam statu suo dignam. 44. §. I. 45. §. II. 47

CAP. VIII. Qua ratione Sacerdotes omnesque Ecclesiastici, & nominatim Canonici studere debent perfectioni Euangelicæ, & mutuæ animorum coniunctioni. 50. §. I. 51. §. II. 55

CAP. IX. In Ecclesiasticis viris splendere debet paupertas spiritûs, mortificatio cupiditatis, & inordinati ad cognatos amoris; ac liberalitas in pauperes. 58. §. I. 60. §. II. 64

CAP. X. Castitas perpetua annexa est ordini Sacro & Statui Sacerdotali propter eius ministeria: quæ ad eam conseruandam multùm conferunt 67. §. I. 68. §. II. 70. §. III. 73

CAP. XI. Quàm arctè teneantur Sacerdotes castitatem exactè custodire, & quàm sint grauia peccata eorum contra illam, & quales pœnæ, nisi lapsi resurgant. 74. §. I. 75. II. 79

CAP. XII. Obedientia ac diligentia Sacerdotum in sciendis & implendis omnibus, quæ ad eorum ministeria spectant; & quantum adferat detrimentum obiter & negligenter eadem peragere. 81

§. I. *Inobedientiæ detrimenta.* 84

§. II. *Obedientia Prælatis exhibenda.* 86
CAP. XIII. Aliquæ rationes ob quas debent Sacerdotes quæcunque peccata, præcipuè publica, euitare; & quomodo ea sint per pœnitentiam reparanda. 88. §. I. 90. §. II. 92
CAP. XIV. Sacerdotibus etiam improbis honor est deferendus; quos tamen veræ virtutes reddunt magis venerandos. 95

INDEX CAPITVM TRACTATVS SECVNDI.

DE Sacrosanctæ Missæ Sacrificio, ac de perfectione qua illud sit celebrandum & audiendum. 99
CAP. I. Esse obligationem offerendi Deo Sacrificia ob diuersos fines; valdeque conueniens vt vnum aliquod esset infinitæ dignitatis, & valoris pro omnibus. ibid. §. I. 100
§. II. *Necessitas Sacrificij cuiusdam quod infiniti esset valoris.* 102
CAP. II. Duo stupendi modi quibus Christus Dominus Noster suijpsius Sacrificium obtulit, & vterque est excellentiæ infinitæ. 105
§. I. *Sacrificium Passionis.* ibid.
§. II. *Sacrificium vltimæ cœnæ.* 108
CAP. III. Qua ratione Sacrificium Missæ idem sit cum eo quod Christus Dominus Noster pro nobis obtulit; & quænam eius sint excellentiæ. 111. §. I. 112. §. II. 115
CAP. IV. Stupenda excellentia & efficacitas Sacrificij Missæ, ad quatuor fines, in quos diriguntur Sacrificia. 116. §. I. 118. § II. 121
CAP. V. Explicantur magis in particulari effectus Sacrificij Missæ eiusque Orationum; & insinuantur personæ quæ fructuum eius fiunt participes. 123
§. I. *Effectus Sacræ Missæ ex modo impetrationis.* 126
§. II. *Effectus Missæ ex modo satisfactionis.* 129
§. III. *Orationes Missæ.* 131
CAP. VI. Præparatio ad benè celebrandum; & magna animi puritas ad id requisita. 134. §. I. 135. § II. 137.
CAP. VII. Sacrum Missæ præcedere debet tanquam præparatio, oratio & meditatio. Ponuntur septem considerationes, singulæ pro singulis hebdomadæ diebus. 139
I. *Consideratio pro die Dominico.* 140
II. *Consideratio pro Feria* II. 141
III. *Consideratio pro Feria* III. 142
IV. *Consideratio pro Feria* IV. 143
V. *Consideratio pro Feria* V. 144
VI. *Consideratio pro Feria* VI. 145
VII. *Consideratio pro Feria* VII. 146
CAP. VIII. Colliguntur variæ Meditationes de vita Christi Domini Nostri diuersis anni temporibus accommodatæ pro præparatione ad Missam. 148

§. I. *Considerationes tempore Aduentus.* 149
§. II. *Considerationes tempore Natiuitatis vsque ad Septuagesimam.* 153
§. III. *Considerationes à Septuagesima vsque ad Quadragesimam.* 155
CAP. IX. Aliæ considerationes de Passione, Resurrectione, & mysterijs diuinitatis pro reliquo anni tempore. 157
§. I. *Considerationes à Paschate ad Pentecosten.* 161
§. II. *Considerationes à Festo Pentecostes vsque ad Aduentum.* 162
CAP. X. Excellentes virtutes per Sacerdotales vestes significatæ, quibus exornandi sunt Sacerdotes vt Missæ Sacrificium offerant. 166
§. I. *Virtutes & Mysteria per Amictum significata.* 167
§. II. *Virtutes quas Alba & Cingulum significant* 169
§. III. *Virtutes per Manipulum & Stolam significatæ.* 172
§. IV. *Virtutes per Casulam significatæ.* 174
CAP. XI. Ratio legendi & audiendi Missam cum perfectione; & nominatim quid sit agendum in prima eius parte vsque ad Euangelium. 176
§. I. *Confessio quæ præmittitur.* 177
§. II. *Missæ Introitus, Kyrie Eleison, Gloria in Excelsis, & Orationes.* 179
§. III. *Epistola, Euangelium & Credo.* 183
CAP. XII. Offertorium, Præfatio, Canon Missæ, Consecratio, Eleuatio Sacræ hostiæ & calicis; & quid tum faciendum Auditoribus. 186
§. I. *Offertorium, Lotio manuum, & Præfatio.* 186
§. II. *Canon vsque ad vltimam Sacræ Hostiæ Eleuationem.* 189
§. III. *Quid eodem tempore faciendum ijs qui Missæ intersunt.* 192
CAP. XIII. Precatio Dominica, & septem breues considerationes pro ipsa Missa. 195
CAP. XIV. Reliqua pars Missæ vsq; ad eius finem & gratiarum actionē. 199
Actio gratiarum. 201
CAP. XV. Valde sanctam & vtilem esse deuotionem legendi & audiendi Missam. 204. §. I. 205. §. II. 210

INDEX CAPITVM TRACTATVS TERTII.

DE perfecta ratione Officium Diuinum siue Horas Canonicas persoluendi. 214
CAP. I. Causæ cur institutum fuerit Diuinum Horarum Canonicarum officium, & magna eius commoda ibid. §. I. 215. §. II. 218
CAP. II. Quibus causis specialiter innitatur consuetudo solenniter canendi officium diuinū alternis versibus, & quo fructu & vtilitate id fiat. 221. §. I. 222. §. II. 224
CAP. III. Valor & efficacia Orationum quæ nomine Ecclesiæ fiunt. 227 §. I. 228. §. II. 231
CAP. IV. Vtilitates & commoda orationis, qua multis simul in vno loco

manen-

manentibus vnus pro omnibus orat. 234
CAP. V. Quosnam obliget præceptum legendi siue canendi Officium diuinum; & intentio necessaria ad illud explendum & perfectiùs orandum. 237 §. I. 239. §. II. §. 243
CAP. VI. Attentio ad officium diuinum cum perfectione persoluendum necessaria. 245 §. I. 246. §. II. 248
CAP. VII. Deuotio in horis canonicis persoluendis. 251
CAP. VIII. Tempus & locus ad septem horas canonicas legendas vel cantandas accommodatum, situsq; corporis ac modestia in orando seruanda. 256
§. I. *Circumstantia temporis.* ibid.
§. II. *Circumstantiæ loci & situs corporis.* 258
CAP. IX. Quod Horæ canonicæ dicendæ sint distinctè, continuatè, integrè, & ordinatè. 261
Prædictorum confirmatio. 265
CAP. X. Præparatio ad perfectè dicendum officium diuinum; & quo spiritu dicendæ sint orationes secretæ quæ præmittuntur. 267. §. I. 269
CAP. XI. Quo spiritu dicendi sint Psalmi, & reliquæ Officij diuini partes. 274. §. I. 276. §. II. 278

INDEX CAPITVM TRACTATVS QVARTI.

DE officijs & ministerijs in genere adiuuandi animas, eorumque partibus & ornamentis, vt exactè ac perfectè fiant. 283
CAP. I. Varia ad iuuandas animas ministeria ad quatuor potissima reducuntur. ibid.
CAP. II. Perfectionem horum ministeriorum inniti tanquam fundamento operibus vitæ actiuæ, & contemplatiuæ; eamque esse valde præstantem. 287
CAP. III. Amplius declaratur excellentia operariorum Euangelicorum, eorumque dotes ac talenta ad sua ministeria rectè obeunda. 291
CAP. IV. Dei vocationem esse necessariam ad prædicta ministeria, animas iuuandi, rectè exercenda. 296
CAP. V. Deum Dominum nostrum ad hæc ministeria non vocare ignaros, nec vitijs deditos, nec in virtute Tyrones; sed eos, qui in ea profecerunt, aut iam sunt perfecti. 299
§. I. *Probatio vocatorum & electorum.* 302 §. II. 305
CAP. VI. Specialis aliquorum perfectorum ad animas iuuandas vocatio; & inanes eorundem timores, & excusationes, earumque pœnæ; obedientia item tali vocationi adhibenda. 308. §. I. ibid. §. II. 311. §. III. 314
CAP. VII. Zelus iuuandi salutem animarum, eius excellentia, & fauores

Dei

Dei erga zelosos. 317. §. I 31 . §. II. 320
CAP. VIII. Singulari corona ornantur adiutores animarum ob ingentes suos labores; & quibus medijs hic zelus obtineatur. 326
Septem zeli actus. 327.
CAP. IX. Zelus iuuandi animas simul habere debet zelum propriæ salutis ac perfectionis; & prudenter mortificandi excessus nimium zelantium. 330. §. I. 331 §. II. 334.

INDEX CAPITVM TRACTATVS QVINTI.

DE perfectione Confessariorum in suis ministerijs. 337
CAP. I. Excellentia officij Confessariorum, & quæ opera misericordiæ illud obeundo exerceant. ibid.
CAP. II. Quomodo Confessarij munus sit acceptandum, & qui tituli causæque illud cum alacritate exequendi, præcipuè à Parochis & religiosis ad id destinatis. 344.
CAP. III. Puritas, Castitas, Patientia & aliæ virtutes Confessarijs necessariæ, vt aptè & absque proprio detrimento suo munere fungantur. 350. §. I. 352. §. II. 354
CAP. IV. Charitas & commiseratio, zelus & oratio confessariorum. 357 §. I. 359. §. II. 361.
CAP. V. Scientia & Prudentia Confessarijs necessaria. 364
§. I. *Confessarij scientia.* 365
§. II. *Implicatæ conscientiæ.* 367
CAP. VI. Secretum seruare debet Confessarius omnium quæ in confessione audiuit, propter septem causas siue titulos, qui sunt tanquam septem sigilla. 370.
CAP. VII. Dexteritas & industria Confessarij in iuuando pœnitente ad confessionem integrè faciendam; & nominatim reticente studio aliquod peccatum, aut non habente propositum illud deserendi. 374 §. I. 375 §. II. 379
CAP. VIII. Dexteritas confessarij in euellendis peccatis ex corde Pœnitentis & proponenda seria vitæ emendatione. 387
CAP. IX. Industria ac dexteritas Confessarij ad excitandum in Pœnitente dolorem, timorem, & pudorem de peccatis. 381
CAP. X. Dexteritas Confessarij in reprehendendis peccatis, adhibita moderatione seueritatis. 394
CAP. XI. Confessarius tenetur accommodatas & conuenientes iniungere pœnitentias: & quis modus & ratio singulis eas injungendi, proponendo scilicet in moderationem. 398 §. I. 399. §. II. 402
CAP. XII. Directio & specialis cura Confessariorum erga sibi commissos, ad eorum vitia radicitùs extirpanda. 407 §. I 409 §. II. 411
CAP XIII. Dexteritas & industria Confessarij in permouendis pœniten-

tibu

tibus ad perfectionem omnium virtutum. 415
CAP. XIV. Alia Confessariorum ministeria in quærendis proximis, visitandis pauperum Xenodochijs, carceribus, infirmis, & intercessione pro afflictis; & modus siue ratio se erga omnes habendi 415. §. I. 416
§. II. *De interceßionibus.* 419
CAP. XV. Quanti sit momenti ministerium adiuuandi morituros, & ratio cum perfectione illud exequendi 428 §. I. 429. § II. 432
CAP. XVI. Praxis adiuuandi ad benè moriendum. 437. §. I. 438. §. II. 440

INDEX CAPITVM TRACTATVS SEXTI.

DE perfectione in officijs & ministerijs litteras profitentium & nominatim Magistrorum ac Prædicatorum Euangelicorum. 349
CAP. I. Scientiæ necessariæ ad perfectè obeunda munia Magistrorum, Prædicatorum & Prælatorum. ibid. §. I. 450
§. II. *Scriptura Sacra.* 452
§. III. *Scientiæ naturales & litteræ humaniores.* 455
CAP. II. Charitas & studiositas, donumque Sapientiæ multùm conferunt ad studendum scientijs cum perfectione 459 §. I. 460. §. II. 462
CAP. III. Sex media ad studendum vtiliter; & aliæ virtutes ad idem iuuantes. 465
CAP. IV. Quam vtilitatem in Ecclesia adferant viri docti & Sancti; & quàtum detrimenti improbi, & quo modo & ratione eis accedendum ad sua munia 470. §. I. ibid. §. II. 476
CAP. V. Modestia, Mansuetudo & pax in disputationibus; radices discordiarum, & earum remedium. 479
§. I. *Elata ac temeraria ingenia.* 480
§. II. *Prædicta amplius explicantur ex disputatione, quæ fuit inter Iob, & eius Amicos.* 483
CAP. VI. Humilitas in re literaria, eiusque actus, & ratio discordias in disputationibus præueniendi. 486.
§. I. *Actus humilitatis erga Deum.* 487.
§. II. *Actus humilitatis erga homines.* 489
CAP. VII. De veritate ac doctrina, & modo eam tradendi, qui in Magisterio Christi Domini nostri præluxit, & qua ratione cæteri Magistri ac Prædicatores in hoc debeant illum imitari. 492
§. I 493. §. II. 496
CAP. VIII. Prudentia & discretio in separanda doctrina preciosa à vili, docendo & prædicando pretiosam tantùm & vtilem, accommodatam capacitati & necessitati auditorum. 500. §. I. 503. §. II. 507
CAP. XI. Affectus deuotionis ac feruoris spiritus; eloquentiæ Christianæ, & studij ac diligentiæ quam debent Prædicatores adhibere, vt hæc

omnia assequantur. 512
§. I. *Affectus & pium studium.* 513
§. II. *Superiora explicantur exemplo libri quem Ezechiel & S. Ioannes comederunt.* 515
CAP. X. Praxis Christianæ Eloquentiæ ex S. Augustino. 518
CAP. XI. Recta & pura intentio in prædicando; & varij actus humilitatis contra superbiam & inanem gloriam, aliaque vitia, quæ ipsam intentionem impugnant. 523
§. I. 526. §. II. 530
CAP. XII. Obedientia & fiducia in Deum, ac diffidentia suiipsius multùm iuuant ad piscandas multas animas reti Prædicationis; adferuntur multa documenta circa has virtutes 532. §. I. 533. §. II. 538
CAP. XIII. Quo zelo & animi fortitudine prædicanda sit veritas, & vitia reprehendenda. 544
§. I. 545. §. II. 548. §. III. 551.
CAP. XIV. Patientia habenda in omni euentu aduerso & laborioso ministerij docendi & prædicandi. 554. §. I. 557. §. II. 561
§. III. *Prædicta confirmantur exemplo Ionæ.* 563
CAP. XV. Aliquæ perfectionis regulæ quas Christus Dominus Noster Apostolis ac Discipulis suis tradidit, cum eos misit ad prædicandum diuersis gentibus; & quanti hæc sint momenti. 566
§. I. 568. §. II. 572.

INDEX CAPITVM TRACTATVS SEPTIMI.

DE Statu Episcoporum & Prælatorum; & officio animas gubernandi. 578.
CAP. I. Summarium omnium excellentiarum virtutum, ac ministeriorum spectantium ad Episcopos & Prælatos Ecclesiæ. ibid.
§. I. 567. §. II. 570 §. III. 573
CAP. II. Onera, difficultates, ac pericula Prælationis. 587
CAP. III. Talenta ad perfectè gubernandum necessaria. 592
CAP. IV. Absque Dei vocatione valde periculosum esse statum Prælationis procurare; aut etiam oblatum admittere; & offenditur modus in electionibus seruandus. 597
§. I. 598. §. II. 602.
CAP. V. Qua ratione sequenda & acceptanda sit Dei vocatio: cum præmissa ad eam cognoscendam consultatione satis innotescit. 606
CAP. VI. Excolere debent Prælati profundam humilitatem; non tamen ita vt labantur in pusillanimitatem. 611 §. I. 613. §. II. 616
CAP. VII. Christus Dominus Noster proponit in Apocalypsi Prælatis exemplar quoddam magnæ perfectionis, in omnibus eorum Ministerijs; & in septem Epistolis docet eos modum & rationem suos

subdi-

subditos gubernandi. 619
CAP. VIII Prælatorum gubernatio fundari debet in charitate Dei & proximi: & in quibus rebus ea sit exhibenda 625. §.I.628
CAP. IX. Quod charitas & prouidentia Prælatorum appareat in Residentia suarum Ecclesiarum, & visitandis suis subditis; & modus eos visitandi. 632
§. I. *Rationes ad Residentiam obligantes* 633
§. II. *Visitanda sunt à Pastore loca suæ iurisdictionis.* 637
CAP. X. Prima Epistola ad Episcopum Ephesinum, in qua de feruore in gubernatione, oratione & consideratione collecta, quæ gubernationem comitantur. 642
§ I.644.§.II.648.
CAP. XI. Patientia Prælatorum in tolerandis subditorum molestijs, ex eadem prima Epistola. 651
CAP. XII. Neque deserendi sunt mali subditi, nec ferendæ eorum improbitates & scandala, sed magno zelo corripienda & punienda. 656
§. I. ibid.
CAP. XIII. Pergit eadem Epistolâ contra Prælatos deserentes primam charitatem ac feruorem quo suum munus cœperũt; & qua ratione reprehendẽdi sint inconstantes, & qui ex imbecillitate delinquũt 663
§.I.666.
CAP. XIV. Secunda Epistola ad Episcopum Smyrnæ Ecclesiæ, in qua de paupertate Prælatorum, etiam redditus habentium Ecclesiasticos, & modo eos moderatè expẽdendi; & superflua in eelẽmosynas erogandi; ac de fiducia in Deum: cum paupertate & alijs difficultatibus premuntur. 691
§. I. *Perfectio sectanda simul cum possessione reddituum Ecclesiasticorum.* 693
§. II. *Fiducia in Deum, cùm adsunt tribulationes.* 690
CAP. XV. Tertia Epistola ad Episcopum Ecclesiæ Pergami, aduersum Prælatos negligentes in reprehendendis & puniendis, & à communitate reijciendis scandalosis; & ratio ea aptè faciendi, & præmium diligentium in eisdem præstandis. 692
§.I.693.§.II.698.
CAP. XVI. Quarta Epistola ad Episcopum Thyatiræ de zelo Prælatorum circa castitatem propriam & subditorum, & remouendas occasiones & pericula; quantaque bona cęteris hinc proueniant. 701
§.I.702.§.II.706.
CAP. XVII. Quinta Epistola ad Episcopum Ecclesiæ Sardis contra Prælatos, qui ipso nomine tantum contenti munus suum negligunt; nec vigilant, neque attendunt ad bonum subditorum 710
§.I.711.§.II.715.
CAP. XVIII. Sexta Epistola ad Episcopum Philadelphiæ: in qua proponuntur auxilia, quæ Christus Dominus noster bonis Prælatis largi-

tur, ad

tur, ad gubernandum & prædicandum verbum Dei fructuosè; & præmia quibus eos remunerat. 719
§. I. 721. §. II. 724
CAP. XIX. Septima Epistola ad Episcopum Laodiciæ, aduersus Prælatos tepidos & illusos in sua gubernatione; & ratio eos corrigendi. 728
§. I. 730 § II. 732.
CAP. XX. Summarium quoddam omnium quæ ad perfectum Prælatum pertinent, desumptum ex ijs quæ in hoc tractatu sunt dicta ex similitudine Seraphinorum, quos vidit Isaias cum sex alijs. 737
§. I. *Obedientia & patientia.* 739
§. II *Zelus & compassio.* 742
§ III. *Discretio ac deuotio.* 747.

FINIS.

TRACTATVS PRIMVS
DE SACRAMENTO ORDINIS, ET STATV SACERDOTALI; AC PERFECTIONE OMNIVM Ecclesiasticorum.

CAPVT I.

ECCLESIASTICAM HIERARCHIAM INNITI Sancto Ordinis Sacramento; & gradus aliquos habere.

ECCLESIASTICA REPVBL. quam Christus Dominus noster in vniuersali sua Ecclesia instituit, est suprema omnium, quæ sunt in terra. Cuius excellentiam insinuauit S. Dionysius Areopagita indito ei nomine HIERARCHIÆ, quod Sacrum Principatum significat: eò quòd sit congregatio & coniunctio multarum Personarum consecratarum obsequio vnius Principis, Christi scilicet veri Dei & hominis: Cuius gubernationi illæ subijciuntur in varijs Statibus, Officijs, ac Ministerijs: quæ omnia sacra sunt, cœlestia, ac Diuina; & ad duos præcipuè fines ordinata, & constituta. *Lib. de Eccles. Hierarch. S. Thomas 1. p. q. 108. art. 1.*

PRIMVS FINIS est, vt ipsum honorent & glorificent, offerentes Sanctissimum corporis, Sanguinisque eius pretiosissimi Sacrificium, cum decentia ac reuerentia, debita Maiestati illius Domini, qui in supremo illo mysterio latet: quod Sanct. Dionysius Sacramentum Sacramentorum appellat. Quod si a *vbicunque fuerit corpus, illic congregantur & aquilæ*: nihil mirum, quòd, vbi est naturale & verum Saluatoris ipsius corpus, ministrorum eius aquilæ cõgregentur: non solùm vt eius carne alantur, & sanguine reficiantur; sed etiam, vt eum pro meritis honorent ac venerentur. Cumque Reges terreni habeant semper in aula & Curia sua magnam nobilium famulorum multitudinem, ipsis inseruientium, & in eius conspe- 1. *De Eccles. Hierarch. c. 3. Mat. 24. 28*

ctu assistentium, ob Regiæ Personæ dignitatem & authoritatem; & Rex ipse cœlestis in cœlesti sua curia multitudinem habeat Angelorum, ipsi cum summo ordine per suas Hierarchias inseruientium: æquum etiam est, vt idem in sua Curia & aula, quam ad inhabitandum in terra sibi ædificarit, magnum habeat ministrorum numerum; qui ei inseruiant, & ita reuerenter cum eo agant, atque infinita eius maiestas & amplitudo exigit, quamuis quicquid ipsi in hac re præstare poterunt, modicum valdè sit, si cum eo conferatur quo ipse dignus est.

2. ALTER finis est, in bonum & vtilitatem corporis ipsius mystici, quod est Ecclesia, & congregatio omnium fidelium. Ex quibus voluit ipse seligere aliquos fideles seruos ac ministros, qui reliquorum bono attenderent, administrantes eis Sacramenta, & reliquas res Sacras, aliaque officia ac ministeria Spiritualia eis exhibentes, quæ ad ipsorum salutem ac perfectionem erant necessaria. Neque enim decebat, vt omnes pro arbitratu suo in huiusmodi res sacras se ingererent; nec omnes talentum & capacitatem habebant ad illa in se suscipienda; nec ordo & rectitudo esse poterat, vbi multitudo esset confusa, absque distinctione personarum, quæ diuersis officijs attenderent: cum nec vnus solus omnia illa præstare posse; nec omnes apti essent ad illorum singula indifferenter: vt fusius dictum est initio primi tomi. Hanc ob causam instituit Deus Dominus noster in ipso cælo Empyreo tres Angelorum Hierarchias, vnam supremam, alteram mediam, & tertiam infimam, cum tribus ordinibus in singulis, iuxta tres præcipuos vitæ spiritualis actus, quos Sanct. Dionysius appellat *esse puros* ac mundos ab ignorantijs, erroribus, & peccatis, & purificare ac mundare alios; *esse splendentes* in se ob excelsas veritates ac virtutes; & *alios illuminare* faciendo eos earum participes; & esse in *se perfectos*, alios que perficere.

Tract. 1. c. 1

De cælesti. Hierarch. cap. 5.

3. AD HARVM Hierarchiarum similitudinem habet etiam Ecclesiastica suos tres ordines, quemadmodum Sacrum Tridentinum Concilium hisce verbis definiuit: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, Anathema sit.* Quare omnes tenemur credere, esse in Ecclesia Catholica specialem quandam Hierarchiam, institutam non hominum consilio & inuentione, sed ipsius sit. et Dei ordinatione. In qua tres sunt Personarum Ordines, quæ tribus prædictis actibus respondent. *Episcopi*. n. supremũ tenẽt ordinem & gradum; quibus cõpetit esse vndequaq; perfectos vt eã reliquis ipsorum gubernationi subditis cõmunicent; ipsi enim sunt capita & gubernatores reliquorum, qui sunt in Ecclesia. *Presbyteri* sunt, quos cõmuniter appellamus Sacerdotes: quibus cõuenit secundus perfectionis gradus: hoc est, vt sint spirituali lumine pleni; & alios per Sacramenta, quæ

Sess. 23. Can. 6. & 4.

ad mi-

administrant, illuminent: propterea enim dicuntur Sacerdotes quasi *Sacra dantes.* Vocantur autem Præsbyteri aut seniores, non tam ab ætate; quàm à virtute, Sapientia, ac prudentia: quæ illis sunt necessaria ad exercitia præstanda sui status & officij: quod duas insignes potestates complectitur. Alteram consecrandi corpus & sanguinem Christi Domini nostri, illudque offerendi in Sacrificio pro viuis ac defunctis; alteram sacrificandi corpus mysticum eiusdem Domini nostri, hoc est eius Ecclesiam, remittentes peccata & lumen accedentes gratiæ & virtutum supernaturalium, per aliquorum Sacramentorum administrationem, quæ illis incubit. Ex quo præcipuũ oritur discrimen inter Sacerdotes ordinarios, & Episcopos. Sacerdotes enim sunt quasi parentes laicorum fidelium, quatenus in Baptismo eos generant in esse filiorũ Dei, mũdantes eos ab originali peccato: quòd si postea per aliquod actuale peccatum moriãtur; eos resuscitãt per Sacramentum pœnitentiæ, aperientes suis clauibus portas cœli: & in ipso vitæ decursu eosdẽ alunt viuo illo pane, quem in Sacra Communione eis porrigunt; & in hora mortis eosdem vngunt, ad reliquias peccatorum abstergendas, eosq; ad ingressum Regni cœlestis disponendos. Episcopi autem ex officio proprio, tum hæc omnia, tum alia multa habent. Administrant enim Sacramentũ Confirmationis: quo constituimur in Statu perfectorum Christianorum, vt suo loco diximus. Deinde (vt ait S. Epiphanius) Episcoporum ordo Patrũ generator est: Patres enim generat Ecclesiæ: Presbyterorum verò non potest generare Patres. Per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ, non tamen Patres, aut Doctores; quod faciũt Episcopi, cum consecrant Sacerdotes, aliosque Episcopos, Patres, & Magistros futuros reliquorum. Vt propterea Sancti dicant; Episcopos succedere Sacris Apostolis; Presbyteros autem, Septuaginta duobus Christi discipulis. Et quamuis in ipso Episcoporum ordine sint etiam aliqui gradus Archiepiscoporum, & Patriarcharum, quos Ecclesia Sancta à Spiritu Sancto edocta instituit: ipse tamen Christus Dominus noster vnum instituit vniuersalem Patrem, suum in terris vicarium; Episcopum scilicet Romanũ Sancti Petri Successorem, & caput omnium Episcoporum, omnium fidelium, Secularium, Religiosorum & Ecclesiasticorum omnium. Quare, cùm ipse Christus hanc dignitatem S. Petro communicaret, prius dixit ei bis: b *pasce agnos meos*; tertiò verò dixit: *Pasce oues meas*: intelligens (vt S. Bernardus explicat) per agnos, vulgares, Ecclesiastici ac Secularis Status fideles; per oues autem, quæ agnorum sunt matres, intelligens Sacerdotes & Episcopos, qui filios generant spirituales, vt nunc diximus.

Tertium huius Hierarchiæ ordinem & locum tenent illi, quos Concilium *Ministros* appellat: idque peculiari ratione. Nam quemadmodum Angelorum nomen quamuis omnibus Hierarchiarum cœlesti-

To. 1. tract. 2. c. 5. Hæres. 75. contra Aerium.

S. Hier. Epi. ad Marcellã de erroribus Mõ. a. Aug. in Psal. 44 Leo Epist. 8 D. Tho. 2. 2 q. 184. ar. 6. ad 1. Bellar. li. 1. de Cler. c. 14 Triden. Sess. 23. c. 4.

b Ioa. 21. 16 lib. 2. de Consid. prope finem.

um Spiritibus sit commune, attribuitur tamen quasi proprium infimo ordini, hominum custodi: ita Ministrorum nomen, etsi verè sit Episcopis, Sacerdotibus, & reliquis omnibus Ecclesiasticis commune, quatenus omnes, vt serui fideles, Deo suo eiusque sponsæ Ecclesiæ ministrant, ac seruiunt, suisque proprijs ministerijs: speciatim tamen ijs attribuitur, qui sunt constituti, vt seruiant, adiuuentque Sacerdotes in præcipuo eorum ministerio; quibus incumbit tertius actus, hoc est esse puros, aliosque purificare, officiorum suorum actibus; qui, vt statim videbimus, sunt multi.

VT AVTEM tota hæc Hierarchia spiritualem splendorem egregio adeò arduoque suo facinore dignum habeat, instituit Christus Dominus noster insigne quoddam Sacramentum, quod vulgari & recepto nomine ORDINIS appellamus: cuius proprius Minister est solus Episcopus, & complectitur septem partes; quatuor Ordines Minores, *Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi*; Et tres Maiores ac Sacros, *Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotis*. Sex primi sunt Ministrantium: ac propterea præcipui illorum nomen est Diaconus, quod Ministrum significat; Septimus Sacerdotum qui etiam complectitur Episcopos. Qui septem Ordines sunt quasi [c] *septem columnæ* huius *domus*, quam *Sapientia* Diuina incarnata ad gloriam suam *ædificauit*; & quasi [d] *septem Oculi agni*, ac [e] *petræ viuæ*, quæ est Christus Dominus; & quasi [f] *septem stellæ in dextera eius*; & quasi [g] *septem Spiritus Dei, missi in omnem terram*, ad manifestandam Supremi sui Principis Maiestatem: pugnantes contra eius hostes, tanquam septem h *castrorum acies ordinatæ*. Quam ob causam iure optimo appellatur ORDO: quamuis enim verum sit, vt Apostolus dixit, omnia h *quæ sunt, à Deo esse ordinata*; & in Republica Sæculari magnum esse ordinem, ac multò præstantiorē in Religiosa (quo nomine etiam Religio appellatur Ordo) maiori tamē cum excellentia Ordo inuenitur in Republica & Hierarchia Ecclesiastica, quæ Sancto huic Sacramento innititur. Quod in finem sibi propositum duos habet insignes effectus. PRIMVS ac præcipuus est Spiritus Sancti plenitudo cum gratia, charitate, virtutibus, ac donis supernaturalibus, ac reliquis auxilijs necessarijs ad præstanda, vt oportet, ministeria, in quæ singuli ordines destinantur. Et quoniam inter eos alij sunt alijs maiores, ideò maiorem gratiam maioribus præstat; minorem verò minoribus, & copiosiorem in Sacerdotio communicat, quàm in Diaconatu; & in hoc maiorem, quàm in cæteris: omnes tamen replet, quia explet capacitatem subiecti suscipientis iuxta id, quod digna officij sui executio exigit: quemadmodum paruum aliquod vas dicitur esse plenum, quamuis non tantum aquæ contineat, atque aliud magnum. Et quoniam Spiritus Sanctus est Spiritus vnionis, charitatis, ordinis & concordiæ; hac gratia effi-

cito

Trident. Sess. 23 c. 2 & can. 2

c *Prou. 9*

d *Apoc. 5. 6*
e *Zach. 3. 9*
f *Apoc. 1 16*
g *Cant. 6. 9*
h *Rom. 13 1.*

cit ordinem & rectitudinem, quam ipsius Sacramenti nomen significat. Quod etiam exigit, vt per gradus suos à minoribus ad maiores, ordine suo suscipiatur; nullo omisso, nec ordine eorum inuerso: ita vt in Sacerdote coniungantur omnes ordines inferiores, gratiæque ac sanctitatis gradus necessarij ad omnia ministeria. Vult enim Christus Dominus noster talem in Ministris suis ordinem seruari; vt, quantum est ex parte Sacramenti, qui Maior est, sit etiam Sanctior, & ita sanctitatem minorum excedat, vt summa diligentia omnes contendant semper, hoc gressu progredi, crescentes in Sanctitate, sicut in dignitate crescunt. Ita vt tota Ecclesiastica Hierarchia progrediatur, vt dicitur in libro Canticorum, per huius vitæ desertum, i *quasi aurora consurgens*, ascendens per quatuor Minores Ordines, *Pulchra vt Luna*, propter ordinem Leuitarum, Subdiaconorum scilicet, ac Diaconorum; *electa vt Sol* propter sacratissimum Sacerdotum ordinem; ac *terribilis vt castrorum acies ordinata*, propter vnionem omnium Ecclesiasticorum cum Ducibus suis Episcopis, & Summo Pontifice, qui caput est omnium. Alter effectus huius Sacramenti appellatur character & signum indelebile: estque potestas quædam spiritualis ad exercendum ministerium Ordinis proprium. Quæ potestas, quoniam semper durat, non potest hoc Sacramentum iterari, nec nisi semel sumi. Et hoc signo discernuntur homines huius Hierarchiæ à cæteris fidelibus. Sed quoniam hoc signum est spirituale, & inuisibile, instituit Ecclesia signum aliud exterius & visibile, quod primam Tonsuram, siue coronam appellat. à qua distinctio incipit Ecclesiasticorum à Sæcularibus. Quæ, si coniungatur cum septem prædictis ordinibus; & cum ipso Episcopatu, qui eos perficit: licebit dicere, quod quemadmodum cœlestis Hierarchia continet nouem ordines & choros Angelorum, in curia illa cœlesti assistentium; qui i *omnes* (vt Apostolus dicit) *sunt administratorii spiritus, in ministerium missi* in mundum, *propter eos qui hæreditatem capient Salutis*; ita Eccclesiastica Hierarchia nouem cõplectitur genera Personarum cum varijs officijs in bonum totius Ecclesiæ, quæ est illa k *Sulamitis* siue pacifica sponsa veri Salomonis: in qua splendent nouem hi *chori castrorum* ad eius ornatum ac protectionem; quasi nouem pretiosi lapides igne accensi; quorum meminit Ezechiel Propheta, quibus l *filia* hæc *Regis* cœlestis ornata, *astitit a dexteris eius*, eò quòd sit splendidissima pars Ecclesiæ, *circumdata* stupenda *varietate*: vt paulatim in subsequentibus capitibus explicabitur.

i *Cant.6,9*

Trident. Sess.7.can.6 Sess. 3.c.4.

Sess.23,c.2.

i *Heb.1,14.*

k *Cant.7.1*

Ezech. 28. 3.

l *Ps.14.10*

CAPVT II.

PRIMÆ TONSVRÆ ET QVATVOR MINORVM ORDINVM *ministeria; & singulorum Perfectio.*

QVAMVIS CHRISTVS DOMINVS NOSTER, tanquam auctor Ecclesiasticæ Hierarchiæ constituerit præcipua, ad Sacramentum Ordinis, omnesque eius gradus & munia spectantia; voluit tamen Ecclesiæ suæ, quæ à Spiritu Sancto gubernatur, potestatem relinquere constituendi alia minus principalia, valdè tamen apta ad debitam Sacramentorum administrationem, & cum decoro exercenda eorum ministeria; & nominatim ad eligendas & constituendas Personas, quæ futuræ sint partes ipsius Hierarchiæ: ita vt sæcularis potestas non possit se in ea immiscere, vt aliquid impediat aut immutet. Ad nullam enim inferiorem *Sess.23.4* Rempubl. pertinet de superioris ministris aliquid disponere. Quare Concilium Tridentinum dixit: qui tantummodo à Sæculari potestate ac Magistratu vocati & instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt; & qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ Ministros, sed *a fures, & latrones, per ostium non ingressos,* habendos esse. In lege Naturæ de- *a Ioan 10.1.* signabat Deus Dominus noster huiusmodi Personas ex primogenitis; & in lege antiqua ex duodecim tribubus Israël vnam elegit, b *Leuiticam* *b Num.3 6 10. & ca. 4.2.* scilicet, vt in ea sola succederent filij parentibus in officiis *Sacerdotum* ac *Ministrorum templi*; qui propterea vocati sunt Leuitæ: & alijs ministerijs in diuersas familias distributis, soli familiæ *Aaron* annexuit *Sacerdotum*, vt nulla alia illud haberet. Quæ lex cùm imperfecta esset, non mirum quod ministeriorum distributio fieret per carnalem generationem, cùm autem lex Euangelica sit spiritualis ac perfecta: voluit Christus Dominus noster Sacerdotes ac Ministros Ecclesiæ suæ esse viros selectos; & eminentes inter reliquos fideles, non successione illa generis; sed electione ipsiusmet Dei, quæ fit eius vocatione, & Ecclesiæ examine & approbatione, eligentis eos, qui dotes habeant, & talenta ad sua ministeria accommodata; nec se in hoc adstringentis vni tantùm generi aut familiæ. Cùm enim lex Euangelica esset omnibus gentibus & nationibus prædicanda; *c Isaia.66 21.* ideò dicit Deus per Isaiam: c *assumam ex eis Sacerdotes & Leuitas*: ita vt nulla sit natio in terris, ex qua (vt Sanct. Hieronymus ait) non possint eligi huiusmodi Ministri. Imò qui sunt vnius nationis, poterunt etiam hæc *d Isai.61.5* munia in alijs exercere, iuxta eiusdem Isaiæ Prophetiam dicentis: d *Stabunt alieni & pascèt pecora vestra: & filij peregrinorum, agricolæ, & vinitores vestri erunt. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini. Ministri Dei nostri.* Cum enim omnes Christiani, cuiuscunq; sint nationis vnã habeant fidem, vnum baptisma, & vnam cum Christo charitatis vnionem: omnes sunt vnio-

nis in

nis in his Ministerijs capaces, iuxta Ecclesiæ præscriptum ac directionem.

§. I. *Prima Tonsura.*

Hinc ortum est primum genus siue gradus eorum, quos *Clericos* appellamus: homines scilicet, qui sponte sese dicant, & offerunt spiritualj Ecclesiæ obsequio in proprijs eius Ministerijs: & sic fiunt pars Ecclesiasticæ Reipubl. quæ eos recipit Sancta quadam Cæremonia, quam *Primam Tonsuram*, aut primam *Coronam* appellamus. Quæ non est verè Sacramentum; sed quædam dispositio ad Sacramentum Ordinis, & protestatio, quòd se dedicet ad illud suo tempore suscipiendum, ea mente ac intentione vt in Ecclesiæ Ministerijs sese occupet & impendat. Eum in modum, quo Nouitij Religionum disponunt se ad Statum suscipiendum quem quærunt. Solet autem *Prima* hæc *Tonsura* conferri ijs, qui teneræ sunt ætatis: eò quod magni sit momenti (vt ait Sacrum Concil. Trident.) vt à teneris annis ad pietatem afficiantur, & ad res sacras instruanrur, & informentur de ijs, quæ exercere in eis debent. Eum in modum quo a *Samuel* ab infantia *erat Minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis*; seruiens in ipso templo in quo erat arca Domini, & ipse b *dormiebat in eo*; *aperiebat & claudebat eius portas* tempore suo: & ita satisfaciebat desiderio ac voto Sanctæ suæ matris, quæ illum ab infantia c *Deo obtulit*: vt eius obsequio semper esset mancipatus. Hunc igitur in modum Ecclesia Sancta, tanquam mater, seligit futuros ministros suos in templo Dei viui, dicens eis in ipsa *Prima Tonsura* verba illa Psalmi: *Domine pars hæreditatis meæ.* Vt ex tunc intelligant felicem sortem suam, cum Deum in suam hæreditatem accipiant; & vicissim Deus eos accipiat in suam: suscipientes in se, diligenter attendere ad omnia, quæ sunt honoris Dei, & Deus ad ea, quæ illis sunt vtilia & commoda. Quemadmodum fecit cum antiquis legis veteris Ministris: quibus dixit: e *ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel*; tuique curam cum maiori attentione quàm aliorum habebo: siquidem tu curam suscipis mei obsequij, cum maiori attentione quàm illi. Et in hunc sensum ait S. Hieronymus: Clericus Ecclesiæ Christi inseruiens, proprium suum nomen interpretetur, & studeat esse quod illud significat. Clerus enim significat sortem: ac propterea appellantur Clerici; aut quod sint sors f *Domini* eos in specialem *suam hæreditatem* accipientis; aut quod ipsemet Dominus eorum sit sors, & specialis hæreditas. Qui autem sunt pars Domini, aut eũ habent pro sua hæreditate, ita viuere debent, vt & ipsi Deum possideant, & à Deo possideantur.

Et Hic præcipuus esse debet scopus & finis recipientis *Primam Tonsuram*, Quam Cõcilium Tridentinum non vult ijs conferri, de quibus probabilis coniectura non sit, eos non sæcularis iudicij fugiendi fraude;

Sess. 23. c. 18 de Reform.

a 1. Reg. 2.

b cap. 3. 3. 15

c ca. 1. 11. 20

d Psal. 15. 5.

e Nu. 18. 20

Epist. ad Nepotia. de vita Cleric. refertur c. Clericus 12. q. 1. & 12. ex Isidor.

f Psal. 2. 8

Sessi. 23. c. 4 de Reform

sed

sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. Quamuis enim Ecclesia hac Tonsura studium suum & fauorem eis ostendat, vt statim vti possint priuilegijs Ecclesiasticæ Reipublicæ proprijs, capaces illos reddens redituum ac beneficiorum Ecclesiasticorum: non tamen vult hoc esse præcipuum motiuum eorum, sed valde accessorium, iuxta illud Christi seruatoris nostri: [g] *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.*

g Mat. 6. 33

1. Hoc significat externum illud signum, quod illis fit in capite, dum pars quædam capillorum raditur in circulo & corona: quæ cæremonia valde antiqua est ab ipsis Apostolorum temporibus: nam (vt Sanctus Augustinus ait) caput radere, est, cogitationes terrenas, & superfluas à mente resecare; quia præcipuè attendere debent ad cælestes & æternas, tanquam veri [h] *Nazarei* Deo consecrati: quorum *Capilli raduntur & ponũtur super ignem Sanctuarii:* quod (vt S. Gregorius aduertit) significat: eos omnia sua superflua abscindere & mortificare, igneq; amoris Diuini consumere. Et antiquos i *Leuitas* iubebat Deus, *radere omnes pilos carnis sua:* ad significandum (vt idem Sanctus ait) electos ad hæc ministeria, deponere debere affectus omnes & cogitationes carnis; conseruantes eam in summa honestate & puritate. Non dicit autem euellendos esse pilos; sed abscindendos aut nouacula radendos: in hac enim vita semper remanent in sensualitate tentationum radices; nec fieri potest, vt illæ omnino euellantur. Clericis autem ac Leuitis Euangelicæ legis, qui maiorem sectantur perfectionem, raduntur capilli capitis, quæ est superior pars hominis; vt intelligant, se non solùm mortificare debere superfluitates sensualitatis; sed etiam propriæ voluntatis, & ipsas cogitationes & affectus rerum huius vitæ: ne (vt ait S. Augustinus) inter Dei & ipsorum Spiritum aliquid se inserat, quod amoris coniunctionem, contemplationem, & cum Deo Creatore suo familiaritatem impediat. Non tamen omnes capillos abscindunt: quia non possunt in hac vita omnes huiusmodi curæ & cogitationes abscindi ac deponi, quin semper aliquæ maneant.

h Libr. de cõtẽp. sæculi c. 1. tom. 9. i Nũ. 6. 18. Li 11. Mor. ca. 26, Num. 8, 7. li, 5, Mor. c. 14.

S. Aug. & S. Dionys. suprà.

2. Fit tamen rasura hæc in modum coronæ, ad exprimendam Regiam dignitatem, quæ (vt S. Hieronymus ait) Ecclesiæ ministris competit: quibus per excellentiam accommodatur illud S. Petri ad omnes fideles: k *vos estis genus electum, & regale Sacerdotium:* ac proinde ipsi debent exequi illud Isaiæ: l *Princeps, quæ digna sunt, principe, cogitabit;* & Sacerdos meritò deponere debet cogitationes Sacerdotio indignas; ealq; tantùm admittere quæ excelso suo statu sunt dignæ.

Refertur 21. q. 1. c. Duo sunt. k 1. Pet. 2. 9 l. Isaiæ 32. 8

3. Eadem Corona memoriam renouat spineæ, quæ imposita fuit capiti Christi Domini nostri in contemptum, quasi Rex esset fictus. Vt intelligatur: regiam celsitudinem ministrorum Ecclesiæ in eo consistere,

vt

vt honori & gloriæ sibi ducant contemptus Saluatoris, eoſque prõptere capiti ſuo imponant. Ac denique eadem *Tonſura* ſit forma circulari, quæ perfecta eſt, & perpetuitatis Symbolum: quia neque principium neque finis in ea apparet: vt hac ratione perfectionem præferat vitæ, quam tales Miniſtri ſectari debent cum magna perſeuerantia vſque ad finem vitæ, & per totam æternitatem. 4.

Nec ſine myſterio corona in clericis Minorum Ordinum eſt parua; maior verò eorum, qui ſacrum ſuſceperũt ordinem; & adhuc maior Sacerdotum: ſicut etiam eſſe ſolet in Religioſis: ad ſignificandum, quod quemadmodum creſcit ordinum gradus; ita par eſt creſcere renunciationem, abnegationem, & perfectionẽ vitæ. Cum autem Sacerdotes ſint dignitate maiores: etiam debent excellere in ſanctitate; honori ſibi eam tribuentes in conſpectu totius mundi: vt quicunque operum eorum perfectionem aſpexerint, cœleſtem Patrem glorificent, qui in cœlis eſt. Et quemadmodũ dedecet Sacerdotem ex ignauia, incuria, aut contemptu, aut vt ſeipſum occultet, non aperire coronam; ſed caput ſuum geſtare cum integris ſuis capillis, ſicut ſæculares: ita maximè dedecet, eam ſanctitatem non habere, quam ſignificat ipſa corona; & viuere vitam ſæcularium, plenã affectibus, curiſque inordinatis, in quibus illi hærent. Quare, ait S. Auguſtinus: Quiſquis ad ſortem Domini vocatus, capillos radere erubeſcit, profectò ſe non de Dei, ſed de mundi ſorte eſſe teſtatur. Quantò enim quiſque carnis crines diligit, fouet, ac nutrit; tantò cor ſuum, non in cœlis, ſed in terra fixum eſſe oſtendit. Quantò autem radit, & edomat, tantò non terrena, ſed æterna diligere comprobatur. 5. *Vbi ſupra.*

Qvare quemadmodum ſingulis menſibus, aut decimo quinto quoque die corona aperitur nouacula: eò quod quotidie capilli creſcant; ita frequenter valdè renouanda eſt paſſionum, exceſſuumque mortificatio: Nam (vt S. Bernardus ait) amor proprius quotidie aliquid profert, quod ſit nouacula mortificationis amputandum. Quæ licèt dolorem inferat: non propterea prætereunda eſt: cùm adeò ſit vtilis ac neceſſaria. Nec tamen difficile eſt, moderari pœnam & moleſtiam, quam adfert: ſi eum in modum, quo caput calida aqua madefit, vt nouacula molliter ac ſuauiter radat: ita præmittatur oratio, & meditatio, quæ deuotionis affectus accendit, & oculos ad lachrymas dulces emollit, præcipuè, ſi attendatur crudelitas, qua Chriſto Domino noſtro capilli ſunt euulſi, & barba depilata, & caput ſpinis coronatum ob noſtra peccata & exceſſus. Vt eius exemplo animum reſumamus, ad eos abſcindendos & radendos ex anima noſtra, etiam cum aliquo doloris ſenſu: qui valdè leuis nobis videbitur ſi cum eo illum conferamus, quem noſter Saluator ſuſtinuit; & quem noſtris culpis ſumus promeriti. 6. *Serm. 58. in Cant.*

EX HAC Cæremonia, qua Ecclesia signat suscepturos Ordinis Sacramentum, deducitur: viros tantùm illud suscipere posse, iuxta Christi Domini nostri institutionem: qui nullam fœminam, nec Matrẽ quidem suam Sanctissimam in cœnaculum admisit, cum Sanctissimum Sacramentum, & corporis ac Sanguinis sui sacrificium instituit, & suos Apostolos constituit Sacerdotes, dicens eis: m *Hoc facite in meam commemorationẽ*: & postea: n *accipite Spiritũ S. quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ideoq; Ecclesia Sancta viros tantùm in sortem admittit Clericorum, cum Cæremonia coronæ, quæ non benè quadrat mulieribus, iuxta sententiam Apostoli dicẽtis: o *Omnis viri caput esse Christum; caput autẽ mulieris virum*, cui debet esse subiecta: *Quare omnem virum orare debere non velato capite, mulierem autem velato: nãsi comã nutriat, gloriã illi esse: & capillos ei pro velamine datos esse*: quos si abscindat, esse illi ignominiam. Ideoq; virũ posse coronam in capite suo habere in signum Regiæ suæ dignitatis & auctoritatis, ad imperandum & gubernandum reliquos fideles; vicem tenens & auctoritatem capitis sui Christi, quẽ imitari debet, gerẽdo virilẽ animum, pectusq; robustum ad oẽs labores officio suo cõiunctos, & coronẽ, quã gestat. Quare qui excellũ hoc Sacramentum suscipiunt, viros esse oportet in judicio, fortitudine, & magnitudine animi: eò quod ad magna valde, ac difficilia dirigatur.

m *Luc.* 22. 19.
n *Ioan.* 22.
o 1. *Corint.* 11. 3.
Trident. Sess. 23. *c.* 2.

§. II. *Quatuor Minores Ordines*

PRAEMISSA prima Corona, sensim per gradus suos suscipitur Ordinis Sacramentũ, incipiendo à quatuor Minoribus Ordinibus, *Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, & Acolythi*: in quibus communicatur gratia, & charitas cum Spiritus S. donis, ad præstanda dignè Ministeria, ad quæ ordinantur, & eorum nomina significant: ac proinde graue peccatum erit, eos cum conscientia peccati mortalis suscipere: eò quòd per illud ponatur obex Diuinæ gratiæ; estq; magna irreuerentia sic dispositum suscipere, quod est verum Sacramentum, etiam in gradibus Minoribus: quorum finis est, vt hi Ministri Sacerdotes iuuent in præcipuo suo Ministerio, quod est cõsecrare corpus & Sanguinem Christi Domini nostri; & Sanctum Missæ sacrificium cum debita reuerentia ac decentia offerre. Nam ex propriis officijs intelligent Sacerdotes ac reliqui fideles, cum quantâ reuerentia ac deuotione offerre debeant, & assistere ipsi sacrificio.

Vide Henri. quez in Sũma lib. 10. c. 2.

PRIMVM OSTIARII sine Ianitoris officium ist, claudere & aperire templi fores; nec permittere ingredi infideles, & quoscunq; ipso jure prohibitos: quòd si ingressi essent, etiã illos excludere; & eos, qui in tẽplo sũt, non permittere ad sacerdotem accedere, ita vt illum in suo officio impediant; & attendere, ne quid in templo sit, quod excelsum adeò Sacrificium offerentes turbet aut distrahat: imitando in hac cura Christum Dominum nostrũ, qui Ostiarij officio functus est, cùm p *faciẽs quasi flagellum de funiculis, eiecit è templo vendentes oues, & boues, & columbas; & nũmulariorum*

Ostiarius.

riorum effudit as, & mensas subuertit; & omnia ex templo eiecit, quæ strepitum aliquem edebant, dicens: *nolite facere domum Patris mei, domum negociationis.* Et idem fecit secundò, cùm Passionis tempus instaret. Et S. Marcus addit: q *non sinebat, vt quisquam transferret vas per templum*, aut similia, dicens eis scriptum esse: *Domus mea, domus orationis vocabitur*: ac proinde quieta & absque strepitu rerum huius sæculi. In hoc igitur officium & munus succedunt Ministri, primum hunc ordinem suscipientes; qui, quòd imprimat qualitatem, quam Theologi Characterem indelebilem appellant: permanet etiam in Sacerdotibus; ideóque etsi in gradu sint altiori, hunc tamen zelum habere tenentur, dandi operam, vt templum Dei purum sit & sanctum; nec contaminetur aut turbetur personis, aut rebus profanis. Ad eos enim spectat, quod Christus Dominus noster dixit; r *Nolite dare sanctum canibus: nec mittatis margaritas vestras ante porcos*: quasi dicat: priùs foras eijcite eos, qui moribus canes sunt, & porci, conculcantes & deturpãtes res sacras: vt hæ possint corã fidelibus dignè celebrari. Et vnusquisq; Christianorũ, quantum in se esset, deberet huiusmodi Ianitoris munus obire, ob zelũ domus Dei. Si enim Dei filium se reputat: quis filius nó zelet, & quieti, honoriq; cõsulat domus Patris sui? Et quis non studeat expellere ex ea quamcũq; personã, aut rẽ quæ illã turbet; aut eius minuat opinionẽ? Quare vbi necessitas id postulauerit, zelũ cũ discretione coniũgẽs, dicere debet domũ Dei turbantibus: Cur domũ Patris mei facitis domũ negociationis? ac proinde multò minus debet ipsemet illam turbare, aut aliquid in ea facere, quod sanctum Sacrificiũ impediat, quod Patri suo Cœlesti offertur. Præcipuè cũ ipsemet Dñs realiter ac verè sit præsens: qui flagellũ in manu sua accepit cõtra perturbãtes eam: & nunc accipere illud poterit; cum, etiamsi dissimulet, eundem tamen semper zelum habeat.

p Ioan. 2. 15

Matt. 21. 12. q Marci. 11. 16.

r Matt. 7. 6.

Secvndvs gradus est Lectorvm, qui ad duo præcipuè attendunt, Alterum est, ad legendum cũ spiritu & distinctione libros sacros & lectiones, quæ in Diuinis officijs leguntur: imitantes ipsum Saluatorem, qui ingressus in templum accepit librum Isaiæ, cœpitque legere locum, vbi scriptum erat: s *Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me: sanare contritos corde.*

2 Lector Sotus in 4. d. 24 q 1. a. 3.

s Luc. 4. 17. Isaie. 61. 1.

Qvanti hoc ministerium sit momenti, apparet ex eo, quòd Christus Dominus noster communicet in hoc Sacramento gratiam & internam Spiritus sancti vnctionẽ, ad legendum cum sensu, ac deuotione, ita vt, qui illo funguntur, permouere ac emollire cæteros possint eum in modum, quo in libro Esdræ dicuntur t *Leuitæ legisse in Libro Legis Dei distinctè & apertè, ad intelligendũ corã toto populo*: ita vt oẽs intelligere possent, & cum tãto Spiritu; vt *omnis populus fleret, cùm audiret verba legis.* Quod meritò admittere deberent, qui orant, aut cantant Horas Canonicas: præcipuè verò

t 2. Esdræ. 8. 8.

quibus id ex officio incumbit; procurantes cum auxilio gratiæ, quam eis Sacramentum communicauit, & ipse Dominus liberaliter est daturus, ita orare, ac legere: vt & ipsi deuotione afficiantur, & audientes ad eam permoueant. Alterum, quod ad lectores spectat, est, docere Catechumenos prima fidei rudimenta, quæ doctrinam Christianam communiter appellamus. In qua explicantur articuli, & præcipua fidei nostræ mysteria, ita vt conceptum sibi forment eius, quod credunt, & nominatim Sacramentorum, quæ susceperuri sunt. Inter quæ maiorem exigit instructionem sanctissimum altaris Sacramentum, cuius fides magis est ardua ac difficilis. Vt autem appareat, quanti Deus Dominus noster hanc paruulorum, ac Tyronum institutionem faciat: satis est, nosse, quòd peculiare instituerit Sacramentum, quo specialis gratia confertur, ad id præstandum, sicut oportet. Neque Sacerdotes ab hoc officio præstando sunt liberi; siquidem permanet in eis huius gradus character: etiamsi ad altiorem ascenderint.

3. *Exorcista.* TERTIVS gradus est EXORCISTARVM, qui per ipsum Sacramentum potestatem accipiunt, adiurandi, & expellendi Dæmones ab energumenis, & obsessis à Diabolo: ne maligni spiritus, fideles impediant ac deterreant ab hoc Diuino sacrificio, & participatione sancti huius Sacramenti, nec surdos eos reddant audiendis veritatibus fidei; aut mutos ad eandem cofitendam. Nam quemadmodum Christus Dominus noster liberauit Dæmoniacum quendam u *surdum & mutum, tangens eum sputo suo, ac dicens: Ephatha, quod est, adaperire*: ita Exorcistis dat potestatem, vt ipsius nomine Dæmones huiusmodi expellant, & impedimenta remoueant. Sed ne silentio prætereamus causas, cur Christus Dominus noster voluerit officium expellendi Dæmones pertinere ad Minores Ordines, cùm primo aspectu videatur res valde excelsa, potestatem habere in spiritus adeò potentes. Sed voluit Dominus superbos spiritus humiliare magisque confundere, subijciens eos non solùm maioribus Ecclesiæ suæ Ministris; sed etiam minoribus: Item, vt ipsi Ministri non præferrent hanc potestatem virtuti, & sanctitati; sed pluris facerent peccata expellere quàm Dæmones; eosque ex animabus prorsus reijcere quàm ex corporibus. x *Multi*, (ait ipse Saluator) *dicent mihi in illa die*, iudicij scilicet: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus; & in nomine tuo Dæmonia eiecimus; & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis; Quia nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Et cum y *reuersi septuaginta duo discipuli cum gaudio dicerent: Domine, etiam Dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Ipse ait illis: nolite in hoc gaudere: quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Quasi illis dixisset parum referret vos potestatem habere super Dæ

u *Marci. 7. 33.*

x *Mat. 7. 22.*

y *Luc. 10. 17.*

monia:

monia: si non habeatis humilitatem, & pia opera quibus ad cœleste regnum perueniatis.

4 *Acolythus.*

Qvartvs gradus tribus prædictis superior, est Acolythorvm qui sacro missæ ministrant, & præparant vinum, aquam, lumen, & thus, & portant vrceolos, cerofaria, & thuribulum. Tantæ enim dignitatis & amplitudinis est sanctissimum hoc sacrificium: vt pluris fiat, in eo seruire & ministrare ad eius maiorem solennitatem, quàm esse *Exorcistam*, & expellere Dæmones. Si enim Angeli accedunt, vt præsentes sint, vt postea videbimus; & felices se reputant in eo, quód sint ministri ipsius Christi in opere nostræ salutis; quomodo non erit magni momenti, & æstimationis ministrum esse, & in re aliqua seruire, cum admirandum hoc sacrificium offertur? Ac propterea Sanctus Bonaventvra ait: Ministrare sacro, esse opus Angelorum: quia cum eis seruitur Regi ac Domino omnium, qui in hoc Sacramento specialem confert gratiam obituris hoc munus: vt illud cum debita modestia, reuerentia, ac deuotione præstent: ita vt exemplo suo doceant, ædificentq; reliquos præsentes; non minorem splendorem ex se emittentes, quàm ceroferarium siue fax; & odorem, quàm thuribulum, quod in suis manibus gestant. Sed de his in proximo tractatu de Missa fusius. Imponamus nunc finem ijs, quæ ad hos Ordines spectant, proposita maxima cura quam sacra Concilia adhibuerunt in eo, vt qui ad Sacerdotium essent promouendi à tenera sua ætate *primam Tonsurā* accipiant; & postea per gradus suos, ipsos Minores Ordines: educando illos & instruendo in virtute, & literis, bonisque moribus, quos postea tenere debeant; & nominatim in temperantia, castitate, mansuetudine, modestia; & politia Christiana, & Ecclesiastica: vt facilius postea easdem virtutes exercere, ac docere possint in statu sublimiori.

De informat. Nouit. c. 11.

Concilium Toletanvm quartum constituit, vt Clerici iuuenes in suum Collegium se reciperent: vt teneram suam ætatem in eo transigerent: non in luxurijs, sed in obseruatione Christianæ disciplinę, & morum Ecclesiasticorum: assignato illis aliquo Presbytero probatæ sanctitatis, qui doceret illos & gubernaret. Eos verò qui ingenij essent durioris, ac incorrigibilis, iubet Concilium in aliquo monasterio ad tempus collocari, donec mores melius componant. Et S. Concilium Tridentinum idem renouauit: constituens, vt in singulis Diœcesibus Collegium aut Seminarium aliquod selectorum iuuenum erigeretur, qui ex naturæ dotibus, bonaque propensione, spem facerent, quòd se Ecclesiæ Ministerijs perpetuò dedicarent. Et vt in eadem disciplina Ecclesiastica commodius instituerentur, *Tonsura* statim insignirentur; ijsque moribus educarentur, vt suis officijs postea dignè fungerentur. Nam virtus, quæ in

Refertur 12. q. 1. c. Omnis ætas.

Sess. 23. De creto de Reform. c. 18.

iuuentute discitur, vsque ad senectutem perdurat: iuxta illud Sapientis: z *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea*: Et a *vir* (ait Ieremias) *qui portauerit iugum legis Dei, eiusq; Ecclesiæ ab adolescentia sua*, facilè *leuabit se super se*: vt sacris misterijs digné fungatur, quorum excellentia, & præstantia tanta est, vt nisi homo se leuet, vt sit plus quàm homo: non possit ea exequi cum ea decentia & puritate, qua par est: vt in proximis capitibus fusius explicabitur.

z. *Prouer.* 22. 6.
a *Threm.* 3. 27.
Vide Tom. 1. *Tract.* 2. *c.* 7. *& To.* 3 *Tract.* 4. *c.* 2 *& Trac.* 5. *c.* 10.

CAPVT III.

SVBDIACONATVS ET DIACONATVS; EORVMQVE DOTES ac virtutes, qui ad Sacrum Ordinem deliguntur.

PER QVATVOR PRAEDICTOS ORDINES, quasi per quatuor gradus ascendunt Clerici ad duos sacros Ordines, SVBDIACONATVS & DIACONATVS, qui generali nomine dicuntur Leuitarum (respondent enim antiquis Ministris ex Tribu Leui: qui erant inferiores Sacerdotibus familiæ Aaron) & ratione proprij officij assistunt proximè Sacrosancto missæ Sacrificio; tanguntque suis manibus res consecratas; & ipsimet sunt consecrati, suoque Ministerio in perpetuum dedicati ita, vt non possint sæcularem alium Statum suscipere: quem tamen suscipere possunt, qui Minores tantũ Ordines habent. Vterq; itẽ est præcipuus Sacerdotis in Missa Minister; & quasi duo oculi, & duæ eius manus, dextra & sinistra. Subdiaconus legit Epistolam, quæ semper desumitur ex Scriptura Sacra, Veteris aut Noui Testamenti; & porrigit Diacono Calicem & Patenam: quam ille tradit Sacerdoti. Diaconus legit Euangelium; estque eius munus illud explicare. Et cùm olim fideles sub vtraque specie communicabant, Diaconus dispensabat ac distribuebat Sanguinem: quemadmodum Sanctus Laurentius dixit Papæ Sixto; & in casu necessitatis etiam portabat Sacram Communionem ad ægrotos; & varia alia ministeria ei committebantur in primæua Ecclesia, vt S. Clemens Papa testatur.

Lib. 8. *Constit. c.* 22. *Lorinus in Act. c.* 6. 3. *Henriquez lib.* 10. *c.* 13 *Trident. Sess.* 23. *c.* 2.

SED ad rem nostram accedentes, vt appareat, quanti tunc fierent hi Ministri, eorumque Ministeria; quantaque perfectio ad ea præstanda requireretur: audiamus quid Sacri Apostoli fecerint, cùm primos septem Ecclesiæ Diaconos constituere & ordinare voluerunt. a *Conuocantes* enim *multitudinem discipulorum, dixerunt illis Apostoli: considerate, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto & Sapientia quos constituamus super hoc opus.* In quibus verbis simul ostendunt præclara talenta, quæ habere debent Diaconi; & modum ac rationem eosdem nominandi & eli-

2. *Actu.* 6. 3.

gendi

gendi ad tale officium : & eadem opera Regulas tradunt ad rectè nominandos Sacerdotes & reliquos Ecclesiæ Ministros. Nam primùm, licèt Apostoli propter ingentem cœlestem lucem, qua erant præditi, potuissent eligere quos ipsi dignos iudicarent, qui sacra Ministeria obirent: sed attendentes se esse homines, qui ex seipsis facilè decipi possent, & prouidentiam Diuinam, nostram industriam ac diligentiam exigere: voluerunt in exemplum Successorum, ad nominationem huiusmodi Ministrorum, adhiberi iudicium, & consilium reliquorum fidelium: ac propterea conuocarunt multitudinẽ discipulorũ, quibus dixerũt: *Considerate fratres*, ac diligẽter attendite, quos debeatis nominare, & proponere. Huiusmodi n. designationes, aut electiones nõ temerè ex passione aliqua, nec fortuitò, aut pro arbitratu tantũ; sed adhibita cõsideratione magna, & prudentia, attendendo benè, quales illi sint, & quæ talenta, dotesque habeant ad illa officia peragenda. Appellant tamen illos, *fratres*: vt intelligant hanc ipsorum considerationem, & eligendorum nominationem faciendam esse cum charitate fraterna, absque commotione aut discordia: hæc enim quietem & pacem rationis perturbat; & causa est Schismatum, & dissensionum: vbi autem pax est & amor, cordiumque coniunctio: electiones fiunt valde aptè, & commodè: quia respicitur potiùs commune bonum, quàm proprium; & vniuersæ Ecclesiæ, quàm personæ alicuius particularis. Et vbicunque multi conueniunt ad talem designationem, est maximi momenti, vt ipsi valde sint coniuncti: sic enim erunt quasi vnus, suumque officium perficient absque discordia, & maiori cum rectitudine.

§. I.

HOc iacto fundamento, assignãt sacri Apostoli quinque conditiones seu qualitates eligendorũ in Diaconos. *Primam* eorum qualitatem declarant, cum eligendos nominant VIROS: ad significandum, vt ait Glossa interlinealis, mulieres excluſas esse à Sacris his Ordinibus, vt suprà fuit dictum. Quod si in aliquibus historiis mentio fit mulierum Diaconissarum, id erat propter alia Ministeria valde ab his diuersa, quæ maiori cum decentia fiebant à mulieribus probatæ virtutis. Etiam debent esse VIRI in ætate matura & perfecta; quales ad huiusmodi officia requiritur. Quamobrem nullus ad Subdiaconatus Ordinem (vt ait Concil. Trident.) ante vigisimũ secundũ; ad Diaconatus ante vigesimum tertium; ad Præsbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoueri potest. Hæc enim ætas aptissima est, in qua haberi possit fortitudo, prudentia, scientia, & probata virtus; quam huiusmodi Ordines requirunt.

1 *Lorinus Act. 6. 6.*

Sess. 23. c. 12 de Reform.

SECVNDA Cõditio est, vt qui nominantur, sint ex vobis, hoc est aliquis vestrum: seligendo scilicet eos ex ipsamet vestra congregatione, &

qui

qui eandem, quam vos, fidem ac Religionem profitentur; idque absque Personarum acceptione. Non enim excludendus est pauper, si sit dignus neq; approbãdus diues, si indignus. Nõ tamẽ cẽsebitur personarũ acceptio (vt S. Thomas aduertit) quod ad seruitium Ecclesiarum eligantur, qui sunt eiusdem Prouinciæ, nationis, aut Patriæ: quia hi vt plurimùm solent esse vtiliores Ecclesiæ, & loco, in quo sunt educati: ob maiorem eorum erga illum amorem: & quia linguarum & morum eiusdem nationis vniformitas iuuare solet, ac fouere communem inter omnes concordiam. Sunt item, vt plurimùm magis noti: ac propterea non ita facilè decipiuntur, qui illos nominant: atquè si aliquem aduenam nominarent, cuius virtus, prudentia, fidelitas, & constantia minus est nota: & facilè ex specie externa iudicaretur dignus, qui reuera est indignus. Ac propterea ex septem Diaconis, qui tunc fuerunt nominati, sex, qui ex illa patria erant, valdeque noti, euaserũt valdè insignes, ac præclari: septimus autẽ, qui vocabatur *Nicolaus aduena Antiochenus* (eratq; proselitus ex gentilitate conuersus ad Iudaismum; & postea ex Iudaismo ad Christianam fidem) habuit infelicem exitum & paruam constantiam ac fidelitatem in suo ministerio. Propter has omnes rationes iussit Deus Israëlitis: vt si Regem sibi essent electuri, à quo gubernarentur, [a] *is non esset alterius gentis, sed de numero fratrum eorum*, vt ipsi eum noscerent, & ab eodem agnoscerentur; & fraternè ab eo tractarentur, & amanter gubernarentur. Et eisdem rationibus innituntur consuetudines & statuta aliquarum Prouinciarum, & Diœcesium, de non cõferendis Ecclesiasticis dignitatibus nisi viris eiusdem nationis; nec alia beneficia, nisi oriundis ex eodem loco. Iuxta Prophetiam Oseæ dicentis: [b] *Dabo ei vinitores eius ex eodem loco.* Per vinitores autem, custodes intelligit: qui maiori cura eis attendant. Sed quoniam gratia superior est quàm natura; vbi alia est consuetudo, sanctè potest ac debet seruari; modò tertia adsit conditio, quæ maioris est momenti: vt scilicet persona eligatur *boni testimonii*: cuius scilicet vita ex eius operibus nota sit, examinata, & à multis approbata: vt in suis ministerijs maiorem habeant authoritatem propter bonam, quæ de illis habetur, opinionem. Et ipsimet actius & confidentiùs munere suo fungentur propter bonum propriæ conscientiæ testimonium, & honorem, quem illis adfert approbatio bonæ suæ vitæ ab alijs facta. Quæ omnia coniunxit Apostolus, cum Timotheo discipulo suo & Episcopo dixit, [c] *Diaconi sint pudici, non bilingues, non multo vino dediti, nec turpe lucrum sectantes, sed habentes mysterium fidei in conscientia pura:* siue quòd arcana & mysteria fidei penetrent; siue quòd pura conscientia habeant in manibus suis *Calicem*, qui per excellentiam appellatur *mysterium fidei* in ipsis verbis cõsecrationis: distribuentes illum cum animi puritate sine qua nullus est dignus accipere in manu sua Calicem, in quo puri-

Vide Lorinũ c

a Deut. 17. 15.

b Osea. 2. 15

3.

c Tim. 3. 8 ita S. Tho. ibi Lorin. Actor. 6. refers plures pro hac 2. expositione.

rissimus

rissimus Angni Sanguis continetur: Et statim subijcit Apostolus: *& probentur primum; & sic ministrent, nullum crimen habentes*, graue scilicet: quodcunque enim delictum valdè aduersatur puritati eius status, eiusque ministerij Sanctitati. Ad cuius confirmationem dixit postea eidem: *manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.* quasi ei dixerit: nemini ita præcipitanter Ordines conferas, quin priùs eum examines, eiusque qualitates ac dotes cognoscas: ne indigni, quem ordinasti, peccata tibi imputentur, sisque tam improbus, quia eum promouisti, atque ipse, quia voluit promoueri. Ita hoc declarat Sanct. Leo Papa. illud extendens ad omnes Ecclesiæ Ministros, grauibus his verbis: Citò manus imponere, est antè ætatis maturitatem, antè meritum obedientiæ, antè tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem dignitatem conferre non probatis; & communicare peccatis alienis, est, talem effici ordinantem, qualis ille est qui non meruit ordinari. Et idem confirmat Sanct. Chrysostomus, dicens: Si mancipium aliquod empturus, tum medicis illud ostendis, vt, sitne corpore sanum, intelligas; tum vicinos, quibus est notum, interrogas quod de eo nouerunt: & ne tum quidem adhuc confidis: quinimò diuturnum aliquod tempus poscis, intra quod illud probes & experiaris. Quantò igitur magis erit rationi consentaneum, ad cooptandos huiusmodi sacros Ecclesiæ Ministros, non sequi eorum testimonium, qui ex fauore, aut inuidia illud proferunt. Non igitur temerè, atque vt casus tulit, & nulla, prorsus alia discussione facta, eligendus aut promouendus est aliquis. Neque electores subleuare quicquam poterit; si postquam elegerint indignum aliquem, dixerint: se ignorasse eum, quem elegerunt: hæc enim, quæ illis videtur excusatio, accusationem auget: tenebantur enim quem eligere voluerunt, prius benè cognouisse. Et si velis (ait S. Gregorius) domum ædificare: non statim atque ligna in sylua sunt cæsa, imponis illis ædificij pondus: flecterentur enim, & impositum pondus in terram deijcerent; sed diu expectas, donec exsiccentur, & omnem viriditatem deponant; rationi igitur consonum est, non admitti ad Sacrum Ordinem, nec ad Sacerdotium, aut Episcopatum eum, quem Sanctvs Pavlvs *Neophytum* appellat, & qui non est probatæ virtutis: nisi præmisso examine, scrutinio, & approbatione à Sacris Canonibus constitutis, & à Concilio Tridentino denuò commendatis.

Qvanta autem probata virtus esse debeat eligendorum, exprimit quarta conditio ad id requisita: cùm dicitur esse debere *plenos Spiritu sancto*; vt intelligatur, non sufficere quamcunque virtutem in specie, quæ placere solet hominibus, non nisi externa aspicientibus: sed necessariam esse virtutem internam verã ac solidam à Spiritu sancto communicatam: nec id

1 Tim. 5. 22

" Epist. 85. " c. 1. " Refertur " c. quid " est ma " nus. dist. " 78. & c. " miramur " dist. 61. ex " Innocen- " tio 3. " Lib. 4. de " Sacerdo- " tio ante " med. & " Homil. in " Epist. ad " Titũ. & " Homil. 1 " ad Popul.

Lib. 7. Epi. 110.

1. Tim. 3. 6 c. sicut Neophyt. dist 28 c. nullus d. 2. c. vota. d. 36.

Trid. Sess. 23 c. 8 & 11. de Reformat. 4.

quocunque modo, sed cum omni plenitudine, quam exigit ordo, & ministerium, ad quod eliguntur. Quemadmodum enim Dominus noster maiorem Spiritus Sancti plenitudinem communicat in ordine gradus altioris (vt paulò antè dicebamus:) ita necessaria est maior dispositio in ordinandis, vt possint ipsum Sacramentum dignè suscipere. Et quamuis Sacerdotium maiorem exigat Sanctitatem: non est tamen leue indicium, Diaconatum valdè magnam exigere, quod Apostoli eam expresserint verbo illo: *Spiritu Sancto plenos*: quod semper significat excellam valdè Sanctitatem. 5. ADDVNT deniq; Apostoli, vt eligendi etiam essent *Sapientia pleni*, Omni scilicet prudentia ac discretione, & scientia Diuina ac humana, quæ necessaria est ad sua munia exactè exercenda. Et speciatim quod attinet ad Diaconos, qui etiam Euangelium explicant: ad quod necesse est, penetrasse *mysteria* & arcana *fidei*. 1. *Tim.* 3. 9 Nec sine causa statim subiecit: Diaconi si vxorem habuissent, id esset *vnius* tantùm: in signum suæ continentiæ. Per quod excluduntur bigami ob apertum indicium exiguæ eorum continentiæ. quod si filios habeant, etiam attendatur, an benè eis præfuerint, suamque domum gubernauerint: vt ex his prudentia, discretioque eorum cognoscatur.

§. II.

HÆ SVNT qualitates & virtutes, quas Apostoli in eligendis Diaconis requirebant. Ex quo etiam factum est, vt non vellent vltra septem nominari: semper enim quod pretiosum, id rarum est & modicum: & in communitatibus, vt facilè pauci aliqui inuenientur insignis virtutis: ita difficilè inuenietur multi: semper enim multitudo ad id, quod minus perfectum est, propendet. In lege antiqua (inquit S. Ambrosius) *in 1. Tim. 3.* Sacerdotes & Leuitæ erant innumeri: eò quòd & coniugati essent, & ministeria sua certis tantùm temporibus & sortibus suis obirent: & mox in domos suas reuertebantur. In lege autem Euangelica Diaconi & Sacerdotes perpetuam profitentur continentiam, suisque ministerijs quotidie assistunt cum magna vitæ perfectione. Quare meritò esse debent pauciores numero: quia tunc non difficilè erit personas eo statu dignas inuenire. Ex quo etiam prouenit, quod nullus septem illorum virorum id ambiuerit, vt in Diaconum nominaretur, aut eligeretur. Cùm enim Apostoli dixissent, vt eligerentur viri vitæ probatæ, *pleni Spiritu Sancto & Sapientia*: non existimarunt se tales esse: ideoque superbiæ & ambitionis crimen reputarunt, talem nominationem quærere. Et eodem Spiritu progressi sunt Patres antiqui, cum legamus, Sanctum Martinum non solùm Episcopatum & Sacerdotium recusasse; sed etiam quemcunque ordinem Sacrum: ex profunda sua humilitate contentus, quòd S. Hilarius Acolythum ipsum ordinaret. Sed rarò iam heroica adeò humilitas inuenitur in terra.

Et

Et quoniam sacer ordo non quæritur: purè propter seipsum, & spirituale officij sui bonum; sed ob alios etiam fines & commoda temporalia; multi illum quærunt. Quod si ij tales essent, quales Apostoli requirebant, & iam depinximus; nec minoris fierent eò quòd essent multi, nec desinerent esse valdè vtiles. Sed timendum est, ne eueniat, quod dixit Isaias: [a] *multiplicasti gentem*; & non magnificasti lætitiam. Nam cum multitudine non crescit sanctitas, in qua vera amplitudo & perfecta cordis lætitia consistit; sed potiùs dilatatur torpor, & imminuitur perfectio. Ingrediantur itaque ad sua interiora, qui sacros ordines quærũt, aut eos iam susceperũt: & attendant examinentque diligenter: an in se qualitates illas inueniant, quos Apostoli Sancti in eis requirunt: an pudici sint, & linguam suam, gulam, & ebrietatem refrænent; an quoduis crimen, graueque peccatum detestentur; cum quanto candore coram Deo & hominibus versentur, præbentes de se bonum testimonium opere ipso potiùs, quàm verbis; sintne Spiritu Sancto pleni, & amoris eius igne inflammati; an optent expendere se totos in Dei obsequium; an pleni sint prudentia & Sapientia, quam eorum status requirit; an Sacrum ordinem propter ambitionem aut auaritiam, aut finem alium terrenum quærant; aut gloriam potiùs Dei, & Ecclesiæ vtilitatem respiciant; an suam voluntatem & studium Diuinæ prouidentiæ committant, ac Diuinæ eius vocationis consilia (de quibus postea dicemus) sequantur. Quod si aliquid ex his deesse sibi aduertant; studeant illud sibi comparare; accipientes tanquam exemplar suum, primum horum septem Diaconorum Sanctum Stephanum: de quo S. Lucas: [b] *elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu Sancto.* In quo scilicet omnes qualitates & ornamenta inueniebantur quæ Sancti Apostoli desiderabant. Nam eminebat in viuacitate & intelligentia eorum, quæ fides docet; & in fidelitate, qua sua obibat ministeria; in fiducia, qua insignia facinora aggrediebatur, sperans à Deo felicem ex ijs exitum: *Spiritu Sancto* etiam *plenus erat*, qui sua præsentia eius fidem reddebat feruentiorem, & auxilium præbebat ad rectè secundùm eam operandum. Ex quo orta est mutatio quædam admiranda dexteræ excelsi. Nam cum Apostoli septem illos Diaconos designassent, vt attenderent distributioni eleemosynarum inter viduas: vt ipsi hac cura expediti, orationi attenderent & prædicationi, statim Spiritus Sanctus (vt aduertit S. Gregorius Nissenus) eduxit eum ex illo Ministerio, & eleuauit ad prædicationem, quæ erat aliàs Apostolorum propria, vt eos iuuaret (quod egregiè præstitit) in promulganda & propugnanda fide; magnaque opinione ei adferenda, magna sua Sapientia & miraculorum splendore. Hunc in modum perfectionem Diaconorum expleturi, excellere debent in prædictis omnibus virtutibus; ita vitam suam instituendo; vt dignos se reddant, quos Deus

[a] *Isaiæ. 9. 3.*

[b] *Act. 6. 5.*

Orat. de S. Stephano.

ad maiorem alium ordinem & munus exaltet, iuxta illud Apostoli: [c] *Qui bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu.* Digni enim sunt, qui ad altiorem in Ecclesia gradum, qui est Sacerdotij, promoueantur; & propter fidelitatem, qua suum munus obeunt, magnam concipient in Deum fiduciam, quod possint alia præclaricta præstare in virtute eiusdem Christi Domini nostri, cuius sunt Ministri.

[c] 1 Tim. 3. 13

CAPVT IV.

STATVS SACERDOTALIS DIGNITAS ET SANCTITAS ex collatione cum Sacerdotio Melchisedech, & Aaron, ac ipsius Christi Domini nostri.

MAGNÆ SEMPER CVRÆ FVIT DEO DOMINO nostro, dignitatem & Statum Sacerdotalem honorare: tribuens Sacerdotibus magnam eminentiam & singulares eis exhibens fauores in tribus Legibus: Naturali, Scripta, & Euangelica, augens eos in secunda plus quàm in *prima*; & in tertia incomparabiliter plus quàm in vtraque. Vt enim veritas figuram, & corpus vmbram suam: ita Sacerdotium Euangelicæ Legis excellit Sacerdotia Legis naturalis & scriptæ, tanquam figuras & vmbras suas: per quas explicabimus sensim *amplitudinem* nostri Sacerdotij, quod est summi ac supremi Sacerdotij Iesu Christi Domini nostri participatio quædam, adeò ei similis, vt oblatio, quam ipsemet in nocte suæ Passionis obtulit, corporis scilicet & Sanguinis sui Sanctissimi accidentibus panis & vini *tecta*: eandem ipsam offerant quotidie nostri Sacerdotes, imò ipsemet Christus per illorum manus offert. Ita enim officium, quod ipse per semetipsum tunc fecit, commisit alijs: vt illud ipsum continuè per eos præstet, & eodem modo per eosdem Sacerdotes reliqua *ministeria* exercet, quæ eis commisit: vt pergant & promoueant, quod ipse in mundo antè suam mortem designauit; & sic authoritatem & honorem summum, quem potuit, eis attulit. Quemadmodum enim impossibile est aliud Sacerdotium esse maius, quàm Iesu *Christi* Filij Dei viui; neque cogitari potest Sacrificium aliquod magis pretiosum, quàm quod ipse obtulit æterno suo Patri; nec actus magis heroici, quàm ipse fecerit in bonum hominum remittens illorum peccata, illos iustificans, dirigens ac perficiens vsque ad *æternam* vitam: ita non est possibilis alia participatio magis gloriosa huius Sacerdotij, quàm illa, quæ splendet ac eminet in eo, quod ipse instituit in Lege Noua, accipiens homines, quasi instrumenta vt per

eos om

eos omnia hæc officia præstaret: vt apparebit, si discurramus per ea, quæ in alijs duabus Legibus sunt gesta.

§. I. *Sacerdotium Melchisedech.*

Primvm in lege Naturæ illustre valde fuit Sacerdotium Melchisedech, de quo Diuina Scriptura ait: a *Melchisedech Rex Salem offerens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi, benedixit Abraham.* In quibus verbis quatuor insinuantur Sacerdotalis *dignitatis* excellentiæ. *Prima* fuit, quod voluerit Deus eam coniungere Regiæ dignitati, constituens, vt maneret in primogenitis & Personis Reipublicæ nobilissimis, & qui quasi Reges eam regerent & gubernarent: vt homines, qui externo & corporali hoc splendore ducuntur, magis reuererentur Sacerdotes, videntes eos etiam esse Reges. Vt apparuit in Sancto Iob, qui simul fuit Rex sicut tres eius amici; & ita eum appellant Septuaginta Interpretes; & simul fuit Sacerdos, vt indicant Sacrificia, quæ pro suis filijs & amicis obtulit.

a Genes. 14 8.

1

Pineda in Iob. 1. 1. & 5. Tobiæ, 2. 15.

Et Hic vsus fuit etiam apud gentiles, & nominatim apud Aegyptios, qui Sacerdotis dignitatem conferebant sapientiori; & Sacerdotibus Regiam dignitatem: ac propterea eos vocabant *Trismegistos*, id est ter maximos. Et fortè propterea tres Magi Reges, qui erant gentiles, obtulerunt Messiæ tria dona, quæ tres has dignitates significabant: b *Aurum* tanquam Regi, *Thus* tanquam Sacerdoti, *& Myrrham* tanquam homini iusto, incorrupto & Sapienti: talis enim esse debet, qui has suscipit dignitates. Quod voluit Deus significari per nomen Melchisedech, Regem Salem: quemadmodum Apostolus interpretatus est, dicens: Illud nomen significare c *Regem Iustitiæ, & Regem pacis.* Vt sic intelligatur secunda excellentia *Sacerdotis Dei Altissimi*, quæ est, vt idem sit Rex: non vt alij Tyranni, aut mundani: sed Rex iustus, & pacificus: iustus in se ipso, & iustus in officij sui administratione; ita iustitiam administrando, vt quisque reddat, quod est Dei, Deo; & quod est proximi, ipsi proximo. Ex quo proueniet, vt sit pacificus in se ipso: pacificans carnem suam cum spiritu; & spiritum suum cum Deo suo; dan. que operam, vt etiam subditi sui pacem habeant cum Deo suo, & mutuam inter seipsos. Quod totum magis adhuc perficitur Sacerdotij dignitate; Regia enim sola ad id non suffeciisset. Cuius dignitatis tanta est amplitudo, vt de eodem Melchisedech addiderit Apostolus: *Sine patre sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Non quòd illis caruerit, cum verè fuerit homo purus; sed quòd in Scriptura Sacra nulla eorum fiat mentio: ideoque quoad nos est, atque si illa non habuisset; siquidem nihil eorum scimus. Causa autem cur Scriptura Sacra ea tacuerit, est, vt intelligatur, quod Sacerdotalis dignitas

b Matt. 2. 11.

c Hebr. 7. 2.

2

3

Supra.

cum eis adnexis, per se solam sufficiat ad honorem & authoritatem homini conferendam: ita vt Sacerdos summi Dei non debeat gloriari de parentum amplitudine, antiquitate, & nobilitate sui generis: nec de patria, aut die, in quo natus est; nec rationem vllam ducere glorioſi ſepulchri, in quo ſit deponendus: ſed totam ſuam amplitudinem & gloriam in eo collocare debet, quod Sacerdos ſit Iuſtus, Sanctus, & pacificus: & quòd officium ſuum dignè obeat. Quamuis enim meritò ſit optandum, vt Sacerdotes has habeant terrenas qualitates, quòd filij ſint proborum parentum, & nobiles genere: id tamen totum quaſi nihil æſtimari debet, comparatione Sanctitatis & Sacerdotij; quemadmodum ſtellæ veram habent pulchritudinem & ſplendorem in ſeipſis: præſente tamen Sole ſunt quaſi non eſſent. Ne autem aliquis exiſtimaret, excellentiam, quam habuit Melchiſedech, ei proueniſſe ob Regiam dignitatem; non autem ob Sacerdotalem: nullum Scriptura Sacra actum commemorat aũ ipſo tanquam Rege factum; ſed ſolùm quos fecit, quà erat Sacerdos: qui fuerunt tres: offerre ſcilicet Deo Sacrificium panis & vini; benedicere Abrahamo; & recipere ab eo decimas. Dignitas enim Regia non æquatur Sacerdotali, & præſtantiſſimis eius actibus.

d Gen. 1. 16. Ac propterea ait Hugo: quòd quemadmodum d *Deus* in mundi initio *creauit duo* magna *luminaria*: Solem, vt *præeſſet diei*; & Lunam, *vt præeſſet nocti*: ita conſtituit has duas dignitates, Sacerdotalem, quæ præſideret diei, & homines gubernaret in rebus ſpiritualibus, quæ tendunt in vitam æternam; & Regiam, quæ præſideret nocti, & eoſdem homines gubernaret in ijs, quæ ad bonum mortalis huius vitæ pertinẽt: quæ vita nox cenſenda eſt, ſi cum altera conferatur. Et quemadmodum Sol Lunam excedit: ita Sacerdotalis dignitas Regiam ſuperat.

HAE FVERVNT Melchiſedech excellentiæ: de quo dixit Apoſto-
e Hebr. 7. 4. lus: e *intuemini quantus ſit hic*, de quo hæc adeò excella & præclara dicuntur, quorum illud valde glorioſum fuit, quòd fuerit exemplum & ſignificauerit Sacerdotium Ieſu Chriſti veri Dei, & hominis Domini noſtri:
f Pſalm. 109. 4. de quo dixit Dauid: f *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Habuit enim excellentias, quæ in eo Sacerdotio expreſſæ fuerunt,
S. Thom. 3. p. q. 22. Trid. Seſſ. 22 c. 1. etiam cum infinito exceſſu. Ac propterea Apoſtolus dixit, quòd ipſemet
g Hebr. 7. 3 Melchiſedech g *aſſimulatus eſt filio Dei*, ſicut dicimus imaginem & picturã ſimilem eſſe & exactè referre hominem, cuius eſt imago & pictura: non autem dicimus ipſum hominem, ſimilem eſſe imagini, & picturæ ſuæ. Fuit igitur Chriſtus Dominus noſter repræſentatus in Melchiſedech, quatenus ipſe Chriſtus fuit verus Rex, & Sacerdos, *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, Sacerdos ſummus & Princeps Sacerdotum, & per
h Apoc. 19. 6. excellentiam Rex iuſtus & ipſius iuſtitiæ fons; Rex pacificus, & Author om-

nis

nis pacis inter Deũ & homines. De qua iuſtitia & pace præ alijs omnibus rebus gloriabatur; & quod in Melchiſedech fuit parabola ſiue ænigma, in iſto Dño fuit veritas. Qua homo enim nõ habuit Patrẽ; & qua Deus nõ habuit matrẽ, nec initiũ habuit dierũ ſuorũ, nec finẽ eſt habiturus: eiuśque generatio eſt ineffabilis. Ideoq; quoad nos eſt quaſi nõ eſſet: nam etſi credamus eam: intelligere tamen non poſſumus. Et quamuis fuerit verè Rex, nunquam tamen in hac vita mortali exercuit actiones Regis temporalis; ſed de actibus Sacerdotis, & Magiſtri gloriabatur, offerens Patri æterno Panem & vinum: non tamen purum panem & purum vinum, ſicut Melchiſedech: ſed corpus ſuum viuum accidentibus panis tectum; & ſuum pretioſum Sanguinem accidentibus vini obuelatum: quorum virtute cœleſtes benedictiones nobis communicat, quas ſacra ſua Paſſione & morte nobis comparauit.

Est etiam Sacerdos in æternum: nam ad finem vſq; mundi hoc Sacrificium offeret, cuius fructus erit æternus. Ad id autem præſtandum, inſtituit in ſuum locum Sacerdotes legis Nouæ: in quibus eædem inuenirentur excellentiæ: eò quòd omnes eſſent ſecundùm ordinem Melchiſedech, & ſummo honore digni. Nam (vt S. Ignatius Martyr dixit) Sacerdotium ſumma eſt omnium honorum, qui in hominibus inueniuntur. Nam illi ſunt Reges, & quidem regno magis glorioſo, quàm ſit temporale: quibus competit per ſingularem excellentiam quod S. Petrus dixit: vos eſtis *regale Sacerdotium*; & ſeniores Apocalypſis glorificauerunt agnum, qui obſignatum librum aperuit: *k redemiſti enim nos* (dicebant) *in Sanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Non quod regia & Sacerdotalis dignitas, de qua nunc loquimur, omnibus Chriſtianis conueniat: ſed quod in ipſis tantùm, & ex ipſis deſignet, & eligat Chriſtus Dominus noſter veros Sacerdotes, qui etiam ſint Reges, non temporales, ſed ſpirituales. Ac propterea) vt ait S. Chryſoſtomus) eorum regnum eſt multò excelſius, & præſtantius. Nam temporali Regi commiſſæ ſunt res omnes terrenæ; Sacerdoti autem cæleſtes; regi corpora; Sacerdoti animæ; Rex thronum ſuum habet in terrâ, Sacerdos in cœlo: ibi enim approbatur, quod hic in terra ipſe iudicio decreuerit. Rex gubernat violenter; Sacerdos autem cum conſilio; ille corporalibus armis contra barbaros pugnat; hic contra Dœmones armis agit Spiritualibus. Ac propterea maior eſt Sacerdotis Principatus, cuius manum Rex oſculatur, & ab eo benedicitur: ſemper enim, vt ait Apoſtolus: l *quod minus eſt à meliore benedicitur.* Ex quo S. Ambroſius deducit: quòd quemadmodum aurum excedit plumbum, ita dignitas Sacerdotalis regiam excellit: & concludit: nihil eſt in hoc ſeculo excellentius Sacerdotibus; ſi quod ſumus profeſſione, actione potiùs quàm nomine de-

1

Epiſt. 10. ad. Smirnenſes

11. *Petr.* 2 9

K Apoc. 5. 10 *& c.* 1. 6.

Homil. 4. *&* 5. *de verbis Iſaiæ* 1. *vidi Dominum.*

l Hebr. 7. 7. *cc Lib. de c. dign. Sacerdotis c.* 2.

ne demonstremus, ita vt vita dignitati, & officio conformetur. Ex quo fit
2 vt Sacerdotes sint sicut Melchisedech, iustitiæ Reges & pacis: quorum munus est facere homines iustos; eosque cum Deo pacificare, remittentes eis peccata, gratiaque ac virtutibus eos exornantes. Et qui per ordinis Sacramentum hanc eis dat potestatem: simul dat Spiritum Sanctum, quo & ipsi sint in se iusti & pacifici: vt priùs gaudeant bono illo, quod
3 sunt alijs communicaturi. Accipit enim eos sibi in gentem Sanctam, & regnum proprium: in quibus solus ipse regnet: ita vt nec patrem nec matrem agnoscant, nec genus, aut aliam cognationem; neque rem vllam terrenam: sed ipsum Deum solum; & in eo tantùm glorientur, quod eius sint ministri: & de nulla alia re, nisi in ordine ad ipsummet Deum, iuxta illud, quod Moyses dixit benedicens Tribui Leui, in qua erat Sacerdotium antiquum: m *qui dixit Patri suo & matri suæ: nescio vos; & fratribus suis: ignoro vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactũ seruauerunt. Benedic Domine huic fortitudini eorum,* remunerans illos, eò, quòd ita viriliter propter tuum obsequiũ, omnes suos abnegarunt. Et quamuis multa alia opera præstent ob communicationem, quam cum reliquis hominibus habere debent: solùm tamen gloriantur, & exultant de præcipuis. Quorum vnum est erga ipsum Deum: cui in sacro Missæ Sacrificio talem panem, taleque vinum offerunt, quod excellit illud, quod obtulit Melchisedech, plus quàm quod viuens est, depictum excedit; & quod est cœleste, superat terrenum; quod est infinitum, finitum & limitatum; & ipsemet Creator vilissimam superat creaturam. Alterum est in ordine ad proximos: non enim sibi solis cibũ hunc retinent; sed quemadmodum Melchisedech (vt affirmant Clemens Alexandrinus, & Theodoretus) ex pane & vino, quod obtulit Deo, partem dedit Abrahamo, eiusque famulis ex pugna redeuntibus: ita Sacerdotes communicant Principibus, totique populo Christiano hunc vitæ panem, vt robur, animique fortitudinem induant ad pugnam, quam contra Dæmonem habent. Quibus etiam per hoc Sacramentum, & alia, quæ illis conferunt, impetrant illis cælestes benedictiones, cum abundantia Diuinorum donorum. Quod si ab ipsis Sæcularibus Decimas, quibus alantur, suscipiant: multò maius est, quod ipsi illis dant: accipiunt enim ab illis, quod est corporale, & periturum; dant verò eis spirituale & æternum.

m Deut. 33. 9.

§. II. *Sacerdotium Aaron.*

TRANSEAMVS nunc ad Legem scriptam, in qua Deus Dominus noster Sacerdotium magno affecit honore, constituens illud in Tribu Leui, & in capite Aaron & filiorum ac Successorum eius: id quod insigni quodam miraculo confirmauit: cùm enim iussisset singulas Tri-

bus

bus tradere Moysi singulas virgas, & vniuscuiusque nomen superscribi virgæ suæ,& nomen Aaron in virga Tribus Leui; easque omnes poni in tabernaculo fœderis, dixit,eum à se eligendum in Sacerdotem,cuius virga ibi germinaret.Quæ cũ ita essent facta, cœpit *germinare virga Aaron in domo Leui:& turgentibus gemmis,eruperunt flores, qui foliis dilatatis,in amygdalas deformati sunt,*reliquis omnibus virgis aridis,quales antea erant, remanentibus. Quo facto mansit Aaron in Sacerdotio confirmatus, & simul manifestata excellentia Status Sacerdotalis. Sacerdos enim florere debet doctrina,& vita exemplari, quæ suaue oleat Deo, & Ecclesiam ædificet,habeatque suum splendorem ad homines recreandos; debet etiam ornata esse foliis verborum prudentium, & piorum ad gloriam Dei & bonum proximorum,& proferre fructus Sanctorum operum, similium amygdalis siue nucibus:quæ (vt Origenes perpendit) duplex habent tegumentũ,alterũ amarũ alterum durum,defendens,quod intus latet, & quod alias nutrit: vita enim perfecta solet exterius tegi operibus pœnitentiæ, quæ sunt carni amara; & laboribus vitæ actiuæ, qui sunt duri graueſque debili corpori: interius autem latet Spiritus dulcis, & nutriens ac permanens. Si igitur hæc Deus à veteris Legis Sacerdotibus exigebat: quid petet ab ijs,qui sunt in Lege Noua:cuius Sacerdotium infinitis partibus illud excedens,significabatur virga illa Aaron?Si enim res benè perpendatur:quid aliud est panis,quem Sacerdos in suis manibus accipit, nisi virga quædam arida; quæ tamen posita in tabernaculo Domini, virtute verborum consecrationis repentè, & in momento conuertitur in virgam illam florentem, de qua dixit Isaias: b *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.Et requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ,& intellectus,Spiritus consilii,& fortitudinis,Spiritus scientiæ,& pietatis: & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Quamuis enim ibi remaneant accidentia panis ad ipsam virgam contegendam:manet tamen ibi verè & realiter Summi Regis & Summi Sacerdotis potestas, cum flore Sanctissimæ suæ humanitatis, cum diuina sua persona coniunctæ; & cum omnibus fructibus satisfactionum,ac meritorum, quos protulit ad communicandas nobis gratias & virtutes,quas nobis fuit promeritus. Quod si dixerimus cum *S.*Hieronymo: virgam Iesse esse virginem Sacratissimam; & florem esse filium eius Sanctissimum: id non erit extra nostrum propositum. Nam (vt ait S. Augustinus) veneranda est Sacerdotum dignitas: in quorum manibus velut in vtero virginis filius Dei incarnatur. Nam virtute Sanctissimæ Trinitatis,in eius manibus nascitur flos Iesu Nazareni,qui natus fuit de virgine, cum virga suæ Diuinitatis & Omnipotentiæ:quam virga Aaron significabat. Quantum igitur inter virgam & virgam discrimen? Quantum inter prodigium & prodigium? Aaronis virg-

a *Nũ.* 17,8.

b *Isaiæ.* 11.

in Isaiæ. 11.

in Psal. 77.

erat ex fragili amygdalo; virga autem Ieſſe, quæ in ſanctiſſimo Sacramento latet, eſt verus Deus & verus homo; illa protulit flores & folia, fructus vtique viles ac perituros: hæc præſtantiſſimos & æternos; illa reuireſcebat ſenſim, & poſtea ad priſtinam redijt ariditatem: hæc in inſtanti formatur ibi, nec vnquam ſuum Eſſe amittit. Quæ tantæ eſt virtutis vt Sacerdotem ipſum & quemcunque Chriſtianum, dignè eam ſumentem ex virga arida conuertat in floridam; ex indeuoto deuotum; ex tepido feruentem; ex imperfectio perfectum: exſtimulans enim ad producendos flores feruentium deſideriorum, folia verborum ſanctorum, & fructus clariſſimorum operum in omni genere virtutum, multò magis excellentium & glorioſarum interiùs, quàm exterius appareant. Eius enim eſt verbum illud: c *Qui manducat me, viuet propter me*; ducetque vitam quandam florentem, & fructuoſam meæ ſimilem. Ex quibus apparet excellentia ſtatus Sacerdotalis in Euangelica Lege, qui prodigioſam adeò conuerſionem efficit, in proprium ipſius Sacerdotis commodum, & plebis totius vtilitatem. De qua conuerſione potiùs gloriari debet, quàm de rebus omnibus creatis: ſiquidem in hac virgâ Jeſſe omne ſuum inueniet remedium. De qua virga licet in ſenſu myſtico intelligere, quod Chriſtus Dominus noſter duodecim ſuis Apoſtolis dixit, cùm eos ad Euangelium prædicandum mittebat: d *ne quid tollatis in via, non peram, neque panem, neque in zona æs; niſi virgam tantùm*, quæ ſit vobis tanquam fulcimentum. Quæ autem virga hac præſtantior, & firmior? Cui tutò inniti licebit cum magno noſtro ſolatio; eritque nobis pro pane, & ære, rebuſque omnibus; nam in ea ſola omnia inueniemus excelſiori multò modo, quàm ſi ipſasmet res haberemus.

c Ioan. 6. 58.

d Marc. 6. 8.

SED non vacat myſterio, quòd cùm Deus dixiſſet, virgam, quæ germinaret, fore ſignum eius, quem ipſe in Sacerdotem elegiſſet: non fuerit poſtea contentus, quòd virga Aaron gemmulas germinaſſet, quod futurum promiſerat; ſed etiam voluit, vt ex turgentibus gemmis flores erumperent, folia, & fructus. Nam (vt Origenes dixit) Deus Dominus noſter adeò eſt liberalis: vt plus det, quàm promittat. Vt Sacerdos intelligat, ſe debere eſſe valde liberalem erga ſuum Deum; neque exiſtimare, ſatis ſibi eſſe, quòd exequatur quæ votis ſuis, aliiſque obligationibus ſtatui ſuo annexis promiſit: ſed ad multò plura ſeſe extendere, vt gratum ſe oſtendat, placeatque Creatori ſuo.

Apud Gloſſ. illum loci.

ALIVM etiam fauorem exhibuit Deus Sacerdotibus antiquis, ad eos honorandos: qui fauor eadem virga exprimebatur. Illa enim eſt ſignum poteſtatis, quam habent Reges, iudices, & gubernatores Reipublicæ. Quamobrem dixit Dauid: e *virgam regni Chriſti* futuram *virgam directionis*, qua nos eſſet gubernaturus, ac directurus in vitam æternam,

e Pſal. 44. 7

nam, quod præstat per Sacerdotes. Antiquos fecit gubernatores populi sui; voluitque esse iudices in gradu Appellationis in controuersijs & litibus dubijs occurrentibus. f *Si difficile*, inquit, *& ambiguum apud te iudicium esse perspexeris; & iudicum intra portas tuas videris verba variari*: quia vnus dicet, hoc esse homicidium, alter verò dicet non esse; vnus dicet, hanc esse lepram, & alter dicet non esse: *Surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venies q; ad Sacerdotem Leuitici generis, & facies quodcunque tibi dixerit, qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille.* f Deut. 17. 8.

Et ipsemet Christus Dominus noster, hanc illorum rationem habens, causam detulit eis, cùm sanabat leprosos iubens eos g *ostendere se Sacerdoti*; vt ille index esset sanitatis & mundiciei, quam ipse Christus eis dederat. g Matt. 8. 4 Luc. 17. 14

Sed quæ comparatio huius honoris cum eo, quem Sacerdotibvs Nouæ Legis detulit: quos constituit iudices omnium controuersiarum ad animas spectantium; & lepram, qua illæ solent maculari? Auget verò plurimùm eorum excellentiam potestas illis collata, (vt ait Sanctvs Chrysostomvs) non solùm ad declarandum aliquem esse à lepra mundum; sed etiam, vt ipsi eos mundent, qui ea sunt infecti: nam, qui leprosus ad eorum Tribunal accedit: cùm de illa ipsi iudicant & absoluunt: ille mundus manet à lepra, quam habebat. Summum, quod Sacerdotes antiqui faciebant, erat sacrificijs ac cæremonijs: quas lex in pœnam alicuius culpæ constituebat; immundiciem externam purgare. nostri autem ab interiori purgant immundicia, quam homo contrahit peccato suo; & à lepra æternæ pœnæ, quam propterea erat promeritus. Quod vt Sacerdotes rectè præstare possint, datur eis Spiritus Sanctus cum septem eius donis, sapientiæ, scientiæ, & cæteris. Quamobrem meritò eorum potestas non censenda est arida virga; sed florens, sicut illa Iesse: in qua Spiritus Domini requieuit: qua statim atque pœnitentem tangunt, etiamsi is sit ex se virga arida, faciunt florere, communicantes ei gratiam & virtutes supernaturales: & profert flores, folia, fructusque præclaros, cum Contritionis, Confessionis, & Satisfactionis actus exercet: vt perfectam obtineat peccatorum remissionem. *Lib. 3. de Sacerdotio.*

Denique virga Aaron, quæ priùs arida erat, & ornatu exuta, quem stipiti suo vnita habebat: postea Dei virtute vestita fuit, suisque floribus, foliis, ac fructibus exornata; nec ampliùs profanis vsibus fuit applicata; sed h *reposita in tabernaculum testimonii, & in ipsa arca testamenti*, in perpetuam Sacerdotij Aaron memoriam; & in signum, quod

Deus ipsum accipiebat in suum, suoque seruitio in perpetuum dedicabat, iuxta illud quod Rex Ezechias Sacerdotibus dixit: k *Vos elegit Dominus vt stetis coram eo, & ministretis illi, colatisq; eum, & cremetis ei incensum.* Et vt Tribus Leui omnino se obsequio eius dedicaret; noluit eam habere aliquam hæreditatem, aut bona temporalia, & speciales fundos, sicut aliæ Tribus habebant: l *Dominus* enim *ipse hæreditas eorum erat,* m *& possessio eorum,* quia in se recepit eos alere ex oblationibus populi: tantoque zelo eos protexit, vt diceret: n *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Eosdem magno etiam honore affecit, induens eos vestibus ingentis gloriæ, quæ dignitatis eorum amplitudinem præseferrent; & admirationem ac reuerentiam adferrent eos aspicientibus. Idque adeò vt Alexander Magnus, teste Iosepho, cùm ingrederetur Ierusalem, eique obuiam exiret summus Sacerdos Pontificali habitu indutus, ipse ex equo descendens eum adorauerit. Et in Leuitico prohibuit ei Deus: o *caput suum* cuiquam *discooperire,* in signum (vt ait S. Hieronymus) supremæ suæ auctoritatis. Omnia autem hæc cum maiori adhuc excellentia inueniuntur in Sacerdotio Legis Euangelicæ: quod est participatio quædam Sacerdotij Christi Domini nostri, cum quo Sacerdotes nostri sunt spiritualiter coniuncti; & à quo internarum vestium ornatum accipiunt, præstantium scilicet virtutum; suntque electi, vt semper in eius conspectu versentur: non solùm quà ille Deus est, sed etiam quà homo; eo modo, quo ipse nobiscum in terra est, ei seruientes, & honorem deferentes, ac incensum & Orationes offerentes; & loco carnium, agnorum, ac vitulorum offerentes ei carnem & sanguinem Agni Dei, qui tollit peccata mundi. quæ caro & sanguis manent perpetuò intra ipsam Ecclesiam in Sanctissimo Altaris Sacramento, in testimonium supremi eius Sacerdotij. Et ipsemet Dominus vult esse eorum hæreditas & possessio, tradens seipsum illis quotidie in cibum & escam: qui recipit in seipsum eos protegere, alere, suoque alimento & honore spirituali ac temporali honorare. Nam (vt Apostolus dixit:) p *Qui bene præsunt Præsbyteri duplici honore digni habentur:* & mundi huius Principes hanc eorum dignitatem agnoscentes, seipsos propter eam eis demittunt.

h Nũ. 17. 10
i Hebr. 9. 4.
k 2 Paral. 29. 11.
l Nũ. 18 20.
m Deut. 10. 9 & c. 8. 2.
n Zach. 2. 8.
Lib. 13. Antiq. c. 8.
o Leuit. 21. 10. Epist. ad Fabiolam.
p 1. Tim. 5. 17.

CAPVT V.

QVANTA SIT PRÆSTANTIA MVNERIS SACERdotum, & quanta virtutum facultas ad id præstandum sit necessaria, iuxta ea quæ in Cæremoniis consecrationis eorum insinuantur.

EX Dictis In Svperioribvs Capitibvs cognoscere licet excellentiam Sacerdotum Euangelicorum: quos Christus Dominus noster Patres constituit hominum in esse gratiæ; medicos in infirmitatibus; iudices peccatorum eorum, cum potestate ea remittendi; Ianitores & Clauigeros cœli cum potestate eius portas aperiendi & claudendi; aduocatos & intermedios inter Deum & homines; inspectores & tutores pugnantium in conflictu mortis; & super omnia sunt nutrices, quæ illos educant, & alunt cibo vitæ, quem è cœlo descendere faciunt. Propter quos dicitur de Ecclesia, quod sit quasi a *nauis institoris de longè portans panem suum*. In qua re absque vlla comparatione excedunt potestatem Moysis, qui faciebat descendere manna è cœlo; & Sacerdotum eius: qui semel in vita, & quasi prodigiosè faciebant descendere de cœlo ignem, qui Sacrificium ipsorum combureret; aut vt Angelus aliquis veniret, aut aliquis lucis radius, aut nebula, quæ Deum repræsentaret: nostri autem Sacerdotes faciunt de cœlo ad terram descendere, non manna corruptibile, sed Verbum Diuinum incarnatum; manna absconditum & incorruptibile; non materialem ignem, sed ipsum ignis Creatorem, qui dicitur: b *ignis consumens*; non Angelos, sed Angelorum Dominum multis eorum millibus stipatum; non visibilis lucis radios, sed ipsummet Solem, à quo lucis inuisibilis radij procedunt: qui est in suo cœlo Empyreo, cœlestem illuminans Ierusalem, de qua Sanct. Ioannes dicit, quòd c *non egeat Sole neque Luna vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminat eam; & lucerna eius est Agnus*. Inde autem Diuinus hic Sol lucem mittit cœlestem, & radios ignis charitatis, cum Sacerdotes administrant reliqua Sacramenta: nam cum baptizant, mittit radium quendam lucis & gratiæ, quo baptizatos efficit filios Dei adoptiuos: quando absoluunt, mittit radium ignis consumentis & comburentis omnia pœnitentium peccata: quando vngunt extrema vnctione, mittit alium radium, quo sanat & confortat animas ægrotantium. Non enim aliud est baptizare, absoluere, vngere, & chrysmate signare, quàm adducere ex cœlo radios gratiæ & luminis cælestis, prodeuntes à Sole Iustitiæ Christo Seruatore nostro. Quando autem Sacerdos consecrat, deducit de cœlo ad terram; & à dextera Patris ad manus suas ipsummet Solem Iu-

a *Pro. 31, 14.*

b *Deut. 4. 24.*

c *Apoc. 21. 23.*

ſtitiæ cum omni ſua pulchritudine & ſplendore, quem in throno ſuo habet; quamuis tectum nube accidentium panis & vini: quia mortalium oculi non potuiſſent tantam lucem & pulchritudinem intueri, ſi diſcooperta fuiſſet. Et *Sol ille, qui reuerſus eſt, decem lineis per gradus, quos deſcenderat*, (nam relictis nouem choris Angelorum, humiliauit ſeſe vſque ad vnitionem cum humana natura) quotidie renouat ſtupẽdum hoc factum. Nam tranſiens per hos nouem choros, ad nos deſcendit inſtar cibi & potus, vt animabus noſtris ſeſe coniungat: & qui ab antiquis Patribus deſideratus fuerat, & petitus ſpatio quinque millium annorum, clamantibus vt tandem veniret, dicente ſponſa illius temporis: e *oſculetur me oſculo oris ſui*, coniungens ſcilicet Diuinam ſuam naturam cum *mea*: nunc in momento ſæpius in die ad vocem Sacerdotis conſecrantis, deſcendit de cœlo, vt ſuæ ſponſæ ſeſe coniungat, non ſolùm ore ad os, ſed toto ſuo corpore totoque ſuo Sanguine ingrediens in eam, vt eam in ſuum Diuinum Spiritum transformet. Et qui in cœlum aſcendens, miſit Spiritum ſuum Sanctum in forma ignis: deſcendit quotidie per manus Sacerdotum, ad eundem amoris ignem communicandum: adimplens inuiſibiliter, quod aliquando dixerat: f *ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi vt accendatur? adeſt* enim (ait S. Chryſoſtomus) *Sacerdos, non ignem geſtans* materialem, ſicut Abraham, vt ſuum offerret Sacrificium: ſed *Spiritum Sanctum*, qui eſt ignis conſumens, quo veſtitus venit: *preces Diuinas fundens, non quò flamma cœlitus delapſa, Sacra appoſita abſumat*, vt factum eſt tempore g *Eliæ*; aut quando h *Aaron* fuit conſecratus, aut quando i *Salomonis templum fuit dedicatum*; *ſed vt* flamma *gratiæ* & ignis Diuini, qui panis & vini ſubſtantiam conſumens, in eorum locum ingrediatur corpus & Sanguis Chriſti, *& per ipſum omnium animos & corda inflammet*, à peccatis & imperfectionibus mundans *puriores reddat argento igne excocto*, & ſplendidiores auro ex conflatorio prodeunte. Ex quo fit, vt in Sacerdote tres ſint actus Angelicæ Hierarchiæ, *purgandi* ſcilicet, *illuminandi* ac *perficiendi*. Nam ſpirituali igne, quem per Sacramenta tradit, & Sacrificijs ac orationibus impetrat: purificat peccata, & illuminat, perficiens virtutum ſplendorem. Et quamuis SANCTVS DIONYSIVS hos tantùm duos actus ei tribuat; licet tamen etiam ei tribuere actum perficiendi, quatenus per communionem eleuat ad vnitionem cum Deo. Quamobrem non mirum eſſe, ait idem Sanctus, quod cum Angelis conferatur, dicatque Propheta: k *labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt*. Et plus eſt quàm Angelus in poteſtate: qua poteſt panem & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti conuertere: quod Angelis & Seraphinis non eſt conceſſum; & poteſt remitrere peccata, habetque claues cœli, vt eius portas aperire poſſit & claudere: quæ illis non

l Iſai. 38.8
1. Re. 20.11
e Cant. 1.1.
f Luc. 12.49
Lib. 3. de Sacerdotio.
g 3. Reg. 13. 38.
h Leuit. 9. 24.
i 2. Paral. 7.1.
2
c. 5. de Eccl. Hierarch.
K Malac. 2. 7. ca 12. de Eccleſ. Hierarch.

ſunt

sunt concessæ. Cum igitur Angelos in potestate excedat: non mirum quòd eosdem in scientia & Sanctitate imitetur: Vt quemadmodum l *Angeli* sunt *potētes virtute, facientes verbū Dei*: ita Sacerdotes sint etiam potentes, obediendo Christo Domino, sicut Christus ipse (si ita loqui licet) eis obedit, cùm consecrant, descendens in eodem momento è cælo ad Sacramentum. Sacerdotium (ait S. Chrysostomus) res est quæ geritur in terra, est tamen inter res cœlestes numerandum: idq; iure optimo: non enim est inuentio mortalium, aut Angelorum, aut Archangelorum, nec alterius creatæ potestatis, sed institutio est ipsiusmet Dei, volētis eleuare homines in terra viuentes ad ministerium quoddam Angelicum. *Et ideò necesse*, inquit, *est Sacerdotem sic esse purum, ac si in ipsis cælis collocatus inter cælestes illas virtutes medius staret.* Eò quòd viuentibus eis in terra, concesserit Deus dispensationem rerum spectantium ad cælum: dans eis potestatem, quam neque Angelis, neque Archangelis concessit. Hæc S. Chrysostomus.

l. Ps. 102. 20

m Lib. 3. de Sacerdotio

His adde (vt S. Gregorius aduertit) Diuinam Scripturam Sacerdotes non solùm Angelos appellare, sed etiā *Deos*: nam vt m *Moysen constituit Deū Pharaonis*: ita eos constituit n *Deos hominum*: vt qui Diuina authoritate Dei causas iudicent, ferantque sententiā non dico de iniurijs, quibus homines mutuò se afficiunt; sed de ijs, quibus ipsi afficiunt Deum. Et quidē non per modū intercessionis aut obsecrationis, sed cū authoritate & imperio dicūt: *ego te absoluo*. Adeoq; sunt cum Christo coniuncti & vniti; vt, quasi essent idem ipse Christus, super ipsum panē dicant: *hoc est corpus meū*; & ita illum in corpus ipsiusmet Christi conuertunt. Quare meritò tenentur eum imitari in sanctitate & vitæ perfectione, quem imitantur in authoritate & potestate Diuina. Ac propterea S. Dionysius dixit: *qui Sacerdotem dicit; augustiorem, prorsusq; Diuinum insinuat virū*. Cuius officium (vt ait S. Gregorius Nazianz.) est *Deificare homines*, talem eis cibum porrigens, quo sumpto ad vitam quandam Diuinam eleuentur: in qua ipsi debent esse eminentiores.

3. Lib. 4. Epi. ca. 75. m Exod. 7. n. c. 22, 9. Psal. 81. 6. Dionys. 1. c. 12. de Eccle. Hierarch.

De Eccles. Hierarch. c. 1. Oratione 33.

§. I.

1.

Ex His deducere licet præstantiam & eminentiam virtutis ac Sanctitatis ad excelsa adeò ministeria exercēda necessariæ. *Primum* enim si Sacerdotes sunt Angeli, ac Dij in suo officio: etiam debent esse tales in vita: ita vt hæc in eis non humana sit, sed Angelica ac Diuina; vt contendant ad summam similitudinem, quam poterunt, peruenire in puritate & Sanctitate cum Angelis, & cum ipsomet Deo imitando eius Diuinas virtutes ac perfectiones. Quò enim gradus officij proximior est Deo: eò maiorē exigit similitudinem cum ipso: vt qua par est dignitate exerceatur. Sed quoniā omnis creaturarū dignitas breuis & exigua est, si cum suprema amplitudine & maiestate conferatur: necesse est hunc defectum, humilitate & integra subiectione, obedientiaq; voluntati ac directioni Diuinæ suppleri

2.

Ita vt homo agnoscat suam miseriam, indignitatem, exiguasque vires, & facultatem; & seipsum propterea tanquam puluerem, & cinerem humiliet in conspectu maiestatis Diuinæ; coram qua tremunt Potestates cœlestes: sed interim tanquam seruum subijciat sese promptum & paratum
3. ad omnia, quæ eius Dominus & Creator de ipso constituerit. Sed, ne humilitas incidat in pusillanimitatem, adiungenda est fiducia de omnipotentia Diuina, & immensa eius bonitate ac misericordia. Cùm enim ipse Deus ad ministeria adeò excelsa dignatur viles adeò debilesque Creaturas eligere: simul videtur omnipotentiam suam ad eis fauendum obligare: quia ita exigit infinita eius bonitas & charitas, cuius iugum & onus suaue est ac leue; gratia enim sua assistit, iuuatque ad illud ferendum, & plenè exequendum officium, quod committit. Ac propterea vult sibi confidi, in hac enim fiducia magna suæ fortitudinis pars consistit: iuxta illud Isaiæ: *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem* humanam in Diui-
4. nam, *assument pennas sicut aquilæ*, quæ fortis ac generosa est auis, ad facinora adeò glorioſa aggredienda. Sed quoniam fiducia de prouidentia & omnipotentia Diuina nostram etiam industriam ac diligentiam requirit: (non enim solus vult Deus talia opera efficere) necesse est, Sacerdotes magno feruore manum apponere, & ex parte sua totam virtutem, scientiam, & prudentiam adhibere, quam hæc ministeria requirunt: non parcendo labori, asperitati, aut difficultati alicui, vt ea valdè exactè præstare possit; & offerre se ad gestandam crucem Christi, cuius ministerio coniunctam & annexam.

5. CVM igitur Sacerdotes simul cum reliquis ad superiores & inferiores gradus spectantibus, Hierarchiam & Rempubl quandam Ecclesiæ Catholicæ constituant: quæ quasi corpus quoddam est cum suis membris & capite: necesse est omnes inter se summa charitatis vnitione, magna conformitate, & pace esse coniunctos: vt sic magis splendeat ministeriorum eorum excellentia, quæ non possunt commodè fieri, nisi multis conuenientibus: qui tamen non benè conuenient nisi valdè benè sint coniuncti. Ex quinque his partibus seu capitibus conficitur perfecta virtus & facultas ad statum Sacerdotalem, eiusque ministeria necessaria. Et omnia quinque deducit mirabiliter S. Dionysius ex quinque præcipuis Cæremonijs, quæ suo tempore adhibebantur in consecratione Sacerdotum. Nam *primùm*, ait, accedebant propè altare, repræsentantes *castissimum & sacratum accessum, per quem Deo similes fiant; & Diuinis castissimisque, & sacrosanctis attactibus pro viribus digni.* a Qui enim *accedit ad Deum*, vt ait Dauid, *illuminatur; & facies eius non confundetur*: nam absque pudore poterit eius seruitio assistere cum splendore sanctitatis, quam à Diuina eius præsentia recepit. Et cum non accedamus ad Deum gressibus corporis, sed animæ

De Eccles. Hierarch. c. 3. p. 2.

1.

a *Psal. 33. 6*

affecti-

affectibus:ille censetur ei esse propior, qui maiorem cum ipso similitudinem habet in vitæ puritate. Ex quo fit, vt quamprimum altare accedunt, flectant vtrumque genu: *vt auctori mysteriorum Deo suam integrè subiiciant vitam*: vt sic protestentur humilem, integram, & perfectam subiectionem, quam in rebus omnibus Creatori suo debent exhibere. Quæ subiectio cum præcipuè consistat in profunda humilitate, & sui ipsorum contemptu vsque ad terræ pulueres; & in præstanda integra obedientia omnibus, quæ Deus iubet: flectere vtrũq; genu: est ostẽdere, quod subijciant, & humiliter dedant suũ intellectũ & voluntatẽ, suam animã & corpus; seseq; offerãt, ad seipsos & alios ab erroribus & vitijs purificandos; exornandos verò pręclaris virtutibus in eo gradu, qui illis iniũgitur. Diaconi, inquit S. Dionysius, vnum tantùm genu flectebant: at Sacerdotes vtrumq;, sicut & Episcopi: duplo enim maiorem perfectionem in suis ministerijs profitentur: ideoque maiorem subiectionem & obedientiam adhibere debent in prosperis, & aduersis, ac in rebus omnibus. Et hæc est vna inter alias causas cur in oratione flectamus vtrumque genu: protestamur enim humilem nostram subiectionem, quæ est præclara dispositio vt exaudiamur. Quod insinuauit Dauid cum dixit: b *subditus esto Domino, & ora eum*: tunc enim benè exauditur se humiliantis oratio.

b Psal. 36. 5.

Cvm igitur Sacerdotes ex officio suo orent: ideo omnibus viribus hanc subiectionem conari debent exhibere vt ipsorum oratio vtilior sit.

Tertio Episcopus manus imponit super caput ordinandorum, *insinuans, & protectionem Dei, (qua, vt Sancti filii, paterno iuuentur affectu) ipsis habitum, virtutemque sacratiorem largientem, aduersariasque virtutes ab eis procul abigentem. Docet item sacras omnes, consummantesq; actiones, quasi sub Deo, eos, qui sacris ordinibus mancipantur, efficere perfectos; ipsumque operationum suarum in omnibus habentes ducem, atque rectorem.* Ex quo fit, vt cæremonia manus ponendi super ordinandum Sacerdotem, sit pars Sacramenti: cùm dicit Episcopus: c *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata*, & c. Ac proinde per talem impositionem manuum confertur gratia Sacramentalis, ad illud ministerium: iuxta illud Apostoli ad suum discipulum Timotheum: d *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuũ mearũ*. Hæc n. gratia est, per quã Deus gubernat ac protegit Sacerdotes in officijs eorũ; & illi subsidiũ & facultatẽ ab eo habẽt ad eius directionẽ in eis sequendã. Ideoque plurimùm splendere debent virtute fiduciæ innitẽtis his pignoribus Spiritus S. dicentis se e *obumbraturum eos* manu sua *in die belli*; & in quocunq; alio præclaro facinore aggrediẽdo.

c. Ioã. 20. 22. Optimè Bellar. tom. 2. Lib. 1. de Ordine. c. 9. Trid. Sess. 14. c. 3. de Extrema Vnctione & Sess. 23. c. 3. & 4.

d 2. Tim. 1. 6 ac 4. 14.

e Psal. 136. 8. & Isaiæ. 49. 3.

Ad quam fiduciam Episcopus eos munit ac corroborat signo Sanctæ Crucis Christi: qua quodammodo eos armat; ac monet, debere ipsos gloriari de plena & perfecta mortificatione suiipsorũ, & inordinatarũ omniũ

cupiditatum;& existimare, ad se peculiariter pertinere, quod noster Sal-
f Luc.9.23. uator dixit: f *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie,& sequatur me*, vnumquodq; enim ministerium propriam habet crucem:& cum quotidie aliquod exercere debeant:ideò etiam quotidie tollere debent crucem mortificationis eis annexam. Sine mortificatione enim non potest Sacrum Missæ offerri,nec horæ Canonicæ recitari, nec confessiones audiri,aut alia ministeria, qua par est perfectione, præstari. Et in his omnibus sequi debent & imitari Christum suprensum Sa-
g 2. Cor. 4. 10. cerdotem,explentes quod dixit Apostolus : g *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferimus, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Hæc pulcherrimè explicant præclarissima Sancti huius viri Dionysij verba: *signi vitalis impressio omnium simul carnalium desideriorum vacationem,vitamq; ad Dei imitationem effectam signat (nusquā obtutus auertendo) intuentem in hominis Iesu Sacratissimam vitam,ad crucem vsque, ac mortem progressi,diuina semper impeccantia comite: atque ita viuentes,(vt sui similes) imagine sua impeccantia in crucem formata signantes.* Non videtur sanè posse excelsior perfectio proponi, quàm in verbis prædictis ostenditur. Mortificatione enim & abnegatione suiipsorum, qua ipsum Christum imitantur,eos ille quasi impeccabiles reddit, quantum humana imbecillitas ferre potest;& à grauioribus, imò & à multis leuioribus peccatis, præcipuè ab ijs, quæ studio admittuntur, præseruat. Hæc suprema est puritas & Sanctitas,quam Sacerdotes diligenter quærere debent; & quæ illos reddet officio suo dignos:per eam enim maximè fiūt similes ipsi Christo,cuius amore offerre se debent, si fuerit opus,ad crucis mortem subeundam: ne in aliquo ipsum offendant; aut officio suo desint. Denique finita consecratione,tam Episcopus, quàm reliqui Sacerdotes ordinationi assistentes,
5. salutant cum osculo pacis nouum Sacerdotem. *Per quam salutationem significatur æqualium spirituum Sancta Societas, mutuaq; & iucunda lætitia: vtpote Diuinam pulchritudinem per Sacerdotales formas integerrimè seruans;* seniores enim amant sibi similes in spiritu & professione; & ab eis ipsi amātur puro & casto amore, mutuaque & iucunda lætitia, orta ex Diuina pulchritudine elucente in ministerijs Ordinū Sacrorū. In quibus,quamuis diuersi sint gradus superiorū & inferiorū:Spiritus tamen amoris, interiùs eos efficit quasi pares,ob interiorē illā pulchritudinē & virtutum omnium concursum. Ex quo prouenit, vt tota Ecclesiastica Hierarchia eo ordine & vnione progrediatur, quā suprà retulimus. Sed aduertit Sanctus Dionysius, quòd Episcopus ante consecrationem Sacerdotis promulget coram omnibus astantibus nomen ordinandi & consecrandi; quasi Diuinam electionem & vocationem declarans, qua ille ad ordinem susciendum accedit;& inspirationem Diuinam, à qua ipse impellitur ad eundem or-

dinem

dinem ei conferendum: sine qua neuter debet hoc opus aggredi. Nam Diuina vocatio præcipuum est eius fundamentum, quasi fons virtutum, & auxiliorum, quibus illa perficitur: vt proximo capite dicetur.

CAPVT VI.

VOCATIONE AD STATVM SACERDOTALEM, NON INdigni vocantur, sed digni; & horum vocationis modus.

CVM adeò sint excelsa Sacerdotalis Status ministeria; adeoque magnus virtutum cumulus ad ea exercenda necessarius: satis liquet, neminem audere debere illum suscipere solo suo arbitratu; sed vocatione & electione Dei, ad quem pertinet eligere, & vocare Ministros, quorum opera sit in sua domo vsurus. Et quamuis interdum per seipsum, & non per alios homines, illos vocet ac eligat: vt plurimùm tamen vocatio incipit ab inspiratione & interna Dei motione: electio verò concluditur per alios homines, quos ipse in sua Ecclesia ad id constitutos habet. Eum in modum, quo in lege antiqua vnam tantùm elegit Tribum in Israël, in qua esset Status Sacerdotalis: voluit tamen eam electionem declarari & executioni mandari per Moysen, dicens ei: a *applica tribum Leui, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, vt ministrent ei, & excubent, & obseruent quicquid ad cultum pertinet multitudinis; & seruiant in ministerio eius. Aaron autem & filios eius constitues super cultum Sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.* Hunc igitur in modum vocatio & electio Dei, quæ per internos impulsus & occultas inspirationes fit, manifestatur, vt ait S. Dionysius, per Episcopos & Ecclesiæ prælatos: concurrente interdum nominatione & præsentatione populi; vt suprà dictum est, de septem Diaconis, quos multitudo fidelium Apostolis proposuit, vt eos ordinarent & consecrarent: vt sic manifestiùs constaret de bonis moribus eorum qui essent ordinandi, tanquam indicijs ac testimonijs, quòd eos Deus ad id muneris eligebat. Quicunque autem huiusmodi gradus ac dignitates absque hac vocatione vsurpauerit, nec viam, quam Sancta Ecclesia tradit, tenuerit; morietur in anima morte culpæ grauissimæ. Vsurpat enim id, quo non dignus: quia caret perfectione ac doctrina, quam dignitas illa exigit; nec talentum illud & vires habet, ad ferendum onus, quod sic acciperet: quia in grauissima illa damna incideret, quæ posita fuerunt in secundo tomo. Prædictam hanc veritatem confirmauit Apostolus dicens: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum: vt offerat*

a Num. 3 6

c. 5 de Eccles. Hierarch.

Tract. 1. c. 5.

b. Heb. 5. 1.

offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem hunc sed qui vocatur a Deo tanquã Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eũ: c filius meus es tu, ego hodie genui te. Quẽadmodũ & in alio loco dicit: d tu es sacerdos in æternũ secundũ ordinẽ Melchisedech. In quibus verbis Apostolus formã præscribit subeundi statũ Sacerdotij, & Episcopatus: proponens duplex summum Sacerdotium tanquam exemplar inspiciendum & imitandum: alterum legis antiquæ, quod fuit Aaron; alterum Nouæ, quod fuit Christi D. N. qui non arbitratu suo hanc dignitatem sibi vsurparunt; sed per vocationem & voluntatem Dei, qui elegit eos, & ad eam destinauit, vt nullus fidelium temerè audeat statum adeò Sanctum & honorificum sibi assumere: nisi Deus ipsum vocet, eligatque ad eum suscipiendum.

c Psal. 2. 7.
d Psal. 109. 4.

§. I. *Deus non vocat indignos.*

FACIAMVS initium ab ijs, qui non vocati à Deo, Statum hunc sibi sumunt: & esse solent triplicis generis: Qui scilicet aut propter improbam suam vitam digni non sunt; aut propter terrenum aliquem ambitionis & cupiditatis finem eum aggrediuntur; aut per media iniqua & contra Dei eiusque Ecclesiæ prohibitionem. Vt plurimùm autem omnes hi tres defectus simul conueniunt. Inprimis enim Deus Dominus noster nunquam ad hanc dignitatem vocat manifestè ea indignos; nec eis inspirat, vt eam sibi procurent, aut acceptent; sed potiùs, vt se subtrahant, & refugiant. Si enim prohibet Ministris Ecclesiæ suæ huiusmodi adeò sacras dignitates indignis conferre: quomodo ipse illis inspirabit, aut eos vocabit ad eas sibi procurandas? si dicit eis: a *nolite dare Sanctum canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos*: quomodo ipse homines ad instar canum furentes, aut instar porcorum impũros & sordidos impellet, vt dignitatem adeò Sanctam & margaritam adeò preciosam sibi procurẽt? Nouit benè ipse Dominus noster peccatores vocare, vt tales esse desinant, & iusti fiant: eos verò, qui sponte & libenter in peccatis suis permanere volunt, non vocat aut eligit ad statum Sacerdotum; qui homines exigit puros, & aptos, qui sint medici peccatorum. Per contemptum narrat scriptura Diuina de improbo Rege Ieroboam: quod b *fecerit de nouissimis populi Sacerdotes excelsorum: quicunque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos excelsorum.* Cùm enim optimos eligere debuisset, elegit pessimos: eò quòd deprauato suo palato illi magis arridebant: & cùm accedendum fuisset ad Sacerdotium ex aliorum electione: quicunque volebat, aperiebat manum suam, vt oleo vngeretur: & sic habebatur Sacerdos. Neque hoc adeò erat mirum: nam quales Dij erant, quibus illi sacrificabant: tales erant & Sacerdotes. & quemadmodum Dii erant falsi, ita eorum Sacer-

a Mat. 7. 6.

b 3. Reg. 13. 33.

dotium falsum erat, & ementitum. Sacerdotes autem veri Dei non sunt eligendi de nouissimis & pessimis populi; sed ex optimis: non sponte & voluntate sua, sed electione Dei, eiusque Ecclesiæ Sacerdotium obire debent. Et quoniam in antiqua lege, vt dictum est, hæreditate accipiebatur officium Sacerdotis, in Tribu Leui & familia Aaron: &, vt plurimùm aliqui defectus & Notæ in aliquibus eius familiæ futuri erant, voluit ipsemet Deus id in lege sua exprimi: vt tales à Statu Sacerdotali excluderentur, dicens: c *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino; nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus; aut si iugem scabiem, & cætera habuerit.* Et bis aliàs repetit: *ne descendens ex Aaron, si maculam habeat, accedat ad altare: ne Sanctuarium maculet.* In qua lege (vt aduertit Sanct. Gregorius) voluit Spiritus Diuinus nobis significare: in Lege Gratiæ, in qua Sacerdotes non per gènus & familiam succedunt: non debere eligi ad hoc ministerium, cùm defectus aliquos in anima habent, qui significantur per defectus corporis, ibi notatos: ac proinde non censebuntur vocati à Deo, qui illis maculis erunt defœdati. Non vocat ad Sacerdotium *cæcos, nec lippos, nec albuginem in oculis habentes,* hoc est ignorantes, & imprudentes; non habentes scientiam rerum Dei, quàm eorum officium exigit; nec prudentiam & iudicium necessarium, ad ea præstanda, ad quæ Status ille obligat. Nubis enim amoris proprij, & inordinatarum passionum Catharactæ auferunt illi, aut turbant rationis iudicium, & animæ aspectum. Nec vocat *claudos, aut fracto pede vel manu,* hoc est qui non rectâ incedunt per viam diuinorum mandatorum; nec animi robur habent, ad ea exequenda, & se in bonis operibus exercendos. Nec vocat curuos & propensionem habentes ad res terrenas; quia ipsa dignitas illos obligat ad semper aspicienda cœlestia.

c Leuit. 21 17.

in Pastor. lib. 2. c. 2. & 5. & lib 1. Regist. c. 2. 4. S. Hieron. Epist. ad Fabiol.

Ex His sequitur: non vocari à Deo eos, qui Sacerdotium quærunt præcipuè propter ambitionem honoris, aut rerum fortunæ cupiditatem. Spiritus enim Dei neminem propter fines adeò terrenos impellit, cum iniuria dignitatis Sacerdotalis: quæ ad fines tendit cœlestes. Qui verò eam quærunt propter fines illos, faciunt eam quasi mancipium seruire duobus vitijs totius mundi pessimis, quæ innumera alia consequuntur. Et vt plurimùm pessima adhibent media, vt votorum suorum compotes fiant: conculcantes Ecclesiæ leges, vt frui possint honore, & bonis fortunæ, quæ inde spectant. Cùm igitur illi d *non intrent per ostium,* signum est, *fures eos esse, & latrones;* vsurpantes dignitatem, qua indigni sunt; neque eis aperire Deum, sed Dæmonem, tegentem titulo dignitatis sacræ ambitionem & auaritiam in eis prædominantes. Et, vt S. Petrus Simoni Mago dixit, e *pecunia tua tecum sit in perditionem &c.* ita ait S. Chrysosto-

d Ioan. 10. 1

Act. 8. 20.

mus, possumus huiusmodi hominibus dicere: ambitio tua tecum sit in perditionem: quoniam putasti ambitu humano parari domum Dei. Et quamuis aliquando Deus dissimuler; interdum tamen seueriſſimam accipit vindictam, ad cautelam reliquorum, qui timebunt exitus adeò miseros, & punitiones adeò horrendas. Quis enim non tremat attendens tremendum f *Dathan & Abyron* supplicium, quos *dirupta terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis & vniuersa substantia eorum: descenderuntque viui in infernum*: idque propterea illis euenit, quòd ambitiosè Sacerdotium habere voluerint; quo nec digni erant, nec aliquo iure illis debebatur: cùm non essent de Tribu Leui; & quis non contremiscat animaduertens: g *ignem egressum à Domino interfeciſſe ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum*: eò quòd ambitiosè quæsiuissent Sacerdotium, quod Deus soli familiæ Aaron assignauerat: h *Mane*, inquit, *notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, & Sanctos applicabit sibi; & quos elegerit appropinquabunt ei*. Quomodo autem id notum faciet? *Primum* pœna illa ignis ad terrorem rebellium, & arrogantium; & postea prodigio virgæ florentis, ad cautelam, & documentum humilium & subiectorum. Infeliciter cessit Oziæ Regi, quod voluisset vsurpare dignitatem Sacerdotalem, quæ ad ipsum non pertinebat; eò quòd non esset de tribu Leui: cùm enim i *manu teneret thuribulum, vt adoleret incensum: orta est lepra in fronte eius; ac propterea expulsus est è templo*, & priuatus regno, eò quòd voluisset Regiæ dignitati adiungere Sacerdotium. Quòd si lepra ambitionis, & auaritiæ animam occupantis eorum, qui appetunt Sacerdotium, etiam prodiret in faciem: multi Oziæ essent in mundo ad terrorem futurorum. Quemadmodum S. Bernardus lamentabatur, referens, quæ suo tempore gerebantur. Curritur, inquit, passim ad Sacros Ordines, & reuerenda ipsis quoque Spiritibus Angelicis ministeria homines apprehendunt sine reuerentia, sine consideratione: neque enim signum regni occupare cœlestis, aut illius timent imperij gestare coronam: in quibus auaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia, sedet iniquitas, luxuria etiam principatur. Et si iuxta Ezechielis prophetiam k *templi parietem fodiamus*, pessima fortè *appareret* intra parietes *abominatio*, vt *in domo Dei videamus horrendum*. Et inferiùs: ingrediuntur cum hac macula tabernaculum Dei viuentis, & cum eadem in eo habitant, templum sanctum Domini polluentes: iudicium multiplex accepturi: quòd tam grauissimas conscientias gerentes, nihilominus sese ingerunt in Sanctuarium Dei. Vtinam magis turrim inchoaturi, sedentes computarent: ne fortè sumptus nõ habeant ad perficiendum. Vtinam, qui continere non valent; perfectionem temerariè profiteri, aut cœlibatui dare nomina verentur. Sumptuosa siquidem turris est; & verbum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem

Homil. in Act. Apost.

f Num. 16. 31. 35.

g sup. vers. 35.

h sup. vers. 5

i 2. Paral. 26. 19.

De Cõuers. ad Clericos. ca. 29.

k Ezechiel. 8. 8.

autem sine dubio melius nubere, quàm vri: & saluari in humili gradu fidelis populi: quàm in Cleri sublimitate, & deteriùs viuere, & districtiùs iudicari. Hæc S. Bernardus. Et ipsa experientia nos docet: eos, qui Sacerdotium adeunt, non vt Deo magis inseruiant, sed præcipuè ob fines & respectus temporales & humanos; vitam ducere indignam Sacerdotali dignitate, quam vitijs & peccatis defædant, & inficiunt: vt posteà videbimus.

Denique cum Dei voluntas sit, ne Ecclesiæ Prælati temerè ac præcipitanter Sacerdotium alicui conferant, non præmisso sufficienti eius aptitudinis examine; ac propterea dixerit Apostolus Timotheo discipulo suo: 1 *Manus cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis*, si Sacros Ordines indignis contuleris: certum itaque est, Deum non vocare huiusmodi homines: non enim excludendus esset vocatus à Deo.

Trid. Sess. 23. c. 2. & 8. habetur c. Quando. D. 24. l. 1. Tim. 5. 22.

§. II. *Varii modi, quibus Deus ad Sacerdotium vocat.*

Ex his, quæ diximus, licet incipere deducere, quinam à Deo vocentur ad Sacerdotium; & quando desideria hunc Statum adeundi, sint & proueniant ab inspiratione & boni spiritus motione: quamuis reipsa non sit valdè facilè certò aliquid statuere. De multis enim Sanctis nouimus, quòd à Deo permoti non solùm Sacerdotium non desiderarint; sed illud adire timuerint, ac refugerint: considerantes huius dignitatis celsitudinem, & quantam illa exigat puritatem; propriam item vilitatem & imbecillitatem. Si enim res attentiùs inspiciatur, Status Sacerdotij valdè est affinis cum statu Prælatorum: non enim est Status tendentium ad perfectionem, qualis est Monachorum; sed iam perfectorum; qualis est Episcoporum: quamuis non tantam exigat, atque illorum. Ac propterea S. Dionysius dixit: Religiosos debere contendere, vt tam Sancti ac perfecti sint, atq; sunt Sacerdotes; & S. Hieronymus ad Rusticũ scribens, dixit: ita viue in monasterio, vt sis dignus, qui Clericus ordineris; & S. Thomas idẽ confirmat, dicens: quamuis Status Religiosus nomine status sit perfectior, quàm simplicis Sacerdotis: Sacerdotem tamẽ maiorem habere dignitatem: eò quòd destinetur ad excellentissima Altaris ministeria: ac proinde maiorẽ requirere sanctitatẽ internam, quàm Status Religionis. Quamobrẽ multi Monachi & Religiosi valdè eminenter Sancti, vt SS. Antonius, Hilarion, Franciscus & similes alij, non sunt ausi Statum Sacerdotũ adire; & Dñs Deus noster etiã miraculis approbauit spiritũ illũ humilitatis ac reuerẽtiæ qui ad id illos impellebat. Sicut euenit S. Francisco: cui Angelus ostẽdit cristallinam lagenã clarissimo quodã liquore plenã, dicens: Sacerdotis animã adeò claram, ac puram esse debere, atq; liquor illius lagenæ. Sed quoniam Spiritꝰ Dei in multis Sãctis est diuersus, ob fines etiã diuersos, iuxta æternæ sapiẽtiæ decreta & cõsilia: nõ negamus ipsũ Deũ præmissis huiusmodi omnib. timorib. inspirare interdũ & impellere ad hũc statũ adeundũ; aperiẽdo

De Eccles. Hier. c. 6. Epist. de forma viuẽdi, 2. 2. q. 184. art. 4.

1.

2.

suam

suam circa id voluntatem varijs vijs; aliquando per expressam reuelationem; aliquando prodigioso aliquo indicio; & aliquando mandato, aut consilio Prælatorum, & Patrum spiritualium: qui Dei nomine nos gubernant, vt fusè dictum est aliàs. Quando autem tertia hæc via cum alijs duabus coniungitur, est multò tutior. Ideoque aliquando Deus illas coniungit; licèt etiam diuidat aliquando. Licet hoc multis exemplis, quibus historiæ Sanctorum refertæ sunt, confirmare; sed vnum tantùm referam, quod Rupertus Abbas de seipso narrat. Cùm enim eius Prælati ipsum vrgerent, vt ordines susciperet; sed ipse, quòd se indignum iudicaret, valdè resisteret; existenti in ea contentione manifestauit Deus voluntatem suam admiranda quadam visione. Videbatur enim sibi videre altare quoddam, in quo imago erat Saluatoris Crucifixi, & viuentis, & habentis oculos in ipsum quodammodo infixos: cuius aspectu ipse amore incensus, ardenti animo cupiebat accedere, & amplecti: sed non poterat ob altaris magnitudinem, & altitudinem: sentiebat tamen in se internum quendam impulsum ipsius Christi inuitantis ipsum, vt accederet: ideoque apud se constituit accedere. Et in momento altare fuit in duas partes diuisum, patuitque ipsi liber accessus: & confidenter Saluatorem ipsum amplectebatur, exosculabatur: ipseque idem Dominus Diuinum suum os magis magisque aperiebat, vt Rupertus vlteriùs ad interiora posset ampliùs penetrare: ex quo ipse magis magisque amore Dei accendebatur; sentiebatque inspirari sibi desideria Sacerdotij, quod anteà refugiebat. Qua visione finita, eam Abbati suo retulit, & mox ordines suscepit. Ex quo viam & rationem agnoscere licet, qua Dominus noster in huiusmodi vocationibus vti solet. Priùs enim desideria inspirat refugiendi excelsum adeò Statum, antequam Prælati id iubeant, at postquam illi iubent, inspirat etiam desideria illum suscipiendi: coniungendo hoc modo præclaras illas duas virtutes, humilitatem, & obedientiam: vt vtraque sint certum indicium & pignus Diuinæ voluntatis; & insignis dispositio ad glorioſum Statum, quem desiderant & admittunt. Et qui hac ratione ad Statum illum accedunt, experientur in animabus suis, quod ipsemet Rupertus sensit in alia visione, qua fuit adhuc ampliùs confirmatus in ea cogitatione, quòd Deus ipsum ad Sacerdotium vocasset. Iacens enim in lecto videbatur sibi videre virum quendam è cœlo descendentem, tecto vultu, quasi nollet agnosci; & tamen seipsum cum Ruperto mensurauit, caput capiti, corpus corpori, pedesque pedibus coniungendo, & cooptando, & ad ipsa animæ interiora penetrando, seseque intimè ei imprimendo, sicut solet sigillum molli ceræ imprimi. Ex qua visione incredibilis adeò lætitia & suauitas secuta est; vt, nisi Deus mox eam fuisset moderatus, vis & impetus cœlestis illius voluptatis animam è corpore eduxisset. Erat visio illa vi-

ua quæ-

Tomo 2. tract. 1. c. 5.

Lib. 12. in Matth. vide Platum lib. 1. ca. 37.

ua quædam Sanctissimi altaris Sacramenti repræsentatio: in quo Christus Dominus noster panis & vini accidentibus tectus, ita vt non nisi fide agnosci possit, infunditur in animam; eamque in seipsum transformat, repletque ineffabilibus gaudijs; quorum fiunt participes, qui à Deo vocati tanquam Aaron, ad Sacrificium hoc Diuinum offerendum cum debita accedunt reuerentia, & hic præcipuus esse debet finis & motiuum eorum, qui Sacerdotium desiderant, tanquam signum, quod ipsorum desideria à bono Spiritu proueniant: cum non in finem aliquem temporalem & terrenum, sed cœlestem ac Diuinum tendant: hoc est in perfectam vnionem & transformationem in Christum Dominum nostrum, per sacram ipsam Communionem adeò frequentatam, sicut Sacerdotibus conceditur. Nam quemadmodum solet Dominus noster fidelibus pijs inspirare desideria frequenter communicandi, vt eò amplius Diuini huius Sacramenti fructibus frui possint; ita potest Sacerdotij desideria inspirare; vt qui illud suscipit, possit cum maiori abundantia & frequentia fructus Sacramenti & Sacrificij percipere. Sicut S. Satyrus frater S. Ambrosij, cùm refugeret Sacerdotalem statum adire; quòd ipse Ambrosius ei suadebat: decreuit tandem illum suscipere propter quoddam miraculum, quod expertus est, dum in mari nauigaret, rupta ipsa naui. Cum enim se in periculo videret submersionis, accepit in manum sanctissimum Sacramentum, quod secum in quadam capsula (quo d tunc temporis permittebatur) gestabat: & sub tali protectore & gubernatore super aquas ambulans, sanus peruenit ad portum. Qui euentus in causa fuit, ipsum que impulit, ad Sacros Ordines suscipiendos. Si enim (ait S. Ambrosius) tantum subsidium sensit ex sanctissimo Sacramento, velo quodam tecto: quantò maius expertus fuisset, ore illud accipiendo, & ad sua viscera traijciendo? *Quam maius*, inquit, *putabat, fusum in viscera; quod tantum sibi tectum ærario profuisset*:

S. Ambros. in Oratione funeb. S. Satyri.

Cvm autem Sacerdotium non in solius ad illud promoti vtilitatem; sed ad vniuersalis Ecclesiæ, & proximorum commodum dirigatur: fit, vt & hoc aliorum subsidium possit esse finis talem statum suscipientis; Deo huiusmodi desideria immittente ei, qui aptum est instrumentum ad animas iuuandas, vt id faciat celebratione Missæ, Confessionibus audiendis, & habendis Concionibus: vt obseruatum fuit in S. Chrysostomo, qui valde restitit studentibus ipsum ad Sacerdotium promouere: eò quòd excelso adeò statu indignum se iudicaret: quod ipse ostendit in sex libris, quos de Sacerdotio scripsit. Postea tamen necessitate compulsus acquieuit, vt Concionibus suis proximos adiuuaret; & quia inspirationibus, & reuelationibus ad id fuit permotus.

Sed quoniam non sunt expectandæ reuelationes, aut iudicia prodigiosa, ad hunc statum eligendum: operæ pretium est ordinariam viam osten- 3.

dere ad agnoscendam Dei vocationem, ac Diuinam eius voluntatem circa electionem faciendam: præmissis tamen documentis generalibus in tractatu primo secundi Tomi positis. *Primum* enim, vt S. Bernardus insinuat, amplectendum est Christi Domini nostri consilium, vt a *sedentes bene computemus sumptus, qui necessarii sunt ad turrim* perfectionis *ædificandam*, quæ ipsi Sacerdotio est annexa; in quo exactè seruandum est castitatis votum, & vitæ puritas: quam excelsum adeò Ministerium exigit: & certò constituendum, quòd nullum temporale honoris, aut facultatum, siue redituum Ecclesiasticorum motiuum sufficere debeat ad Sacerdotium amplectendum: quando reuera nobis desunt talenta virtutis, ac scientiæ, & conditiones reliquæ, quas Ecclesia Sancta præscribit. Præstat enim ex statu sæculari ad cœlum ascendere; quàm ex Sacerdotali descendere ad infernum. Nam Sacerdotalis dignitas, quæ ea dignos promouet ad maxima gratiæ & gloriæ dona; indignis est occasio, vt in magnas miserias culpæ ac pœnæ præcipitentur. Et character Ordinis, qui in cœlo est, quasi corona quædam, gaudium illud cœleste augens: erit in inferno maiorum cruciatuum causa, sicut est in Iuda, quem fuisse Sacerdotem creatum & cũ reliquis Apostolis communicasse constat. Quare præstat ex humilitate, ædificium huius turris non aggredi, quàm committere vt Dæmones *illudant ei, qui non habens sumptus ad perficiendum, iecit* tamen *fundamenta*. Sed quoniam in hac computatione & consideratione sumptuum non est tutum proprio iudicio fidere: sæpè enim qui sunt indigni decipiuntur, Superbia, ambitione, & cupiditate, vt se dignos iudicent: & contrà, qui reuera sunt digni, ex humilitate & pusillanimitate, indignos se iudicant. Tutissimum est iudicium proprium, aliorum iudicio subijcere: siue superiorum ordinationi acquiescendo, quod facere possunt ac meritò debent Religiosi; siue consulendo Confessarios, & Patres spirituales, aut viros tales, qui non ducantur inordinato aliquo affectu; & ex neutra parte emolumentum aliquod quærant: sed viri sint scientiæ & conscientiæ: horum inquam iudicium tutò sequi licet, vt intelligant, vocari se à Deo ad Sacerdotium, sicut Aaron: Ad cuius electionem concurrerunt Deus & Moyses manifestante Deo, quòd ipse per Moysen Prophetam suum, electionem illam fecisset. Nam per os eius consilium suum aperuit, quod supra posuimus: vt b *virga Aaron, & duodecim aliæ ponerentur in tabernaculo fœderis*, floribus & foliis spoliatæ: vt is ex Dei voluntate Sacerdos haberetur, *cuius virga ibi floreret*. Vt ita significaretur, eos, qui cupiunt rectam huius status electionem facere, debere se in Dei conspectu, & coram eius ministris constituere, quasi aridas virgas floribus & foliis spoliatas, hoc est exuentes sese omni terreno ac temporali fine, qui facilè ad se corrahit, & intentionem flectit; & quantum in ipsis est, exhibentes se

a Luc. 14. 25

b Num. 17. 2, 8.

ad ac-

ad acceptandum aut reijciendum hunc ſtatum indifferentes, nec aliud quidquam niſi Dei voluntaten eiusque maiorem gloriam quærentes; & apud ſe ſtatuentes, æquè futuros contentos vna atque altera parte: prout intelligent Deo magis placere. Qui, quòd noſtræ vtilitati ſemper proſpiciat, ſolet prouidentia ſua paterna, quos videt ita indifferentes, inſpirare quod magis expedit eis. Quos, ſi vult ad Sacerdotium vocare, efficit, vt arida virga floreat, & cor incipiat ſancta & pura huius Status deſideria prodere, ob cœleſtes ac Diuinos fines; & cum floribus deſideriorum prodeunt folia & fructus verborum & operum ſanctorum; qualia Sacerdotalis dignitas exigit: in quibus apparet, Deum eſſe qui vocauerit, & ad eam elegerit. Quod ſi nollit eos admittere: deſerit tanquam aridam virgam, abſque his deſiderijs, & propenſione ad eum ſtatum; & potiùs permittit illis timorem & formidinem quandam, qua ſe indignos & ineptos iudicent ad excelſam adeò dignitatem; & ipſis Prælatis inſpirat, vt eos reijciant, & in inferiori ſtatu relinquant, in quo priùs erant. Et tunc etiamſi Subdiaconi ſint, aut Diaconi: animo ſint quieto & trãquillo: & ſacrã hanc dignitatem, quam vt ſponſam habere non merentur: tanquam Dominam venerentur, & excipiant. Si enim temerè aſcendere velint ad gradum altiorem, ad quem, quòd non ſunt digni, vocati non ſunt; dicet illis Dominus, quod olim ambitioſis Leuitis: c *Multũ erigimini filii Leui: num parum vobis eſt, quòd ſeparauit vos Deus Iſrael ab omni populo, & iunxit ſibi, vt ſeruiretis ei in cultu tabernaculi? aut idcirco ad ſe fecit accedere, vt vobis etiam Sacerdotium vindicetis?* Perſuadeant itaque ſibi, qui huiuſmodi ſunt, ſatis ſibi eſſe, quòd ſeruiant in ordine Diaconatus: nec tantum ſibi eſſe aſſumendum, vt velint ad Sacerdotium aſcendere: ſed cum humilitate & animi gratitudine gradum illum amplectantur, in quo Deus illos collocauit: is enim vtilis eſt ipſis futurus; altior verò fortè noxius.

c Num. 16. 8

Ex Hts efficitur, etiam eſſe neceſſariam Dei vocationem, ad eligendum, & vt oportet, acceptandum Sacrum Diaconatus & ſubdiaconatus Ordinem. Tum, quòd ſtatus continentiæ ei ſit annexus: ad quem hanc vocationem eſſe neceſſariam ſuo loco diximus: tum ob dignitatem eius miniſteriorum, & puritatem ac ſanctitatem ad ea præſtanda neceſſariam. Quæ cùm ſit donum Dei, & per Ordinis Sacramentum communicetur, motionem requirit eiuſdem Domini, ad eum dignè ſuſcipiendum: vt ex dictis capite 3. conſtat.

Tomo 3. tract. 2. 6. 6.

CAPVT. VII.

TENERI SACERDOTES AD INSTITVENDAM SANCTE vitam ſuam ſtatu ſuo dignam.

1



ORVM QVI SANCTVM SACERDOTII STATVM ADIERVNT ex vocatione & electione Dei, modo hactenus explicato: prima ac præcipua cura eſſe debet, ducere vitam quandam Sanctam, ac perfectam, dignam celſitudine ſui Status: eumque honorare, non tam pretioſis veſtibus, & famulorum ſtipatione; quàm indumentis virtutum, & bonorum operum comitatu: quibus ſe reddant venerandos, & ſuſpiciendos omnibus fidelibus: non ſolùm ob ſtatus dignitatem, ſed præcipuè ob ſuæ vitæ merita. Eò ſpectat præceptum illud, quod Deus antiquis Sacerdotibus impoſuit, cum dixit ipſi Aaron: *a tu & filii tui cuſtodite Sacerdotium veſtrum, & omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum ſunt.* Quaſi illis dixerit: ad vos ſpectat cuſtodire & conſeruare ſtatus & officij veſtri authoritatem, exhibendo illud cum magna puritate & reuerentia; nihil admittentes, quo illud maculetis, aut ignominia aliqua afficiatis: eumque in modum perſonam veſtram, vtpote Deo conſecratam, cuſtodire debetis: quo ipſum altare & arcam teſtamenti in Sanctuario exiſtentem cuſtoditis. Et quemad modum operam datis, vt ſacræ res ita mundè ac reuerenter ſeruentur, ſicut decet earum celſitudinem & præſtantiam: ita curare debetis, vt officium veſtrum cum ea, qua par eſt, mundicie in vobis ſeruetur. Nam (vt S. Hieronymus ait) non dignitas, ſed opus dignitatis, Sacerdotes ſaluare, honoremque & opinionem eis adferre conſueuit: ac proinde, qua ſolicitudine dignitatem ſibi procurarunt: conari debent Sanctitatem ipſam conſeruare. Si anima iuſti (ait S. Auguſtinus) ſedes eſt Dei, multò magis vos Sacerdotes eſſe debetis ſedes & thronus eius, mundus & ſine macula. Si ſepulchrum, vbi corpus eius mortuum poſitum fuit, debuit eſſe glorioſum, ac nouum, in quo nullum aliud priùs poſitum fuiſſet: magis glorioſa & renouata eſſe debent corpora veſtra, & animæ veſtræ; in quibus eiuſdem Domini corpus viuum & glorificatum eſſe debet. Si beatus fuit enter, qui per nouem menſes illum portauit: æquum eſt, vt corda veſtra beata ſint, quæ filium Dei elegit in ſuam quotidianam habitationem. Et ſi beata ſunt vbera, quæ infans ſuxit: etiam os debet eſſe beatum, quod comedit eius carnem, eiuſque ſanguinem ſugit, tanquam lac. Crucifigite itaque carnes veſtras timore Dei; nec lingua, quæ filium eius vnigenitum vocat, & è cœlo deducit; malum aliquod verbum contra ipſum proferat, nec manus tangentes ſanguinem Chriſti, alicuius peccati ſanguine maculentur

a Num. 18. 7

In Sopho. 3.

2

Serm. 32. & 36. ad Fratres in Eremo.

lentur. Vos inquit estis Sal terræ, lux mundi, lucerna ardens, Ciuitas supra montem posita, columnæ templi, lignum scientiæ in medio paradisi collocatum. Vos estis terræ Domini, cœli conciues cum Angelis, filij Prophetarum, Apostolorum successores. Mundate animas vestras, vt sitis digni b *ferre* cum Patribus vestris *vasa Domini*. Vos etiam estis quasi c *ferculum* veri *Salomonis*: quotidie enim in vestra ingreditur pectora; eumque hinc inde fertis in vestris manibus. Exornate igitur illud ferculum, vt decet Dominū, qui in eo fertur, amplitudinem & maiestatem. Facite ergò illi *ascensum purpureum*, mortificantes strenuè omnes vestras passiones, & inordinatos affectus; & patienter ferentes omnia aduersa; expolite illi *columnas argenteas*, elucentes in omni genere virtutum, & operibus valde puris & exemplaribus; facite illi *reclinatorium aureum* per exercitia orationis & contemplationis: vt cum ipsius spiritu vester vniatur; exornate partem mediam *charitate*, implentes corda vestra affectibus amoris Dei & proximi; vt bono sitis exemplo *filiabus Ierusalem*, animabus scilicet Ecclesiæ, quæ aspiciunt & attendunt ad vitam vestram: cuius exemplum ipsæ accipiant. Sic enim dignitatem vestram honorabitis, & Rex cœlestis libenter vos pro suo ferculo habebit.

b *Isaiæ. 52. 11.*

c *Cant. 3. 9. 3.*

Tomo. 1. Tract. 4. 5.

§. I.

PRÆDICTA licet ampliùs explicare per ea, quæ dicta sunt Sacerdotibus Antiquæ legis: a *Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius: incensum enim Domini & panes Dei sui offerunt, & ideò Sancti erunt.* Quod si talia dicebantur Sacerdotibus antiquæ Legis, qui ex officio modicum offerebant incensi corporalis, & corruptibiles Propositionis panes, quos octauo quoque die recentes apponere necesse erat: quantò potiori iure idem Sacerdotibus legis Euangelicæ dicetur, quorum munus est offerre Deo totius Ecclesiæ orationes, & simul Supremi sui Sacerdotis ac Mediatoris Christi Iesu orationes; panemque viuum pretiosissimi eius corporis, immortalis glorioſi, & impatibilis. Antiquis dicebatur: *Sint Sancti: quia & ego Sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos.* quod fuit dicere: sint Sancti: quia Dominus, cui ministrant, Sanctus est: & ministros vult habere Sanctos: ideò enim eos elegit, vt Sancti essent, eiusque obsequio consecrati. Quid igitur dicet nostris Sacerdotibus, quos Sanctus Sanctorum elegit, & Spiritus Sancti oleo vnxit, vt Sanctum Sacrificium in Spiritu puritatis & Sanctitatis ipsi offerrēt? Euangelici Sacerdotes proprijssimè sunt domus Dei, viuumque templum, in quo ipse habitat. b *Domum* autem *Dei*, dicit Dauid, *decet sanctitudo.* Quamuis enim laici, dum communicant, domus & templum sint Christi: non tamen ita ex instituto, atque sunt Sacerdotes, in quibus quotidie hospitatur. Quemadmodum enim Reges domum suam Regiam & aulam, in qua semper habitant, splendidissimè exorna-

a *Leui. 21 6 4. Trident. Sess. 14. decret. de Refor. in Proemio.*

supra vers. 8

b *Psal. 92. 5*

5

tam habent; quando autem aliò proficiſcuntur, præmittunt ornatum aliquem ad hoſpitium, per quod ſunt tranſituri; non tamen adeò ſplendidum, atque in ſua aula habent: ita Chriſtus Dominus noſter cupit, Sacerdotes, in quibus quotidie habitat, eſſe ſibi domum & aulam Regiam, ſplendidè exornatam cum omni genere virtutum, & quidem in excellenti gradu. Et quamuis non prætermittat exornare Sæculares, frequenter ipſum excipientes: ſi tamen quid eorum Status poſtulet, inſpiciatur: non ita præclarè atque Sacerdotes exornantur, quos iubet eſſe ſanctos, itéque bis repetit: vt intelligant, debere eſſe præclaros & eminentes in gradibus Sanctitatis, quæ complectitur puritatem à culpis, & exercitia virtutum; c *Sanctos* item, vt Apoſtolus de virginibus dixit, *corpore & ſpiritu*; exornatos corporalibus virtutibus, quæ hominem externum componunt: quales ſunt temperantia, modeſtia, caſtitas, & ſimiles; & ſpiritualibus, quæ interiorem hominem exornant: quales ſunt, Charitas, Oratio, contemplatio, & aliæ ſimiles. Debent etiam eſſe, vt ait Sanct. Gregorius, ſicut arca Teſtamenti, d *ſuper quam erat Propitiatorium aureum*; *eratque ex lignis Setim* incorruptibilibus, *& inaurata auro mundiſſimo intus & foris.* e *In qua continebatur vrna aurea habens manna*; *& virga Aaron, quæ fronduerat*; *& tabulæ Teſtamenti*: ita Sacerdos, in quo verum habitat Propitiatorium, qui eſt Chriſtus Dominus, per quem omnes conſequimur remiſſionem peccatorum, habere debet vitam incorruptam, interiùs & exteriùs exornatam virtutibus valdè heroicis, plus quàm aurum ſplendentibus coram Deo & hominibus, cùm magna ad ipſum redemptorem ſimilitudine, quamuis cum hoc diſcrimine: quod quemadmodum Propitiatorium erat totum aureum; arca verò ex lignis inauratis, ſiue laminis aureis cooperta: ita Chriſtus Dominus noſter totus erat aureus, tanquam naturalis Dei filius; eiuſque ſanctitas infinitæ excellentiæ abſque vllo limite: eius tamen miniſter tantùm eſt Sanctus propter participationem charitatis; quam ab eo accipit, ad ſimilitudinem ſanctitatis eius: intra ſe autem habere debet virgam Aaron, poteſtatem ſcilicet ordinis & iuriſdictionis ad conſecranda & offerenda ſua ſacrificia, & abſoluendum à peccatis: item duas tabulas legis, intellectui ſuo impreſſas, ob ſcientiam & doctrinam omnium eorum, quæ Deus iubet; & firmum quoddam in voluntate propoſitum, omnia opera exequendi. Ex quo proueniet, vt vrnam etiam habeat manna, fiatque particeps ineffabilium deliciarum, quas Deus ſuis amicis communicat: quia quotidie ſumit manna Sanctiſſimi Sacramenti, quod eſt fons illarum. Sed quoniam ſanctitas, ait S. Chryſoſtomus, ſummam complectitur puritatem à culpis, & ornamentum à virtutibus præcellentibus erga Deum, ſeipſum & proximos ſuos: in his omnibus eminere debent Euangelici Sacerdotes: vt Sacrifi-

c 1. Cor. 7. 14.

6

d Exod. 25. 20. 17.

e Heb. 9. 4.

7

Homil. 7. in Epiſt. ad Hebr.

cium

cium, quod offerunt Deo, qua parte ab ipsis procedit, sit ei valdè acceptum. Iuxta illud Malachiæ Prophetæ: f *ipse* Dominus est *quasi ignis conflãs & purificans metalla, & quasi smegma aut herba Fullonum: & sedebit conflans & mundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum; & erunt Domino offerentes Sacrificia in iustitia, & placebit Domino Sacrificium Iuda, & Ierusalem sicut dies sæculi, sicut anni antiqui.* Qua sententia prædixit Propheta puritatem & sanctitatem, quam Spiritus Sanctus, diuini sui amoris igne effecturus erat in omnibus fidelibus, tam sæcularis status, per argentum significati; quàm Sacerdotalis, significati per aurum: quos vocat filios Leui: eò quòd succedant antiquis Sacerdotibus illius tribus. Quamuis autem in omnibus desideret ipse summam mundiciem, ideoque *sedens* eos abluat, ac purificet, vt lauari solet vestis linea & argentum igne purificari: maiori tamen cura & industria Sacerdotes purificat, donec illos conflet, & tanquam aurum & argentum collet: vt absque vlla scoria & mixtione terrena, mundi euadant. Ita vt non remaneat in eis, aut culpa grauis, aut macula leuis, cordi consultò aut affectu inordinato adhærens. Et tunc Sanctitatem habebunt virtutis Religionis propriam: quàm ait S. Thomas, in hac puritate consistere. Ac propterea Sanctus Græcè appellatur Agios, quod significat sine terra, purificatum scilicet & exaltatum à terra. Ex quo proueniet, vt offerant Domino adeò Sancta & pura Sacrificia, vt valdè sint illi grata & accepta: qualia fuerunt Sacrificia, quæ Sancti Patres in sæculis antiquis ei obtulerunt. Et hoc insinuat Ecclesia in Canone Missæ, cùm petit, vt acceptabilis sit Deo hæc oblatio, quemadmodum fuit oblatio iusti Abel, & Sacrificium Patriarchæ Abraham, ac summi Sacerdotis Melchisedech. Quod, vt Sanctus Thomas explicat, intelligitur non de ipso Sacræ Missæ Sacrificio, ex parte ipsius rei oblatæ, quæ valoris est infiniti; sed ex parte ipsorum Sacerdotum, qui eam offerunt. In quibus optat Ecclesia, prælucere deuotionem & puritatem Abelis, fidem & obedientiam Abrahami; & iustitiam pacemque Melchisedech: vt ex hac etiam parte habeat oblatio suum copiosum fructum.

f *Malach. 3. 2.*

Vide Riber. ibidem.

2. 2. q. 81. art 8.

3. p. q. 83. ar. 4 ad 8.

§. II.

Ex His efficitur, plurimùm referre vt Sacerdotes sint sancti, sic enim inæstimabilibus bonorum thesauris frui possunt, quos hoc cœleste ministerium secum adfert. Cùm ijs enim præcipuè loquitur insignis illa Ecclesiastis sententia: a *Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum; quia Deo placent opera tua. Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.*

§

a *Eccles. 9. 7*

Quis

Quis hic panis, & quodnam viuum vinum (ait Sanct. Cyrillus) niſi corpus & Sanguis Ieſu Chriſti Domini noſtri? qui vocatur noſter: quia verè eſt alimentum noſtrum, & in noſtrum ſumitur remedium. Sed magis proprium eſt Sacerdotum: quia ipſi conſecrant & frequenter ſub vtraque ſpecie ſumunt: & tunc magno cum gaudio, lætitia, & vtilitate ſumunt; cùm eorum vita ſancta eſt, & opera Deo placent: quibus benè ſunt præparati, vt officio tali delectentur. Ac propterea addit: *Omni tempore ſint veſtimenta tua alba*: hoc eſt, vt eorum animæ & conſcientiæ puræ ſint, & heroicis virtutibus prælucentes. Antiquus mos erat, conuiuas vti veſtibus albis in conuiuijs, in ſignum lætitiæ: & fortè talis fuit b *veſtis nuptialis, ſine qua miſer ille fuerat ingreſſus* conuiuium, *& a Rege deprehenſus, eiectus ex eo.* At Sacerdotes non tunc ſolùm, cùm ſacrum faciunt; ſed omni tempore geſtare debent in anima precioſam hanc veſtem, eò quòd vocati ſint & conſecrati, vt quotidie in hoc ſint conuiuio, & Chriſti menſæ aſſideant: vt cum ipſo comedãt. Ac ſimiliter *oleum de eorum capite nunquam deficere debet*, hoc eſt ſpiritus cum oleo deuotionis, & pretioſiſſimo vnguento amoris Dei, & proximi, & orationis, & internæ cum Deo familiaritatis: vt ſuauis hic odor dominum ipſos inuitantem recreet, & Eccleſiæ fideles ædificet; non ſolùm cùm ſacrum ipſum faciunt; ſed toto tempore diei ac vitæ.

Catech. 4

b Mat. 22. 11

9

HINC licet nouam aliam rationem deducere, ad rem noſtram, propter obligationem ſcilicet, qua tenentur Sacerdotes bonum exemplum Sæcularibus præbere: vt omnes virtutes ab ipſis diſcere poſſint. Nam, vt ſanctum Concilium Tridentinum docet: nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita & exemplum, qui ſe Diuino miniſterio dedicârunt. Cùm enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum cõſpiciantur, in eos tanquam ſpeculum reliqui oculos conijciunt; ex ijſque ſumunt, quod imitentur. Quapropter, ſic decet omnino Clericos, in ſortem Domini vocatos, vitam moreſque ſuos omnes componere, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijſq; omnibus rebus nihil niſi graue, moderatum, ac Religione plenum præſeferant; leuia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant; vt eorum actiones cunctis adferant veneratiooem.

Seſſio. 22. c. 1. de Refor.

ADOMNIA prædicta reſpexit Deus Dominus noſter, & Sacerdotibus commendata eſſe voluit, in c *tunica* illa, quam antiquis deſignauit; quã iuſſit totam eſſe *hyacinthinam*, hoc eſt cæruleam ſiue cæleſtis coloris, deſcendentem *vſque ad pedes*, è cuius ora *penderent quaſi mala punica*, ex quatuor precioſis filis texta, *ex byſſo retorta, hyacintho, purpura, & cocco bis tincto mixtum in medio tintinnabulis aureis, vt audiretur ſonitus, quando Aaron ingrederetur & egrederetur Sanctuarium.* Ad ſignificandum (vt ait Beda) vitam Sacerdotum, totam eſſe debere *cæleſtem*, à principio vſque ad finem cum magna conſtan-

c Exod. 28 31.

Lib 3. de Taber. c. 6. vide Ribe.

constantia in procurandis rebus cœlestibus: dirigendo ad hunc vnicum finem omnes suas actiones. Ita vt omnes illæ, quod ad hoc attinet, vnius sint coloris: quia vnica esse debet intentio, cœlesti Regi placendi, & cor suum rebus seruitij eius addictum habendi. In alijs autem operibus per *mala punica* significatis, esse debet varietas affectuum, coniungendo in eis virtutes omnes; præcipuè (vt S. Gregorius ait) *byssum retortam* castitatis, castigatione & mortificatione carnis; & *purpura* patientiæ in tolerandis omnis generis calamitatibus; generoso quodam Regioque animo in rebus omnibus aduersis; *cocco* etiam *bis tincto*, accensæ scilicet charitatis, cum duobus suis actibus amoris Dei & proximi; *hyacintho* denique meditationum, & cogitationum cœlestium. Quatuor his coloribus texebantur etiam aliæ Sacerdotum vestes: vt intelligerent specialem suam obligationem, ad præferendum splendorem in omnibus his virtutibus, quæ sunt eorum vestes valde pretiosæ. Sed ex hac veste pendebant *tintinnabula aurea*, vt simul aduerterent, ita vitam suam in seipsa esse debere Sanctam, vt simul esset proximis exemplaris: exemplis suis raris eos impellendo ad bonum imitandum, quod vident in ipsis; Sanctis etiam operibus, Sancta colloquia adijcientes, igne charitatis accensa. Cum enim verba & opera sunt conformia, etiam erunt potentia ad corda permouenda & reformanda. Aduertit autem S. Hieron. fuisse septuaginta duo mala punica, totidemque tintinnabula: qui numerus est d *septuaginta duorum discipulorum, quos misit Christus binos ante faciem suam in omnem Ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus.* Vt ex hoc intelligamus, omnes Ecclesiasticos, nullo excepto, eminere debere in hac operum, & verborum Sanctorum coniunctione: quamuis enim non sint omnes Concionatores, Concilium tamen Tridentinum Episcopos ac Prælatos monet, vt factis ipsis ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus se muneri suo conformes ostendant. Qui enim iuxta excelsi sui Status dignitatem vitam ducit, ipsis actionibus continuè concionatur.

am lib. 3. de vestibus Sacerd. c. 9.

2 p. Pastoralis c. 3.

Epist. 127. ad Fabiolã. d Luc. 10. 1.

Sess 25. de Reform. c. 1.

CAPVT. VIII.

QVA RATIONE SACERDOTES OMNESQVE ECCLESIASTICI, & nominatim Canonici studere debent perfectioni Euangelicæ, & mutuæ animorum coniunctioni.

CVM Sacerdotes cæteriq; Ecclesiastici, & nominatim qui sunt ordine sacro insigniri, & Ecclesiæ seruitio mancipati, selecti fuerint ex communi Christiana plebe: meritò debent eminere in obseruatione præceptorum & consiliorum Euangelicorum, cum multò maiori excellentia quàm cæteri iusti Sæculares: ad id enim ex propria obligatione tenentur, iuxta id quod Deus dixit Moysi: a *Applica ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, vt Sacerdotio fungantur mihi.* In quæ verba Venerabilis Beda sic loquitur: Necesse est, vt quicunque ad maiorem in Ecclesia gradum promouendi sunt, maiore mentis industria sese ad legem Domini applicent. Id est, diuinorum obseruantia mandatorum solertiore præ cæteris Domino copulentur. Hoc est enim, eos qui Sacerdotio functuri sunt, de medio filiorum Israël ad Moysen applicari, Præsules ac Doctores sanctæ Ecclesiæ communem vitam electorum singulari mentis culmine transcendere, & familiari inspectione, quid lex generaliter omnibus electis; quid verò paucis perfectioribus specialiter loquatur, attendere; vt altiore excellentia meritorum, ad altiora possint præmia peruenire. Iuxta cuius venerabilis Patris sententiam, non debent Sacerdotes existimare, satis sibi esse, quòd se studijs occupent, diuinamque legem in ijs tantùm rebus custodiant, quæ sunt omnibus iustis communes; sed maiori studio ac vigilantia incumbere debent in obseruationem eorum, quæ paucis ac perfectioribus committuntur; & contendere, esse de eorum numero. Nam quid est, inquit Moysen applicare ad se fratrem suum Aaron: nisi ita amicè ac fraternè Sacerdotem cum lege se coniungere, tanto spiritu & feruore eam meditando: vt illam intimè sibi coniungat, suique cordis tabulis magno cum amore imprimat. Idem confirmat S Ambrosius, eadem explicans verba: Perpende, inquit, hanc Aaron & filiorum eius à reliquo populo Israël separationem, vt intelligas: nihil in Sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum studio & moribus inconditæ multitudinis. Sobriam à turbis grauitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicat Sacerdotalis. Quomodo enim potest obseruari à populo, qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat, si nihil in te aspiciat, quod vltra se inueniat; si, quæ in se erubescit, in te, quem reuerendum arbitratur,

offendat,

a *Exod. 28. 1 Vide Lipomanum in Catena ibi.*

Lib. 3. Epist. 20.

offendat; supergrediamur igitur plebeias opiniones, & strata quædam gregalis conuersationis, ac detritæ viæ orbitas declinemus. Sed quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium, in viam operibus impetitorum: quam nullus maculosus deterat. Ingrediamur portas Domini portas iustitiæ; quas iustus qui fuerit ingressus, confitetur Domino, estque paucorum ingressio Sit ergo via nostra angustior, virtus exuberantior, trames pressior, fides sublimior, callis arctior, vigor mentis exundans, semitæ rectæ: quia inflexibilia sunt virtutum vestigia. Quamuis autem Sacerdotes non teneantur ad illam Euangelicam perfectionem, quam Religiosi tribus votis, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ sectantur: vt tamen superiùs cum S. Thoma diximus, eorum dignitas maiorem requirit interiorem sanctitatem, quàm Status Religionis. Quod si interior debet esse maior: meritò debet externa opera producere, in quibus illa appareat, accedendo, quantum poterit, ad eam excellentiam, quam Religio profitetur, & custodiendo cum integra & prompta obedientia omnia illa, quæ Sacri Canones ad Sacerdotum perfectionem præscripserunt.

§. I.

AD cuius rei maiorem declarationem aduertendum est, quod in primæua Ecclesia, cum Apostoli legem Euangelicam prædicare cœperunt, omnes fideles magno spiritu contendebant, vt eam perfectissimè seruarent, viuentes omnes in paupertate, & obedientia; vitam ducentes communem, cum summa quadam mutua animorum coniunctione, magnaque ad Apostolos eos dirigentes subiectione; vt apertè S. Lucas insinuat, dicens: a *Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia: possessiones, & substantias vendebant, & diuidebant illas omnibus, prout cuique opus erat.* Et iterum dicit: b *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid esse suum dicebat; sed erant illis omnia communia. Nec quisquam egenus erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Sed crescente numero fidelium, eorumque feruore sensim refrigescente, cessauit obseruatio huius perfectionis in gradu adeò excelso & redacta ad paucos quosdam, qui appellabantur Monachi, aut Cœnobitæ; & nunc generali nomine appellamus Religiosos: vt in tertio tractatu tomi tertij fusiùs est explicatum.

a Act. 2. 44.

b c. 4. 32.

CVM hac adeò heroica perfectione cœpit etiam multoq; diutius perdurauit ordo Clericorũ, & Ministrorũ Ecclesiasticorum, nam Apostoli seuerissimè custodiebant Euangelica consilia, & perfectionem Religiosam profitebantur: vt ibidem est dictũ: quos omnes Ecclesiastici, & præcipuè ordine Sacro insigniti imitabantur, ac Religiosam vitam profitebantur

in castitate, paupertate, & obediētia: viuebantque in communi cum magna animorum coniunctione. Ac propterea S. Clemens in Epistola, quam scripsit ad Clerum Ierosolymitanum, dixit: vitam communem ijs esse nominatim necessariam, qui desiderant Deo se totos dedicare, & Apostolorum ac discipulorum vitam sectari. Idem dicunt Papæ Vrbanus & Eugenius; & S. Gregorius affirmat, etiam suo tempore, ei qui semel Sacrum Ordinem in Ecclesia Romana suscepisset, non licuisse inde exire. Et in responso, quod idem Gregorius misit ad Sanctum Augustinum Angliæ Episcopum, monet; vt Ecclesiam illam, quæ tunc recens conuertebatur, dirigeret ad modum primæuæ Ecclesiæ, in qua omnia erant communia. Crescente tamen numero Clericorum, & Sacerdotum, cum opus esset, aliquos distribui per oppida, propter Sacramentorum administrationem sicut faciunt Parochi; alij verò tam excellam perfectionem seruare non possent: eò res deuenit, vt constituerentur duo ordines; alter Clericorum, quos appellamus Sæculares; alter Regularium, qui proprio nomine Canonici nuncupantur, & est idem quod Regulares: nam omnes erant Religiosi, & viuebant in communitate, nihil proprij habentes; sed ex communibus Ecclesiæ, & conuentus, in quo viuebant, se sustentantes: Et ita est caput quoddam S. Basilij in constitutionibus eius Monasticis: *Ad Canonicos*, hoc est *regularem vitam degentes in Cœnobio*. Ac propterea, vt aduertit Pater Frāciscus Turrianus nostræ Societatis, vocabulo græco appellabātur, Cœnouitij, quod significat simul viuētes. Decursu tamē temporis, cū eorū multi vellent seorsim viuere, & proprij aliquid retinere, mutato nomine, vocati sunt Canonici. Et hic duo etiam Ordines orti sunt Canonicorum: alter Sæcularium, qui diffusus est per omnes Cathedrales & Collegiatas Christianitatis Ecclesias; alter Regularium, qui sancti Augustini dicuntur. Eò quod sanctus hic Doctor eum nobilitauerit, ac perfecerit, constituens ei magnæ perfectionis Regulas. Quamuis Pius Papa quartus in quadam Bulla, in huius Ordinis fauorem expedita, eum præferens Ordini purè Monastico, dicat eum multò esse antiquiorem, à tempore scilicet sacrorum Apostolorum, qui illum instituerunt; & ex proprio Instituto ac Professione debent esse Clerici, & Ecclesiæ Ministri. Ac propterea, teste S. Thoma, præferuntur merè Monachis, qui ex suo Instituto non tenentur esse Clerici. Et quāuis vtrīq; attendāt ad opera vitæ contemplatiuæ, interest tamen: nā Monachi ad vitā contemplatiuā attendūt proprij sui profectus causa; at Canonici & Ecclesiæ Ministri attendunt ad eandem vitam contemplatiuam circa publica Diuini cultus ministeria, quæ res est excelsior. Ac propterea S. Hieronymus Rustico scripsit: *Sic viue in Monasterio, vt Clericus esse merearis*. Sed cum etiam Monachi Clericalem & Sacerdotalem Ordinem suscipiunt; eique Ordini strictiorem adhibent Regulam:

modus

Epist. 5. refertur 12. q. 1. c. Dilectissimus. & c. Necessaria. & c. Scimus

Lib. 12. Epist. Interrogationum. S. Augustī. c. 1. & 2. & refertur. 12. q. 1. c. quia tua.

De constit. Monasti. c. 19 Lib 5 Pro. Epist Decretal. c. 2.

Refert Nauarrus in c. Statuimus. n. 7.

22 q. 189. a. 8. ad 2. Nauarrus sup. nu. 2.

Epist. ad Rusticum de forma viuēdi.

modus vitæ eorum, tanquam securior & perfectior præferri debet: quamuis Canonici Regulares etiam habeant ex Instituto suo magnam perfectionem. Hæc propterea adduxi, vt Ecclesiastici, & speciatim Canonici, obligationem suam intelligant: si non ratione specialis voti, saltem ex decentia, iuxta suum statum & officium, teneri se adspirare ad perfectionem Euangelicam, accedentes quantùm proximè poterunt ad eam vitæ rationem, quam primi Ecclesiastici & Canonici per tot sæcula sunt sectati. Nam *Primùm*, quamuis non ducant vitam communem in eadem Domo, aut Conuentu; sed certis tantùm horis diei in eandem conueniant Ecclesiam: æquum est, vt ipsi valdè excellant in animorum coniunctione. ita vt omnes habeant cor vnum, & animam vnam in rebus Diuini obsequij: hæc est enim coniunctio siue vnio, quam Deus magni facit: de qua aliqui Doctores explicant, quod S. Lucas dixit: c *Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.* Est autem credibile, in tanta multitudine, aliquos fuisse coniugatos, patres familias, variaque officia habuisse: credibile quoque est, multos illorum habitasse in domibus suis; solumque cõuenisse quotidie in templo, aut in loco aliquo constituto: vt semper essent spiritus vnitione coniuncti. Jdeoque addit S. Lucas: *quotidie quoque perseuerantes vnanimiter in templo & frangentes circa domos panem*, &c. Cuius vnitionis causam, ait S. Hilarius, fuisse, quòd omnes vnam eandemque haberent fidem, vnum Baptisma, vnam spem, & vnam voluntatem eidem Christo Domino seruiendi: quibus vestiti erant. Sanctus Basilius declarat, eam vnitionem in eo fuisse positam, quod omnes quærerent Dei voluntatem in rebus omnibus; & Sanct. Bernardus addit, ex eo illam prouenisse, quòd omnes propriam suam voluntatem negarent, subijcientes illam cum perfecta obedientia ijs, à quibus gubernabantur, adijcientes his omnibus rectissimam & purissimam Deo soli placendi in rebus omnibus intentionem. Hæc præcipua est vnio, quæ splendere debet in Ecclesiasticis & Canonicis, contendentibus, vt licèt multi sint in vna Ecclesia, non tamen sint nisi vnus in spiritu; de quibus verè dici possit illud Dauidis: d *Quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* In quæ verba S. Augustinus ait: Qui sic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant; & sit illis verè, quomodo scriptum est, vna anima, & vnum cor: multa corpora, sed non multæ animæ; multa corpora, sed non multa corda: rectè dicitur *monos*, id est vnus solus; Quia solùm cor vnum habent in Deo & Christo Iesu. Ac propterea multi Religiosi vocantur vnus, & impositum illis est nomen *Monachi*, quod significat quasi sit vnus. Quamobrem multi Ecclesiastici propter hanc vnitionẽ esse debent vnus Ecclesiasticus; & multi Canonici, vnus Canonicus, e *seruientes* omnes Deo, eiusque Ecclesiæ in ministerijs & officijs statûs sui, *humero vno*, vt dixit Prophe ta; cõuenientes simul in eandẽ

c Act. 2.44. vide Lorinũ ibi.

Lib. 8. de Trinit.

in Prologo ad Moral.

Serm. ad M lites templi.

d Psal. 132. 1. ibidem.

e Sophon. 39.

Ecclesiam, quam constitutam habent cum sua in rebus omnibus officij sui concordia. AD QVOD necesse est, omnes amplecti Regulas Sanctitatis, quas Christus Dominus noster, eiusque Ecclesia proponit; ita vt Canonici nomen expleant, quod significat viuentem iuxta Regulam; & nomen Ecclesiastici, quod significat viuentem in vnione & coniunctione Ecclesiæ. Vbi autem non est morum conformitas, nec talis coniunctio esse potest, iuxta illud Dauidis: f *Deus inhabitare facit vnius moris in domo*: conformitas enim vitæ facit illos esse valde coniunctos, & concordes in sua ecclesia. Quam tamen vnionem nominatim habere debent in duobus locis: in *choro* scil. vbi ad Canonicas horas cantandas, Diuinaque officia celebranda conueniunt. Contendentes, vt quemadmodum voces in vnũ cum magna vniformitate proferuntur in cantu: ita in vnum conueniant animi & corda cum magna in affectibus spiritus similitudine; & custodia Regularum, quæ inferiùs tractatu tertio proponentur circa hoc ministerium. Alter locus est *capitulum*, in quo cõueniunt ad Ecclesiæ negotia tractanda, temporalia & spiritualia. Et quamuis in eo loco liceat, expediatque vnumquemque sancta cum libertate suam dicere sententiam; nec sit possibile semper se omnes conformare in iudicijs & sententijs dicendis; &, vt S. Thomas ait, neque id sit ad charitatem cõseruandam necessarium; cum etiam inter Sãctos huiusmodi fuerit sententiarum diuersitas. semper tamen seruanda est conformitas & vnio cordium, vt vnum eundemque finem omnes respiciant, hoc est seligere quod optimum est, magisque expediens ad Dei gloriam, & Ecclesiæ bonum: ita vt omnes parati sint proprium iudicium deponere, cum aliud audiuerint aut intellexerint, quod magis expediat; suum verò tanta modestia ac humilitate proponent, vt aliorum non contemnant; nec hæreant, aut agant contentiosè, vt fiat quod ipsi iudicant, aut alios ad suam sententiam trahant: sed potiùs mutuò sese præuenient humilibus cæremonijs, & vrbanitatibus, quæ sint ad remitta vt neque antiquiores contemnant iuniores; neque hi reuerentiam antiquioribus debitam negligant. Ita vt qui caput est, tanta modestia imperet, vt omnes libenter ei pareant; & reliqui ita promptè obediant, vt nihil prætereatur eorum, quæ sunt constituta.

f Psal. 67. 7

2. 2. q. 29. ar. 3. ad 2.

DENIQVE quoties in capitulum conueniunt, debent ob oculos habere duas insignes Seruatoris nostri sententias. Altera est: g *habete in vobis sal, & pacem habete inter vos*: Sal quidem Sapientiæ, ad ea benè cognoscẽda, quæ tractantur, ac de quibus sententiam vestram estis dicturi; Sal etiam discretionis: ne fitis in dicendo præcipites, & proiecti; sed magna cum consideratione, & quiete sententiam vestram proponatis; Sal gratiæ, vt opportunè & ad rem modoque suaui ac iucundo dicatis; Sal feruoris & caloris spiritualis ad alacriter & acutè dicendum: non asperè & incon-

g Mar. 9. 49

ditè

dicè;nec cum eo languore & ignauia,vt veſtræ rationes quaſi mortuæ eſſe videantur; nec tamen cum tanto feruore, vt mutuam cum alijs pacem lædant. Debet enim ita ſal paci coniungi,vt nec multum ſal paci noceat, nec pax nimia ſal ipſum diſſoluat. Altera ſententia eſt: h *vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo,ibi ſum in medio eorum.* Quare attendant Eccleſiaſtici,quoties conueniunt in Eccleſia aut choro aut capitulo,hunc conuentum eſſe debere in nomine Chriſti Domini noſtri, & cum intentione illi placendi,ac de rebus Diuini eius ſeruitij agendi. Si enim conuenirent propter res aliquas prophanas tractandas, aut ob aliquem finem terrenum: non conuenirent in nomine Chriſti;ſed mundi,aut nomine proprio, aut iuxta proprium Spiritum terrenum:& in medio eorum non Chriſtus præſideret; ſed mundi huius Princeps, hoc eſt Dæmon diſcordiarum & tumultuum in communitatibus ſeminator. Quando autem congregantur in nomine Chriſti,ille eſt in medio eorum præſes, & gubernator; quaſi Magiſter ad docendum;& conſiliarius ad apta conſilia ſuggerenda;& quaſi adiutor ac ptotector ad felicem eorum,quæ conſtituuntur, executionem. Imò etiam eſt in medio eorum tanquam iudex & teſtis obſeruans quæcunque aguntur,vt pro eis præmium reddat, aut pænam. Cuius præſentia continere eos debet, & componere: ne quid contra modeſtiam, grauitatem,quietem,ac decentiam admittant,quæ eius ſtatus viros decent.

h *Matth.* 18.20.

§. II.

Sed vlteriùs adhuc pergere debet vnio, & concordia Eccleſiaſticorum:vt non arctetur ad eos tantùm, qui ſunt eiuſdem particularis Eccleſiæ;ſed omnes vniuerſim complectatur,qui ſunt eiuſdem Profeſſionis: ita vt ſummâ concordiâ ſibi mutuò ſint coniuncti. Ad quod ſufficere debet, quod Catholicæ Eccleſiæ ſint Miniſtri, obſequio Chriſti Domini noſtri mancipati. De omnibus enim ipſis in particulari intelligitur beneuola illa Saluatoris noſtri oratio:a *Ego claritatem,quam dediſti mihi,dedi eis, vt ſint vnum.* claritatem appellat (vt aiunt SS. Hilarius & Cyrillus)Diuinitatem carni & ſanguini ſuo vnitam:quam in cibum & potum dedit ſuis diſcipulis in ſanctiſſimo altaris Sacramento, vt in eis efficeret admirandam hanc omnium cum Deo , & inter ſeipſos vnitionem. Quam claritatem Chriſtus Dominus noſter Sacerdotibus præcipuè & Eccleſiæ ſuæ Miniſtris communicauit:quorum eſt diuiniſſimum hoc Sacramentum conſecrare, & cæteris fidelibus adminiſtrare : ac proinde multò ampliùs hæc vnio ipſis cõuenit,qui huius claritatis Chriſti magis ſunt participes. Quæ etiam complectitur doctrinam, quam illos docuit, cum admiranda adeò claritate; & poteſtatem dimittendi peccata, & ſanctificandi alios, adminiſtrando eis reliqua Sacramenta.

a *Io 17. 22. Lib. 8. de Trin. Lib. 11. in Ioan. c. 30.*

Et hoc ipſo eos obligat ad maiorẽ vnionẽ cũ omnibus inter ſeipſos habendam:

bendam: vt sic credibilior fieret, magisque amabilis doctrina, quam prædicant & docent: *vt cognoscat* (inquit) *mundus: quia tu me misisti*, hoc est, vt ex vnione Ecclesiasticorum, & Euangelicorum Ministrorum agnoscat mundus veritatem & splendorem doctrinæ Christi, seseque seruitio eius addicent, iuxtà illud ipsius Christi Domini dicentis: b *in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Cùm igitur Sacerdotes & Ecclesiastici succedant septuaginta duobus Christi discipulis in suis Ministerijs: meritò debent ostendere se discipulos Christi vnione dilectionis, & mutui inter se amoris. Et quemadmodum idem exterior habitus in Religiosis eiusdem Religionis, signum est fraternitatis & vnionis internæ, qua inuicem sunt coniuncti: ita omnes Sacerdotes & Ecclesiastici eundem gestant externum habitum in tota ferè Republica Christiana, & ijsdem Sacris vestibus in tota Ecclesia: vt sic prouocentur ad eandem concordiam & vnionem inter se habendam, tanquam Christi Ministri: nihil facientes, quod alios offendat, aut turbet: c *vt non vituperetur Ministerium nostrum*, si Ministri inuicem mutuam charitatem & pacem non habeant. Et hoc ipsum significat ritus ille, quo Ecclesia vtitur in Missa solemni, cum Sacerdos pacem precatus Diacono, illum amplectitur; & idem Diaconus facit erga Subdiaconum, & hic eandem reliquis offert, cum patenam vel aliquam aliam imaginem præbet osculandam: vt omnes intelligant concordiam & pacem, quam Ecclesiastici omnes in suis gradibus habere debent, maiores & minores inter se mutuam, & cum toto populo, in virtute Sanctissimi Sacramenti: quod insinuat Apostolus, cum dixit: d *vnus panis, vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus*: hoc est quemadmodum vnus est panis cœlestis, ita omnes, qui eius sumus participes, sumus vnum corpus mysticum cum vno eodemque spiritu Christi: qui omnibus suis membris dat vitam & vnionem.

b Ioã. 13. 35

c 2. Cor. 6 3

d 1. Cor. 10. 17.

Hæc est insignis illa vnio & concordia, quæ in libro Canticorum futura prædicitur, illis verbis: e *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?* Quæ autem est hæc Sunamitis (quæ vox pacificam significat) nisi ipsa Ecclesia, & nominatim præstantior eius pars, quæ est Ecclesiasticorum congregatio? qui præcipuè sunt duobus Ministerijs dedicati: alterum est, ad gloriam & laudem Dei, in celebratione Diuinorum officiorum, & cantandis in suis choris, hymnis & Psalmis: alterum in bonum proximorum, pugnando more militum contra Dæmones, persequentes corpora & animas hominum: quod præstant Exorcistæ, Confessarij, Concionatores, & Prælati. Et quemadmodum chori suauitas, & castrorum fortitudo consistit in concordia cantorum, & militum: ita suauitas & fortitudo Ecclesiasticorum Ministrorum, & omnis felix progressus ministeriorum eorum consistit in concordia coniunctorum cordium inter se, & cum Chri-

e Cant. 7. 1

sto

sto Rege pacifico: à quo eius sponsa Ecclesia vocatur pacifica: ac proinde æquum est, vt qui sunt præcipua eius pars, impleant exactè, quod nomen illud significat. Sed quoniam pax huius vitæ non est expers alicuius pugnæ, qua ipsa conseruatur & fouetur: necesse est, eos tanquam strenuos milites pugnare aduersùs omnes hostes, qui tentauerint hanc pacem frangere, & remouere concordiam: mortificantes alacriter & exactè passiones & inordinatas affectiones, quæ causæ sunt dissentionum; & ambitionem speciatim Prælaturarum, & honorum; cupiditatem luerorum temporalium; inuidiam promotionum ac prosperitatum alienarum; & iram ac vindictam acceptarum iniuriarum, & opprobriorum. Quatuor hæ passiones sunt quatuor feroces illi equi, discordiæ currum trahentes per vniuersam terram; & perturbantes non solùm Sęcularem, sed etiam Ecclesiasticam, imò adhuc Religiosam Rempublicam. Ferè enim omnes discordiæ, schismata, ac dissensiones sunt circa punctum honoris & excellentiæ; aut circa commoda ex bonis fortunæ: quæ etiam ab inuidia initium sumunt, & occasionem: cùm videntur alij magis promoti & prosperati in authoritate, aut excellentia, aut fortunæ bonis; aut quòd ira, iniuriarum vltrix, effrenatur ad illas vlciscendas. Eadem quatuor passiones licebit conferre iuxta doctrinam S. Hieronymi cum quatuor illis cornibus, quæ vidit Zacharias Propheta. de quibus dixit ei Angelus: f *Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam & Israel, & Ierusalem.* Huiusmodi enim inordinatæ affectiones commouent & effundunt corda laudantium & contemplantium Deum, viuentium in sancta Ierusalem, quæ est pacis visio. Et sæpè ita laruatæ incedunt, quasi pallio virtutis Religionis & zeli: vt lynceis oculis opus sit, ad eas dignoscendas. Ac propterea (vt idem S. Hieronymus ait) Propterea *leuauit oculos suos, vt videret quatuor illa cornua*: quia eleuatione oculorum opus est, & intelligentia spirituali, vt videamus contrarias fortitudines, quæ contra nos eleuauerunt cornu suum.

Statim autem atque hostes illos vidimus, & agnouimus, cogitandũ nobis est de remedio. Et ita ait idem Propheta, quod Dominus *ostenderit ipsi quatuor fabros* ferrarios cum suis malleis & alijs instrumentis suæ artis in manibus, *qui veniebant, vt cornua illa deterrerent.* Et significant (vt ait idem S. Doctor) quatuor virtutes mortificantes & contundentes has passiones & vitia. Vera enim humilitas tanquam peritus faber, malleo humiliationis voluntariæ mortificat & conterit erectum ambitionis & superbiæ cornu: dum Ecclesiasticus sibi persuadet, quòd quantò maior est, tantò debet est humilior, & quò magis est honore dignus, eò debet magis illum conculcare. Paupertas spiritus & liberalitas etiam est peritissimus faber, conterens auaritiæ & cupiditatis cornu, mortificando nimium affectum ad terrena bona, eaque in pauperes distribuendo. Christiana item

f *Zach 1.9 S. Hieron. ibid. qui tamen applicat quatuor aliis passionibus. Timoris, Spei, Tristitiæ, & Gaudii.*

Vide Riberam, qui ait, esse quatuor virtutes Cardinales.

charitas est faber fortissimus, dissoluens cornu inuidiæ: quia gaudet de aliorum promotione, sibique honori tribuit, quod alij, qui eiusdem Ecclesiæ sunt membra, in honore habeantur; alienas prosperitates tanquam proprias reputans. Denique mansuetudo & patientia, tanquam strenuus faber, malleo tolerantiæ frangit furiosos iræ impetus, reprimitque quos illa excitat motus. Muniti igitur Ecclesiastici quatuor his virtutibus, conseruabunt in pace Rempublicam & Hierarchiam suam; repellentque ab ea hostes omnes, qui illam turbare solent. Nec tamen his contenti esse debent; sed conari reliquos sæcularis Reipublicæ Ciues etiam pacificare; & instar peritorũ fabrorum g *malleo verbi Dei*, & aptis rationibus, & exemplis *conterere petram*, ac dissoluere omnia, quæ pacem communem turbant. Nam (vt S. Hieronymus ait) qui vitia destruunt, virtutes ædificant; omnesq; Sancti, qui hæc remedia possidentes, instaurant Ecclesiam: fabri appellandi sunt. Nam qui destruit ambitionem, plantat humilitatem; & qui cupiditatem, inuidiam & iram exstirpat: is charitatem & mansuetudinem animæ inserit. Quia igitur viri Sancti his remedijs fideles promouent in rebus Diuini obsequij, dicuntur fabri & artifices spiritualis huius ædificij, & ferrariæ huius officinæ: qua verè ædificatur, reparatur, & perficitur Ecclesia, & tota ipsa Respublica. Sed quoniam quatuor hæc vitia, & virtutes ijs contrariæ res innumeras habent, quibus fouentur circa Ecclesiastica ministeria; dicemus particularia omnium in decursu sequentium tractatuum.

Ambros. 2. officiorum. c. 24.

ser. 23. 25.

CAPVT IX.

IN ECCLESIASTICIS VIRIS SPLENDERE DEBENT paupertas spiritus, mortificatio cupiditatis, & inordinati ad cognatos amoris; ac liberalitas in pauperes.

IVRE MERITO S. LVCAS REFERENS PRIMORVM Christianorum vnitionem, ei coniunxit voluntariam paupertatem, quam omnes sectabantur; dicens, eos a *habuisse omnia communia*: nam *vendidisse possessiones*; *& earum pretium ad pedes Apostolorum posuisse*. Qua narratione insinuat, Spiritum sanctum eis inspirasse vtrumque simul: eò quòd illa duo valde se mutuò iuuent. Nam vbi perfecta est vnio, & anima vna, & cor vnum propter amoris magnitudinem & perfectionem: mox sequitur communicatio reliquarum rerum externarum, quæ spectant ad fortunæ bona: iuxtà celebre ac decantatum dictum antiquorum; *amicorum omnia sunt communia*. Ex quo Philosophus quidam deducebat, quòd cùm iusti sint amici Dei, Deusque sit Dominus rerum omnium: etiam iustos esse omnium domi-

a Act. 2. 4. & c. 4. 3.

Socrates, & Diogenes, Dionys. Phi-

nos.

nos. Et alter dicebat: diuitem non esse verè amicum pauperis, nisi diuitias suas ei communicet. Et cuidam viro potenti, dicenti, se magna amicitia coniunctum esse cuidam pauperi: ridens respondit: si tantus es eius amicus, quomodo tu es diues, & ille pauper? Quoniam igitur supernaturalis amicitia, quam Spiritus sanctus primis Christianis communicabat, erat valde perfecta: statim (ait S. Augustinus) erupit pius affectus spoliandi se rebus omnibus, vt eas facerent communes. Vt quibus erat vna fides, esset vna substantia; & quibus erat communis Christus, communis esset & sumptus. illa autem proprietatis exspoliatio, efficax erat medium, quo vnio conseruaretur. Quia (vt S. Chrysostomus dicit) auferebat ex medio duo illa frigida verba *meum & tuum*, quæ causa sunt omnium discordiarum, litium, ac turbationum, quæ sunt in hoc mundo. Hæc tamen voluntaria paupertas multò magis eluxit in discipulis, Euangelij Ministris: cuius rei testimonium subijcit S. Lucas, cum peculiarem facit mentionem Sancti b *Barnabæ Leuitæ*, qui fuit vnus ex septuaginta duobus discipulis: & *cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum*, vt moris erat, in signum, quòd omnino exuerat pecuniæ illius dominium; & (vt Sanctus Hieronymus ait) in corde suo illam contemneret, ac in terram proijceret: vt eam Apostoli conculcarent; & pro suo arbitrio de ea disponerent. Et quoniam ipse sanctus Barnabas magno feruore initium dedit insigni illi rerum suarum exspoliationi, vt cæteri Euangelij Ministri ipsum imitarentur: Apostoli eius nomen commutarunt; priùs enim *Iosephus* appellabatur, & postea dictus est *Barnabas*: quod significat *filium consolationis*: propter consolationem quam toti Ecclesiæ allaturus erat exemplo & prædicatione sua Hanc voluntariæ paupertatis viam sectati sunt felicissimis illis temporibus Sacerdotes, & Ecclesiastici: ita vt nihil haberent proprij, sed speciali voto ad eam seruandam se obstringebant, iuxta dicta in proximo capite; & in secundo insinuata. Et hoc, ait S. Hieronymus, significare coronam, quam Clerici in capite gestant. Rasio capitis est temporalium omnium depositio. Illi enim (scilicet Clerici) victu & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia communia. Et, qui Deum habet in hæreditatem, nihil extra ipsum proprium habere debet: & si extra ipsum Dominum aliquid proprij habeat, non erit particeps ipsius Domini. Et S. Prosper Aquitanicus refert de SS. Paulino & Hilario, quòd cum essent ex proprio patrimonio valde diuites, omnibus suis bonis renuntiarint, ea vendentes & pauperibus distribuentes: ita vt ex communibus Ecclesiæ bonis, & quidē cum magna moderatione alerentur. Eandem quoq; Regulam Clerici omnes seruabant, quos S. Augustinus in suis monasterijs habebat: vbi voto se obstringebant non habendi aliquid proprij

Iacel. vide Lorinum in loca citata

Serm. 25. de verb. Apost.

Homil. 7. & 12. in Acta.

b Act. 4. 36 vide Lorinū Epist. 8. c. 7.

12 q. 1. c. duo sunt.

S. Aug. Ser. 21. ad Frat. in Eremo

Hieron. Epist ad Nepoti. 12. q. 1 c. Clericus. c. Expedit. c. Nolo c. no dicat s.

§. I.

CVM AVTEM seueritas heroicæ adeò perfectionis iam cessauerit, liceatque nunc Sacerdotibus & Ecclesiasticis propria aliqua possidere; expedit explicare, quamnam perfectionem in hac rerum possessione habere debeant, accedentes, quantum fieri poterit, & gradus ipsorum exigit, ad paupertatem spiritus, quam professi sunt Regulares. Hæc enim virtus vt tertio tomo est dictum, varios habet gradus, etiam in ipsis Religionibus: alios alijs seueriores: & in suo gradu etiam pertinet ad Ecclesiasticos. Qui duo genera bonorum temporalium habere possunt: quædam ex patrimonio proprio, quorum habent verum Dominium, ac proinde possunt liberè de eis disponere, more Secularium: seruatis tamen Regulis prudentiæ, quæ dux est bonorum operum, & medium adhibet in omnibus rebus; & Ecclesiasticis maiorem adhibet exactionem, quam secularibus, ratione status sui perfectioris, vt mox videbimus. Alia bona possident ex redditibus Ecclesiasticis, quos eis assignat Ecclesia ratione officij & muneris, quod in ea gerunt: quales sunt Decimæ, & reliqua Beneficijs, Præbendis, & Episcopatibus annexa. Quorum bonorum, vt grauissimi Doctores affirmant, Ecclesiastici non verũ dominiũ, sed tantũ vsum fructũ, & administrationẽ habẽt, tãquã fideles administratores & dispẽsatores Christi Domini nostri, eiusq; Ecclesiæ: cuius voluntas est, vt ipsi ad seipsos, domum, & familiã suam alendos quod decens est, expendant; reliquum verò intelligant, non esse ipsorũ, sed pauperum; ac proinde teneri illud exponere in eleemosynas, piaq; alia opera Diuini cultus. Et hac ratione Ecclesiastici profitentur veram paupertatem, cum huiusmodi bonorum dominio verè careant, solumque habeant vsum cum onere ex recta iustitia distribuendi, quod ipsis supereſt. Quamuis tamen Ecclesiastici Deum timentes, propriamque perfectionem ex animo optantes, sententiam hanc tanquam securiorem eligant; & iuxta eam se gerant, vt sanctitatem obtineant, quam sectantur. Iam tamen tanquam valdè probabile receptum est: ipsos habere verum dominium reddituum huiusmodi Ecclesiasticorũ; nec teneri ex iustitia, quæ malè expenderint restituere. Habent tamen dominium quantum ad vsum adstrictum & limitatum iuxta Sacrorum Canonum Decreta, vt sensim explicabimus.

Tract. 6. c. 5

S. Thom. Quodlib 6. a. 12. 2. 2. q. 185. a. 7. Nauar de redditibus Eccles. & in Manu. c. 27 n. 75, Sotus lib. 10 de Iust. q 4. a. 3. & 4. Sarmiento Tractat. de reddit. Eccle. p. 4 c. 5 & 6. Corduua. lib. 1. c. 18. Bannes 2. 2. q. 23. a. 6. dubio vltimo. & alii multi.

INPRIMIS, vt à remotioribus rẽ aggrediamur: Ecclesiastici in vtroq; genere bonorum temporalium seruare debent paupertatem spiritus cum omni sua perfectione, quoad affectum interiorem, mortificantes viriliter quamcunque cupiditatem, & inordinatum ad bona, quæ iam habent, aut habere satagunt, affectum; ita vt parati sint, ad ea deserenda, aut distribuenda, quandocunque opus erit, ad obediendum Dei præceptis, & præstandum quod ipsẽ eorum status requirit. Cùm autem exile habent patrimonium,

trimonium, aut redditus exiguos: plus horrere debent auaritiam, quæ prætextu neceſſitatis ad ſuſtentationem decentem animum inuadere ſolet. Nam, vt non noceret moderata cura quærendi per bona media, quod eſt ad id neceſſarium: ita grauiter offendit inordinata idem aſſequendi cupiditas. Quæ facilè inclinat ad quærenda etiam ſuperflua; & per media ipſo ſtatu indigna. Si enim vniuerſim & in omnibus hominibus verum eſt, quod Apoſtolus dixit: a *radicem omnium malorum eſſe cupiditatem*: quomodo non idem efficiet in Eccleſiaſticis? Præclarè id perpendit Sanct. Ambroſius in eum Apoſtoli locum, dicens: Nihil tam aſperum, tamque pernicioſum eſt, quàm ſi Eccleſiaſticus, maximè qui in ſublimi loco eſt, diuitijs huius ſæculi ſtudeat. Quia non ſolùm ſibi ipſi, ſed & cæteris obeſt, contrariam enim formam dat hominibus: neceſſe eſt enim multos imitatores eius exiſtere ad perditionem. Quantò enim honorificentior ordine eſt, tantò magis ſuadet, imitandum ſe, maximè in hac re, quæ in iſta vita procliuis eſt. Nullum enim eſt malum, quod non poſſit admittere auaritia: eſt enim omnium malorum radix, vt voti ſui compos euadat. Ex quo etiam prodeunt negotiationes in rebus profanis, contra dignitatis huius celſitudinem. Et interdum adeò creſcit, vt, teſte S. Auguſtino, etiam Simoniæ ſit radix in adminiſtratione ſanctorum Sacramentorum. Quare ſummo ſtudio oportet laruam huic hoſti deponere, & pernicioſam adeò radicem ex anima ſua euellere, comprimendo, mortificando quamcunque cupiditatem, & inordinatum affectum in ea exurgentem; & amplectendo externam paupertatem in eo gradu, quo Deus vult, vt eam teneant: vt ſit vera paupertas ſpiritus, & voluntati Diuinæ conformis: ſummas reputantes diuitias, propria ipſius ſtatus miniſteria; & cum Sanct. Auguſtino dicentes: nihil habentes, omnia, Chriſtum poſſidendo, ſimus poſſidentes: in quo omnia inueniemus.

a 1. Tim. 6 20.

Ibidem.

Serm. 37, ad Fratres tom. 10.

Ex interiori hac reformatione orietur intentio pura, & ab omni temporalis lucri reſpectu in ipſis miniſterijs expedita. Grauiſſima enim eſt auaritiæ inordinatio, ea præſtare, ob temporale ſtipendium præcipuè: quale eſt ſacrum facere, præcipuè ob eleemoſynam ſeu mercedem; accedere ad chorum ob ſolas diſtributiones; aut Canonicas horas legere ob redditus beneficij obtinendos. Rectæ enim rationi opponitur, quòd tam parui fiant miniſteria adeò ſacra, vt fiant præcipuè ob terrenos fines. Hæ ſunt querelæ Domini Dei noſtri de Sacerdotibus, & Leuitis antiquis, cùm dixit: b *Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito? non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* Atque ſi dixiſſet: quamuis Miniſtri templi mei temporale ſtipendium pro ſuo labore accipiant, vt ſe alant: nolo tamē eos officium ſuum ob finem adeò vilem præcipuè facere; ſed ſeruire mihi

Suprà.

2.

b Malach. 1. 10.

gratis, eò quòd sim, qui sum; & propter beneficia, quæ illis præsto; & bona spiritualia & æterna, quæ illis confero, & promitto. Non enim obsequia mihi placent ob tales fines præstita, & animo mercenario: ita vt, temporali illa mercede cessante, desinerent mihi seruire. Quærant primũ obsequium meum, & tanquam accessorium respicere poterunt proprium commodum, & vtilitatem. Ex quo facilè apparet lethale peccatum esse, huiusmodi munia tali intentione exequi: quando præceptum ad ea præstanda obligat. Nam, qui ordine Sacro insignitus Diuinum officium persolueret ea præcipuè intentione, vt beneficij sui redditus retineret; ita vt, hoc fine sublato, officium legere prætermitteret, lethaliter peccaret. Et si Parochus tali animo Sacramẽta administraret, cum adest grauis necessitas, quæ illum ad id obliget: etiam peccaret lethaliter. Seruiant itaque Deo Ecclesiastici in suis ministerijs gratis, si perfecti esse volunt: ostendentes, se non seruire quasi seruos, aut mercenarios; sed quasi filios Dei; & Pastores gregis, cœlestis sui Patris. Et intelligant quò magis ipsi à cupiditate expeditos se ostenderint; eò amplius Deum adfuturum ad temporales ipsorum necessitates reparandas, cum ea liberalitate, & in eo gradu, quo ad bonum ipsius animæ expedit. Et hanc existimat Sanct. Chrysostomus causam vnam fuisse, ob quam Spiritus Sanctus primis Christianis inspirauerit, vt venderent quæ haberent, & pretium ponerent ad pedes Apostolorum, vt ipsâ experientiâ discerent Diuinæ prouidentiæ studium circa illorum sustentationem; & quod in hac vita centuplum eis redderet, quam eius gratiâ & amore reliquissent. Nec propter ea, quæ dicta sunt, censendi sumus negare: licitum esse, & ordinationi Diuinæ prouidentiæ conforme, petere & accipere stipendium, quod pro more in Ecclesia datur ob Ecclesiasticorum ministeria; & fideles teneri ea illis dare, nec eos cogere ad gratis seruiendum. Nam, vt Apostolus ait: c *Qui benè præsunt Pærsbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* duplicem appellat honorem (vt explicat Sanct. Thomas) reuerentiam eis debitam ob dignitatem Sacerdotum, & Magisterij; & ob stipendium ad victum & amictum eorum necessarium; & ideò addit: d *dicit enim Scriptura: non alligabis os boui trituranti*; &: *dignus est operarius mercede sua.* e *Et quis*, inquit, *militat suis stipendiis vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? & qui spiritualia seminat non magnum est, si metat carnalia. Et qui altari deseruiunt, cum altari participant:* vt inde viuant. Hæc omnia (vt ait Apostolus) rationi & iustitiæ sunt consentanea: quamuis ipsemet, (vt altiorem sectaretur perfectionem, & cor suum ostenderet ab huiusmodi commodis expeditum) non volebat talia stipendia accipere; sed laborabat manibus suis, vt ex illo labore viueret. Alij tamen Apostoli illud accipiebant ne valdè puro ac perfecto.

Hom. 53. ad populum. Vide Lorinũ in Act. 4. 35

c 1. Tim. 5. 17.

Ibidem. d Et Deut. 25. 4 Mat. 10. 10. Luc. 10 7 e 1. Corin. 9. 7. 11.

Neque

Neque hic aliud reijcimus ac damnamus, nisi quod huiusmodi lucra temporalia tanquam præcipuum finem Ecclesiastici ministri recipiant; quasi esset aliqua negotiatio & commercium: quòd est planè Euangelica puritate valdè indignum. Propterea enim S. Hieronymus ad Nepotianum scripsit: Ne lucra sæculi in Christi quæras militia; nec plus habeas Sacerdos, quàm cùm Clericus esse cœpisti. Negotiatorem Clericum, & ex inope diuitem factum, quasi quandam pestem fuge, facilè enim suam auaritiam, prauosque mores tibi affricabit. Ignominia omnium Sacerdotum est proprijs studere diuitijs. Quæ sententia non reprobat Decimas, redditus, & stipendia Beneficiorum; sed cupiditatem diuitias ex eis congregandi. Ac propterea valdè suspecta sunt desideria, quibus moderni Ecclesiastici cupiunt, ad pinguiora beneficia & præbendas promoueri: etiamsi aliàs sufficientem habeant sustentationem. Si enim alia ratio & motiuum non adsit, quàm quòd Episcopatus, aut præbenda sit pinguior; manifestum est ambitiosi animi indicium. Et quamuis desiderium illud obtegatur prætextu maiores eleemosynas faciendi, si redditus sint ampliores: Deus tamen Dominus noster penetrabit oculis suis, an sub ouina pelle, & simplici lateat animus lupi esurientis, ad suam explendam cupiditatem.

Epist. ad Nepotian. omnia habet; sed disiunctim.

Ex Dictis sequitur tertium documentum ex doctrina Sancti Hieronymi, vt Ecclesiastici, reformatâ intentione in suis ministerijs, etiam reforment magno studio electionem mediorum, quæ adhiberi solent ad sustentationem propriam, aut patrimonij sui augmentum: ita vt ab ijs omnibus abstineant, quæ speciem habent auaritiæ & negociationis profanæ; nec vlli commercio aut occupationi sæculari dent locum in eo gradu, quo per Sacros Canones prohibentur: & quo magis ab eis recesserint; eò ipsi erunt perfectiores, poterunt que maiori cum quiete & pietate munia sua obire. Nam, vt Sacri Apostoli in quodam Canone dixerunt: nullus potest duobus Dominis benè seruire, & Christus ipse Dominus: f *Non potest is Deo seruire, & mammonæ*; ac multò minùs Deo & auaritiæ, & sacris Ministerijs, simul & negotijs profanis. Et vt S. Cyprianus notat, cùm Sacerdotibus & Clericis præcipuè loquitur Apostolus, cũ ait: g *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Dedecet enim Diuinis ministerijs manciparos, pecuniæ seruire, & negociationibus sæculi implicari. *Non sæculi* (ait S. Augustinus) *sed eorum, quæ Dei sunt, negotiatores simus.* Et cum Christus Dominus noster (vt aduertit S. Chrysostomus) *eiecit de templo negotiatores*, vt significaret, quàm procul à domo Dei tales negotiationes esse debeant, propter magnam turbationem; quam adferunt; & quòd vix absque fraudibus, prædis, alijsque iniustitijs & auaritijs exerceri possint; quantò minus volet, Ministros Catholicæ suæ Ecclesiæ, eis-

21. qu. 3. per totam. D. 86. c. Peruenit. Canno. 80. f Mat. 6. 24 Lib. 1. Epist. 9. & refert. 21. q. 3. c. Cyprianus. g 2. Tim. 2. 4. Serm. 27. Ad Fratres. Homil 38. Imperfecti. D. 8. 8. c. eiiciens. & c. quoniam ex S. Augu. in Psal. 70.

dem

dem irretiri? & cum Dauid dixerit: h *Quoniam non cognoui literaturam* (siue negotiationes) *introibo in potentias Domini*: quasi diceret: quod ignarus essem rationum & computationum, commerciorum & negotiationum, illis omissis, accessi ad potentias Domini; quia, vt S. Augustinus explicat, huiusmodi occupationes ineptum hominem reddunt ad agendum cum Deo. Æquum igitur est, Sacerdotes & Ministros Euangelicos negotiationes illas deserere: siquidem ex officio debet intrare in sancta Sanctorum, & opera Diuinæ omnipotentiæ considerare, & familiariter cum Deo suo agere, & horas Canonicas legere, fundendo orationes pro fidelibus omnibus. Et hoc nomine refert Sanct. Clemens, dictum sibi à S. Petro: multum refert, vt sine reprehensione viuas, & cum omni diligentia expedias te ab omnibus huius vitæ occupationibus: pro nemine fide iubeas, nec alicui in litibus patrocineris, nec in negotia sæcularia te ingeras. Non enim fecit te Deus iudicem causarum sæcularium, nec earum curam tibi iniunxit: ne fortè huiusmodi negotijs immersus, non possis tuis ministerijs attendere.

h Psal. 70. 15.

in eum locũ.

Epist. 1. ad Iacobum.

§. II.

VT ECCLESIASTICI ab omni cupiditate sint magis expediti, necesse est, eos virili animo mortificare inordinatum ad consanguineos & cognatos affectum: ex quo non mortificato grauissima incommoda ac difficultates oriri solent: quò eos promouere & locupletare possint. Quod testatur S. Tridentinum Concilium, agens de Episcopis, & explicans: idem de reliquis Ecclesiasticis esse intelligendum: quam maximè (inquit) potest, eos sancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia Seminarium extat, penitus deponant. Quæ autem grauiora damna esse possunt: quàm eos facere quasi hæredes suarum dignitatum; aut illis, etiamsi indignis, similes alias procurare, & quasi primogenituram in eis erigere; & vt eos locupletent, eleemosynas pauperibus denegare; adeoque anxios de eorum promotione esse, quasi proprij essent filij? Ex quo ortum habuit decantatum illud carmen:

Cum factor rerum priuauit semine Clerum:
Ad Sathanæ votum successit turba nepotum.

Cuius hic est sensus: cùm Deus prohibuisset Clericos habere vxores, & filios procreare: Sathan, vt sui voti compos euaderet, loco filiorum illis constituit nepotes: qui non minus eos impediunt, & ab officio retrahunt, quàm si essent proprij filij. Quòd si ob Dei obsequium matrimonio renuntiarunt, iurique filios procreandi: quanta stultitia est, curis nepotum & propinquorum carnalium ita sese implicare, vt eorum causa pereant? Mortificent igitur prauum huiusmodi affectum, memores eius, quod

Sess. 25. Decreto de Reform. c. 1.

Tract. 5. c. 3 ponetur tremendum exemplum

Moyses de Leuitis & Sacerdotibus antiquis dixit;a *Qui dixerunt Patri suo, & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: ignoro vos. & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.* Et in hoc sensu dixit S. Ambrosius: Cui portio Deus est, nihil debet curare, nisi Deum: nealterius impediatur necessitatis munere. Hæc enim est vera Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, & quædam alienatio charissimorum: vt suis se abneget, qui seruire Deo elegerit. Peculiari enim ratione sibi applicare debent illud Saluatoris:b *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & fratres & sorores; non potest meus esse discipulus.* Cùm igitur Sacerdotes, & Ecclesiastici singulariter profiteantur se discipulos Christi: meritò debent odisse carnis cognatos in eo gradu, quo illi sunt impedimento, quò minùs sui statûs munia & obligationes impleant. Non tamen propterea negamus, naturalem obligationem propinquis suis subueniendi; si illi egeant, & quidem multò plus, quàm ijs, qui nullo propinquitatis iure sunt ipsis coniuncti. Neque id prohibent Sacri Canones: sed id tantùm commendant, ne titulo tantùm cognationis eis de bonis Ecclesiæ prospiciant; sed titulo tantùm propinquorum pauperum: talem in hac re moderationem adhibentes, vt non velint illos locupletare cum detrimento verorum pauperum.

a Deut. 33. 9 Lib. de fuga Sæculi c. 2. Et refertur 12 q. 1. C Cui portio.

" "

" "

" b Luc. 14. 26

S. Thom 2. 2. q 33 a. 9. ex S Ambr. lib. 1. Offic. c. 30.

5

Vlterivs tamen progredi meritò debet Ecclesiasticorum perfectio: vt scilicet inordinatos etiam affectus ad corporis delitias, & ad pompas, ac mundi vanitates mortificent: eorum siquidem causa valdè solet augeri cupiditas bonorum temporalium, & prauus eorum vsus: cum scilicet ea expenduntur in splendidis conuiuijs, vestibus, domestica supellectili, stipatione plurimorum domesticorum; non Christiano, sed mundano splendore. Quod totum per Sacros Canones est prohibitum, vt inferiùs, cum agemus de Episcopis, dicemus. Sufficiet nunc id confirmare S. Bernardi grauibus, & ad rem nostram accommodatis verbis: viuat Clericus de altari; sed non superbiat, non luxurietur, non ditetur. Non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis; nec loculos inde congreget; nec in vanitate aut superfluitate dispergat, non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, sed dictum Apostoli seruet:c *Contenti simus habentes alimenta & quibus tegamur*; non quibus lasciuiamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis assimulasri; aut mundanis placere studeamus. Quod totum parit cupiditas, eiusque soror ambitio mundana; neque sic honore, sed ignominia afficiunt suam dignitatem; reddentes se filijs huius sæculi similes: ideoque locum in illis habet quod scriptum est:d *Erit sicut populus sic Sacerdos*: Quia Sacerdotes degenerant ad vitia miseri populi; is verò malum exemplum accipit à Sacerdotibus. Studeant itaque Ecclesiastici (vt ait S. Augustinus) si perfecti esse

Tract. 7. c. 14. In Declamat. super id: Ecce nos reliquimus omnia. Columna 7 c. 1. Tim 6. 8 Epist. 2. ad Falconem. & 42. ad Henri Archiep. d Osee 4. 9. Serm. 32. ad Fratr. D. 47 e Episcopus & Trident Sess. 25. c. 1 de Reforma

esse volunt, gerere se tanquam pauperes, etiam si sint diuites; paucis contenti in propias expensas, quo-ad victum, vestitum, domesticam supellectilem, & numerum famulorum: abscindentes quod superfluum est, & feliciores seipsos iudicantes, quò poterunt paucioribus vitam suam ducere: vt plura supersint pauperibus distribuenda.

ET HOC vltimum est in quo debent Ecclesiastici eminere: coniungentes paupertatem spiritus cum virtute liberalitatis & misericordiæ, ad reparandas pauperum necessitates: expendentes in hoc, quicquid ipsis supereſt ex suis patrimonijs & redditibus, & nominatim Ecclesiasticis: qui non ipsorum sed pauperum sunt, exceptis ijs quæ ad suam domum & familiam sunt necessaria; aut illud onus habent adiunctum, & arctiorem coniunctam charitatem, quam diuites sæculares, ad profusiores faciendas eleemosynas ex superfluis. Quod si non faciant, censebuntur infideles esse Christo Domino nostro, eiusque Ecclesiæ contra fidelitatem, quam seruare tenentur; & confidentiam de eis conceptam, cùm huiusmodi redditus eis traderentur; & committeretur vt egentium essent protectores. Existiment: e *beatius esse, iuxta verbum Domini, dare quàm accipere*; & f *quod gratis acceperunt gratis esse dandum.* Gratis enim beneficia acceperunt, & copiosos adeò redditus & eleemosynas, quas fideles Ecclesiæ sunt largiti: reddant igitur liberaliter & gratis, quod ipsis supereſt, pauperibus: si enim: g *dederint, etiam ipsis dabitur; & qua mensura mensi fuerint, remetietur eis.* Si Sanct. Basilius, S. Ambrosius & alij S. Patres valdè seuerè commendant diuitibus sæcularibus, vt ex omnibus sibi superfluis eleemosynas indigentibus largiantur: quantò maiori seueritate id præstare debent Ecclesiastici? Fidelibus omnibus commendat Sanct. Augustinus, vt Decimas Ecclesiæ soluant; alioqui fore reos coram Deo, propter damna quæ pauperes patientur in magnis suis necessitatibus. Supponit enim: Clericos debere eleemosynas facere ex Decimis. Additque: vt ex nouem illis partibus fructuum illis remanentium, & expensis moderatis ad vitam ducendam, quod supererit, reponant per eleemosynam in thesauris cœlestibus: quantò igitur magis id committet Ecclesiæ Ministris, qui in eum finem suos accipiunt redditus? Ideoque concludit: quidquid nobis Deus, plus quàm opus est, dederit: non nobis specialiter dedit; sed per nos alijs erogandum transmisit. Quod si non dederimus, res alienas inuasimus. Quia non sumus fideles Domino, ea nobis largiēti. Meminerint Ecclesiastici, illius h *Samaritani, qui incidit* in pauperem illum à *latronibus despoliatū & semiuiuum relictum, qui misericordia motus alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum, duxitque in stabulum, & ex* pecunia, quam habuit, *dedit stabulario, vt curam illius haberet*, ac promisit: *quodcunq; supererogaretur, se in reditu redditurū.* Ex quo facto meritò pudorem concipere debuerūt Sacerdos & Leuita, vtpotę crudeles erga eūdem pauperē; nam transeuntes pro-

pē eum

e Act. 20. 35
f Mat. 10. 8
g Luc. 6. 38
Serm. ad diuites anaros in Luca c. 1
Serm. 80. D refertur 47. c. Sicut Ser. 219. de tēp. tomo 10
S. Tho 2. 2. q. 23. art. 5.
h Luc. 10. 33

pè eũ, nullã eius curã gesserũt. Vt ex hoc Sacerdotes ac Leuitæ nouæ legis, cæterique Ecclesiastici intelligant: debere se misericordiæ viscera induere erga pauperes; & ex pane, vinoque, quod domi suæ habent, & nummis sibi residuis subuenire debere fami, & aliis pauperum necessitatibus; & infirmis indigentibus prospicere. Id quod nominatim incumbit illis, qui curã habent spiritualibus necessitatibus prospiciendi. Ad quas reparãdas viam præparant si temporalibus necessitatibus subueniant.

Hæc sex sunt præcipua, in quib. debent Ecclesiastici eminere, circa bona temporalia, quæ habent: quæ tamen eadem fusiùs confirmabimus tractatu septimo, dum ea addemus, quæ ad Episcopos & Prælatos spectant.

CAPVT X.

CASTITAS PERPETVA ANNEXA EST ORDINI SAcro, & Statui Sacerdotali propter eius Ministeria: quæ ad eam conseruandam multùm conferunt.

TAnta Est Sacri Ordinis, Et Statvs Sacerdotalis speciatim excellẽtia, vt Deus Dominus noster noluerit eum esse solum, sed bene stipatũ. Quamuis autẽ noluerit eos, qui in illo sunt Statu, obligare vt statui Religioso sese manciparẽt, vt prædictũ est: (voluit enim imbecillitati humanæ sese accommodare) non voluit tamen eosdem addicere se statui coniugali; qui, etsi bonus sit, est tamen imperfectus; sed statui continentiæ, qui Angelicus est, ac Diuinus, vt tractatu secundo tomi tertij est dictum: quem vt exaltaret, voluit voto castitatis adeò solenni confirmari: vt, qui in eo statu sunt, eo ipso reddantur inhabiles, & inepti ad Statum matrimonij. Cùm enim Sacerdotalis ipsa dignitas ita sit perpetua, vt sit impossibile, eam ex anima euellere: ideò expediebat, vt etiam continentia esset perpetua. Et hi duo status adeò proprij Legis Euangelicæ, tanquam duo germani fratres coniungerentur. Vt enim ipse Christus Dominus dixit: a *non mittitur vinum nouum in vtres veteres, qui facilè rumpuntur, & vinum effunditur; sed vinum nouum in vtres nouos mittitur, & ambo conseruantur.* Quare noua Sacerdotij Euangelici dignitas, quæ musti instar semper feruentis, nouam quandam & feruentem exigit vitam: non debuit cum antiquo & veteri matrimonij Statu coniungi, qui per multas partes rumpitur, & in multas curas distrahitur; sed cum nouo Statu continentiæ, quæ ad eum vitæ feruorem conseruandum plurimum conferet. De Sacerdotibus Aegyptijs dicit S. Hieronymus, quod postquam Deorum suorum seruitio sese mancipabant, viuebant in templo cum magna continentia: ad quam perfectiùs conseruandam, abstinebant à carne & vino; erantque valde temperati: iudicantes, Statum Sacerdotalem non

a Mat 9. 17

ib. 1. aduersus Iouinia

debere familiaritate cum fœminis, aut bonorum temporalium curis maculari. Quantò igitur magis Euangelici Sacerdotes debent ab huiusmodi oneribus esse liberi, ac expediti? siquidem proprium onus sufficit pro humeris Angelorum: ac proinde magis sufficit humeris humanis. *Graue est pondus Sacerdotii*, ait S. Gregorius: & plurimùm præstiterit, qui solus illud portauerit absque onere matrimonij, quod per seipsum est importabile, & ægerrimè potest cum altero sustineri. Et quamuis ipse continentiæ status sit grauis, propter pugnam, quam caro contra spiritum gerit: ipsum tamen Sacerdotium plurimis auxilijs & viribus, quas à Deo accipit, illud leue reddet ac suaue. Et huic veritati innititur S. Concilij Tridentini Decretum aduersùs hæreticos huius temporis, quo approbat Ecclesiæ Romanæ morem antiquissimum à tempore Apostolorum, ex quorum traditione (vt constat ex ijs quæ Gratianus in Decreto refert) introductum est, vt Episcopi, Sacerdotes, & qui ordine Sacro sunt insigniti, perpetuam seruent continentiam. Nam si in primæua Ecclesia ob defectum Ministrorum eligebantur ad hos status aliqui coniugati: illi ab eo tempore perpetuam seruabant castitatem: quòd si cohabitabant, erant quasi germani fratres. Vt plurimùm tamen, vt ait S. Epiphanius, eligebantur ex statu virginum; aut vitam ducentium solitariam & eremiticam; aut certè qui coniugati non essent: quo securior esset continentia, quæ valde necessaria erat ad Statum Sacerdotalem, vt eius ministeria rectè exercerentur.

Lib 2. Epist. c. 39.

Sess. 24. c. 9 Dist. 27 & 28 Canisius de Sacro matrimonio q. 5. Bellarm. lib. 1 de Clericis c. 19. Heres 59. & in compendiaria vera doctrina.

§. I.

1. PRIMVM valde repugnat matrimoniũ præcipuo Sacerdotij Ministerio, quo offertur Deo purissimum corporis & sanguinis immaculati agni Sacrificium; fitq; particeps preciosissimi cibi, & potus qui sub speciebus panis & vini offertur. Quare tam propter ipsam oblationem, quàm propter cibum, qui esse debet panis quotidianus, necessaria est continentia. Si enim antiquæ legis Sacerdotes, vt perpendit Origines, quo die ministeria sua exercebant, aberant à domo sua, & separabantur ab vxoribus, vt continentiam seruarent: vt apparet in a *Zacharia* S. Ioannis Baptistæ Patre: multò magis erit rationi consentaneum, vt legis Nouæ Sacerdotes sint semper continentes, & nuptijs omnino renuntient. Eorum enim ministerium non per sortes, aut familias est distributum, sed omnes sunt semper dedicati ad continuum & quotidianum castissimæ Christi Domini Nostri carnis sacrificium offerendum.

Homil. 23 in Numer. & Beda in Lucam. a Luc. 1. 23.

2 NOLVIT b *Achimelech Sacerdos Dauidi eiusq; Sociis dare panes Propositionis*, donec intellexit, eos *continuisse se* à proprijs vxoribus. Quantò igitur magis (ait S. Hieronymus) perpetuam hanc mundiciem, & continentiam habere debent sumentes panem vitæ, qui illos alios æquè excedit, atque

b 1 Reg. 21. 4 1 [illegible] Epist. ad Titum.

corpus

corpus vmbram,& veritas ſuam figuram? Non eſt Chriſti Domini noſtri Sacerdotium ſecundùm ordinem Aaron,quod communicabatur per ſucceſſionem à parentibus ad filios:ac propterea omnes erant coniugati; ſed eſt ſecundùm ordinem c *Melchiſedech Sacerdotis Dei Altiſſimi,qui ei offerebat Panem & vinum*:de quo dixit Apoſtolus,(vt ſupra retulimus) quòd fuerit *ſine Patre,ſine matre,& ſine genealogia*: & eadem ratione dicere licet, neque vxorem habuiſſe, neque filios. Et S. Ignatius Martyr ait, eum fuiſſe virginem? ad ſignificandum filium Dei, quem ille referebat; & Sacerdotes Nouæ eius Legis adeo expeditos futuros à proſapia & genealogia carnali, vt vitam ſuam ita ducerent, quaſi nihil tale haberent. Quod ſi priùs coniugati fuiſſent, deberet in eis (vt S. Leo Papa perpendit) locum habere, quod dixit Apoſtolus: d *Qui habent vxores, quaſi non habentes ſint*:& ita exactè Caſtitatem ſeruent, quaſi nullæ fœminæ in mundo pro illis eſſent, habentes cor ſuum & omnem affectum valde ab eis auulſum.

3

c Heb.7.3.

Epiſt.ad Philadel.

Deut.33.9. Epiſt.84.ad Anaſtaſium Epiſc.c.4. d 1.Cor.29.

Sacerdotes, (ait Innocentius ſecundus Pontifex)cùm ſint tẽplum, & vaſa Domini;& ſacrarium Spiritus Sancti debeant eſſe ac dici,indignum eſt eos cubilibus & immunditijs etiam in matrimonio deſeruire. Templũ Dei purum eſſe debet ac Sanctum, ita vt in eo nulla ſit macula. Et quemadmodũ Apoſtolus oẽs monet fideles,vt cum e *corpora eorũ mẽbra ſint Chriſti,& templum Spiritus Sancti,ne ea faciant membra meretricis; nam qui adhæret meretrici,vnum corpus efficitur*:ita dicere poſſumus Sacerdotibus, quòd, cùm per excellentiam habeant eſſe templum viuum, in quo ipſemet Chriſtus quotidie corporaliter habitet,tanta puritate ornatos eſſe decet:vt cum nulla fœmina vnum corpus efficiantur : neque rationi conſonum eſt, diuiſos eſſe eos, qui omnino & plenè Saluatoris obſequio ſeſe addixerunt, Non debent templa prophanis vſibus occupari:nec permiſit ipſe redemptor noſter f *vendi in templo etiam animalia*,quæ in Sacrificijs offerebantur; ſed voluit illa exteriùs vendi: ſola verò Sacrificia in templo offerri. Multò igitur minus viua Chriſti templa & Sacerdotes, qui viuum cæleſtis eius corporis Sacrificium offerunt,infici debent aliqua macula terrena; vel alligare ſe alicui creaturæ, quæ ipſos diuidat à creatore. Leuitis dixit Iſaias: g *pollutum nolite tangere: mundamini qui fertis vaſa Domini.* Si igitur qui Sanctuarij vaſa portat, mundus eſſe debet: quantò magis mundum eſſe decet portantem vas reliquiarum, in quo Sanctus Sanctorum ponitur, eumque ab vno in alterum locum portat, ad communicandum ſanos & infirmos? Non ſufficit quæuis puritas ad opus adeò grande:plus enim puritatis meritò exigitur à Sacerdote, quàm à plebe. Et quid intereſſet, ait S.Ambroſius,inter Sacerdotem Dei & communem plebem,ſi eadem matrimonij lege omnes tenerentur?Debet præponderare vita Sacerdotis, ſicut præponderat gratia: ne fortè aliàs tangat illum imprecatio illa Oſeæ

4

" vide Ca. " niſiũ c. de Sacram. matrim. q.5 e1. Cor.6.15

f Ioan.2.15.

g Iſa.52.11.

5

Epiſt.82. ad Vercell. Eccleſ.

Prophetæ: h *Et erit sicut populus, sic Sacerdos*. Tunc (ait S. Gregorius) Sacerdos est sicut populus, quando eius vitæ ratio non præstat, aut excellit ordinariam vulgi occupationem. Quod eueniret, si vxorem haberet: nam tùnc sicut reliquus populus, ita & ipse viueret.

h Hom. 17. in Euangel. & 2. pastoral. c. 7.

Ex eisdem rationibus deducere licet, quanta Sacerdotes habeant auxilia, ad Castitatem, quam profitentur, conseruandam. Nam admirando quodam modo, castitatis puritas disponit ad frequentandum Sacrum Sacrificium, & communionem; & hæc frequentia castitatem ipsam conseruat, ac perficit: cum enim Christus Dominus noster Sacramentaliter, & spiritualiter animæ Sacerdotis coniungitur: adeò illam accipit in suam, vt horrorem quendam illi adferat, alicui creaturæ se coniungere. Quemadmodum enim per Sacerdotij Sacramentum, specialem ei gratiam largitur, ad hoc Sacrificium dignè offerendum: ita eodem ipso Sacrificio, quod offert, eandem gratiam sensim conseruat, & auget: vt ipsa eius dignitas, & puritas etiam magis crescat. Quare Malachias Propheta per excellentiam vocat eam: i *oblationem mundam*. Non solùm ob summam mundiciem, quam ipsa oblatio in se habet; sed propter eam etiam, quam offerenti vt oportet, confert. Reddit Dominus noster fideliter præmium eius, quod pro ipsius amore fit; valdeque liberalem se ostendit in eos, qui in eius seruitio sunt liberales: cumque Sacerdotes liberaliter ei offerant votum castitatis, quò maiori cum puritate diuinum hoc sacrificium ei offerant: prompta & parata vt dicitur, solutione ipsomet Sacrificio ei soluit: conseruans ac perficiens eorum votum: vt illud maiori cum iucunditate impleant, suique ministerij fructibus maiori cum abundantia fruantur. Quòd si qui versatur cum ijs, qui castè viuunt, fit castus, eorum exemplo edoctus: quomodo non castus euadet, qui quotidie cum castissimo Iesu versatur, & castissimam agni huius carnem sumit? cuius virtus est omnipotens, ad castificandum eum, qui ipsi coniungitur. Nec sine causa Zacharias Propheta, loquens de hoc Sacramento sub speciebus vini, illud appellat k *vinum germinans virgines*. Quamuis enim etiam in specie panis (sub qua omnes Laici Christum suscipiunt, quia reuera sub illa integer Christus continetur) etiam generet virgines: id tamen tribuitur speciebus vini, quas soli sacerdotes suscipiunt: quia hos peculiariter inebriat vino amoris cœlestis; & purificat à carnali.

Malach. 3. 11.

k Zach 9. 17

§. II.

SECVNDVM Sacerdotum ministerium proprium est, orare semper pro se & pro peccatis populi. Quod implent tum in Sacro Missæ, eiusque orationibus; tum in officio Diuino, quod septies in die peragunt,

distri-

distributum in septem horas Canonicas: ac denique oratione ac meditatione priuata & recollecta, quæ plurimùm confert, vt & ipsum Sacrum, & officium Diuinum exactè & cum spiritu peragantur. Ad quæ omnia valdè fuit necessarium, vt perpetuo Castitatis & continentiæ voto se obstringerent. Si enim Apostolus a *coniugatis* suadet, vt *ex* mutuo *consensu ad tempus sese contineant, vt vacent orationi*: necesse est (vt ait Sanct. Hieronymus) Sacerdotes semper esse b *continentes:* Sacerdoti, inquit, cui semper pro populo offerenda sunt Sacrificia, semper orandum est: ergo semper carendum est matrimonio: cum curis enim & laboribus coniugatorum (propter quos Apostolus indicat, hominem esse diuisum) non poterunt huic obligationi satisfacere. Constat Deum, cùm descendere vellet ad loquendum cum populo Israel, iussisse, vt c *vestimenta sua lauarent, & non appropinquarent vxoribus suis.* Quantò igitur magis (ait Sanct. Ambrosius) necessarium erit, mundum esse spiritum, & lotum corpus, ad agendum cum Deo, & ita frequenter colloquendum, cùm supremum hoc Sacrificium ei offertur? Quod si Dominus noster (ait Origenes) iubebat Sacerdotes antiquos offerre ipsi quotidie manè & vesperi Sacrificium agnorum, quod significabat Sacrificium agni immaculati; & continuum incensum, quod est figura continuæ orationis, de qua dixit Dauid: d *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum Sacrificium vespertinum*: Satis clarè apparet: Sacerdotes nouæ legis, nisi voto castitatis se obstringant; non posse dignè offerre quotidie hæc duo Sacrificia. Sacerdos quidam Athenienſium, nomine Hierophantes adhibebat herbas & vnctiones, ad carnis insultus reprimendos, vt solennes falsorum suorum Deorum cæremonias castus & mundus exerceret: At Sacerdotes Christi non indigent alijs herbis, nec vnctionibus, quàm Dei amore, vnctione deuotionis, vitæ æternæ promissione, & magna sui ministerij æstimatione, ad puritatem conseruandam: quam eorum status exigit.

De Moyse ait Sanctus Epiphanius, quod postquam Prophetæ officium fuit auspicatus, non ampliùs accessit ad suam vxorem, nec genuit ampliùs filios. *Habebat enim vitam Domino vacantem.* Et quomodo potuisset tot diebus ac noctibus in monte Sina consistere; & spatio tot annorum semper esse paratus ad loquendum, & familiariter cum Deo agendum, suoque Sacerdotio & mysteriorum, quæ discebat, declarationi attendendum, si sui coniugij operibus & necessitatibus fuisset occupatus? Qui debet cum Deo frequenter agere, (ait S. Dionysius) debet esse *similimus Deo*: quisque enim cum sibi simili agere gaudet: & virginitas, vt supra diximus, eleuat homines ad perfectam in carne & spiritu similitudinem cum Deo: ac proinde debet esse propria Sacerdotum: quorum professio est familiariter agere cum Deo Domino suo.

a 1. Cor. 7. 5

1
b Titi. c. 8. Lib. 1. contra Iouinia. S. Epipha. Hæresi 59. D. 21. c. Sacerdotibus ex Beda.

2
c Exo. 19. 14. Lib. 1. Offic. c 20. Homil. 23. in Num.

3
d Psa. 140. 2

4
Idem in lib. 7. in Celsum de Herba cicuta.

Hæresi 78.

Epist. 8.

SACERDOTES (ait S. Augustinus) referunt Christi personam, cuius vices gerunt in terra, ad orandum & sacrificandum pro peccatis populi: ac proinde mundiores ac puriores esse debent cæteris hominibus, vulgari enim homini non est indecens vestis attrita, aut non satis munda: nullus autem ad ministrandum Imperatori accedit, nisi in habitu precioso, ac mundo. Cùm igitur Deus sit ipsa mundicies, & puritas: par est eius Ministros puros esse ac mundos in animo & corpore: quæ mundicies plurimùm illi placet. Ac propterea dixit Ecclesiastes, vt suprà retulimus: vt e *Omni tempore* eorum *vestimenta essent candida*: per candorem autem intelligi perpetuam castitatem, declarant S. Hieronymus & S. Ambrosius.

5 *In quæstionib. Minorib. c. vlt. ad fi.*

e *Eccles. 9. 8 Lib. 1. contra Iouinia In exhort. ad Virg.*

DENIQVE inter sensuum voluptates nullum spiritum magis fœdat, & inficiunt, quàm voluptates carnis: ac propterea valde conuenit, Sacerdotes ab eis abstinere, & coniugijs renuntiare: vt spiritus expeditus maneat, & excitatus in agendo cum Deo, & in reliquis officij sui occupationibus. Ad hoc ipsum autem non parum eis confert Sacerdotium, & gratia quam illud communicat; & præsentia ipsius Domini, quem in Sacrificio offerunt; qui eos docet, & impellit ad orandum, vt oportet. Castitas remouet illis orationis occupationes; & ipsa oratio illos animat, ad seruandam Castitatem; & si ipsi Sacerdotes feruenter se quotidie munirent duplicibus his armis, Missæ & Orationis: illæ solæ sufficerent ad Castitatem ab horrendis suis hostibus propugnandam; & quasi duæ alæ à terra eos ad cœlum eleuarent: vt f *in carne ambulantes non secundùm carnem militent*: sed eam feruore spiritus strenuè mortificent. Magnam huius rei fidem facient nobis duo sancti Episcopi, de quibus refert Sanct. Gregorius Turonensis, quod cum essent in matrimonio electi ad Episcopatum, statim se ab vxoribus separauerint; & continentiam iuxta sacros Canones, & illius temporis consuetudinem professi fuerint. Alter, qui vocabatur Simplicius, viuebat in eadem domo & eodem cubiculo cum coniuge, tanquam cum sua sorore. Cumque populus inciperet murmurare, omnibus impossibile existimantibus, vt ita simul manentes castitatem seruarent; & g *igne in sinu abscondito vestimenta non arderent*: Sancta mulier, suæ & Sanct. Episcopi puritatis bene conscia, sed anxia valde ob ea, quæ spargi audiebat, cùm esset quadam die in Ecclesia, in præsentia totius populi accipit ex prunario, quod propter frigus ibi ardebat, aliquot accensas prunas nuda manu: in qua per integram horam illas illæsa retinuit; & statim accessit ad ipsum Episcopum, dicens: accipe Domine ignem hunc mollem in signum, quod luxuriæ ignis in nobis sit extinctus. Quo facto omnes obstupuerunt illud prodigium; & crediderunt puritatem, quam per illud Deus aperuerat. Alter Episcopus appellabatur Felix: cumque eius socia & coniunx grauiter ferret illam à se separationem, eò quòd nec ad suum cubiculum illam

f *2. Cor. 10 3*

g *Prou. 6. 27*

admitteret:

admitteret: suspicari cœpit, se ab illo odio haberi; ac ita deseri, vt alteri alicui coniungeretur. Ex qua suspicione accessit occultè ad cubiculũ, in quo S. Episcopus dormiebat: vt, quid ille ageret, obseruaret: & per rimulam vidit agnum immensi splendoris dormientem iacere in sinu viri dormientis in suo lecto: quæ glorioso adeò aspectu obstupefacta, omnem deposuit suspicionem; & intellexit, quàm exactè Deus seruet verbum suum manendi semper cum seruis suis, præcipuè si casti illi sint; conseruans præsentia sua illorum puritatem, & candorem quem ipsi obtulerunt.

§. III.

Tertivm Sacerdotum ministerium est filios spirituales Deo gignere per ministeria confessionis & prædicationis, & ipsam Ecclesiam gubernare. Ad quod valde necessaria erat perpetua continẽtia; & omnino carnales nuptias auersari: quæ non benè conueniunt cùm spiritualibus, quarum fructus sunt horum filiorum generatio & educatio, coniungente se anima Sacerdotis eum sponso suo Iesu Christo; cuius virtute conuertunt animas, eisque & Esse & vitam gratiæ communicant: & ob eam causam valde expediebat, eos liberos & expeditos esse à cura vxoris & carnalium filiorum; vt liberè sequi possent agnum quocunque iret; & quocunque ille eos ducere vellet: conculcantes proprias commoditates, vt proximis benefacerent. Quod non possunt bene facere coniugati, cùm de quodam legamus, quod inuitatus ad cœnam magnam, quam Deus præparauerat, non solùm rogauerit, vt excusatum se haberet, quod alij eius socij fecerant; sed impossibilitatem veniendi adduxit, dicens: a *Vxorem duxi, & ideò non possum venire*: amor enim vxoris ita illum alligauerat, vt nullas ei vires, & facultatem reliquerit sese expediendi, & accedendi ad cœnam. Qui igitur ab his vinculis exsoluere se non poterat, vt iret ad illud conuiuium, ex quo tantum commodum & vtilitatem accepisset: quomodo soluere se potuisset, vt alios vocaret; &, vt irent, exstimularet: alienis scilicet curis seipsum onerando, & tanquam proprias accipiendo. a Luc. 14.20

Erat præterea magni momenti duas has Respublicas, Ecclesiasticam & sęcularem ita diuisas esse, vt quælibet ijs attenderet, quæ ad proprium Statum pertinerent. Sæcularis cùm Sacramento matrimonij attenderet nutriendis filijs in esse naturali, quo ipsam Ecclesiam augerent; Ecclesiastica autem cum Ordinis Sacramento attenderet enutriendis filijs in esse spirituali, vt sint eiusdem Ecclesiæ viua membra. Sæcularem necesse est multis culpis esse implicatam, ob iniurias multas in Regem cœlestem quibus eum ad iram & vindictam prouocat; Ecclesiastica autem in id tantùm attendit, vt Sęcularem Deo reconciliet, culpasq; eius auferat: quę illius iræ sunt causa. Propterea enim dixit Dominus per Oseam: b *peccata populi mei comę-* b Ose. 4. 8.

Ribera ibi.

mei comedent. Quemadmodum enim qui cibum sumit, illum consumit ac dissoluit: ita sacerdotes (ait S. Alexander Papa & Martyr) ratione officij sui consumere ac dissoluere debent peccata populi: ac proinde expedit eos non esse partem eius; sed vitam habere puriorem & excelsiorem, quàm illi: alioqui volentes comedere peccata populi, vt ea consumant; comedent potiùs, vt ait S. Gregorius, detestando alio modo, vt illa in propria viscera traijciant, & fiant eorum participes: & tunc eueniet quod Propheta addit; *Sicut populus sic Sacerdos.* Sunt enim moribus similes illis: quia mutuò comedunt & bibunt aliorum peccata. Ad remouendas igitur tantæ inordinationis occasiones, & causas; attendat populus coniugijs suis, & temporalibus negotijs; Sacerdos autem sit ab vtrisque expeditus, vt possit proprijs ministerijs attendere.

Epist. 2. refertur 1. q. 1. c. Ipsi Sacerdotes. Homil. 17 in Euangelia & 2. p. Pastor. c. 7. Bernardus serm. 77 in Cant.

CAPVT XI.

QVAM ARCTE TENEANTVR SACERDOTES CASTITATEM exactè custodire; & quàm sint grauia peccata eorum contra illam; & quales pœnæ, nisi lapsi resurgant.

a

VNICVLVS QVIDEM TRIPLEX, QVI DIFFICILE RVMPITVR, Sacerdotes cum virtute castitatis colligat, præceptum scilicet naturale non fornicandi, quod est omnibus hominibus commune; solenne castitatis votum, in quo conueniunt cum Religiosis; & celsitudo ipsius dignitatis Sacerdotalis, & ministeriorum, quæ illi obeunt: quæ dignitas clamat, exoptans corporis, & animæ mundiciem, fitque illi grauis iniuria, si turpi adeò culpa, & horrendo sacrilegio defædetur. Quilibet horum funiculorum sufficere deberet, vt eo ligata castitas, tuta esset ac secura: cum igitur omnes tres coniungantur, quis audebit manus suas admouere, vt frangere tentet, conculcando triplicem hanc obligationem? Adeò tamen est debilis & praua nostræ carnis inclinatio & propensio, tantus que astus & rabies Dæmonis, vt facilè quilibet funiculus rumpatur, nisi spiritus noster Dei gratia & auxilio præueniatur, adhibita ex parte nostra summa diligentia, ac vigilantia in custodiēdis Regulis ac monitis superiùs in tractatu de continentia positis: quæ valde propriè respiciunt Sacerdotes, & Ecclesiasticos, vt ibidem fuit dictum. Nec mysterio vacat ad rem nostram, quod Dominus noster iusserit, Sacerdotes antiquos tempore sacrificij *braccas tunicas lineas*, quæ tegerent totum corpus, vsque ad pedes: quas aliqui Doctores existimant tali arte fuisse contextas, vt apparerent figuræ mul-

a Eccles. 4. 12.

Tom. 3. tract. 2.

b Exod. 28. 39. Vatablus & alij quos refert. & sequitur Vegas in c. 14. Apoc. Sect. 2. licet Ribera lib. 3. c. 7. non probet.

tæ o-

tę oculorum. Que tunica (vt ait Beda) significabat castitatem & puritatem, quá Sacerdotes debent in omnibus suis ministeriis & actionibus magna cũ perseuerantia vsque ad vitæ finem seruare. Indigent tamen mille oculis ad hanc custodiam, eò quòd mille vijs impugnetur & interdum in ipsismet ministerijs struit Sathanas laqueos ipsis confessarijs, & alijs, qui iuuandæ & promouendæ animarũ saluti student, vt dicetur cùm de eis agemus. Et quamuis continentia ex seipsa videatur tunica angusta, & aspera ipsi carni; necesse tamen est, eam adhuc amplius constringere aliquo abstinentiiæ, ac pœnitentiæ corporalis exercitio, & cautela attentiori, quàm sit ordinaria: nam etiam hoc totum videbitur modicum, si respiciamus ad puritatem Statûs eorum, & vt à tanto periculo liberentur. *Tract. 3 c. 8*

§. I.

PLVRIMVM ad hoc conferet, quòd Sacerdotes exactè agnoscant malitiam & fœditatem huiusmodi peccatorum. *Inprimis* enim si ipsius matrimonij vsus, qui ex se Sanctus est, adeò obfuscat Sacerdotij puritatem, vt Ecclesia voluerit illa esse separata, vt prædictum est: quantò magis (ait S. Augustinus) deturpabit vitium fornicationis; & quodcunque aliud carnale peccatum, quod adeò grauiter Dei Maiestatem offendit? Et, si Apostolus adeò fœdum reputabat hoc vitium in Sæcularibus hominibus, vt eis diceret: a *nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollentes ergo membra Christi, facietis membra meretricis? absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur?* Quantò igitur detestabilior erit SACERDOTIS improbitas: qui cùm sit pars & membrum adeò præclarum CHRISTI, sese vili adeò & fœtido cœno coniungit? Quod si adeo est graue Sacrilegium, & spirituale adulterium transgredi votum castitatis; etiamsi, qui illud frangit, sit sæcularis, vt suo loco est dictum: quid erit in Sacerdote speciali consecratione mancipato, obsequio Diuino? Si grauissimum est Sacrileginm, templum Dei violare perpetrando hoc peccaum in loco Sacro: quantò erit grauius, cùm, qui illud admittit, consecratus est, viuumque Dei templum; in quod quotidie Deus ingreditur; & ipse eum in suis accipit manibus, ore exosculatur, & in suum pectus immittit? O Sacerdos (ait S. Hieronymus) dic quisquis fueris: quando Sacramentum sumis; qualiter cum ijs labijs filium Dei oscularis: quibus osculatus es labia meretricis? O Iuda, filium hominis osculo tradis? hic illum tradidit in manus crudelium hostium; vt eum calcarent, & cruci affigerent: tu autem eundem tradis peccatis carnalibus, immanioribus eius hostibus, quàm illi fuerint; & tu ipse eum calcas & crucifigis.

1

Serm. 17. ad Fratres.

2

1. Cor. 6. 15

3

4

Epist. ad Sacerdotes.

Inte (ait S. Chrysostomus) diriguntur horrendæ illæ minæ Apostoli dicentis: *Hom. 20.*

dicentis: b *Quantò deteriora supplicia promerebitur, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem tastamenti pollutum duxerit*, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit, cuius gratia ibi erat communicanda? Tu autem, ô miser & infelix, es, qui carnis tuæ voluptatibus ita irreuerenter Dei Filium, eiusque pretiosissimum sanguinem tractas, quasi illum conculcares ac pollueres: quamobrem horrendis suppliciis dignum te facis. Eleuas sacram hostiam, in qua filij Dei cælo existit, vt ab aliis adoretur: tu verò illam conculcas? Eleuas Calicem preciosissimi sanguinis, vt omnes eum venerentur: & tu eundem contemnis? Tu præbes plebi spiritum gratiæ per Sacramenta: & tu contumeliam ei facis? Audi quid idē b *Dominus dixerit*, conquerens de hac iniuria: *ad vos, O Sacerdotes: qui despicitis nomē meū, & dixistis: in quo despeximus nomē tuū? offertis super altare meum panē pollutū, & dicitis: in quo polluimus te?* Nō polluitur ipsum sacrificium, nec panis Sanctus in se, etiamsi Sacerdos improbus & pollutus sit, qui illum offert; sed (vt S. Hieronymus ait) quantum in se est, illum polluit & profanat, quatenus eum cū sordibus & immundiciis suis coniungit. Sed nunquid talis temeritas impunita manebit? Si iubebat Deus: c *Sacerdotis filiā deprehensā in stupro, violasse nomē Patris sui, flāmis exuri*: quantò magis (ait S. Chrysostomus) similē pœnā promerebitur Sacerdos in eandem lapsus culpam: qui magis violat, & maiori ignominia afficit Sacerdotalem dignitatem; quàm filia eius eam afficeret? Quamuis autem talis Sacerdos in hac vita flammis non exuratur: exuretur procul dubio flammis inferni, nisi pœnitentiam fecerit tempestiuè. Nec in hac quidem vita deerit seuera punitio, vt apparet in sceleratis illis Sacerdotibus filijs Heli: d *qui dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi*: propter quod, & alia eorum scelera, talia supplicia minatus eis est, vt *quicunque ea audiret, tinnirent ambæ aures eius*. Sed ne silentio prætereamus aliud peccatum gulæ, quod voluptates carnis improborum illorum Sacerdotum comitabatur. Eorum enim *puer*, ipsis iubentibus, *nolebat accipere carnes coctas* animalium quæ offerebantur in Sacrificiis, *sed vi crudas accipiebat*, vt eas ad palatum Dominorum suorum *coqueret*, & condiret. Quis autem est hic carnalis Sacerdotis puer, nisi amor proprius, & inordinatus sensuum appetitus? qui anuente libera voluntate, quærit cibos sibi aliàs non debitos: quos iuxtà suum palatum præparat, etiam conculcato Dei gustu & palato: vt suum expleat. ex qua gula gradum sib facit ad luxuriam, violans suam dignitatem vili adeò, infamique comite. Iure optimo talibus Sacerdotibus obiici potest illud Apostoli: e *non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: nec potestis mensæ Domini participes esse & mensæ Dæmoniorum*. & quodnam maius esse potest scelus, quàm accumbere quotidie mensæ Christi, & purissimam eius carnem comedere, ac pre-

b Hebr. 10. 29.
c c
c c
5
b Malach. 1. 7
Ibidem.
6
c Leuiti. 21. 9.
Lib. 6. de Sacerdotio.
7
d 1. Reg. 2. 22.
8
versu. 13.
e 1. Cor. 10. 20.

ciosissi-

cioſiſimi calicis ſanguinem bibere: & ſimul aſsidere menſæ Dæmoniorum, eiuſque calicem haurire, ſectando gulam, & ebrietatem & luxuriam infamem? Oportet (inquit S Auguſtinus ſuis præsbyteris) manum mundam eſſe, quæ polluti vaſis maculas debet purgare: ne polluta, deteriùs poſsit coinquinare, cùm ſordida ſordidum tractat. Propterea Sacerdotes Altiſſimi Dei, vobis dicitur: f *mundamini, qui fertis vaſa Domini.* g *Exhibeamus* (inquit Apoſtolus) *noſmetipſos ſicut Dei Miniſtros in ieiuniis in caſtitate*: coniungendo vtramque hanc virtutem, eò quòd altera alteram valde iuuet, ac foueat, caſtitas faciet nos Deo gratos, & Angelis ſimiles, ſupra cœlos ipſos auolare: ſine qua non poterimus noſtra miniſteria mundè peragere. Hæc eſt illa ſancta virtus, quàm complecti nos docet Apoſtolus, dicens: h *fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis.* Ne mens noſtra colloquiis malis poſsit corrumpi. Ideo, fratres, attendite, quod non ſolùm à vobis remouenda eſt fornicatio, ſed etiam omnis ſuſpicio falſa. Non decet Clericum cum mulieribus ſedere, vel fabulari, vel domus earum frequentare, ne ſuſpicio mala inde progrediatur. O quam vilis, ô quam miſer & puſillanimis reputatur Clericus qui frequenter cum mulieribus conuerſatur! inſipiens valde eſt, & inexpertus, qui amicitias mulierum procurat. Et ideò vos qui eſtis lux mundi, & ciuitas in monte ſituata, ſic famam veſtram cuſtodire debetis: vt non erubeſcant de detractoribus laudatores: hoc eſt: ne qui vos ſuſpiciunt & laudant, erubeſcant, cùm audiunt mala, quæ alij de vobis referunt. Hæc omnia documenta ſunt S. Auguſtini, & ea ſunt explicata in loco ſuperiùs allegato.

Ea nunc aliquibus exemplis confirmabimus, quæ vitium hoc reddant nobis magis deteſtandum. S. Gregorius refert de ſeptem Epiſcopis, qui carentes lingua (Tyrannus enim quidam linguas eis amputauerat) loquebantur, & poterant Sacrum Miſſæ celebrare. Quorum vnus, cùm lapſus eſſet in fornicationem, non potuit ampliùs loqui: & ita manſit inhabilis ad hoc diuinum Sacrificium offerendum. Palladius etiam refert, veniſſe ad S. Macharium Sacerdotem quendam, capite à cancro deuorato, & ore in poſteriorem partem inuerſo, cũ quadam horrenda deformitate, ac dolore maximo; & oraſſe ipſum Sanctum pro ſanitate recuperanda. Qui Sanctus, ne aſpicere quidem illum voluit ſed cùm ipſemet Palladius pro eo intercederet, reſpondit ei Sanctus: indignum illum eſſe tali ſanitate, & iuſtè ea pœna puniri: eò quòd poſt lapſum in fornicationem, Sacrum Miſſæ celebraſſet. Quod ſi vis, inquit ſanitatem ei reſtitui, perſuadeas, vt nunquam ampliùs Miſſam celebret. Infirmus iurauit, ſe nunquam celebraturum: cui S. Macharius: credis eſſe Deum, cui nihil ſit occultum, & quem decipere non poſsis? Cumque ille reſponderet, ſe id credere: iuſsit Sanctus, vt peccatum ſuum confiteretur; & ſtatueret, firmiterque propo-

9 *Serm. 36. ad Fratres.* f *Iſai. 52. 11.* g *2. Cor. 6. 6* „ „ „ „ „ *Serm. 37.* g *Epheſ. 5. 3* „ „ „ „ „ „ „ „ „ *Tomo 3. tract. 2.*

10 *Lib. 3. de Dialog. c. 32*

In hiſt. Lauſicana. c. 20

neret se nunquam ampliùs celebraturum. Et tunc Sanctus ei restituit sanitatem. Ex quo satis apparet, quantopere Deus Dominus noster hoc vitium detestetur: cum vel vnica fornicatio sufficiens fuerit causa, cur indigni efficerentur, qui nunquã ampliùs celebrarent. Nec minùs est stupendus, licet eius exitus fuerit lenior, casus, quem refert Petrus Cluniacensis de quodam alio Sacerdote: qui post lapsum in peccatum carnis, ad celebrandum accessit. Cumque sacram hostiam in manibus haberet, vt eam sumeret, illa euanuit; & cùm acciperet ad manum calicem, etiam pretiosissimus sanguis euanuit. Qui tamen etsi ex hoc euentu timore esset perterritus, sequenti tamen die rediit ad Sacrum celebrandum: euenitque idem quod priùs. Et cùm ille adhuc pergeret tertio die celebrare, vt videret: an Dominus Deus in ira sua contra ipsum persisteret: idem omnino euenit. Quare ter priuatus est communione in ipso Sacro, tanquam indignus tali cibo. Et tunc accessit suum Episcopum, multisq; lacrymis peccatum suum est confessus, & miraculum quod euenisset, aperuit. Et cum per multos dies pœnitentiam egisset, abstinens à celebratione: postea ex præscripto sui Prælati accessit ad Missam celebrandam. Et in prima Missa, quam magna cum deuotione & pietate fecit: cùm vellet communicare, repentè apparuerunt illi tres illæ hostiæ, quæ priùs disparuerant, & in calice similiter inuenit tantam sacri Sanguinis qantitatem, in signũ quod Deus Dñs noster ipsius peccata remisisset. Et sumens omnes tres hostias totumq; sanguinem, duxit in posterum piam valde & sanctam vitam.

Lib. 1. de Miraculis. c. 2.

Similem casum refert Cæsarius de quodam Sacerdote, qui cum nocte Natiuitatis proficisceretur ad pagum quendam, vt sacrum in eo celebraret: in ipso itinere incidit in quandam fœminam, cum qua carnaliter peccauit; & nihilominus post matutinum officium Sacrum fecit; sed statim atque consecrationem peregit, euenit ei idem miraculum: aduolans enim columba quædam sorbuit Sacrum liquorem, qui erat in calice, & hostiam sacram rostro accipiens auolauit. Et cùm postea etiam in aurora celebraret, ac deniq; in tertio Sacro; idem in omnibus ei euenit. De suo tamen lapsu vehementer dolens, & præmissa pœnitentia, cum rediit ad sacrum faciendum, eadem columba rediit cum tribus hostiis, & ex suo rostro eas in altari collocauit; liquoremq; sacrum, quem acceperat, in calicem ipsum infudit, vt ex hoc facto intelligeretur: Spiritum sanctum, per columbã significatum, eos horrere: qui absque puritate communicant: dolentibus verò, & columbarum instar gementibus, ob admissas culpas, restituere, quod propter illas amiserunt. De duobus Sacerdotibus carnalibus refertur; quòd cùm Sacrum Missæ facerent, alterius os, nasus, mentum, & lingua computruerint: vt indicio esset, quantum apud Deum & proximos opus illud fœteret, ob improbam & scandalosam eius vitam: cùm verò

Lib. 2. Dialog. c. 5. in Magno Speculo exemplor. Verbo Communio. exemp. 9.

In eodem Speculo verbo Miss. Exemp. 5.

alter

alter ad Sacram Aram accederet, prodijt ex ea vehemens quidam ignis, qui manus eius vsque ad ipsos cubitos combussit: in signum ignis luxuriæ, animam ipsius comburentis, ipsumque reddentis indignum, qui Sacrum celebraret. De duobus alijs Sacerdotibus valde intẽperantibus, & in peccatis gulæ & luxuriæ effrenibus, etiã refertur: quod cùm essent amici intimi, & in eisdem vitijs indiuidui socij: hac ratione fuerint à Diuina iustitia puniti: vt primus repentè moreretur: cumque eius socius sequenti die ambularet, audiuit tremendã quandam vocem de sub terra prodeuntem cum horrendis gemitibus, & clamoribus. Ille verò sacerdos timore perterr tus signo Crucis cœpit se signare; & resumpto animo, loquentem interrogauit, quis esset? Cui respondit, qui vocem emittebat: ego sum infelicissimus amicus tuus. Et interroganti secundò: quomodo tecum agitur? & cur de sub terra mecum loqueris? tunc tremendo quodam mugitu dixit: væ, væ, væ mihi: quoniam clausit super me puteus os suum, quo responso prolato, tremenda illa vox videbatur summa celeritate magis procul semper recedere, quasi in abyssum descendens. Sed infelicior socius, quem Deus Dominus noster per eam vocem vocabat, & inuitabat ad pœnitentiam, noluit illam facere; sed in deprauatis moribus perstitit; & breui post tempore infelicem obijt mortem; quem idem væ secutum est, quod eius socium; ad eundem enim descendit inferni puteum.

Ibidem verbo. Gula. Exemplo. 12

§. II.

HOs & similes alios casus, & horrenda supplicia ostendit diuina misericordia: vt ex alienis malis cautiores efficiamur: ne in seueræ ipsius iustitiæ manus incidamus. Nam (vt ait S. Augustinus) si Dominus noster omnia peccata publicè & ad oculum in hac vita puniret, facilè homines cogitarent: nullum post hanc vitam supereſſe supplicium; quòd si nullum hic puniret, etiam existimarent, Deum nec prouidentiam habere, nec iustitiam exequi. Ideòque quosdam peccatores punit in hac vita; alios verò differt puniendos in altera. Et, vt S. Thomas aduertit, visibilia supplicia solent infligi in initio, quo leges promulgantur. Ac propterea Ananias & Saphira repentina morte fuerunt sublati, ob violatum votum paupertatis; & in Ecclesia primæua (vt ait Apostolus) a *multi* eò quòd *indignè* sanctissimum Sacramentum *sumerent: erant infirmi, imbecilles, & multi moriebantur*. Nec dubium, quin multæ infirmitates, imbecillitates, & mortes sint etiam nunc pœnæ peccatorum, quæ admittuntur in indigna communicatione, & Sacri celebratione. Tremant itaque improbi Sacerdotes, & nominatim lasciui, & impudici; & studeant statim vitam suam emendare: ne fortè mors repentè superueniat; & cadant in profundum inferni. Cla-

Lib. 1. de Ciuit. c. 8.

Lect. 7. in 1 Corint. 11.

1 Corint. 11. 30.

ment

ment cum Psalmista dicentes: b *non absorbeat me profundum: neq; vrgeat super me puteus os suum.* In quæ verba ait S. Gregorius: peccatũ esse quasi puteum quendam, in quem labitur, qui peccat: & quò peccatum magis accrescit, ac multiplicatur: ita vrget os suum, & ita constringit: vt fiat exitus semper difficilior. Et adeò potest mala consuetudo percrebrescere, vt obstruatur os lapide obstinationis, & finalis impœnitentiæ, de quo Ieremias: c *lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* Quamuis autem omnia peccata sint verè huiusmodi puteus: nominatim tamen peccata luxuriæ eam vim habent, iuxtà illud Salomonis: d *fouea profunda est meretrix*: hoc enim peccatum nimium adhæresci: vt qui semel laxat habenas, præceps ruat in abyssum tanta obstinatione, vt puteus infernus illum deuoret; maneatque solido lapideo muro occlusus, absq; vlla spe inde egrediendi. In hac tamen vita nunquam putei os adeò stringitur & vrgetur, vt non sit spes euadendi, si adsit pœnitentia: eò quòd infinita sit Diuina misericordia, de qua scriptum est: e *saluabit te de ore angusto latissimè, & non habente fundamenta subter se*; hoc est, si pœnitentiam egeris de tuis peccatis, etiamsi grauia, turpia, & plurima fuerint: Dominus de angusto illo & amplissimo ore, hoc est inferno te liberabit. Qui latissimus est ad excipiẽdos peccatores; f *suumq; os absque vllo termino dilatat*, sinusq; suos absq; *limite aperit*, estq; adeò profundus, vt nec fundus nec fundamentum eius inueniri possit. Nec solùm à tali angustia & compressione te liberabit; sed etiam educet *latissimè*, hoc est in amplissimam latitudinem ac dilatationem, dilatando scilicet cor tuum ingenti lætitia, in præmium feruentis tuæ pœnitentiæ. Et ideo subiunxit: *requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine*, cibisque selectis: quia dabit tibi Dominus conscientiæ quietem & pacem; teque satiabit magna copia ciborum spiritualium, qui dulciores & sapidiores multò sunt cibis carnis: & opulentissima sanctissimi Altaris Sacramenti Mensa præclarissimis, quos Deus habet, cibis plena cedet tibi in vtilitatem: & in ea inuenies solatium, voluptatem, & saturitatem ineffabilem; & nominatim, quia pignus: ibi accipies, quòd sis peruenturus ad latissimam Empyrei cœli regionem: vbi assidebis mensæ Beatorum, & sumes cibum Diuinitatis: ex cuius visione lætitia repleberis & gaudio æterno. Ne itaque animum despondeas, Sacerdos, si fortè lapsus es in angustum carnalitatis puteum; sed contende festinanter inde exire per pœnitentiam: Deus enim suam tibi porriget manum, & ex istis angustijs ac periculis te liberabit.

Defere statim perditionis viam, quam tenes: quæ lata valde est, & angusta: lata in suis initijs, pro carne delitijs addicta: per quam propterea multi magna cum voluptate ambulant: sed est tamen spiritui angusta, grauiter enim cruciatur peccatis eius, quia exitus habet infelices. Ingre-

dere

b *Psal. 68. 16.*
Lib. 26. moral. c. 24.

c *Thren. 3. 53.*

d *Prou. 23. 27. 81. & c. 22. 14.*

e *Iob. 36. 16.*

Duplex expositio vocis latissimè

f *Isaiæ. 5. 14.*

altera explicatio.

dere viam castitatis, & Christianæ perfectionis: quæ augusta etiam est, & lata, quamuis modo contrario. Est enim in principio angusta, propter crucem & carnis mortificationē: est tamen latissima spiritui, propter pacem & gaudiū, quod eā tenentibus largitur Deus. Conijce oculos in mensas, quas tibi Deus præparat in hac & in futura vita: & cum quotidie assidere possis Sanctissimi Sacramenti mensæ cū cœlesti Principe, studeas ita viuere, vt eius dulcedinem delibes: & mox desipiet tibi, quod hactenus valde te delectabat: nam gustata spiritûs suauitate, statim desipit omnis caro.

CAPVT XII.

OBEDIENTIA AC DILIGENTIA SACERDOTVM IN sciendis & implendis omnibus, quæ ad eorum Ministeria spectant, & quantum adferat detrimentum, obiter & negligenter eadem peragere.

TERTIVM CONSILIVM PERFECTIONIS, in qua eminere debent Sacerdotes, est obedientia suis Episcopis siue Prælatis, omnibus decretis, & Ecclesiæ Canonibus exhibenda in iis, quę ad ipsorū personas, officia, & ministeria spectant: in administratione scilicet Sacramentorum; in Missæ celebratione; in horis Canonicis legendis; & in cæteris rebus, quæ pertinēt ad honestatem, expensas, & occupationes: quarum fecimus mentionem. Omnes enim tenentur scire leges, & ordinationes ad se pertinentes; easq; magna perfectione exequi: earum enim omnium rationem reddituri sunt in die iudicij. Cogitent dici sibi à Deo Domino nostro illud Deuteronomij: a *Audi Israël cæremonias atq; iudicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, & opere complete.* Ne scilicet explere illa negligas propter ignorantiam, aut obliuionem, aut negligentiam, aut malitiam. Indignus enim Sacerdotio censetur, qui, quæ sui sunt officij ignorat; aut dedignatur explere sicut debet. Ideoque dignus est, cui Dominus dicat: b *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*: quia scilicet non dedisti operam, vt scires quę tui essent officij, ego non feram ampliùs, vt illo fungaris. Quemadmodum euenit filiis Heli, de quibus ait Scriptura: quod essent c *filii Belial, nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum*: ideoque non custodiebāt leges, & cęremonias circa sacrificia prę-

a *Deut. 5. 1*

b *Osee 4. 6.*

c *1. Reg. 2. 12*

scriptas. Ac propterea eos appellat filios Belial, hoc est sine iugo. Sacerdotes enim non agnoscentes Deum, neque sui officij obligationes adimplentes: censentur absque iugo viuere. quia solo suo arbitratu vitam ducunt; & potiùs videntur Sacerdotes Bel, quod est idolum quoddam, & falsus Deus; quia carent perfectione & vita Sacerdotij, præferentes tantū figuram eius externā. At veri Dei Sacerdotes, quorū vita concordat cū sua

dignitate, optimè nouerunt ſtatûs ſui leges, & conſtitutiones. Et vt Salomon dixit, d *ſcriptas illas habent in tabulis cordis ſui*: in memoria, ne earum obliuiſcantur, in intellectu, vt eas benè ruminent ac penetrent; in voluntate, vt eas diligant & complectantur, eaſque in ſuis digitis ligant, vt ſumma cum diligentia exequantur; eò quòd Deus ſit, qui illas tulit & conſtituit. Si e *labia Sacerdotis* (vt Malachias dixit) *cuſtodiunt ſcientiam*; & Sæculares *legem requirunt ex ore eius*, vt vitam ſuam ex eius præſcripto ducant: æquum omnino eſt, magnam legis notitiam eum habere, & iuxta illam viuere: ſaltem ne ab Apoſtolo audiat: f *Qui alium doces te ipſum non doces*? docens enim alios, vt officio ſuo benè fungantur: tu id non præſtas in tuo; & exhortans, vt obediant Deo; tu eidem rebellem & partinacem te præbes.

d *Prou.* 7. 3.

c *Malach.* 2. 7.

f *Rom.* 2. 21. 22

3. CONICE oculos tuos in ſummum Sacerdotem Chriſtum Ieſum; qui ſciens quàm parui momenti eſſent holocauſta, & Sacrificia antiqua, venit in mundum, vt offerret Sacrificium, quod æterno ſuo Patri placeret. Nec in modo illud offerendi voluit voluntate ſua humana ſeſe dirigere; ſed obedientiâ, quam voluntati exhibuit diuinæ: ac propterea dixit: *Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam; & legem tuam poſui in medio cordis mei.* Vt ex hoc intelligas te in nullo Sacerdotij miniſterio propriæ voluntatis appetitum ſequi debere; ſed negare, vt voluntatem Dei tui amplectaris.

g *Pſal* 39. 8. *Hebr.* 10. 9

4. ASPICE itê exemplũ, quod habes quotidie in manibus, heroicam ſcilicet obedientiam, qua ipſemet Chriſtus Dominus noſter, qui ad dextram Patris ſedet, venit è cœlo: & in Sanctiſſimo Sacramento eodem momento adeſt, quo verba conſecrationis abſoluis, h *obediente Deo voci hominis*; eò quòd promiſerit, ſe facturum, quod Sacramentalia verba ſignificant. Et eodem momento, quo dicis ego te baptizo, te abſoluo: abſque vlla mora Deus facit, quod tu dicis; tuiſque verbis gratiam efficit, & ſupernaturales virtutes in animabus. Eſt igitur rationi valde conſentaneum, vt Sacerdos in eo glorietur, quòd obediat Deo, & Saluatori ſuo in rebus omnibus, ad ipſius officia & miniſteria ſpectantibus, & exactiſsimè cuſtodiat leges omnes, ac decreta, quæ circa ea ſunt conſtituta. NAM ſi Eccleſiaſticus, ait: i *in omnibus operibus tuis præcellens eſto*: Quantò igitur magis ſtudere debent Sacerdotes, vt præcellant in ſuis, quæ ex obiecto ſuo ſunt excellentiſsima. Eſt quoque rationi conſentaneum, vt modus quo illa fiunt ſit etiam præſtantiſſimus; vt ex iis, quę de ſingulis poſtea dicemus, apparebit. Ex quo fit, vt quamuis huiuſmodi canones ac Decreta, vt plurimum habeant graues pœnas in tranſgredientes latas: (quemadmodum etiam Deus in antiqua lege valdè frequenter minabatur pœnam mortis Sacerdotibus non ſeruantibus ea, quæ ipſe iubebat: vt ex grauitate pœnæ immimentis agnoſcentes delicti grauitatem, illud vitarent) at obedientia bonorum Sa-

h *Ioſue.* 10. 14.

3 i *Eccl.* 33. 23

Exodi. 19. 12. *Leuit* 10. 6. & 21. 22. 3. *Num.* 4. 2

cerdotum

cerdotum non seruilis esse debet, vt pœnas euiter; sed filialis, ex amore virtutum; & quòd ipsa ministeria iure suo id requirant; & Dominus, qui ea præscripsit, dignus sit cui exactè & ad nutum obediatur, ad cuius gloriam omnia ipsa munia diriguntur; vt meritò S. Petrus Apostolus exhortetur, vt k *castificent & perficiant animas suas in obedientia charitatis*: & sic re ipsa ostendent, quod Malachias Propheta dixit, se esse le *Angelos Domini*, obedientes ei celeriter, hilariter, ac purè pro ipsius gloria. Nam propterea etiam iubentur in Sacro missæ Dominicam precationem orare: cuius tertia petitio est: *Fiat voluntas tua in terra sicut fit in cœlo*: vt intelligant, se debere obedire (sicut Angeli faciunt: cùm ipsorum officium sit plus quàm Angelicum: ac proinde conari debent, illud exequi, dum Missam celebrant, horas Canonicas legunt, & alia ministeria obeunt: sicut Angeli faceren t, si ea ipsis committerentur.

k 1. Pet. 22
l Malach. 2.7.

Praetrea modus hic obedientiæ ac diligentiæ in his ministerijs adeò perfectæ, quatuor adfert ingentia commoda. Nam valde honorificat Deum, quia in eo ostenditur maximi fieri quod ipse iubet; ipsa etiam ministeria valde extollit; hic enim modus ostendit magni illa fieri, & hac ratione ipsi etiam Seculares excitantur, ad eadem magni facienda, ac veneranda; & eisdem magnâ cum reuerentiâ ac pietate assistendum; ac denique ipsos Ministros honorat, efficitque vt & Deus ipse præmijs magnis, homines verò magno honore ac reuerentia eos afficiant. Ac propterea Apostolus dixit: m *qui benè præsunt Præsbyteri duplici honore dignos habẽdos esse*: tum propter dignitatis ipsius celsitudinem, tum ob excellentem, & exactũ eius vsum.

6

m 1. Tim. 5 17.

Ex his licet aliam rationem deducere, quæ illos valde obstringat ad huiusmodi obedientiã: ob specialẽ scilicet prouidentiam Dei Domini nostri erga illos: quam & semper habuit, & nunc habet, vt ipsi feliciter occupẽtur in suis ministeriis exactè adimplẽdis. Nam propterea eos liberauit à vectigalibus & tributis, quæ pẽdunt Seculares. Inspirat. n. Principibus, vt eos à tali contributione eximãt; siquidẽ etiã Rex n *Pharao* falsos suos *Sacerdotes* ab huiusmodi oneribus liberos renũciauit. Ac propterea cõstituit vt o *eis darẽtur decimæ*, quibus sustẽtarẽtur: vt expediti à curis & labore alimenta quærẽdi, solũ attẽderẽt ad officia sua exactè præstanda. Et ita (vt Philo Iudæus ait) pares illos Regibus fecit: vt quẽadmodũ his vult solui tributa; ita Sacerdotibus soluãtur Decimæ. Et eãdẽ ob causam seueriſsimè præcipitur reliquis, vt eis obediãt in iis, quæ illi constituerint iuxtà suũ officiũ & obsequiũ Diuinũ, magnasq; minatur pœnas nõ parẽtibus, p *Qui superbierit*, inquit, *nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tẽpore ministrat Domino Deo: ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malũ de Israel.* Cur ergo tu non obedies Deo illi, qui tãtã tui gerit curã & prouidẽtiã? Et cur nõ teipsũ totũ impẽdes in exequẽdis cũ omni perfectione ministeriis tuis: cũ ipse oẽs tuas

7

n Genes. 47 22. 26.
o Exodi. 22. 29. Num. 18. 21 Lib. de Sacerdotum. Honoribus

p Deut. 17. 12.

occupationes & impedimenta remoueat, vt totus in ea exactè præstanda intendas? Et cur non promptissimus eris ad obtemperandum ei, qui adeò seuerè iubet alios tibi obtemperare? Cùm igitur libenter videas, alios tibi obtemperare: æquum omnino est, vt & tu Deo exactè obedias: qui alij præbebit Spiritum obedientiæ erga te: si viderit, eundem te habere spiritum erga ipsum.

§. I. *Inobedientiæ detrimenta.*

IDEM multò ampliùs confirmabitur, si damna perpendantur inobedientiæ, & negligentiæ in obeundis ministerijs, conculcatis legibus diuinis & Ecclesiasticis. Quæ detrimenta ad quatuor grauissima capita licet reuocare. *Primum* est: quod Deus, qui illa instituit, modumque præscripsit, quo Sacerdotes obire ea deberent, ignominia afficiatur: quamobrem ipse per Malachiam Prophetam de eis conqueritur, dicens: a *Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum: si ergo pater ego sum: vbi est honor meus? & si Dominus ego sum: vbi est timor meus?*

1.

a *Malach. 1. 6.*

Præcipuus enim honor meus, veruſque Maiestatis & amplitudinis meæ timor in eo consistit, vt mihi obedientes, faciatis quæcunque ego iubeo; eoque modo, quo id præscribo. Rechabitæ nolunt bibere vinum, nec alia facere, etiam sibi grata valde, & iucunda: eò quòd Ionadab eorum Pater id prohibuisset; & gloriantur, quòd patri suo pareant: cùm igitur ego sim Deus, & Pater vester, non obedietis præceptis meis? si quis Sæcularium Sacerdoti non obediat, mulctatur morte: eò quòd eum contemnat: quia igitur pœna dignus erit Sacerdos, Deo non obediens, & hac inobedientiâ iniuriam ei inferens? nam, vt Apostolus dixit: b *tu qui in lege gloriaris: per prævaricationem legis Deum inhonoras. Ignominiâ* etiam afficiunt, & ministeriorum ipsorum honori detrahunt: quia ostendunt se parui illa facere. Et (vt S. Cyrillus ait) etsi non verbis; opere saltem ipso protestantur idem, quod impij veteris legis Sacerdotes dixerunt: *mensa Domini despecta est*, hoc est, res vilis est, & abiecta. Si enim ipsi pretiosam iudicassent: aliter erga illã se gessissent. Et hinc *tertium* sequitur, quòd ex ipsorum incuria, & irreuerentia, Sæculares eandem Domini mensam contemnant, & vilipendant: ac denique aut eam fugiant, aut cum tædio quodam ei assistant. Eum in modum, quo Diuina scriptura refert de Sacerdotibus filijs Belial, non seruantibus leges Sacrificiorum. c *Erat*, inquit, *peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines a Sacrificio Domini*: ne illud per manus impiorum adeò Sacerdotum offerrent. Quemadmodum qui ineptè Sacrum Missæ celebrat, animum & propensionem aufert auditoribus eam audiendi; & qui diuina officia ineptè cantant, deuotionem auferunt eis assistendi. *Sed* non euadent quod propterea merentur supplicium: cum enim Deus iustus sit iudex, pro-

b *Rom. 2. 23*

In Mal. 1. 7.

c *1. Reg. 2. 17.*

pugnat

pugnat honorem suum;& glorificatur, dum hanc iniuriam vlciſcitur, vt expreſsè dixit,cùm d *egreſſus ignis à Domino deuorauit* inobediẽtes Sacerdotes, *qui in ſuis thuribulis poſuerunt ignem alienum*, contra præceptum Domini; qui iuſſerat, non alium ignem eſſe ponendum, quàm Sanctuarij: & ita *mortui ſunt coram ipſo Domino:* cuius terribilis adeò ſupplicij cauſam reddens,ſubdit:*ſanctificabor in iis qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi glorificabor.* Omnes enim qui viderint me hanc iniuriam adeò ſeuerè puniẽtem : timorem & pauorem concipient de mea iuſtitia; diſcentque res ſacras cum reuerentia peragere. Et quamuis qui ab igne fuerant deuorati, & mortui,eſſent filij Aaron Sacardotis:ipſe tamen, verbis illis Domini auditis,*tacuit*, venerans iudicia Diuinæ iuſtitiæ; diſcenſque cuſtodire ad nutum, & exactiſſimè, quæ Deus iubebat. Horrendum quoque fuit ſupplicium à Deo Ozæ Sacerdoti illatum:cùm Deus iuſſiſſet, vt cùm ab vno loco arca eſſet in alterum transferenda, id fieret in humeris Leuitarum;Oza autem perſuaſiſſet vt potiùs plauſtro imponeretur, & à bobus traheretur. Quo conſilio magna Deum affecit iniuria,& ignominia. Cùmque in medio itineris e *boues calcitrarent, & Arca declinaret*, vt caderet in terram ; *extendit* ipſe *Oza manum ſuam, ac tenuit*, ne caderet: *Sed iratus indignatione Dominus contra Ozam,percuſſit eum ſuper illa temeritate: & mortuus eſt ibi iuxta Arcam Dei.* Et ita Doctores huius punitionis cauſam tribuunt ipſius Ozæ conſilio & ſuaſioni. Quamuis autem culpa tunc fuerit admiſſa, cùm ille conſilium dedit : Deus tamen punire eam diſtulit, donec error eius conſilij apparuit, cum periculum imminebat caſus Arcæ in terram,vt diſcant Sacerdotes,non mutare, quod Deus eiusq; Eccleſia Sancta conſtituerunt; neque vel vnum punctum honoris eiauferre, qui illi debetur, & ipſe exigit. Licèt enim modico interdum tempore diſſimulet : ipſis tamen minimè cogitantibus, ſuperueniet eis debita punitio. *Cuius* pœnæ pars etiam quædam eſt, quòd propter huiuſmodi negligentias,& inobedientias etiam ſeipſos ignominia afficiunt, & opinionem apud alios amittunt, & in magnas incidunt etiam temporales miſerias;permittente Deo, ipſos parui fieri,& mille modis affligi : quemadmodum ipſe per Malachiam dixit, tremendis hiſce verbis : f *Ad vos mandatum hoc ô Sacerdotes. Si nolueritis audire,& ſi nolueritis ponere ſuper cor, vt detis gloriam nomini meo*, rectè fungentes officio veſtro, *ait Dominus exercituum: mittam in vos egeſtatem,& maledicam benedictionibus veſtris*: hoc eſt maledicam veſtris agris,vineis,& oliuetis, omnibusque rebus,quas ex mea benedictione poſſidetis:ita vt ſteriles fiant, nec fructus vllos reddant. Maledicam item benedictionibus,quas ſupergreges, & agros veſtrorum ſubditorum dicetis;ita vt fruſtratæ effectu ſuo; & vos Decimis veſtris fruſtremini. *Ecce ego proiiciam vobis brachium*, vt ſpoliem vos optimis veſtris ob

4
d *Leuiti.10, 2.*

e *2. Reg.6.6*

Vide ib. Lyranum.

f *Malach. 2,1.*

lationibus, *& dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum*, permittens vos in eis cõfundi, *quia recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: quia irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituũ. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege.* hoc est, personarum acceptionem in vestris iudicijs habuistis. Omnia hæc verba sunt & minæ Dei in Sacerdotes antiquos, malè fungentes officijs suis: & seuerius adhuc nostri punientur, eò quòd eorum defectus in ministerijs adeò excellentibus multò graviores sint. Quòd si permittit eos vexari & opprimi contributionibus, egestatibus, necessitatibus, & contemptibus; illorum est culpa, eò quòd *ministerium suum* (vt ait Apostolus) *non honorificent*, illud exercentes cum ea dignitate, qua par est. Sententia est enim infallibilis, ab ipsomet Deo Heli Sacerdoti, eiusque filijs, officium suum malè obeuntibus intimata: *quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Quod re ipsa executus est cum illis Sacerdotibus, auferens illis & eorum successoribus summum Sacerdotium; ac proinde honorem illi debitum. Scriptum est enim, quod Deus i *baltheum Regum dissoluit, & duces Sacerdotes inglorios.* Maiorem verò terrorem incutit modus, quo Deus iram suam in eo casu manifestauit, dicens: *k iuraui domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum.* Quis igitur non tremet, terribilem adeò sententiam audiens? O Deus misericordiarum! si eas manifestas, parcendo peccatoribus; & sacrificia oblationesque eò tendunt, vt peccatorum remissionem obtineant; quid sibi vult, quòd nunc ais, quòd *nullis victimis & muneribus vsque in æternum hæc iniquitas expiari possit*? non est tamen mirum, quod misericordia tua occludatur ergà eum, qui abutitur eo, quod est aliàs anthidotum ad eam impetrandam: huiusmodi enim peccata recta tendunt contra ea, quæ sunt ipsorum remedia; afficiunt enim iniuria ipsa Sacramenta, & Sacrificia; culpaque sua in venenum conuertunt, quod aliàs theriaca fuisset, & anthidotum. Et quoniam Dominus noster est etiam l. *Deus vltionum*, permittit, vt qui adeò irreuerenter Sacramentum & Sacrificium administrat, nõ sciat postea remedium ex eis accipere.

verſ. 3.
verſ. 8. & 9.
g Roma. 11. 13.
6
h 1. Reg. 2. 30.
i Iob. 12. 18.
k 1. Reg. 3.
l Pſal. 93. 1.

§. II. *Obedientia Prælatis exhibenda.*

NECESSARIVM etiam est, vt Sacerdotes & Ecclesiastici in obedientia suis Episcopis & Prælatis exhibenda eminere studeant, in rebus omnibus licitis & honestis, quas illi præscripserint cuique iuxtà suum statum. Sic enim promissionem suam implebunt, Episcopo post ordines susceptos factam, cum ille vnicuique Sacerdotum dicit: *Promittis mihi & successoribus meis reuerentiam & obedientiam*; seu Prælato

lato tuo pro tempore existenti? & ipse respondit: *Promitto.* Quæ promissio est votum; quia fit Prælato, quatenus vices Dei gerit; & succedit voto illi obedientiæ, quod antiqui Clerici, qui erant Religiosi, edebant. Cum igitur illi velint ministros inferiores, & omnes, qui aliquo modo ipsis sunt subiecti, ipsis obedire: æquum omnino est, vt & ipsi suis superioribus perfectè obediant. Bona siquidem Ecclesiasticæ Reipublicæ constitutio in eo præcipuè consistit, vt & in Prælatis imperandi rectitudo, & in subditis promptitudo obedientiæ resplendeat, iuxta illud Innocentij Papæ: *Integritas præsidentium salus est subditorum; & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi est sana forma doctrinæ.* Diuina enim prouidentia, quæ disponit omnia suauiter, per bonos Prælatos gubernat reliquos Sacerdotes & ministros, & per hos cæteros Sæculares. Quod insinuat Moyses cũ benedicens Tribui Leui, dixit: a *Perfectio tua, & doctrina tua, à viro Sancto tuo.* Qui fuit ipsemet Moyses, per quem Deus eam cæteris Sacerdotibus ac Leuitis eiusdem tribus communicauit. Et in eundem modum perfectio & doctrina Ecclesiasticorum subditorum deducitur per eorum superiores, quod si non adsit docilitas, obediẽtia, ac debita subiectio: non obtinebunt illi hanc vtilitatem à Deo. Hanc eandem rationem seruat Deus cum Angelis, qui administratorij sunt salutis hominum: nam (vt S. Dionysius ait) inferiores Angeli accedunt ad superiores, vt ab eis instruantur circa Diuinas reuelationes; & res nouas, quas Deus præscribit; ac vult per maiores manifestari minoribus: qui gloriantur, quòd sint valde prompti in exequendis, quæ ipsis committuntur. Quod confirmat idem Sanctus varijs exemplis, quæ Prophetæ referunt de Imperio quorundam Angelorum ad alios: & celeritate, qua illi obediebant. Multò autem æquius est inter Ecclesiæ ministros esse hũc modũ subordinationis: qua minores maioribus obediant, nõ fidẽtes soli suæ prudẽtiæ, quæ valde est breuis & facilè falli potest; neq; sequentes impetum propriæ voluntatis quæ solet ad malum esse propensa.

Cvm autem inter homines semper sint multi defectus, nec Sacerdotes sint ab eis immunes: par est, hos suam docilitatem & obedientiam ostendere in acceptanda Prælatorum correptione, & in obediendo omnibus, quæ illi dixerint, ac præscripserint, ad impedienda & reparanda propria peccata: non contradicentes, nec pertinaciter resistentes: ne infelicitas aliqua, aut infortunium eis eueniat, sicut impijs illis Sacerdotibus, qui officio suo malè fungebantur. Et cum Pater, qui summus erat Sacerdos, eos moneret, noluerunt ei obedire: qua inobedientia ita sua scelera obsignarunt, vt in eis perirent. Quod significat Scriptura dicens: c *non audierunt vocem Patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.* hoc est: permisit Deus, vt ex malitia sua parenti non obtemperarent: quia voluit eorum peccata seuerius punire.

Tremant

c Miramur D. 61.

a Deut. 33. 8

b 8. de caleſti Hierarchia.

Zach. 1. 10. & c. 2. 3. Ezech. 9. & c. 2. Dan. 8. 15. Apoc. 14. 15.

c 1. Reg. 2. 25

Tremant igitur Sacerdotes, & Eccleſiaſtici, qui facilè in peccata labuntur: ſi moniti ab Epiſcopis, & viſitatoribus ſuis non emendantur. Nam forrè id erit ſignum, quod velit Deus vltimam de eis ſumere vindictam: propterea enim hanc ipſis permittit inobedientiam, & repugnantiam. Non dedignentur doceri & moneri, ſi officijs ſuis ſatisfacere, & animas ſuas ſaluare velint. Audiant quid Clemens Papa grauiſſimis hiſce verbis dixerit: Nullus Epiſcopus propter opprobrium ſenectutis, vel nobilitatem generis, à paruulis, vel minimis eruditis, ſi quid eſt vtilitatis, aut ſalutis, inquirere negligat. Qui enim rebelliter viuit, & diſcere, atque agere bona recuſat, magis Diaboli quàm Chriſti membrum eſſe oſtenditur, & potiùs infidelis, quam fidelis eſſe monſtratur. Et quia in originali ipſa Epiſtola non additur: *Epiſcopus*, ſed abſolutè ponitur: Nullus propter opprobrium, &c. intelligendus eſt Pontifex cum omnibus eſſe locutus, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue Sacerdos, ſiue Sæcularis. Nam nolle diſcere, nolle obedire, & alteri ſe ſubijcere proprium eſt Sathanæ: qui præ ſuperbia voluit, c *Solium ſuum ſuper aſtra exaltare*, vt nullum agnoſceret ſuperiorem; humiliare autem ſe & obedire, valde proprium eſt Chriſti Domini, d *qui humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem.* Ac proinde qui gloriantur ſe eſſe Chriſtianos, & ipſius Chriſti Miniſtros: honori ſibi tribuere debent, quòd ſe alijs ſubijciant; quòd ſi qua ignorantia laborant: gaudere debent, quod doceantur; & ſi in culpam aliquam ſunt prolapſi: æquo animo accipere debent, quòd corripiantur.

Epiſt. 3. Refertur. D. 38. c. Nullus.

c *Iſaia. 14.*

d *Philip. 2. 8*

CAPVT. XIII.

ALIQVAE RATIONES OB QVAS DEBENT SACERDOtes quæcunque peccata, præcipuè publica, euitare; & quomodo ea ſint per pœnitentiam reparanda.

EX DICTIS IN SVPERIORIBVS CAPITIBVS facilè intelligitur, quàm ſit execrandum Sacerdotali dignitati vitâ coniungere improbâ: confunditur enim illa, & pudore afficitur cum tali ei comes accedit, cuius fœditate fruſtratur excelſę ſuę dignitatis fructibus. Nã (vt ait S. Chryſoſtomus) multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes. Multi in nomine, & pauci in opere. videte ergo fratres quomodo ſedetis ſuper cathedram: quia non cathedra facit Sacerdotem, ſed Sacerdos cathedram; non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum ſanctificat. Non omnis Sacerdos Sanctus, ſed qui ſanctus eſt, vocari poteſt Sacerdos. Qui bene ſederit ſuper cathedram, honorem accipit cathedræ; qui malè ſederit, iniuriam faciet cathedræ. Ideoque malus

Homil. 43. Imperf. refertur. D. 40. c. Multi.

Sacerdos

Sacerdos de Sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. De tali enim dignitate dicere licet, quod Salomon dixit de a *muliere pulchra & fatua*, siue leui, quòd sit *circulus aureus in naribus suis*: quia non habita ratione aurei status ac dignitatis adeò excellæ, eam defœdant & maculant voluptatibus carnis, & alijs peccatis. Quò autem dignitas excelsior est, eò maior est iniquitas, si indignè tractetur. Nec sufficit, ad eam peruenisse ex vocatione & electione Dei: si postea deficias in ijs, quæ, ille præscribit ac iubet. Non enim b *ignis* tantùm *egressus est à Domino & interfecit ducentos quinquaginta viros* ambitiosos, *qui* vlurpantes sibi Sacerdotium Aaron *offerebant incensum*, vt superiùs est dictum; sed etiam c *egressus* ab eodem *Domino ignis deuorauit Nadab & Abiu filios* ipsius *Aaron*, vocatos & electos à Deo ad Sacerdotiū, eò quòd *offerrent coram Domino ignem alienum*, relicto igne Sanctuarij, quo ex Dei præscripto vti oportebat: ad significandum (vt perpendit Beda) quod Sacerdotes deserentes ignem Diuini amoris, amplectentes verò ignem amoris proprij & cupiditatum carnalium ac terrenarum, sint comburendi & puniendi à Deo propter illas. Ac propterea non sine causa dixit S. Augustin. Nihil est in hac vita & maximè hoc tempore lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur. Sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius; nihil item est difficilius, laboriosius, & periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet. Quare vt nihil in hac vita est dignitate Sacerdotali glorioſius: si rectè in ea agatur, sicut Christus constituit: ita nihil apud Deum magis condemnatione dignum, quàm si indignè illa tractetur. Quemadmodum enim periculosior est ex loco valde alto casus: ita ait S. Ambrosius, est grauior lapsus Sacerdotis obedientis Sathanæ, qui existenti in pinaculo templi suadet: d *mitte te deorsum*. Et quid magis indignum esse potest, quàm sit characterem Sacerdotalem, qui est proprius ministrorum Christi cõiungas cum charactere & signo Anti Christi: quod est peccatum, per quod efficeris eius mancipium? videtur sanè dignitas hæc adeò sacra ad Deum clamare, & iustitiam petere: vt ab hac tyrannide liberetur, punito pro meritis eo, qui talem ipsi violentiam infert. Huc accedit grauissima iniuria, quam Sacerdos infert hospiti, quem excipit; cùm eum in templo immundo, in sepulchro profano, in ventre fœtido, & in confracta lectica collocat. Si indignum iudicatur, quòd obsessus quispiam à Dæmone, Sacerdos creatur; aut Sacrum Missæ celebret: proptereà quòd grauis sit indecentia, quod Christus Dominus noster hospiteturin corpore à Dæmone possesso: multò erit magis indignum in oculis Dei, quòd hospiteturin corpore subiecto peccatis: quæ Christus Dominus noster plus quàm

a *Pro.* 11. 22.

b *Nũ.* 16. 35.

c *Leuiti.* 10. 2.

Apud Liponum in Catena. Exod. 28. *in initio & Gloss.*

d *Epist.* 148. *refertur D.* 40 *c. Ante omnia.*

Lib. de dignit. Sacerdotis, c. 2.

d *Matt.* 4. 6

ipsos Dæmones horret, ac detestatur. Ac propterea ait S. Chrysostomus non tam graue esse detrimentum, quòd sint in Ecclesia Dei à Dæmone obsessi, quàm quòd sint improbi Sacerdotes, qui ipsum Christum, eiusq; sanguinem conculcent. Grauissimam etiam iniuriam infert ipsi potestati ordinis, datæ ei ad remittenda peccata: quia illam coniungit cum ipsismet inimicis, ad quorum destructionem illa dirigitur. Et cùm deberet esse aliorum ægrotantium medicus, quorum morbi sunt voluntarij: ipse gaudet, quòd fiat eorum particeps. Et ipsius morbi eò sunt deteriores, quòd ratione officij sui deberent priùs ab eo curari. Nam hic rectè locum habet commune prouerbium, quod Christus Dominus noster opportunè protulit: *medice, cura teipsum*, cur placet tibi ægrotare: cùm posis ex gratia Dei teipsum curare, & ex officio tibi incumbat alios curare? Quomodo alij ægroti sperabunt se à te curandos qui teipsum non curas?

Homil. 85. in Matth.

c Luc. 4. 23.

§. I.

4

QVID autem dicam de alia circumstantia malitiam illam augente? Cùm enim ex officio incumbat aliorum curare peccata: ea potius auget malis suis exemplis. Hæc illa est Dei querela in malos Sacerdotes, dicentis eis: *a vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos Lege, & irritum fecistis pactum*, quod ego iniui cùm *Leui*. Nam ex improbis vestra vita scãdalizati alij, occasionẽ sumpserunt ea imitandi. Ac propterea ait S. Gregorius à nullo accipere Dñm nostrum tantam iniuriam, quantam à malis Sacerdotibus. Nam quos ipse constituit ad alios corrigendos: ipsi eos potiùs malo suo exemplo deprauant, vorantes peccata, qui ratione sui officij ea erant extirpaturi. Hos ait S. Augustinus esse, qui Christo Domino nostro fel præbent comedendum, & acetum porrigunt bibendum. Cùm enim ipse salutem animarum esuriat ac sitiat: Sacerdotes, quorum est famem & sitim illam mitigare, eas adiuuando vt saluentur; potiùs eas scandalizant, & à profectu retardant: huiusmodi enim scandala Christo ipsi sunt fel amarum & acetum horridum.

a Malæ. 2. 8.

Homil. 17. in Euãgelia

In Psal. 68

5

HVC accedit, quod vita sua deprauata fructum corrumpunt egregiorum operum, quæ ratione sui officij præstant: quia nihil ipsis prosunt. Et hac ratione S. Gregorius explicat illud Ieremiæ: *b seminauerunt triticum, & spinas messuerunt: hæreditate non acceperunt, & non eis proderit*. LXX. Interpretes legunt: Clerici eorum non proderunt eis. Quid enim (ait S. Hieronymus) eis proderit nomen Episcoporum, ac præsbyterorum: siquidem ipsis dignitatibus suis magis onerantur, & grauius onus portant? Et *c potentes potenter tormenta patientur*; & *d quibus multum datum est, multum quæretur ab eis: & quibus commendauerunt multum, plus petent ab eis*. Nam eò sunt maiores culpæ Sacerdotum, quò sunt maiores honores & excel-

b Ierem. 12. 13.

Ibi Et Epist ad Nepotian.

c Sapiẽt. 6. 7

d Luc. 12. 48.

6

lentiæ;

lentiæ, quæ cum excelso illo Statu sunt coniunctæ. Maior enim est eorum ingratitudo: cum tot fauores ac priuilegia conculcant, nec tantis beneficijs acceptis fideliter respondent. Ita enim S. Gregorius sentit: quòd qui plus acceperit, seueriùs sit examinandus: nam quò magis augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Et quoniam Deus est iustus iudex, exactam valde de omnibus rebus rationem exiget; de Sacris scilicet, quæ celebrarunt; de Horis Canonicis, quas legerunt, de confessionibus, quas excepерunt, aut ipsi fecerunt; de alijs ministerijs, & officijs, quæ præstiterunt; ac de exemplis, quæ alijs dederunt. Quod si in his omnibus defectus aliquos admiserunt, non solùm propria peccata ipsis imputabuntur; sed etiam aliorum, qui ex eis occasionem acceperunt, hoc est ex scandalo, aut incuria & negligentia: propter quæ aliena peccata fecerunt sibi propria. Hinc aliud oritur ingens incommodum: sicut enim culpæ adhærescunt & propagantur, ita crescunt & multiplicantur supplicia, quæ propter eas inferuntur. Quemadmodum enim corruptum caput totum corpus corrumpit: ita (ait S. Ambrosius) malitia & negligentia improboum Sacerdotum in causa est, cur populus vitiorum peste inficiatur, & laboret: ac proinde magnis à Deo calamitatibus afficiatur. Vt videre licet in horrenda illa punitione, quam Deus populo Israel intulit propter peccata filiorum Heli, permittens cædi populum Israël, & e *cadere triginta millia de eis, ipsamq; Dei Arcam capi a Philistæis* quam potiùs voluit tradi hostibus suis, quàm retineri à Sacerdotibus adeo impijs. Et cùm Deus iussit percuti vsque ad internecionem omnes habitantes Ierusalem, qui non essent signati Thau: adiecit *à Sanctuario meo incipite*: hoc est (vt S. Hieronymus explicat) vt executio sententiæ inciperet ab improbis Sacerdotibus, qui fuerunt prima origo peccatorum populi, & seueræ illius punitionis.

Homil. 9. in Euangelia.

7

Lib. de Dignit. Sacerdotis c. 5. S. Greg. Homil. 17. in Euang.

c *1 Reg. 4. 10 6.*

f *Ezech. 9. ibidem.*

8

Denique Sacerdotum peccata adiunctam habent pernicioſam valde circumstantiam, difficultatem scilicet curationis & præparationis. Nam si sæculares peccant, Sacerdotes eos corripiunt, & pro eis orant: peccantes autem Sacerdotes quis audebit corripere? Et quoniam illorum peccata in iniuriam cedunt Sacramentorum: permittit Deus (vt suprà dicebamus) vt eorum remedium non rectè attingant & inueniant. Et quoniam respectum & reuerentiam erga res sacras amittunt: ideò in eis nec iucunditatem illam, nec vtilitatem inueniunt, quam sæculares. Quare illa Prophetæ maledictio illos comprehendit: g *tu calceabis oliuam, & non vngeris oleo; & mustum, & non bibes vinum*: nam alijs conferunt Sacramenta, & sacrificia applicant, quibus illi deuotione ac feruore spiritus replentur: ipsi tamen non vnguntur oleo gratiæ, nec vinum charitatis bibunt. Propter has omnes rationes eò vsque progressus est S. Chrysost. vt tremendā

g *Mich. ea. 6 5.*

quandam adhibuerit exaggerationem, quamuis de Episcopis loqui videatur: *non arbitror*, inquit, *inter Sacerdotes multos esse, qui salui fiant; sed multò plures, qui pereant.* Alij enim deficiunt in vna oblatione, alij in alia, & alij in omnibus. Et Origenes explicans illa verba Ieremiæ: *Cleri eorum non proderunt eis*: hanc profert sententiam: Nosse debetis non statim esse saluandos, quia Clerici sumus: multi enim & Presbyteri pereunt, & laici beatissimi reperiuntur, &c. Deus enim Dominus noster non tam statûs celsitudinem spectat, quam vitam & feruorem in eo existentis: quamuis Status præstantior ex seipso iuuet ad feruentiorem tutioremque vitam ducendam.

Homil. 3. in Acta. Apost.

Homil. 7. in Ieremiam.

§. II

QVIDQVID hactenus diximus, non eò tendit, vt Sacerdotes peccatores desperent, aut animum abijciant; sed vt horrorē de suis peccatis concipiant, & statim pœnitentiam agant. Si enim verè pœniteant, vitamque improbam corrigant: tanta est Diuina misericordia (quod superiùs dicere cœpimus) vt sicut filium prodigum ad se redeuntem recepit, a *primamq; stolam, annulum, & calceamenta* prima restituit; & locum & honorem, quem priùs habebat, ei reddidit: ita ipsis sit redditurus gratiam suam, & charitatem omnemque honorem, ad ipsorum statum pertinentem. Quemadmodum est pulcherrimè depictum in magno quodam Antiquæ Legis Sacerdote, qui vocabatur b *Iesus, filius Iosedech, quem vidit Propheta Zacharias indutum vestibus sordidis, & Sathanam stantem a dextris eius, vt aduersaretur ei.* Et simul Angelum Domini cum alijs Angelis, vt illum defenderent: quem Iesum cum Angelus compunctum videret, conuersus ad Sathanam grauiter illum reprehendit, dicens: *nunquid non iste torris erutus de igne?* quid illi molestus es? *& astantibus* Angelis *dixit: auferte vestimenta sordida ab eo, & ponite Cidarim mundam super caput eius*: & ita fuit factum. Et dixit Angelus ad eum: *Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis*, & vestibus preciosis. *Et contestabatur Angelus Domini Iesum dicens: Hæc dicit Dominus exercituum. si in viis meis ambulaueris, & custodiam meam custodieris: tu quoque iudicabis domum meam, & custodies atria mea, & dabo tibi ambulantes* tecum aliquos *de his, qui nunc hic assistunt.* Quibus verbis magis proprijs & ad rem ipsam pertinentibus exprimi potuit fauor, & studium Dei erga Sacerdotem pœnitentem, etiamsi improbus valdè fuerit? Cuius malitia in eo consistit, quod vestes habeat turpes & sordidas. Quemadmodum enim Sacerdos duplices habet vestes: quasdem communes, quibus vtitur, cum agit & versatur cum alijs hominibus; alias sacras, quibus tantùm vtitur, dum celebrat Diuina mysteria, & harum maculę sunt multò turpiores: ita duplex est genus culpa-

a *Luc. 15. 22.*

b *Zach. 3. 1*

rum

rum eius, quibus internas animæ vestes commaculat: quædam sunt culpæ contra præcepta & leges, quæ omnes Christianos obligant; aliæ multò turpiores, quas admittit contra sacra mysteria & Sacramenta, quæ administrat: in quibus quamdiu persistit, *Sathan stat à dextris eius, vt aduersetur ei.* Aptè autem dicitur *stare â dextris*, & non à sinistris, quia ille est victor: miser autem peccator, tanquam victus & captus, qui nisi, dum viuit, pœnitentiam agat, eueniet ei quod dixit Dauid: c *constitue super eum peccatorem & Diabolus stet à dextris eius: cùm iudicatur, exeat condemnatus. Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiet alter.* Quamdiu tamen vita perdurat, diuina misericordia semper est parata admittere eius pœnitentiam: *cor* enim *contritum & humiliatum nunquam despicit.* Et Angelis custodibus committit, vt Sathanæ se opponant, eius fraudes & calumnias euertant; vt pœnitentem protegant ac tueantur. Scriptum est enim: e *impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua:* Quare si peccator suæ peccatorum fluenta represserit: Deus etiam fluxum continebit suppliciorum, Dæmonumq; impetus reprimet, qui conabantur eum consumere vsque ad cineres. Et hoc est quod Angelus dixit Sathanæ: *increpet Dominus in te Sathan: nunquid non iste est torrus erutus de igne?* Torris enim erat ardens igne suarum concupiscentiarum, & carnalium ac terrenarum cupiditatum; & propè erat vt totus combureretur, & absumeretur: Deus autem, eius misertus, tetigit eius cor, & ad pœnitentiam & lachrymas propter sua peccata impulit: quarum causa illum eripuit ab illo igne: ne omnino cumbureretur & consumeretur. Ne itaque abijcias animum, ô peccator, etiamsi obfuscatum & quasi torrem grauibus peccatis denigratum flammisque passionum tuarum ardentem te videas: sed conuertere ex corde ad Deum tuum, geme, & improbam tuam vitam defle, proponens firmiter emendatioem: quia Deus misericors est, & potens, vt ab isto igne te eripiat; & primam tuam pulchritudinem tibi reddat. Hoc est quod Dominus dixit compuncto & conuerso illi Sacerdoti: *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.* reddidi enim tibi stolam primam gratiæ & charitatis: reliquasque virtutes & supernaturalia dona, quæ illam comitantur & exornant. Vtitur autem vocabulo mutatoriarum vestium, quæ sunt festiuæ, quibus non quotidie vtuntur homines; sed in diebus maioris lætitiæ, aut cùm authoritatē suā ampliùs manifestare volūt. Vt sic significaret, se etiam spirituales vestes Sacerdotalis dignitatis proprias, ei tradere: cū quibus dignè posset sua ministeria obire. Ac propterea loquens cum Angelis addit: *ponite cidarim mundam super caput eius*: auferte quam priùs habebat valde maculatam; & candidam ac mundam aliam ei imponite, exornantes eius caput (quæ pars est spiritus superior) puritate & sanctitate, quam eius dignitas exigit: tuentes & adiuuan-

c *Psal.* 108. 6.

d *Psal.* 30. 19.

e *Ezech.* 33. 12.

tes eum, vt semper in posterum meis seruitijs insistat; meamque gloriam purè in omnibus, quæ fecerit, quærat. O Diuinæ misericordiæ altitudinem, quæ adeò liberaliter miseriæ nostræ compatitur. f *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas,* &, præ omnibus, *qui coronat te in misericordia & miserationibus*; texit enim pretiosam valde coronam et immensis suis misericordijs, quam tuo capiti imponit, protegens te paterna sua protectione, vt in eius amore perseuerans, promissam tibi gloriæ coronam cõsequaris. vt autẽ clariùs agnoscas magnitudinẽ harum misericordiarum: audi duos fauores & singulares beneuolentias, quas hic Dominus Sacerdoti illi pœnitenti promittit, si in obseruatione mandatorum eius perseueret: quas easdem offert cuicunque alteri pœnitenti, ac dolenti de mala sua vita, & negligentia in suo officio. *Primus* fauor ac beneuolẽtia est, quod illũ admittit ad sua officia obeunda cũ ea auctoritate & spiritu, quem illa exigunt. *Iudicabis*, inquit, *domum meam, & custodies atria mea*; templum scilicet meum, quasi diceret: auxilio meo tibi adero, vt plenè impleas Sacerdotij ministeria: ita vt Sacrificium Missæ offeras, vt oportet; & Iudicis officium in domo Dei obeas, vt remittere possis peccata, quæ pœnitentes confitentur; zelesque Ecclesiæ honorem in omnibus ad cultum Diuinum spectantibus. Et quoniam solus non sufficies ad res adeò excelsas præstandas, alterum offero fauorem: *& dabo tibi ambulantes tecum de his, qui nunc hic astant*, Angelos scilicet aliquos, qui in mea præsentia assistunt, tibi assignabo. Nam, præter Angelum cuiusque Christiani custodem, dat Deus Prælatis Ecclesiæ alios Angelos, qui in suis officijs illos iuuent. Et credendum est, etiam assignare omnibus Sacerdotibus propter celsitudinem duorũ ministeriorum, quæ obeunt: sacrificandi scilicet, & confessiones audiendi. Vt subsidio illis sint ad exactam eorum executionem; aut saltem tempore necessitatis, aut imminentis periculi mittit subsidium aliquod Angelorum, quemadmodum misit g *Eliseo Prophetæ*: vt eos tueantur ac defendant ab eorum hostibus, qui rabie quadam contendunt Sanctorum eorum ministeriorum fructum impedire.

Psalm. 102. 2.

g 4. Regum 6. 17.

CAPVT XIIII.

SACERDOTIBVS ETIAM IMPROBIS HONOR EST deferendus; quos tamen veræ virtutes reddunt magis venerandos.

PROPTEREA QVAE DE PECCATIS aliquorum Sacerdotum diximus: non debent sæculares accipere occasionem eos contemnendi. Quòd enim Deus aliquid permittat in pœnam eius, qui est reus: non statim potestatem facit instrumento punienti, vt rationis leges transgrediatur. Quare, etsi Deus iustè permittat improbum Sacerdotem contemni: reipsum tamen etiam puniet Deus, eò quòd iniustè eum contemnas. Quamuis enim honorem ille non promeretur ob improbam suam vitam: est tamen illi debitus propter Statum Sacerdotalem, in quo maner. Discе (ait S. Gregorius) à a *Rege: Dauide, qui noluit mittere manum suam in regem Saulem*, quamuis sciret eum esse impium & reprobatum à Deo; sed quia *Christus Domini erat*, noluit ipse eum punire. Cùm igitur Sacerdotes sint Christi, hoc est vncti Domini, & consecrati ad Sacrificium ei offerendum: ne audeas tu de eis murmurare, aut obloqui, aut alio modo iniuriam eis inferre, aut contemnere: memor eius, quod scriptum: est: b *Nolite tangere Christos meos: & in Prophetis meis nolite malignari*; & c *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Memor esto (ait S. Chrysostomus) Christum Dominum nostrum dixisse: d *qui vos spernit, me spernit.* Et quamuis Deus indignorum Sacerdotum vitam non approbet: propterea tamen non desinet eos honorare, eadem opera præclara per eos faciens, quæ facit per dignos. Nam per indignos verè, baptizat, consecrat, absoluit, & iustificat. Cùm igitur ab eis etiam indignis accipias hæc dona: æquum est, eosdem honorare ac venerari. Quod si malis etiam prælatis est parendum & e *omnia quæcunque dixerint seruanda sunt & facienda*, etiamsi ipsi mali sint: eò quòd *super cathedram Christi sedeant*: pari ratione sunt venerandi: Quemadmodum enim loquitur per malos prælatos verba, quibus obedire debes: ita per eosdem egregia & præclara facit opera, quæ meritò debeas venerari. In qua re Deū ipsū plurimum honoras: deferendo enim honorem Sacerdoti, qui ob suā malā vitam honorē non promeretur: satis apertè ostendis te in eo Christum honorare; & ipsius tantū amore venerari eius ministrum; tantique facere dignitatem ei ab ipso Christo collatam: vt improba ministri vita non te impediat, quò minùs eum honorem deferas dignitati: quem si subtrahas, indicium est, te parui facere ipsam dignitatem. Ac propterea S. Ignatius martyr dixit: Qui Sacerdotes inhonorauerit, Deū inhonorat, & Dominum Iesum Christum primogenitum omnis creaturæ

a *Lib. 2. Epist 31.* a *1 Reg. 4. 7.*

b *Psal. 04. 15.*

c *Zach. 2. 8 Homil. 2. in 2. Timot.*

d *Luc. 10. 16*

e *Matt. 23. 3*

Epist. 10. ad Smirnens.

Quod

Quod si non est honor denegandus Sacerdoti, eò quòd sit improbus: multò minus est denegandus, eò quòd sit pauper. Si enim diuitem tantũ nobilem, aut potentem honore prosequaris: certum præbes indicium, quòd mundanum tantùm honorem deferas, propter deuitias, nobilitatem, aut potestatem quam in hoc mundo habet; non verò quòd Sacerdos sit Christi: siquidem non defers honorem pauperi, qui æquè Sacerdos est, atque diues. Si Sacerdotium veneraris; vbicunque illud sit, est venerandum: eò quòd insigne sit Christi, & participatio altissimi eius Sacerdotij: summi reputans felicitatẽ (quod S. Catharina Senensis faciebat) quod possis terram osculari, quam ille calcat; agnoscens in eo ipsum Christum. Propterea siquidem Ecclesiasticus vtrumque honorem coniunxit, cum dixit: *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.* Vt autem facilius intelligatur de quo honore sit sermo, subiungit: *da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum & purgationis*, & oblationis: Nam hic honor alimentorum debetur etiam parentibus. Et quamuis illi mali sint: non propterea sunt illis haec dona deneganda: siquidem neque ipse Dominus propter illorum improbitatem aufert illis facultatem dandi nobis dona sua, quæ sunt diuina.

In eius vita f *Eccl. 7. 31.*

Epist. 137, ad Hiponenses.

SED ne silentio prætereamus duo alia insignia documenta magni Doctoris Ecclesiæ S. Augustini, quorum *alterum* tradidit suis ciuibus & subditis Hiponensibus, dicens eis: etiamsi vnus Clericus, aut Monachus esset improbus: ne statim reliquos ipsi tales esse existimarent: sicut non propterea, quòd vna vxor sit adultera, existimandum est, omnes esse adulteras: cùm in omnibus statibus sint mali & boni. Et quando Sancti reprehendunt scelestos Sacerdotes: nõ existimant omnes esse tales; siquidẽ etiam laudibus extollunt bonos, Et potiùs quemcunq; non videris esse apertè malum; existimare debes esse bonum. Et quamuis deprehendas illum in re aliqua malum: non debes cogitare eum esse in omnibus talem, cùm possit in multis esse bonus; nec si videas in aliquem actum malum impegisse; credendum est, semper illum in eundem impingere: nam qui hodie sacrum Missæ cum exigua reuerentia peregit: cras fortè faciet cum valde magna. Tutius autem erit apud te excusare, quantum fieri poterit, defectus & lapsus Sacerdotum, aut certè oculos claudere, ne illos videas. Quemadmodum magnus ille Constantinus noluit legere Memoriales querelarum, quas alij Episcopi contra alios scripto proponebant. Cuius exemplo vtitur S. Gregorius ad Mauritium Imperatorem, petens ab eo vt Sacerdotes magno in honore haberet. quos Deus ipse ita honorat, vt vocet Angelos ac Deos. *Alterum* Documentum S. Augustini est: ne quis ex malo improbi Sacerdotis aut Prælati exẽplo, malum facere discat; siquidem non propterea (ait) erit excusatus. Si enim dixerit Christo; Domine vidi

Lib. 4. Epist 75. Serm. 40 de verbis Dm.

tuam

tum Sacerdotem impiè viuentem : ac propterea ego eodem modo vixi. Respondebit tibi: serue nequam, non sciebas quid ego de talibus Sacerdotibus dixerim : g *quæcunque dixerint vobis seruate & facite , secundùm opera verò eorum nolite facere*: Quod si vrgeas ; Domine Episcopi & Clerici non faciunt , quæ tu iubes, ergo cogere me vis ad ea facienda ? Attende , te in hac controuersia non quærere bonum patronum, ad tuendum ius, quod reuera non habes; sed socium alium adhibes eiusdem pœnæ dignũ. Nunquam enim Christus Dominus patrocinabitur in iudicio ei , qui sua peccata excusauerit , quòd improbum aliquem sit imitatus. Et quemadmodum cùm Dæmon aliquos decipit , non id facit, vt cum eis postea regnet ; sed vt simul pœnas cum eis sustineat : ita quicunque improbos imitantur : socios sibi adiungunt, cum quibus in inferno patiantur; non verò patronos, aut tutores, cum quibus regnent in Paradiso. Tutius ergo est, cùm Deus in Ecclesia sua multos habeat bonos Sacerdotes , illos in vita imitari , vt tui sint socij & aduocati in gloria. Sacerdos igitur consilium illud S. Hieronymi amplectatur dicentis : Si in Clericum electus fueris, agito quæ Clerici sunt, & inter ipsos sectare meliores : quia in omni coditione & gradu optimis mixta sunt pessima : hæc debes fugere , & illa amplecti , conando strenuè mortificare , & ex anima tua prædicta vitia euellere , contrarijs verò virtutibus eam exornare. Nec satis tibi sit excellentia & virtus exterior , quæ exteriùs tantùm nitet : sed interiorem habere stude , quæ spiritum reformat. Parum certè tibi proderit, quòd in tuis exterioribus , quæ homines vident , compositus valde sis , & exemplum ædificationis præbeas : si interiora , quæ solus Deus videt, & vbi Christus præcipuè inhabitat , sis turpis ac deformis. Compellabit enim te Saluator noster h *sepulchrum dealbatum, quod foris apparet hominibus speciosum, intus verò plenum est ossibus mortuorum & omni spurcitia.* Quid enim magis horrendum esse potest, quàm Sacerdotem, qui viuentis Christi sepulchrum est viuum , admittere simul fœtida mortuorum ossa , hoc est vitia & peccata. Et quid prodest, *mundare quod de foris est calicis* , in quem reponendus est sanguis Iesu Christi: si *intus est* sordibus , *& immundicia plenus?* dicet tibi ipse Dominus : *Pharisæe*, & Sacerdos *cæce, munda priùs quod intus est calicis , vt fiat id , quod de foris est mundum.* Si enim interior pars corrupta est , non poterit diu consistere virtus , quam exteriùs præfers. Nam statim vitium erumpet exteriùs , & ex suis actibus se prodet : si autem interior pars sit munda ; ex ea fiet , vt opera prodeant munda & perfecta ad honorem Dei , & bonum proximorum exemplum.

g *Matt.* 23. 2.

h *Matt.* 23. 27.

versu. 25.

Quod si tunc homines malitia suate contẽpserint : Deus tuebitur te

tuasque aget partes, sicut egit partes Moysis, cùm sua sorore i *Maria* contemneretur; & cum k *populus murmuraret* contra ipsum & Aaron: descendit enim gloria Dei ad eos honorandos, & protegendos; & ingenti alio miraculo honorauit & confirmauit ipsum l *Aaron in Sacerdotio*. Est enim valde propensus Deus ad honorandum eos, qui ipsum honorant; & libentissimè videt bonos suos ministros ab aliis in honore & veneratione haberi. Quod si magna damna proueniunt ex occasione improborum Sacerdotum: etiam sunt ingentia valdeque gloriosa bona per bonos Sacerdotes prouenientia: per quos etiam damna improborum reparantur. m *Aaron* enim *accepto thuribulo & hausto igne de altari flammas* extinxit *quæ populi multitudinem vastabant*. Samuel etiam damna reparauit, quæ prouenerant ex negligentia Heli; & Esdras, quæ orta fuerant ex peccatis Regum Iuda; & summus Sacerdos n *Onias* adeò fecit egregia facinora in populo suo, vt Ecclesiasticus non faciat finem ea exaggerandi: quê propterea confert cum rebus omnibus preciosis cœlestibus ac terrenis. Quamobrem summo fuit honore dignus; & qui eum fuerint in sanctitate imitati, afficientur à Deo præmijs eiusdem gloriæ. Denique celsitudo & sanctitas Sacerdotalis statûs & ingentia bona, quæ per Sacerdotes accipimus, innotescent magis ex præstantia & vtilitate ministeriorum eorum, quam in sequentibus tractatibus fusiùs proponemus.

i *Num.* 12 1
k c. 16. 43
c. 17. 8.
m *Num.* 16 46.
n *Eccli.* 50

TRACTATVS SECVNDVS.

DE SACROSANCTÆ MISSÆ SACRIFICIO; AC DE PERFECTIONE QVA ILLVD SIT CELEBRANDVM, & audiendum.

CAPVT I.

ESSE OBLIGATIONEM OFFERENDI DEO SACRIFICIA ob diuersos fines; ualdeque conuenies, vt vnum aliquod esset infinitæ dignitatis, & valoris pro omnibus.

PRIMVM AC præcipuum Sacerdotum Munus est offerre Sacrosanctum Missæ Sacrificium: cuius nunc excellentias aggredimur. Ad quarũ maiorẽ notitiã rem paulò remotius auspicabimur: hoc præmisso fundamento: quod lex Naturalis sit cordibus nostris infixa, quæ nos impellit ad honorẽ, adorationẽ, & reuerentiam magno Deo ac Domino nostro deferendam, ob infinitam eius maiestatem & excellentiam; & propter dona, quæ ab immensa eius liberalitate accepimus. Si enim Diuino præcepto obstricti sumus ad nostros parentes honorandos propter Esse quod nobis dederunt? quantò magis tenebimur Creatorem nostrum honorare, à quo & illi ipsi, & nos accepimus Esse, vitam, alimenta, & omnia, quæ habemus, bona? Et cum ex anima & corpore compositi simus, & vtrumque à Deo acceperimus: ideo honorare illum tenemur, non solùm actibus animæ internis, sed externis etiam corporis actionibus: quibus coram cæteris hominibus manifestemus reuerentiam & subiectionem nostram erga eum. Hinc autem duo oriuntur sacrificiorum genera, quibus Deum possumus honorare: alterum generale, quod ex pietate ac deuotione cuiuscunque fidelium oritur; de quo genere ait S. Augustinus: quodcun-

S. Tho. 2. 2. q. 84. a. 1.

Lib. 10. de ciuit. Dei. c. 6.

quodcunque opus bonum, in honorem Dei, & nostram beatitudinem consequendam directum, esse Sacrificium. Quo nomine Scriptura Sacra
e Psal. 50. 19. apellat a *cor contritum & humiliatum*; orationes & laudes Dei, ipsam carnis macerationem, eleemosynas, & quæcunque dona ad cultum Diuinum
2. 2 q. 85. a. 3 ad 4. & a. 4 ad 3. offeruntur: quæ tamen magis proprio nomine (vt S. Thomas ait) *oblationes* dicuntur. Et eadem ratione omnes fideles Scriptura Diuina appellat Sacerdotes: eò quòd hoc modo creatori suo offerant Sacrificia. Sed est aliud sacrificium verum ac proprium à Deo Domino nostro institutum aut ab eo, qui eius habet authoritatem, ad ipsum eo modo honorandum, quo ipse vult ab hominibus honorari, in signum infinitæ suæ excellentiæ. Et in tali sacrificio (quodcunque illud sit) quatuor (vt S. Augustinus
Lib 14 de Trinit. c. 4. aduertit) sunt consideranda: persona scilicet, *cui offertur*, *ipse offerens*, *res oblata*, & *in cuius vtilitatem*, aut in quos *fines* dirigatur.

§. I.

1 PRIMVM Is, cui Sacrificium offertur, est solus DEVS Trinus & Vnus in testimonium veræ ipsius Diuinitatis, & ad ipsum adorandum adoratione Latriæ, quæ propria est solius Dei: ac propterea
S. Thomas. 2. 2. q. 5. a. 2 mortis pœna constituebatur in lege antiqua ei, a *qui immolaret Diis, præterquam Domino soli*: quia cæteri Dij sunt falsi, & omnis honoris indigni. Et
a Exod. 22. 20. quamuis Ecclesia (vt ait S. Concilium Tridentinum) in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas celebrare consueuerit;
Sess. 27. c. 3 ex S. Aug. 4 de ciu. c. 27. non tamen illis Sacrificium offerri docet; sed Deo soli, qui illos coronauit: quare nec Sacerdos dicere solet: offero tibi Sacrificium Petre vel Paule; sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat: vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. 2 PERSONA offerens hoc Sacrificium, est verus Sacerdos, ad id authoritate eiusdem Dei constitutus. Quamuis enim omnes fideles offerre ei possent dona & oblationes modo prædicto: non est tamen eis concessum, vt publicum offerat Sacrificiũ, quo honor Deo defertur à tota Ecclesia, & Christiana Republica; sed iis tantùm, qui nominatim sunt
b Hebr. 5, 1. Sacerdotes ad id constituti; iuxtà illud Apostoli: b *omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & Sacrificia pro peccatis*. 3 neque pro arbitratu suo licet ei eligere
2. 8 3. *quæ* sunt *offerenda*: nam & illa sunt constituta per eandem Dei authoritatem vt signa sint supremi honoris & cultûs, quem vult sibi deferri. Quod, vt cõstet manifestiùs, ipsas etiam cæremonias, quibus res illę sunt offerẽdę, præscribit: ex quib. notũ fiat, ea esse signa sacra, & honorẽ significãtia, qui soli Deo exhibetur. Hunc in modũ in Lege naturali, speciali suo instinctu

docuit

docuit Abel, Noe, Melchisedech, & Iob Sacrificia, quæ offerre ipsi deberet Id quod ita esse ex eo apparet, quod de Noe scribatur: quod c *tollēs de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulerit holocausta super altare Domino.* Vocat autem mundas (vt aduertit S. Chrysostomus) eas quas D. N. designauerat, vt ipsi in Sacrificio offerrentur: siue id reuelauerit ipsi Noe, siue eius prædecessoribus Seth, & Enoch: per quorum traditionem id nouerat. Sed clariùs adhuc, ac distinctiùs in Lege veteri instituit duo rerum genera, quæ ipsi offerrentur; & duo similiter genera Sacrificiorum: quædam cruenta, quibus animalia & aues mactabantur; alia incruenta, quibus terræ fructus offerebantur: quales erant tortæ panis, vinum & oleum: in quibus speciales aliquæ cæremoniæ adhibebantur; aut in altum eas eleuando, aut in partes secando, aut comburendo igne communi, aut aliquo ignis genere, aut eas effundendo, aut aliquid ex eis comedendo: vt eo modo Deum honorarent, quo ipse volebat. Nam aliàs (vt S. Augustinus ait) Sacrificium de rebus, aut cum cæremonijs ex proprio offerentis capite adinuentis, non Religionis, sed vanæ superstitionis opus haberetur. Denique ij, pro quibus Sacrificium offertur, sunt fideles id petentes: qui olim tradebant Sacerdoti res pro ipsis offerendas: & hoc nomine dicitur etiam de eis, quod offerant Sacrificium per manum Sacerdotis, cui oblationis materiam tradiderunt.

Ex His apparet, verum Sacrificium (& idem suo modo intelligendum est, de quacunque oblatione) duplicem habere actum; alterum internum, alterum externum, quos S. Augustinus appellat sacrificium inuisibile & visibile: & visibile esse signum inuisibilis; quod consistit in actibus intellectus & voluntatis: intellectu enim agnoscitur Deus esse primum principium, vltimus finis, & supremus rerum omnium Dominus; voluntate autem optat se subijcere ei ex toto corde, & opere externoque signo, quod ipse constituit, Diuinam eius excellentiam confiteri ac protestari. Et hoc interius Sacrificium dat Esse & vitam externo & visibili: quod consistit in eo opere, quod Sacerdos adhibet circa res, quas offert. quo opere res illæ sanctificatæ remanent, & veluti sacratæ, Deoque ipsi dedicatæ: vt apparet in Sacrificio Agni Paschalis & panum Propositionis. Et quoniam huius operis possunt esse tres quatuorve fines & motiua præcipua: colligit S. Thomas: Deum D. N. in antiqua Lege tria solemniorum Sacrificiorum genera constituisse. *Primum* ac principale erat, ad honorandum Deum propter infinitam ipsius maiestatem: quo offerens optabat, plenè sese coniungere cum ipso per amorem accensum & inflammatum. Ac propterea totum comburebatur igne: & vocabatur *holocaustum*; quod significat omnino combustum & consumptum.

c *Genes. 8. 24. Homil. 24 in Genesim. Vide Pererium lib. 11. in Genes. Disput. 2.*

4

Lib. 5. de ciuit. c. 5.

S. Tho. 2.2. q. 85. a. 7. ad 2.

2.2. q. 101. 3 ad 8.

Secundum Sacrificium erat, ad gratias Deo agendas ob accepta beneficia & tunc appellabatur Sacrificium *laudis & gratiarum actionis.* Quod si offerebatur ad petenda, & recentia beneficia obtinenda, vocabatur etiam *hostia pacifica*: quia eius finis erat impetrare salutem & pacem corporis & animæ pro ipso offerente. Et in vtroque casu ipsum munus, quod offerebatur, in tres diuidebatur partes. Prima consumebatur ad honorem Dei; Secunda tradebatur ipsi Sacerdoti in alimentum; tertia reddebatur ipsi offerenti in signum quòd huiusmodi beneficia proueniant à Deo per eius Ministros, in bonum & vtilitatem eorum, qui ipsum honorant, gratosque se exhibent, & remedium suarum necessitatum ab eo petunt. *Tertium* Sacrificium erat, ad satisfaciendum pro peccatis: quod propterea appellabatur *hostia pro peccato*, aut *Sacrificium Propitiatorium.* Tendebat enim ad placandam iram Dei, eumque reddendum propitium ad ea remittenda. Et hoc diuidebatur in duas partes: quarum altera igne absumebatur; altera verò tradebatur Sacerdoti: nihil verò reddebatur offerenti: vt significaretur nullum peccati vestigium debere in ipso remanere. Et propter eandem causam, cum Sacerdos illud pro suo proprio peccato, aut pro communi omnium offerebat: consumebatur totum Sacrificium, nulla parte sibi retenta: vt significaretur, nec vllum quidem signum remanere culpæ. Sed cum illa Sacrificia essent imperfecta, non efficiebant quod significabant; nec propria virtute maculas mundabant animæ: nisi tanta esset offerentis deuotio, vt ad id sufficeret: eò quod verè perueniret ad veram contritionem.

§. II. *Necessitas Sacrificii cuiusdam, quod infiniti esset valoris.*

EX DICTIS incipere licet in lucem deducere necessitatem, cur Deus instituerit in mundo Sacrificium aliquod excellentiæ infinitæ: quod posset ipsi offerri ob tres quatuorue fines, ad quos dirigebantur Sacrificia. Omnia enim illa quandam rationem habent amplitudinis adeò infinitæ, vt nullum Sacrificium, nisi quod sit verè infinitum, possit ei adæquari. Nam primum si excellentiam ipsam Diuinam intueamur, ad cuius honorem Sacrificium præcipuè dirigitur: satis apparet eam esse omni ex parte infinitam; eiusque Sapientiam & magnitudinem non habere finem. Omnes enim Sacerdotes huius mundi in eius conspectu sunt quasi non essent. Et vt Isaias dixit: omnia ligna a *montis libani non sufficient ad succendendum, & animalia eius non sufficient ad holocaustum.* Quamobrem dixit Micheas: b *Quid dignum offeram Domino? Curuabo genu Deo excelso? nunquid offeram ei holocaustomata & vitulos anniculos?* quæcunq; creata sunt, censentur nihil, si cũ eo conferantur, quod Deus promeretur: eò quòd sit is qui est: quomodo igitur aliquid offerri potest quod sit par Deo, immen-

a *Isaia.* 40. 16.
b *Mich.* 6. 6.

sæ adeo

sæ adeò Maiestatis? Quod si beneficia ipsa aspiciamus, pro quorum gratitudine Sacrificium offertur: Illa quoque sunt infinita: eò quòd eorum largitor sit infinitus, & amore infinito illa tradat; eorumque numerus etiam sit infinitus: imo eorum multa præstantiam habent infinitam, quatenus eleuant nos ad Esse gratiæ, & naturæ Diuinæ participationem, ac gloriæ illius hæreditatem. Et omnia illa simul excessum efficiunt adeò infinitum, vt stupefactus Dauid dixerit; c *Quid retribuã Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et quæ Sacrificia offerre illi possum, quæ tantis beneficijs possint respondere? Quicquid enim ego habeo, nihil est; si conferatur cum plurimis, quæ ipse mihi donauit, ac promisit. Hoc ipsum dicere licet, si attendamus ad beneficia, quæ per Sacrificiũ intendimus impetrare: quæ etiam sunt infinita, & omnia excedunt, quæcunque habemus, & pro illis offerre possumus. Cum dixerit Apostolus: d *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Meminit verò passionum, siue afflictionum potiùs, quàm aliorum operum: eò quòd illæ maiorem homini adferant molestiam & pœnam; & ex eis confici potest Sacrificium maximarum expensarum, quas possimus Deo offerre, ad impetranda præmia nobis promissa. Quid autem dicam de peccatis pro quorum remissione Sacrificium offertur? quæ (vt ait S. Thomas) suam etiam habent infinitatem: eò quòd tendant contra Deum. Eò enim grauior censetur offensio: quò maior est persona offensa: cumque Deus infinitæ sit magnitudinis & amplitudinis: ita iniuria in eum facta, est quoque infinita, vt nullum puræ creaturæ Sacrificium possit ei æquiparari. & in hoc sensu dixit Micheas Propheta: e *quid dignum offeram Domino?* quod meæ culpæ sit par? *nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Quod etsi facere liceret: adhuc id totum esset modicum, ad satisfaciendum pro delicti mei grauitate. Et pari ratione modicum conferetur, ad reddendum debita æqualia pœnis per nostras culpas promeritis. Pœna enim, quam dicunt *Damni*, eo nomine est infinita, quòd Priuet in æternum clara Dei visione; pœna quoque *sensus* est infinita quoad durationem: vtraque enim est æterna in ipso inferno. Ideoque damnatus dicere etiam potest, quod est apud Iob scriptum: f *peccaui & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi?* Cùm igitur Dei Maiestas videret omnia Sacrificia, quæ puri homines offerre possent, esse finita & limitata: tam ex parte rei, quæ offertur, quàm ex parte ipsius offerentis; (cùm enim vtrumque sit res creata: non potest valorem & vim habere, quæ non sit limitata) decreuit profundissima ac benignissima prouidentia conferre homini infinitam dignitatem Dei, coniungens Verbi Diuini Personam cum humana natura: vt Sacrificium quoddam offerre pos-

2

c Psal. 115. 3.

3

d Rom. 8. 18.

4

3. p. q. 1. a. 2 ad 2.

e Mich. 6. 7.

f Iob. 33. 27.

5

set in-

set infinitum, tam ob infinitam offerentis dignitatem, quam ob infinitum rei oblatæ valorem, quæ erat ipsemet Deus Incarnatus. Quis (vt S. Thomas aduertit) simul fuit Sacerdos & Sacrificium: & in vtroque infinitus. Nam Sacerdos infinitus non debuit nisi oblationē infinitam offere; & infinita oblatio non debuit ab alio præcipuè offerri, quàm à Sacerdote infinito. Et quemadmodum vt esset Sacerdos, necesse erat, esse hominem (nam, vt Apostolus, dixit: g *Omnis Pontifex ex hominibus assumitur, & pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum*:) ita etiam oportebat esse Deum, vt Sacrificium eius valorem haberet & virtutem infinitam. Et quamuis quælibet Diuinarum Personarum potuisset hoc opus æque excellenter expedire; eò quòd in omnibus sint æquales, & vnus, idemque Deus: disposuit tamen Diuina sapientia: ne prima persona, hoc est Pater, fieret homo: nam cùm ipse principium esset & origo reliquarum duarum: potiùs competebat ei, vt esset persona, cui sacrificium offerretur, & ipsa illud acceptaret: quàm esse Sacerdotem, qui illud offerret, & conuenientiùs iudicatum est, vt vnigenitus eius filius fieret homo, esseque Sacerdos: cuius figura in lege Naturali fuit, quod primogeniti succederent suis parentibus in Sacerdotio: honorando hac ratione officium ipsum & sic ostendendo magnam opinionem & æstimationem, quam de hoc opere haberet, ac de finibus, ad quos dirigebatur; & ingentem amorem, quo nos prosequebatur: cùm daret nobis maximum Sacerdotē & Sacrificium; quod eius diuina Sapientia adinuenire, & Omnipotentia eius perficere potuit, quo facto simul nos obligat, vt ipsum amemus, omnibusque nostris viribus glorificemus; & opus hoc, vt par est, magni faciamus, & in nostrum commodum illud conuertamus: offerentes ei ex parte nostra rem preciosissimam, quam habemus: cor scilicet nostrum, & internorum affectuum nostrorum primogenitum: hoc est ipsum amorem: offerentes hoc nostri ipsorum Sacrificium in gratiarum actionem pro eo, quod magnus hic Dominus pro nobis obtulit, cum circumstantijs modisque adeo præcellentibus; vt vel ea audientibus stuporem adferant: vt in capite proximo apparebit.

3 p. q. 22. a. 2.

g *Hebr.* 5. 1.

CAPVT

CAPVT I.

DVO STVPENDI MODI QVIBVS CHRISTVS DOMINVS Noster suipsius Sacrificium obtulit; & vterque est excellentiæ infinitæ.

SED VLTERIVS PROGRESSA EST INFINITA Dei nostri charitas in modo offerendi hoc Sacrificium. Nam ad eos fines obtinendos, ad quos Sacrificia instituuntur, etiam cum ea excellentia, quam prædiximus, suffeciſſet quæcunq; oblatio, quam Verbum Diuinum incarnatum de aliqua re sua feciſſet; etiamsi corpus accepiſſet immortale & impatibile: quale habebat Adamus in Statu innocentiæ. Quilibet enim actus charitatis & obedientiæ, quem ille feciſſet, fuiſſet valoris infiniti: eò quòd eſſet actus Dei & hominis. Sed ita tamen Diuina Sapiẽtia rem diſpoſuit: vt corpus acciperet mortale, & patibile, vt illud in Sacrificio offerret, tradens illud in mortem in ligno crucis, vt pro culpa Adami ſatisfaceret; morteq; sua redimeret mortem, in quam ille, vetitæ arboris fructũ comedens, incurrerat. Et hoc eſt, quod prædixit Pſalmiſta, vt Apoſtolus perpendit, cùm dixit, ingredientem Saluatorem in hunc mundum, dicturũ æterno suo patri: a *Quia hoſtias, & oblationes, & holocauſtomata pro peccato noluiſti: corpus aptaſti mihi*, quod ſacrificari poſſet: *& tunc dixi: ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis IESV Chriſti*, quam *ſemel* fecit.

a *Heb.* 10. 8. *Pſal* 39. 7.

§. I. *Sacrificium Paſſionis.*

MODVM, quo id geſtum eſt, licet intueri, cogitantes: Verbum Diuinum incarnatum in primo suæ conceptionis inſtanti in viſceribus Sacratiſſimæ virginis apertè vidiſſe: æternum suum Patrem committere ſibi officium ſummi Sacerdotis Legis suæ Nouæ, vt antiqua abrogaretur; & ſtatuiſſe Sacrificium corporis & ſanguinis ſui, quod in ara crucis oblaturus eſſet, loco Sacrificiorũ antiquorum, quæ inania erant & vacua, & tantùm vmbræ quædam, & figuræ huius Sacrificij. Quod officium cùm ipſe acceptaſſet: æternus eius Pater ipſum vnxit, tanquam ſummum Sacerdotem, oleo gratiæ & lætitiæ, conſtituens eum caput Eccleſiæ totius. Et ideò vocauit illum Chriſtum, hoc eſt vnctum. Et tunc ſtatim ipſe Sacrificium internum ſuiipſius obtulit: quod conſiſtit in generoſa quadam voluntate, qua ſummus hic Sacerdos ſeipſum obtulit æterno Patri, cum eo animi decreto, vt corpus ſuum morti traderet pro redemptione mundi, eo tempore & loco, eoque modo, quo eius pater ipſi conſtituerat. Et in hac *voluntate* (ait Apoſtolus) *ſanctificatos nos fuiſſe*: quia illo

suo actu sanctificationem nostram fuit promeritus; & eum actum voca
oblationem corporis Iesu Christi: additque eam fuisse factam *semel*: nam e
quo fuit incarnatus, donec in cruce expirauit, per totam eius vitam fu
vna oblatio & Sacrificium continuatum; in quo quotidie aliquid facie
bat & patiebatur, quod ad integram huius oblationis perfectionem per
tinebat cum magno semper desiderio adiungendi, quod de re ipsa dectar
donec in cruce dixit: a *consummatum est*, meum scilicet Sacrificium. Quod
etiam ipse insinuauit, cùm filijs Zebedæi (vt refert S. Marcus) dixit: b
potestis bibere calicem, quem ego bibo: aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari
his enim verbis insinuauit, se continuè bibere calicem Passionis; & in
ternorum dolorum baptismo baptizari; offerens acerbum illud Sacrifici
um sui ipsius pro nobis. Vt autem etiã intelligeretur, ipsum nõ eo solo ele
contentum, refert S. Matthæus, dixisse illis: c *potestis bibere calicem, quem*
ego bibiturus sum? ita significans: se exspectare ac desiderare calicem, & e
ternum suæ Passionis baptismum; vt eius Sacrificium consummaretur. Et
quamuis executores cruciatuum & Passionis eius fuerint Dæmones, Iudæi
& Gentiles, qui eum comprehenderunt, flagellarunt, & crucifixerunt;
tamen cum ipsemet Dñs sponte sua ad hæc omnia pro nostra reparatio
ne se obtulerit: ipsemet, & non alius, obtulit hoc Sacrificium tanquam
summus Sacerdos, iuxtà illud Isaiæ: d *oblatus est quia ipse voluit*, & Apostolus ait: e *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationẽ & ho*
stiam Deo in odorem suauitatis. Et hoc nomine fuit hoc Christi Sacrificium
significatum per illud f *Isaac*; cũ scilicet pater eius *Abraham voluit illũ offere*
in holocaustum, vt obediret Deo, id sibi præcipienti. Et S. Thomas aduer
tit, in tota scriptura sacra non legi, quod Isaac obtulerit aliquod Sacri
ficium, sicut cæteri Iusti, vt ex eo intelligatur generosam illam voluntatem
qua se obtulit Patri suo, vt sacrificaretur, fuisse excellentissimum Sacri
ficium & sui ipsius oblationem: in qua referebat Sacrificium Iesu Christi
D. N. quod cùm adeo esset excellens, ac præstans, non opus fuit alterius
mentionem facere.

Ex quo fit, vt hoc vnico Sacrificio perfecerit Christus Dominus noster
exactissimè, quod spectat ad tres illos fines & fructus Sacrificiorum. Nam
(vt idem S. Thomas asserit) hoc solum fuit Sacrificium Propitiatorium
pro peccatis; hostia Pacifica pro beneficijs; & holocaustum ad honorem
Dei. Quamuis autem omnia hæc simul fuerint in Passione Christi Domi
ni quo ad nos; in singulis tamen est aliquid speciale perpendendum. Nam
per eam Christus Dominus noster summè glorificauit æternum suum
Patrem; & summum quem potuit detulit honorem, in testimonium
obedientiæ & subiectionis, quam exhibebat quà homo, agnoscens
Patrem, quà Deum, se maiorem. Ac propterea in oratione, quam

fecit

a Ioã. 19 30
b Marc. 10. 38.
c Matt. 20. 22.
g Tho. 3. p. q. 22 a. 2 ad 1. & 2; & q. 48 a. 3.
d Isaiæ 53. 7.
e Ephes. 5. 2
f Genes. 22.
2. 2 q. 85. a. 1. ad. 3.
h p. q. 22. a. 2.

fecit post vltimam cœnam, dixit: g *Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam.* Quodnam autem opus illud fuit, nisi ipsa mundi redemptio mediante ipsius passione, quam sibi imminentem tanquam præsentem aspiciebat? qua clarificabat & honorabat Patrem, à quo fuerat ipsi commissa. Et cur Abraham filium suum Isaac obtulit in holocaustum? non sanè propter peccata; quia nulla eorum tunc facta est mentio; sed in testimonium obedientiæ, & fidelitatis, quam erga suum Deum gerebat. qui propterea ei dixit: h *nunc cognoui quod times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* Ita etiam Iesvs Christvs D. N. obtulit se in mortem, in signum reuerentiæ & obedientiæ, quam erga suum Patrem habebat; idque tali affectu & promptitudine: vt, si ille iussisset offerri sibi illud Sacrificium, non propter mundi peccata, sed eo solo nomine, quod libenter videret eum in tali actione sibi seruire: Christus Dominus cùm summa sua voluptate Patri obediuisset, vt sua illa oblatione eum honoraret, & ostenderet accensissimum ignem amoris, quo holocaustum hoc suiipsius ei offerret. Idem holocaustum obtulit etiam in gratiarum actionem propter omnia beneficia, quæ ipse, quà homo, & reliqui homines ab æterno suo Patre acceperant: ipsius siquidem nomine interrogans Dauid: i *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem* (inquit) *salutis accipiam*, hoc est calicem Passionis & mortis, *quæ est pretiosa in conspectu Domini.* Eundem etiam obtulit calicem, vt impetraret sibi beneficium glorificationis corporis sui, quæ illi deerat; nobis verò omnia bona gratiæ, in quibus nostra Sanctificatio consistit. Quod Apostolus insinuauit, cum dicens Christum Dominum esse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, statim adiecit: k *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.*

Præcipvè tamen hoc Sacrificium Passionis oblatum fuit ob remissionem nostrorum peccatorum, & pœnarum, quibus propter illa eramus digni: vt nostra redemptio valde esset copiosa: exsoluit enim omnia debita nostra non solùm ad æqualitatem, sed etiã cum infinita superabundantia. Nam etsi peccata nostra multò plura fuissent, & absque numero: valor huius Sacrificij & suffecisset pro omnibus, & pro totidem alijs superfuisset. Ita tamen hic finis est magis præcipuus: quod, nisi fuisset peccatum, non obtulisset Christvs Dominus Noster tale Sacrificium.

Et in hoc sensu Concilium Ephesinum anathematizat dicẽtem: Christũ

g *Ioan.* 17. 1. 4.

h *Genes.* 22. 12.

2

i *Psal.* 115. 12.

3

k *Heb.* 5. 7. *S. Tho.* 3. p. q. 22. a. 4. ad 1.

4

Dominum noſtrum obtuliſſe Sacrificium pro ſeipſo, & non pro nobis tantùm: nō enim (inquit) opus habet Sacrificio, qui caret peccato: cumque Chriſtus Dominus nullum habuerit: ideò non opus habuit pro ſe offerre Sacrificium, quod appellabatur Propitiatorium pro peccatis. Sed illud obtulit pro nobis: nam vt S. Ioannes dixit: l *Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & totius mundi*: quatenus in hoc ſacrificio dedit pretium ſanguinis ſui, qui eſt infiniti valoris: vt propter eum poſſent omnes peccatores integram ſuorum peccatorum remiſſionem obtinere: ita vt non indigerent alio ſacrificio, per quod nouum aliquod pretium ſibi quærerent ad reddendum pro illis. Et in in hoc ſenſu dixit Apoſtolus ad Hebræos: *Chriſtum Dominum noſtrum non* opus habuiſſe vt m *ſæpe offerret ſemetipſum in ſacrificium: alioquin oportuiſſet eum frequenter pati ab origine mundi*, ad remittenda peccata, quæ ſenſim in mundo admittebantur; ſicut *Pontifex intrabat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno*, hoc eſt animalium: eò quòd non ſufficeret vnus eius ingreſſus ad remiſſionem omnium peccatorum. Noſter autem ſummus *Pontifex Ieſus ſemel in conſummatione ſæculorum, ad reſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit*; & n *per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta*: ita vt eam repetere non ſit neceſſe. Et o *omnis quidem Sacerdos quotidie miniſtrat, & eaſdem ſæpe offert hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata: Chriſtus autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, vna oblatione conſummauit in ſempiternum à ſe ſanctificatos.* Quamobrem æquiſſimum eſt, vt omnes eum laudemus, & continuè ei ſeruiamus: qui tam multa facere, & noſtræ reparationis cauſa, pati voluit.

S. Tho. ſup. in Arg. Sed contrà.

l 1. *Ioan. 2. 2*

m *Heb. 9. 25.*

n *verſ. 12.*

o *Heb. 10. 11.*

§. II. *Sacrificium vltimæ Cœnæ.*

MVLTÒ adhuc magis progreſſa eſt ſuperna Dei noſtri prouidentia, & infinita erga nos charitas. Quamuis enim crucis ſacrificium fuiſſet ad prædictos omnes fines abundè ſufficiens: pretiumque & valorem omnino ſufficiens contineret pro infinitis peccatis, & infinitorum mundorum: vidit tamen valde expedire, vt ſacrificium aliquod eſſet, quod perpetuò in Eccleſia, quam recens erigebat, perduraret, memoriamque renouaret Sacrificij paſſionis ſuæ; & cuiuis homini in particulari fructum & pretium applicaret, quod ibi fuit comparatum. Et quamuis ad id ſuffeciſſet aliquod Sacrificium alicuius agni, aut tortæ meri panis, vt olim fiebat: ita, vt quemadmodum agnus, quem Hebræi ſacrificabant, ſignificabat mortem futuram Meſſiæ, quem ad ſuam reparationem expectabant: ita agnus, quem Chriſtiani ſacrificarent, ſignificet mortem iam tranſactam ipſius Meſſiæ, quam ille pro vniuerſo obtulit mundo. Immenſa tamen eius charitas noluit alium agnum, ſed ſeipſum offerri: adinueniens aliud

Sacrifi-

Sacrificium, (si tamen aliud, & non idem diuerso modo est censendum) quo eadem omnia cum infinita quadam excellentia ac dignitate præstaret. Quare in nocte vltimæ cœnæ solennissimum & sacratissimum instituit Sacrificium, cuius materia esset panis, & vinum, non remanente ipso puro pane, & vino; sed consumpta & omnino transmutata panis & vini substantia, & conuersa in propriam suam carnem, & sanguinem cum eius Diuinitate coniunctam, remanentibus tantùm accidentibus, quæ substantias illas tegebant. Vt idem ipse Sancto hoc velo tectus, & sacrificio hoc incruento (quia nulla in eo fit recens sanguinis effusio) referret, & in memoriam reuocaret verè cruentum suæ Passionis Sacrificium, pretiumque & fructum eius applicaret ipsi offerenti: vt particeps esset ipsius oblationis, comedens Diuinum illum panem, & Sacrum bibens calicem. Voluit enim vt simul esset Sacrificium & cibus: non illud in partes diuidendo, quod fiebat in Sacrificiis antiquis; sed totum singulis dando: singuli enim totum Christum comedunt sub specie panis, & totum bibunt sanguinem sub specie vini: vt fiant cum ipso vnum & idem.

Ex quo apparet: in vno eodemque Christo Domino (vt S. Augustinus perpendit) concurrere quatuor illa quæ in alijs Sacrificijs inueniuntur. Nam ipsimet, quà vnus est Deus cum Patre & Spiritu Sancto, offertur ipsum Sacrificium; & quà Deus est & homo, est summus Sacerdos, qui illud offert. Idem Deus & homo, panis & vini accidentibus velatus, est oblatio, quæ offertur. Pro quibus autem offertur, sunt Fideles, quà sunt vnum cum ipsomet Christo: vt ita eos faciat secum esse vnum, sicut ex cibo & comedente illum fit vna res. Ac propterea nunquam hoc Sacrificium est sicut holocausta antiqua, in quibus Sacerdos offerens partem non accipiebat: sed potiùs Sacerdos, qui hoc sacrificium offert, sumere debet ipsum Sacrificium: vt cum Christo vniatur. Et ipsemet Christus, cum in nocte vltimæ cœnæ illud obtulit, etiam sumpsit quod offerebat: non quidem ex necessitate, sed vt exemplum daret eius, quod faciendum erat. ad exprimendam in seipso vnionem, quam in cæteris erat effecturus. Et quamuis tunc non obtulerit per seipsum hoc Sacrificium, propter effectus quos efficit in nobis; obtulit illud tamen simul in testimonium sui erga Patrem suum amoris; & in actionem gratiarum, ob accepta ab ipso beneficia, & victoriæ, quam ipsemet in sua Passione, & fideles in virtute ipsius consecuturi erant contra Dæmones. Eum in modum quo a *Melchisedech* Sacrificium *panis & vini protulit* in gratiarum actionem, ob victoriam quam Abraham de suis hostibus reportauit.

Ex Qvo deducitur: actionem, quam dicimus Sacrificium, in qua integra & perfecta Dinini huius Sacrificij ratio consistit, res duas complecti. *Prima* est consecratio, per quam substantia panis & vini desinit esse,

2 *Lib. 4. de Trinit. c. 14*

S. Thomas. 3. p. q. 81. a. 1

2 *Genes.* 14. 18.

3

& conuertitur in carnem & sanguinem Christi, ad honorandum Deum oblatione adeò pretiosa, in signum quod ipse sit supremus rerum omnium creatarum Dominus. In cuius honorem, vt olim mactabantur & peribant animalia: ita nunc perit substantia panis & vini: in cuius locum succedit caro & sanguis Christi; ad significandam mortem, quam ipse permilit: vt per eam Deum honoraret. Et quoniam hæc mors non repræsentatur exactè & plenè, nisi panis seorsim, & postea vinum consecretur: vt ita significetur, carnem & sanguinem fuisse in illa morte separata: ideò vtraque consecratio ad hoc Sacrificium pertinet; quod tandem perficitur altera illa re, quam offerens præstat: manducatione scilicet & consumptione oblationis: vt sic integrum sit holocaustum, quod totum consumitur & exactè & perfectè repræsentet mortem & sepulturam Domini; & vnionẽ, quam fideles eius cum ipso habent; & vt ad instar hostiæ pacificæ
4 particeps eius fiat oblationis, qui illam offert. Ex his causam etiam licet deducere, cur Christus D. N. Diuinum hoc Sacrificium in forma potiùs panis & vini instituerit, quam alterius cibi: quia scilicet hæ duæ res aptæ valde sunt ad institutum, quod Dominus intendebat: vt scilicet cruentum Passionis eius Sacrificium, & fructus referrent. Nulla enim res plus perfert, antequam ad nostrum nutrimentum perueniat, quam frumentum. metitur enim, trituratur, purgatur, molitur, cribratur, pinsitur, aqua coquitur ad ignem, scinditur cultro vel manibus frangitur; ac denique dentibus conteritur, donec in nostram conuertatur substantiam. Quod si panis, res esset nostræ gratitudinis capax: magnam certè illi deberemus propter tot cruciatus, quos, vt nobis vsui esse possit, tolerat: sed gratitudinem hanc exhibeamus Creatori, qui omnium horum est causa. Hunc igitur in modum Christus ipse Dominus noster, vt eò vsque perueniret vt nostrum esset alimentum, fuit falce mortis abscissus, crucis ligno & clauis trituratus, innumeris persecutionibus in diuersis tribunalibus cribratus, flagellis tanqnã mola quadam contritus, ac denique in furno immensorum laborum excoctus: quorum omnium vt memores simus, voluit panis accidentibus tectus ad nos alendos venire, & vt gratias illi agamus, ob adeò multa, quæ pro nobis fuit perpessus. Et eandem ob causam sanguinem suum texit accidentibus vini: quod, vt in nostrum potum cedat, calcatur in torculari, & grauis trabis pondere exprimitur, deterens botrum siue racemum, in quo antea continebatur, aridum. Ita etiam Christus Dominus noster, vt sanguinem suum in potum nobis offeret, calcatus fuit à suis inimicis, & expressus in torculari crucis, trabe illa adeò graui: ita vt Sanctissima eius caro adeò fuerit compressa, & expressa: vt nihil sanguinis in ea remaneret. Deinde cum panis & vinum proueniant ex vnione multorum granorum frumenti & botri, separatorum à vilioni &

crassiori substantia, cui erant admixta: valdè aptè vnionem referunt fidelium Ecclesiæ Sanctæ: qui vna fide & voluntate in vnum conueniunt ad hoc diuinum Sacrificium offerendum: cuius participatione, quam in Sacra cõmunione accipiunt, purificantur à suis culpis, & imperfectionibus; fiuntque corpus quoddam mysticum, valdeque perfectum; Spiritui charitatis & amoris Dei, ac proximi coniunctum iuxtà illud Apostoli: b *Calix benedictionis, cui benedicimus, communicatio Sanguinis Christi est; & panis, quem frangimus, participatio corporis Domini est: & qui de vno pane participamus,* ac de vno calice bibimus, *vnum corpus sumus.* Ac propterea S. Augustinus ait: Ecclesiam comparari areæ & torculari, in quibus frumenti grana ab stramine separantur; & vinum à botris siue racemis, & vinaceis: quamuis enim in ea & boni & mali sint simul in eodem loco: quantum ad meritũ autem valde alij ab alijs distant; & boni, tales sinnt, cum vitia à se separant, & virtutum ac bonorum operum puritatem retinent; quod impetrãt per ipsa Sacramenta, & virtute horum duorum Sacrificiorum, quæ Saluator noster pro nobis obtulit, vt Sancti perfectè simus.

b 1. Cor. 10 16.

Præf. in 2 Psal. 8.

CAPVT III.

QVA RATIONE SACRIFICIVM MISSÆ IDEM SIT CVM eo quod Christus Dominus noster pro nobis obtulit; & quænam eius sint excellentiæ.

EX hactenus dictis licet intelligere Sacrificij excellentias, quod nunc Sacerdotes in Sancta Ecclesia offerunt, quod communiter vocamus Missam; quia mittitur. Nam (vt sanctus Thomas ait) oblatio hæc è cœlis mittitur in terram: inde siquidem Christus Dominus noster descendit ad Sanctissimum Sacramentũ: Fideles verò per Sacerdotẽ, & omnes per manus Angelorum remittunt ex terra in cœlum, vbi Deo offertur. Summa autem excellentiarum & amplitudinum eius in eo consistit: quod hoc sit idem Sacrificium cum eo, quod Christus D. N. in nocte vltimæ cœnæ coram suis discipul s obtulit: vt ex præclaris & memorandis duabus sententiis, quas eis dixit, facilè deducitur. *Prima* fuit, cum frangens panem, dixit eis: a *accipite & comedite, hoc est corpus meum.* in quibus verbis simul explicuit duo alia opera, in quibus Sacrificij huius substantia consistit: consecrationem scilicet & communionem.

3 p. q. 83. a. 4. ad 9. Vide Suarez tomo. 3. disput 74. Sect. 3.

a *Matt. 26 6.*

Simul

Simul enim dicens & faciens panem, quem porrigebat, conuertit in Sa
cratissimum suum corpus: vt vera essent illa verba: *hoc est corpus, meum*, &
ipsi discipuli, vt Magistri sui præcepto obtemperarent, cum magna reue
rentia illud acceperunt, & comederunt. Et eodem modo calicem vini
plenum eis dedit, dicens: *Bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus*, &
quoniam tunc primum mysterium hoc illis reuelabatur, eratque in se
deò arduum & excelsum: tantum fidei lumen eis Christus infudit, vt fa
missimè id, quod dicebatur, crederent: summaque deuotione percipe
rent. Quoniam autem Dominus ipse volebat eos tunc Sacerdotes conse
crare, vt idem Sacrificium in posterum ei offerrent: instituens ad id Sa
crum *Ordinis* Sacramentum: *secundam* adiecit sententiam, dicens: b *Hoc*
b *Luc.22.19* *facite in meam commemorationem.* Et quoniam Christus Dominus noster
Cor.11.24. nunquam præcipit aliquid impossibile, neque quod naturæ vires excedat, nisi vires & facultatem ad id præstandum tribuat: hinc est, quòd his verbis hoc eis distinctè dicere voluit: facultatem & potestatem do vobis ad idem faciendum, quod ego feci; iubeo autem, vt id semper faciatis. Accipite in manibus vestris triticeũ panẽ, & calicem vini de genimine vitis & eisdem verbis consecrate, sicut ego, conuertentes panem & vinum in corpus & sanguinem meum: & ita offerte in sacrificium, sicut ego feci: ita tamen, vt sit in memoriam mei, quà sum Deus: vt eum honorem & cultum mihi exhibeatis, qui mihi debetur; in memoriam etiam mei qui sum homo: vt sitis memores plurimorum, quæ feci, & perpessus sum, vos redimerem; dum totum meum, Sanguinem pro vestrorum peccatorum remissione effudi. Hoc totum verba illa cõplectuntur, quibus, quos Sacerdotes ordinabat, monitos volebat de Sacrificio, quod essent obla-
Epist.63. turi, ipsum imitantes. Nam (vt S. Cyprianus dixit) *ille Sacerdos vice Christi bene fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur*: simul etiam Spiritum imitando, quo ille id fecit, & sanctitatem induendo Domini illius, cuius vices gerit.

§ I.

EX PRAEDICTIS verbis deducemus sensim aliquas Diuini huius Sacrificij proprietates & excellentias. Sitque illa prima: quòd ex ipsius Christi Seruatoris nostri constitutione, illud sit futurum in Ecclesia perpetuum vsque ad finem mundi, vt enim eius memoria debuit esse perpetua: ita Sacrificium ad eam recentem conseruandam, debuit esse perpe-
a *Exod 12.* tuum. Eum in modum quo à *nocte* illa, qua *Hebræi exierunt ex Ægypto, agnum obtulerunt* in memoriam exitûs illius; mansitq; lex perpetua, similem agnum offerendi, quamdiu lex illa duraret: ad ostendendam animi gratitudinem pro tanto beneficio. Ita igitur nocte Passionis Christi, in qua fuimus à seruitute Dæmonis & peccati liberati, obtulit Christus Seruator

noster

noſter Sanctiſſimum hoc ſui corporis & Sanguinis Sacrificium in memoriam glorioſæ adeò & vtiliſſimæ noſtræ libertatis: ideoque ſtatuit, perpetuò illud eſſe offerendum in gratiarum actionem pro eodem beneficio, quamdiu lex Euangelica, quam fundabat, perduraret: ad finem ſcilicet vſque huius mundi. Fuitque etiam id valde conueniens: eò quòd non poſſit eſſe lex abſque Sacerdotio, & Sacrificio. Cùm igitur Chriſtus D.N. (vt Apoſtolus ait) legem antiquam, eiuſque Sacrificia, & Aaronis Sacerdotium abrogauerit (quia b *translato Sacerdotio, neceſſè erat vt legis translatio fieret*; & cum *teſtamentum nouũ conſummauit ſuper domum Iſrael: veterauit prius*) neceſſe fuit hoc totum renouari, & in lege Noua perpetuari, conſtitutis in ea perpetuo Sacerdotio, & perpetuo Sacrificio; quæ illam comitarentur, & exornarent. Quemadmodum expreſſè per Malachiam Prophetam Sacerdotibus antiquis minatus fuerat, dicens: d *non eſt mihi voluntas in vobis: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſq; ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gẽtibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quaſi dixerit: reieci iam veſtra ſacrificia, vtpote carnalia, & quæ in vno tantùm loco, hoc eſt in templo Ieruſalem offerebantur: & pro ijs offeretur mihi in omni loco totius mundi Sacrificium aliud mundum & purum, dignum Maieſtate & amplitudine mea. Fuit etiam valde conueniens Sacrificij huius perpetuitas: vt ſignum & teſtimonium eſſet perpetuæ Charitatis, miſericordiæ, liberalitatis ac prouidentiæ Chriſti Domini noſtri erga ſuam Eccleſiam; impoſſibile enim eſt, amorem deficere, quamdiu donum adeò magnum & beneuolum durat: neque deficiet prouidentia in reliquis rebus: ſiquidem in ea, quæ eſt omnium præſtantiſſima, perpetuum manet. Qui enim quotidie ſeipſum in omni loco ac toties nobis tradit: manifeſtum præbet ſui erga nos amoris indicium & quòd ipſi ſimus curæ, adimplens quod per Ieremiam Prophetam dixerat: e *in charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miſerans tui.*

Et Hinc oritur ſecũda noſtri Sacrificij excellentia: quod in eo oblatio quædam offeratur adeò pura, & ſancta: vt maior & ſanctior eſſe non poſſit. eſt enim ipſemet Chriſtus verus Deus & homo, qui nocte illa cœnæ ſeipſum obtulit: niſi quod tunc obtulit ſe in corpore mortali & patibili, quia tale tunc habebat, nũc autẽ offertur immortale & glorioſum: quia tale nunc habet in cœlo. Vtroque tamẽ modo eſt excellentiæ infinitę, voluitq; ipſe Saluator, vt Eccleſia ſua id ei offerret: eò quòd valde ipſi placeat ac delectetur, offerri ſibi ſemper quod optimum eſt. Ac propterea valde approbauit Sacrificium f *Abel*, eò quòd *obtuliſſet* quod optimum habebat *de primogenitis* ſcilicet *gregis ſui, & de adipibus eorum.* Reiecit verò Sacrificium Cain, qui obtulit viliſſima. Et quoniam Eccleſia, quæ cœpit

b *Heb.* 7 12 c. & c. 8, 13.

d *Malach.* 1. 10.

e *Iere.* 31. 3.

f *Gen.* 4. 4.

pit ab Abel iusto, semper progessa est in Sanctitate: par erat, vt in statu præsenti, qui eius est supremus, offerret Deo supremam, quæ possibilis erat, oblationem, adeò mundam; vt (quemadmodum ait Tridentinum Concilium) *nulla indignitate aut malitiâ offerentium inquinari posset*, sicut antiqua Sacrificia maculabantur. Sed vlteriùs ascendit hæc excellentia, ex eo quod noluerit Christus Dominus noster oblationem adeò pretiosam solis Sacerdotibus, qui meri essent homines, fidere; maiorem enim valorem accipit Sacrificium à dignitate offerentis, quàm ab ipsa re quæ offertur. Quamuis enim elegerit Sacerdotes homines; voluit tamen eos sua esse instrumenta, & seipsum semper facere officium præcipui Sacerdotis, & offerentis: vt sic impleretur quod dixit Dauid: g *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Cuius h *Sacerdotium*, ait Apostolus, esse *sempiternum*. Quia Sacerdos est æternus permanetque semper in cœlo, se per semetipsum Deo præsentans, nostramque causam agens, *& pro nobis interpellans*. Quare ex ipso cœlo per Sacerdotes, tanquam ablegatos suos, offert hoc Sacrificium pro nobis. In cuius rei signũ, cùm Sacerdos consecrat, non suo, sed Christi nomine loquitur: & ipse Christus per Sacerdotis os dicit: *Hoc est corpus meum*, nec satis esset si diceret Sacerdos: Hoc est corpus Christi: quia tunc loqueretur nomine suo & non supremi Sacerdotis, qui rem adeò glorioſam per creaturam adeò vilem perficit. Et in hoc sensu dixit Apostolus: in lege antiqua *plures factos esse Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere*, post mortem enim vnius, alium succedere oportebat: *Christus autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Ac propterea non opus habet aliis Sacerdotibus, nisi tanquam famulis & ministris. Cùm enim ipse in cœlo maneat nostris conspectibus occultus, Sacrificium autem ipsum sit visibile; oportebat alium esse ministrum etiam visibilem, per cuius manus offerretur: ita tamen, vt Sacrificium ipsum nihil amitteret de sua dignitate & puritate propter talem ministrum: sicut eleemosyna quam Sanctus aliquis Dominus largitur, nihil propterea amittit, quòd famulus eius qui illam pauperi tradit, sit improbus. Quamobrem non minùs præstans & excellens est Missa à malo Sacerdote quàm à bono celebrata; nequeilla, quæ nunc fit, quàm quæ ab ipso Christo in nocte cœnæ fuit oblata. Nam (vt ait S. Chrysostomus) idem dominus vtramque sacrificat. Hoc tantùm interest, quod oblatum à Christo ipso tunc Sacrificium fuit meritorium & satisfactorium, quatenus offerebatur per eum, qui adhuc erat in statu Viato, risac propterea merebatur; nunc autem cùm iam ipse sit in cœlo, non ampliùs meretur: sed applicat nobis tantùm merita & satisfactiones quas in hac vita existens obtinuit.

Sess. 22. c. 1.

g *Psalmo.* 109.

h *Hebr. 7. 24.*

Trident. supra.

S. Thomas 3. p. q. 83 a. 1. ad 3. & q. 81. a. 7. ad 3.

Trident. supra.

Homil. 2. in 2. Timoth. & Homil. 17. ad Hebr.

Ex His

§. II.

4

EX His omnibus quarta deducitur Sacræ Missæ excellentia: quod scilicet sit idem Sacrificium cum eo quod Christus Dominus noster in cruce obtulit, modo tamen diuerso: vt Sacrum Tridentinum concilium asserit. Nam in cruce ipsemet seipsum sacrificauit, quatenus sponte ad mortem obeundam se obtulit: cuius executores fuerunt carnifices; at in Missa offert sese, ad hanc passionem suam exprimendam, adhibens Sacerdotes tanquam eius executores. Sacrificium crucis fuit vniuersalis causa nostræ redemptionis propter pretium Sanguinis, qui pro omnibus fundebatur; Missæ verò Sacrificium, quamuis totum illum Sanguinem contineat, offertur tamen & applicatur in particulari vnicuique: nam in reliquis sunt vnum & idem Sacrificium. Ac propterea in verbis consecrationis expressit ipse Saluator vtrumq; hunc modum dicens: a *hoc est corpus meũ quod pro vobis datur*; & b *hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Nunc autem corpus hoc est ibi cum summa gloria; & sanguis in eius venis cum summo splendore. Nec parua est sacrificij nostri excellentia, quod ipsemet Christus, qui glorificatus iam sedet ad dexteram Patris, è cœlo descendat, vt in Sacrificio offeratur, contecta gloriâ suâ accidentibus panis & vini: vt sic memoriam nostram renouet omnium, quæ ipse fecit & passus est, cum in hac esset mortalitate & ostendat, quanti ipse faciat opprobria, & ignominias suas; cùm veniat ipsemet ad eas celebrandas & honorandas: ponens illas in Sacrificio in magni honoris signum. Quo nos obstringit ad ipsum honorandum, nobisq; gloriandum de eius ignominijs, plus quàm de omnibus humanis honoribus.

Sess. 22. c 2.

a *Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24.*

b *Matt. 26. 28. Mar. 14. 24.*

5

Conclvdamvs huius Sacrificij excellentias, interrogantes ipsum Dominum tanto honore dignum: an omnino solus è cœlo ad hoc Sacrificium descendat; & quid facient Angelorum Hierarchiæ videntes Regem suum descendentem ad terram, ad suum hoc Sacrificium offerendum? Satisne sibi esse existimabunt, quod sciant ipsum habere in terra ministros, qui ei assistant & iuuent: an & ipsi quoque descendent, vt socios se eis præbeant? Quando ipse in carne mortali venit in mundum, vt cruci affigeretur: descendit certè c *multitudo militiæ cælestis laudantium*, magnaque cùm lætitia dicentium: *Gloria in altißimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: quid igitur nunc facient, eodem suo Rege veniente nunc glorioso in carne immortali: vt nouo quodam & stupendo modo in altari sacrificetur? Omni dubio procul (ait Sanctus Gregorius) in ipsa huius sacrificij hora, & ad verbum Sacerdotis, cœli aperiuntur, & Angeli descendunt: vt tanto huic Mysterio Iesu Christi Dei & Domini nostri assistant: conueniunt habitatores

c *Luc. 2. 13.*

Lib. 4. Dialog. c. 36.

terreni & cœlestes, vtriusque Ecclesiæ, visibilis & inuisibilis; militantis & triumphantis: ex quibus fit vna congregatio laudans & glorificans Deum, dicens: gloria Deo in excelsis, vnde ipse descendit, & in terra, ad quam venit, sit pax hominibus ipsum adorantibus, & bona voluntate excipientibus. Et quorsum existimas Angelos è cœlo ad terram descendere: nisi vt corda illud offerentium, eíque assistentium è terra eleuent in cœlum? Et quorsum ad cœlos eos ascendere existimas: nisi vt spiritûs oculis videant ibi gloriam & maiestatem eius Domini, quem hic habent occultatum? cum cernis (ait S. Chrysostomus) Dominum tuum in altari sacrificatum, & Sacerdotem offerentem Sacrificium, & circumstantem participes ipsius oblationis: existimas te inter mortales viuere, & cum eisdem in terris morari? sanè potiùs existimare debes, te in cœlum translatum, & carne exutum, spiritu puro contemplari, quid in cœlis geratur. O prodigium stupendum! ô benignitatem immensam! qui sedet in gloria cum patre: in eodem momento versatur inter manus hominum; seseque tribuit cuiuis volenti ipsum excipere. Qui sedet super Cherubin, & ambulat super pennas ventorum: venit vt sacrificetur & comedatur ab homunciones: quomodo igitur non venient etiam Cherubini & Seraphini ad ipsum honorandum tanquam socij hominum, adiuuantes eos ipsorum ministerio: vt illud obeant reuerentia, excelsa adeò maiestate, digna.

Lib. 3. de Sacerdotio.

CAPVT. IV.

STVPENDA EXCELLENTIA ET EFFICACITAS SACRIficii Missæ ad quatuor fines, in quos dirigunntur Sacrificia.

1 TRANSEAMVS NVNC AD QVATVOR ALIAS EXCELLENTIAS Missæ, ex quatuor finibus desumptas, in quos tendit, quà est Sacrificium: quorum fecimus suprà mentionem. *Primum* enim Sacro Missæ deferimus Deo summum honorem & cultum possibilem: dum ei sacrificium tantæ dignitatis offerimus, quod infinitæ eius excellentiæ æquiparatur: quod ne Ministri offerentis vilitate & indignitate imminuatur: ipsemet Christus, vt diximus, est præcipuus Sacerdos: à quo etiam ipsa oblatio infinitam accipit dignitatem. Deus enim est, qui in ea Deum honorat: Deus in humanitate Deum in Diuinitate. Et quemadmodum nihil potest esse æterno Patri magis gratum, & acceptum, quàm Persona vnigeniti a *filio* sui, in quo dixit *sibi complacere*: ita non potest esse Sacrificium laudis & honoris excellentius & gratius ei, quàm sit hoc: quod filius hic de se-

1 Matt. 3. 17 & c. 17. 5

ipso

ipso in eum finem ei offert, quamuis id faciat per Ecclesiam. Praeterea cùm Christus Dominus noster desideret, b *nos facere voluntatem Patris in terra sicut fit in cœlo*; & viatores viuere vitam quandam cœlestem, sicut beati viuunt: voluit quotidianam degentium in terra oblationem esse totam cœlestem, & inde rem illam venire, quae esset offerenda. Et iudicans parum esse, quod aliquis beatorum, etiam supremus Seraphin, ad eam offerendam veniret: voluit ipsemet Rex cœlestis venire: cuius gratia adeò est immensa, vt omnium beatorum simul gratiae & merita censeantur quasi nihil, si cum eo conferantur: vt sic oblatio non solùm esset cœlestis, sed etiam Diuina, & omni ex parte digna summâ reuerentiâ, & per quam Deus dignè honoraretur & laudaretur: & sic homo posset in terra eum honorare & laudare cum ea dignitate (quantum ad hoc) qua fit in ipso cœlo. Et hac ratione Missa est etiam quoddam Sacrificium holocausti omnino accensi in testimonium excellentiae Diuinae. Nam & Sacerdos & ipsa oblatio immenso amoris igne ardent. Et quando Christus ipse se in hoc Sacrificio offert, repraesentando suam mortem: id facit affectu quodam adeò accenso: vt, si opus esset, iterum obiret eandem mortem pro honore & gloria Patris sui. Et quemadmodum in Apocalypsi appellatur b *agnus, qui occisus est ab origine mundi* (nam vt S. Thomas ait:) in antiquis Sacrificiis, quae futurae eius mortis erant figura, Sacrificabatur) ita licet eum vocare agnum occisum vsque ad finem mundi; nam in hoc Missae Sacrificio sacrificatur, eo affectu praeteritam suam mortem repraesentans: vt, si opus esset, eandem recens subiret. Denique in reliquis holocaustis protestabantur antiqui Diuinam Omnipotentiam, eiusque Dominiũ in res omnes, opere tantùm quodam naturali: quia ignis totum animal comburebat & consumebat: in Missa autem eandem omnipotentiam protestamur opere quodam supernaturali, & exccellentissimo: quod non solùm est Diuinae Omnipotentiae signum, sed etiam opus quoddam glorioſissimum omnium, quae operatus est, & operatur in terra & in cœlo: quia in eo prodigia continentur, quae superiùs posuimus, cum de hoc Diuino Sacramento ageremus. Ac proinde dicere de eo licet, quòd quatenus est Sacrificium, sit memoriale quoddam omnium Dei mirabilium in bonum hominum.

Et Hinc est, quòd etiam Missa sit sacrificium actionis gratiarum cum infinita quadam efficacitate, ad gratias Deo agendas pro beneficiis omnibus in nos collatis; etiamsi illa sint infinita. Quamobrem per excellentiam appellatur Sacrificium *Eucharisticum*, hoc est actionis gratiarum. De quo Dauid intuens Spiritu, quod nunc geritur, dixit: c *quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam*; aut vt alia versio habet: *calicem Domini leuabo*, quod fit in hac pretiosissima oblatio-

b c 6 10

b *Apoc.* 13. 8. 3. p. q. 83. a. 1.

Tomo 1. *tract.* 4.

2

c *Psal.* 115. 3.

ne, in qua tantum reddo, quantum mihi dedit: reddo enim ei filium eius, qui rebus omnibus creatis præstat. Hoc (ait S. Augustinus) est d *Sacrificium laudis*, quo Deum *honorificamus* & gratias agimus: & quibus rebus maiores ei reddere possumus, quàm Christum Dominum nostrum in Missæ Sacrificio offerentes? Propterea (ait S. Irenæus) instituit Saluator noster hoc Sacrificium, vt non essemus parci in agendis gratiis, & ingrati censeremur ei, qui tot nobis contulit beneficia. Hoc enim Sacrificio gratias agimus propter beneficium Creationis, & reliqua naturalia; & propter beneficium Incarnationis cum reliquis supernaturalibus. Et (vt S. Chrysostomus ait) pro ipsomet supremo beneficio Missæ & Eucharistiæ reddendæ sunt gratiæ, eiusdem oblatione, eam offerentes Deo in laudem eius & honorem, propterea quod eam nobis tradiderit.

Vide Iansenium. Lib. Contra aduersar. Leges & Prophet. c. 18.

d *Psal. 49. -3.*

Lib. 4. cont. Hæres. c. 23. Homil. 24 in 1. Corint.

I

3. SED VLTERIVS progreditur Sacrificij huius efficacitas: nam etiam confert plurimum ad impetranda & obtinenda à Deo reliqua bona, quæ petimus, & quibus ad ei seruiendum indigemus; corporalia & spiritualia, temporalia & æterna. Hic enim non solùm aliquid petimus à Deo titulo tantùm misericordiæ; sed offerimus etiam pretium, quod ipse Christus sua Passione nobis fuit promeritus: qui nobis est etiam titulus iustitiæ. Nec solùm petimus in nomine CHRISTI, sed eundem CHRISTVM illi offerimus cum infinitis eius meritis: hoc autem plus valet, quàm quod ab eo petimus. Cùm igitur dona & munera rapiant ipsa corda: quomodo non rapiet paternum illud cor oblatio doni adeo precioſi? Adde: quòd non solùm nos petamus, sed ipsemet Christus tanquam Summus Sacerdos hic petat pro nobis, siquidem quòd de illo dicitur, quod a *aduocatum* nostrũ agat *apud Patrem*, & quod sit *propitiatio pro peccatis nostris*, id in hoc Sacrificio præstat per suos Ministros adimplens quod Apostolus de Summo nostro Pontifice & Supremo Sacerdote dixit: quod sit b *semper viuens ad interpellandum pro nobis*. Nam etsi iam cessauit illi Status quo poterat mereri: non tamen cessauit Status quo possit orare. Cùm igitur in hoc Sacramento sit viuens, possitque orare, & nostrum aduocatum agere: cur id non faciet? toto tempore quo fuit in crũce Sacrificium offerens suiipsius cruentum, orauit pro vniuerso mundo, & pro ipsismet persecutoribus: quis igitur dubitet, ipsum toto tempore, quo se in hoc Sacrificio incruento offert, orare pro offerentibus, & Sacrificio ipsi assistentibus. Qui dignatur officio fungi Sacerdotis, quod est offerre pro nobis Sacrificia: cur non dignabitur etiam orare pro nobis, cùm vtrumque pertineat ad Sacerdotem? & ita S. Augustinus ait: Christum quà est Sacerdos pro omnibus

a 1. *Ioã. 2. 1.*

b *Heb. 7. 25*

Vide Suarez 3. p. q. 21. Disp. 45. Sectio. 1. To. 5. Præf. in Psal. 85.

orat

orare; quà autem est caput, etiam in illis orare. Si in ipso cœlo vulnera suo æterno Patri præsentat pro hominibus: cur non eadem præsentabit in hostia Sacra, cùm eorum memoria in ea referatur? Cur existimas ipsum tunc passionem suam in memoriam reuocare: nisi vt eam Patri denuò repræsentet pro illis, qui eius memoriam in ipso Sacrificio agunt?

Laurent. Iustinia. S. de corp. Christi.

4

Trident. Sess. 22. c. 1.

Ex Quo apparet, Diuinum hoc Sacrificium per excellentiam esse Propitiatorium, & satisfactorium pro nostris peccatis, applicans nobis infinitas Saluatoris nostri satisfactiones, & ipsiusmet Passionis precium. Sanguis enim Christi ibi latens est precium, quo debita nostra exsoluuntur; & multò melius clamat, quàm Sanguis Abel, misericordiam petens pro omnibus peccatoribus, cum insigni efficacitate ad eos purificandos, vt mox videbimus.

5

Denique quemadmodum Noe, cessante diluuio, c *ædificauit altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare*: vt quantum poterat ac meritò debebat, Deum honoraret, gratiasque ageret pro beneficio sibi totique familiæ suæ collato, quo eum ab eo diluuio conseruauit, cùm totum mundum submersit. Adeoque placuit Deo *odor suauitatis illius Sacrificii*, vt continens iram suam, iurauerit: *se nunquam vltrà percussurum diluuio omnem animam viuentem.* in cuius rei signum *posuit arcum suum in nubibus, vt esset signum fœderis* initum *inter ipsum & homines.* Ita etiam postquam Christus Dominus noster, Passione & morte sua imposuit finem peccatis nostris, quæ mundum submergebant: voluit esse in sua Ecclesia altare quoddam perpetuum, in quo Missæ Sacrificium ipsi offerretur ad ipsum pro meritis honorandum, & gratias agendas singulari hoc beneficio, quo ipsam à diluuio idololatriarum, errorum, & innumerabilium aliorum peccatorum, quæ homines submergebant, liberarit. Et hoc Sacrificium redolet ei suauissimè: quia vndique redolet Diuinitatem. Adeoque ei placet, vt pactum & fœdus faciat cum sua Ecclesia, de ea libera in æternum conseruanda ab vniuersali illo diluuio.

c Gen 8 20.

In cuius firmissimum testimonium arcus cœli Iesus Christus Dominus noster seipsum continuè & æternùm præsentat æterno suo Patri in cœlo Empyreo, cum infinita pulchritudine suorum trium colorum, corporis scilicet, animæ, ac diuinitatis: quæ sunt in diuina sua persona coniuncta; & cum triplici ordine signorum, quæ habet propter vulnera accepta in pedibus, manibus, & latere: ex quibus gratiarum ac donorum cœlestium fluunt pluuiæ in homines, quibus serenum & pacificum redditur cor illas suscipientium; & ipse Deus placatur iramque deponit, quam aduersus homines habebat.

Et quem

Et quemadmodũ arcus non efficit integrum circulum, ſed medium, de
ſcendes à parte ſublimi cœli ad duo latera noſtri hemiſpherij, quæ duabu
ſuis extremitatibus tangit: ita cœleſtis hic Arcus duplicem è cœlo ad te
ram aduentum facit: alterum per incarnationem, cùm deſcendit, vt ho
mo fieret, & cum hominibus conuerſaretur, eosque per ſuam Paſſionem
& mortem ſaluaret: qua expeditione finita, iterum redijt in cœlum Em
pyreum. Iterum tamen deſcendit etiam cum tribus ſuis coloribus, carn
ſcilicet, & ſanguine cum Diuinitate vnitis; vt hoc Diuinum Sacrificium
offerat, generisque humani reconciliationem perficiat, donec in nouiſſi
mo iudicij die vltimum faciat aduentum aperta omnino ſua pulchritudi
ne: vt vnicuique det ſecundùm opera; & conficiat circulum æter
ſui regni, ſecum deducens omnes ſuos electos. O Sacrificium altiſſimum,
& myſterium diuiniſſimum: quomodo potero tuas infinitas excellen
tias referre, & infinitas laudes decantare; niſi tu ipſe Spiritum dederis
linguã, ad aliquid de eis dicendum. Sed cùm vtrumque mihi deſit, reſe
ram quas de te dixit quidam, qui accepit vtrumque. Hic eſt piiſſimus ſan
ctus Laurentius Iuſtinianus: qui dulciſſimis hiſce verbis cõplexus eſt, qu
in hoc capite diximus: Sanè nullo alio Sacrificio honorificentiùs laudatu
Deus, quàm per altaris immaculatam hoſtiam: quam præcipuè ob diu
næ laudis exhibitionem complendam, Eccleſiæ ſuæ Chriſtus offerendam
inſtituit. Qua nulla maior, nulla vtilior, nulla amabilior, nullaque ocu
lis Diuinæ maieſtatis eſt gratior: dum honorem Deo, Angelis contuber
nium, exulibus cœlum, Religioni cultum, iuſtitiæ debitum, norma
Sanctitati, obedientiam legi, Gentibus fidem, lætitiam mundo, credẽ
tibus gaudium, vnitatem populis, Sacramentis Legalibus finem, initi
um gratiæ, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, operã
borantibus, peregrinantibus viam, & peruenientibus tribuit ſpeciem.
Offertur æterno Patri nati aſſumpta humanitas, quatenus agnoſcat ipſe
quem genuit, quemque pro hominum ſalute miſit in terras: vt interuen
tione ipſius, delinquentibus veniã, lapſis manum, & iuſtificatis prorogã
vitam. Clamat idem Redemptor ad Patrem, corporis ſui cicatrices oſten
dens, quatenus ab æternis ſuppliciis ſua homines interpellatione cuſtodi
at. vides perſpicuè, nullum acceptabilius Deo poſſe offerri Sacrificium ad
exſoluendum laudes, ſiue ad exhibendum gratias ſeu ad impetrandum
indulgentiam, vel ad gloriam promerendum, quàm corporis & ſangui
nis Chriſti Sacroſanctum myſterium. In cuius oblationis hora, quantum
fas eſt credere, aperiuntur Cœli, mirantur Angeli, Sancti laudant, exul
tant caſti, captiui viſitantur compediti ſoluuntur, infernus luget, ſanc
ctaque in ſpiritu Mater Beata lętatur Eccleſia. Quamobrem rectè colli
gitur quanta cum veneratione ibi aſtare debeat Sacerdos; cui conſecran

di hoſtiæ

di hostias, offerendi incensum, atq; intercedendi pro populo est impensa auctoritas. Mediatoris igitur gerit officium: propterea delinquentiũ omnium debet esse placator. Hinc expedit, vt diuinæ sit laudis amator, Religiosus in se, humilis corde, & erga proximorum errata compassione compunctus: quatenus non minùs pro se, quàm pro cæteris omnipotenti Deo rectæ placationis valeat immolare mysteria. Hæc Sanctus Laurentius Iustinianus.

§. II.

Quaecunque Diximus licet confirmare admiranda quadam Dauidis Prophetiâ in Psalmo 71. qui totus est de Messia cuius tempore ait: a *Erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius: & florebunt de Ciuitate sicut fœnum terræ.* In quibus verbis (vt notat Paulus Burgensis & alij graues auctores) Dauid loquitur de hoc Diuino Sacramento, quod appellat firmamentum, hoc est alimentum solidum, & panem fortem confirmantẽ cor hominis, institutũ à Messia in præsentia supremorum montium Ecclesiæ suæ, Sacrorum scilicet Apostolorum; & in forma Sacrificij, ad communem omnium vtilitatem. Quod ampliùs adhuc explicatur iuxta aliam versionem, quæ habet: *erit placenta tritici in capitibus Sacerdotum:* vel *erit Sacrificium Panis in terra, in capite montium.* Nam Apostoli & reliqui Sacerdotes eorum successores, in ministerio offerendi hoc Missæ Sacrificium eleuant super capita sua hostiam consecratam, & panem hunc viuum, vt videatur & adoretur à fidelibus; & in memoriam Passionis eiusdem Christi Domini nostri, cùm fuit in conspectu totius populi eleuatus in Cruce. Et hoc significat ampliùs versio Sancti Hieronymi, quæ habet: *erit memorabile triticum,* æterna memoria dignum, propter infinitum eius valorem, & quia Messias illud fecit in memoriam sui, & eius, quod pro nostra reparatione est perpessus; & vt memoriale nobis esset perpetuum, contra nostram obliuionem, habentibus semper præsens hoc b *frumentum electorum,* in quo ipsemet latet. Et quemadmodum olim constitutum erat, vt spicarum manipuli, qui tanquam recentium fructuum primitiæ offerebantur, darentur Sacerdoti; c *qui eleuabit fasciculum coram Domino vt acceptabile sit pro vobu,* titulo gratitudinis, eò quòd alimenta vobis dederit per totum annum: ita etiam nunc vult Sacerdotes eleuare in altum Diuinum hunc panem, vt acceptus illi sit pro nobis in recognitionem & gratitudinem beneficij in nos collati, cùm illum nobis dedit in alimentum, humillimè supplicantibus, vt in eodem beneficio & fauore, nosque sua misericordia locupletando, progrediatur. Et hoc ipsum insinuat etiam alia versio eiusdem Psalmi, quæ habet: *erit deprecatio & complacentia frumenti in terra.* Quicunque enim voluerit orare & gratias aliquas à Deo petere, cui statuit placere

a *Psal. 71 16.*

Refert. Titel. in Annot. Hebraicis super istũ Psalmum.

b *Zach. 9. 7.*

c *Leuit. 23 1*

Vide Titel. supra

Alia etiam versio habet; Erit panis substantificus in terra in capite montium.

cere: id meritò faciet per Diuinum hunc panem, in quo est vnigenitus filius, in quo Pater sibi complacuit; & propter quem cœlestibus benedictionibus replet habitantes in terra. O altissimum Sacrificium! O dignissimum Sacramentum? O Panis supersubstantialis, eleuate super mortium celsitudinem! quia celsitudo & amplitudo tua altissimos excellit Seraphinos. Tales esse deberent quicunque te suscipiunt: & multò adhuc ampliùs Sacerdotes, qui te consecrant. Quos iure optimo Psalmista hic montes vocat: propter celsitudinem & sanctitatis soliditatem quam habere debent supra reliquos Christianos, sunt montes sunt vallibus excelsiores. Nec dicit frumentum hoc esse ad pedem montium, nec ad medium; sed in *summis*: vt intelligant summam eius sanctitatem, & æstimationem, quam de Diuino hoc Sacramento & Sacrificio habere debent, & quantum gloriari debeant de suo hoc adeò excelso ministerio: ponens illud super capita sua, quasi rem maximè glorioſam, quam in hac vita habere possunt. Neque mirum est, quòd sint montes: cùm ipsum ministerium expensas quodammodo itineris illis præbeat, vt sint tales. Quod verba, quæ in eodem Psalmo sequuntur, adhuc magis explicant: *super extolletur super Libanum fructus eius: & florebunt de Ciuitate sicut fœnum terræ.* In qua sententia insinuat duo genera personarum, quæ hoc pane fruuntur alij enim sunt quasi Principes, & propter suam dignitatem & statum Magnates; alij verò sunt Ciues, & communis plebs Ecclesiæ. Et de primis ait: eos fore instar *Cedrorum montis Libani* propter celsitudinem, puritatem, fortitudinem, & vitæ incorruptibilitatem: hic enim cibus fructum profert præstantium Sacerdotum, purissimarum virginum, illustrium Prælatorum, insignium Doctorum, feruentium Prædicatorum, eminentium Magistrorum, ac perfectissimorum Christianorum. De secundis autem dicit, quod *florebũt sicut fœnum terræ*, sicut olera & flores hortorum. Quamuis enim non tantùm crescant sicut alij: habebunt tamen magnum virorem, feruorem, & pulchritudinem statui suo conformem. Quantũ itaq; cedri viride fœnum excedunt: tantũ debent meritò Episcopi & Sacerdotes, qui Missam offerunt, excedere reliquos fideles, qui ei assistunt: sed vtrique Dominum hunc glorificare debent propter beneficiũ, quòd illis confert; verbis, quæ ab eodem Psalmista subijciuntur: *Sit nomen eius benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen eius*, quasi dixerit: laudetur nomen eius in æternum, sicut habet suum esse absque vllo principio & ab æterno. Et vt intelligatur quodnam sit eius nomen, notat Burgensis, verbũ Hebræũ respondens latino *permanet* esse *Yhon* quod significat *filiabitur nomen eius*, hoc est nomen eius generabitur sicut filius: quasi dicat eius nomen erit Filius Dei æterni, & absq; principio. Ex quo aperitur mysterium sanctissimæ Trinitatis, & generatio Verbi, de quo idem David

vide Titelmannum.

in alio

in alio Psalmo dixit d *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* qui itaque in hoc Sacramento later, est filius Dei ante solem, & absq; vllo principio genitus: qui venit, vt nos reparet, & suam benedictionem cœlestem impertiat. Et *benedicentur in ipso omnes Tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.* Et quæ res magis stupendæ esse possunt, quàm quæ in sanctissimo hoc Sacramento, & venerabili Sacrificio continentur? quas facit Deus *solus*: quia sola eius Omnipotentia potuit illas facere: nec Sacerdotes aliud sunt, quã eius instrumenta, ad eas faciendas. Et quemadmodum excellentia imaginis aut alicuius artificij exactissimè facti non penicillo aut instrumento tribuitur, sed pictori & artifici: ita gloria & laus huius operis soli Deo debetur. *Benedictum sit nomen eius in æternum: quia replebitur Maiestate eius omnis terra*, ex præsentia Diuini huius Sacramenti, & oblatione stupendi adeò Sacrificij. *Fiat fiat* ad gloriam magni nostri Dei & eius Ecclesiæ vtilitatem. Denique imponitur Psalmo illi finis singulari quadam sententia: *defecerunt laudes Dauid filii Iesse*, quod dicitur, non quòd non composuerit laudes sequentium Psalmorum; sed ad significandum, adeò esse immensum hoc mysterium, vt eius spiritus deficeret in eo laudando. Quia omnes Angeli, & omnes simul homines parum sunt ad hoc mysterium extollendum, vt par est. Cùm igitur omnes creaturæ in hoc opere laudando deficiant: laudet illud qui fecit, & infinita charitas ac misericordia, quæ illum impulit ad faciendum: & dicat cum eodem Psalmista: e *Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius, quæ fecit filiis hominum. Quia satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis.*

d Psal. 27.

e Psal. 106. 8.

CAPVT. V.

EXPLICANTVR MAGIS IN PARTICVLARI EFFECTVS Sacrificii Missæ, eiusq; orationum; & insinuantur personæ, quæ fructuum eius fiunt participes.

EX Dictis Capite Praecedente licet proferre in lucẽ effectus & fructus ab hoc Diuino Sacrificio prouenientes: sed præmittendum est hoc fundamentũ. quod quemadmodũ in Sacramẽtis duplicem assignamus effectum: *Alterũ* quem Theologi appellãt *ex opere operãtis*, hoc est ex deuotione Sacramentũ ipsum recipiẽtis: qua mereri potest gratiæ & gloriæ augmentũ, satisfacere pro suis peccatis, obtinere dona, quæ petit: bonum enim iusti

I

opus ad hæc tria valet, quamuis reipsa non acciperet Sacramentum. Alterum effectum appellant Theologi, *ex opere operato*: virtute scilicet propria ipsius Sacramenti; qui effectus superadditur ei, quem recipientis deuotio promeretur. Vt apparet in iusto, qui magno cum feruore confitetur & communicat. Qui ob feruentes actus, quibus se præparat, mereri potest decem gradus gratiæ; & ab ipso Sacramento sumpto decem alios accipere: cuius Sacramenti effectus proprius etiam crescit, iuxta augmentum bonæ dispositionis illud recipientis. Hunc in modum in Sacrificio Missæ est etiam duplex alius effectus: alter respondens deuotioni celebrantis, siue audientis, & assistentis. Qui effectus eò erit maioris meriti & vtilitatis quò erit maior eius charitas & feruor, quo se præparat. Sed præterhunc (vt ait S. Thomas & omnes Theologi) sunt alij effectus ipsius Sacrificij proprij, cuius virtute communicantur: quatenus per illud (vt ait Concilium Tridentinum) applicatur virtus Passionis Christi, cum eius meritis, satisfactionibus, & orationibus; modo quodam valde diuerso, quàm alijs bonis operibus. Quamuis enim Sacerdos sit improbus: non propterea fraudatur omnibus Missæ effectibus is, pro quo illa offertur. Et hoc est manifestum indicium, quòd ipsum sacrificium ex se habeat talem effectum ex ipsius Christi Domini nostri Institutione; & quia ita decet amplitudinem & excellentiam Sacrificij, in quo ipse seipsum offerebat. Siquidem non debebat esse Sacrificium inane, & vacuum, aut figura, qualia erant antiqua; sed virtute & valore plenum: vt proprios suos effectus efficeret in quocunque ad eos recipiendos benè dispositio, & absque vllo impedimento eis contrario. Et propterea habet hoc sacrificium proprium ac specialem virtutem ad multa impetranda, quæ sine eo non possent obtineri. Nam esto oratio impetret infallibiliter, quod à Deo petitur; cùm illa fit adhibitis omnibus conditionibus, quæ in illa seruari debent: earum tamen defectus sæpè suppletur, si cum sancto hoc Sacrificio coniungatur: in quo, vt suprà est dictum, ipsemet Christus pro nobis orat; aut suarum orationum, ac meritorum virtutem magis specialim applicat: vt, quod sub tali pignore petimus, nobis concedatur. Quare ipsi sacrificio hac ratione coniungenda est oratio offerentis: quam eò dirigit, vt pro se & pro alijs obtineat, quod petit. Nam (vt ait S. Thomas) inter communionem & Missam hoc interest: quòd communio, sicut cætera Sacramenta, solùm prodest recipienti: quia præcipuè & rectà dirigitur ad eius sanctificationem: at Missæ sacrificium, cum præcipuè tendat ad exhibendum cultum Deo debitum: voluit illud non solùm ipsi offerenti prodesse; sed multis etiam alijs, pro quibus offerretur: vt omnes participes essent fructuum & effectuum, ad quos illud ordinatur, quà est sacrificium propitiatorium pro nostris peccatis; aut recentium beneficiorum, quæ

petimus

3. p. q. 79. a. 5. q. 82. a. 1. Suarez. to. 3. disput. 79. Sect. 1. Sess. 22. c. 1.

Suarez sua præ Sect. 2.

petimus impetratorium. Iuxtà illud Apostoli : quod a *Sacerdos offert dona & Sacrificia pro peccatis quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso.* a *Heb 5 1*

Ex Quo fit, vt omnes, qui participes sunt fructus Sacræ Missæ, possint ad ordines duos reduci: ad offerentes scilicet, & eos, pro quibus offertur. Offerentium præcipuus est Sacerdos : qui, etsi aliàs sit particularis persona, & hoc Sacrificio indigeat sicut cæteri fideles: ibi tamen duplici titulo est persona publica. Tùm quod referat personam summi Sacerdotis Iesu Christi D. N. cuius instrumentum (vt suprà diximus) est ad hoc Sacrificium offerendum : tum, quòd illud offerat nomine totius vniuersalis Ecclesiæ ; quæ est congregatio fidelium, cuius ipse ad hunc effectum est Minister. Ac propterea S. Chrysostomus eum vocat communem totius mundi Patrem ; ad quem spectet omnium curam gerere, tanquam Dei vicem in terris gerentem. Et S. Laurentius Iustinianus eum vocat Mediatorem inter Deum & homines ; & in Scriptura Diuina vocatur b *Angelus Domini.* Ad significandum (vt S. Hieronymus ait) quòd verè sit Legatus & Nuncius gerens causas hominum apud Deum : earumque expeditionem à Deo referens ad homines. Et hanc ob causam c *Summus Sacerdos* Antiquæ Legis *in duodecim sui Rationalis lapidibus preciosis calata habebat nomina duodecim Tribuum Israel,* quorum nomine Sacrificia sua offerebat. Et nunc par est Sacerdotes nostros in preciosis virtutum lapidibus, quas in suis cordibus habere debent, sculpta habere nomina omnium fidelium, quorum mediatores ac intercessores agunt. Secundo loco idem Sacrificium offerunt omnes fideles, qui Missæ ipsi assistunt, aut etiam pro se offerri petunt.

b *Malac. 2. 7*

c *Exod. 28. 9 21.*

Illi enim per manus Sacerdotis, eique coniuncti eandem faciunt oblationem : quod insinuant ipsa verba Sacri Canonis, cùm dicit Sacerdos: *Memento Domine omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est & nota deuotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificiũ laudis.* Reliqui fideles, qui sunt partes corporis mystici Christi, & membra Ecclesiæ eius militantis (exceptis excommunicatis) ad secundum pertinent ordinem eorum, pro quibus Sacrificium offerri potest, in eo gradu, quo ipsi sunt eius fructûs capaces. Et per modum impetrationis potest vniuersim extendi ad omnes totius mundi homines : tam vt Ecclesia ipsa dilatetur, & propagetur, etiam inter infideles : quàm vt illi conuertantur, fiantque partes & membra mystici huius corporis Christi; & bonis potiantur, quæ sunt in Ecclesia; ac reliquis, quæ dignabitur ipse Dominus eis conferre. Eum in modum, quo d *Sacerdotes Hebræi Sacrificia sua offerebant pro suis confœderatis etiam gentilibus.* Et Apostolus iubet, e *fieri obsecrationes & orationes*

d *1. Esdra. 6. 10. 1. Machab. 12. 12.*

e *1 Tim. 2. 2.*

tiones pro omnibus hominibus; pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt: vt tranquillam vitã agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim (inquit) *bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo: qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Ad hunc præterea ordinem spectant defuncti omnes, qui sunt in purgatorio: pro quibus potest hoc Sacrificium offerri in satisfactionem pro eorum peccatis. Et aliquo etiam modo pertinent beati, qui sunt in cœlo, per viam impetrationis ad impetrandum à Deo Domino nostro, vt honor ipsis & veneratio in terra deferatur. Quod quidem in nostrum potiùs cedit commodum: quamuis ex eo oriatur eorum honor & gloria inter homines.

§. I. *Effectus Sacræ Missæ ex modo impetrationis.*

His fundamentis præmissis, explicemus nunc in particulari effectus & fructus Sacræ Missæ, incipientes à magis necessarijs, & qui omnibus sunt communes. Horum primus est *Remissio peccatorum mortalium.* Non eo modo, quo fit in Sacramento pœnitentiæ, illud enim remittit peccata suscipienti cum dolore imperfecto, quem attritionem vocamus, sed alio quodam modo valde diuerso: impetrando scilicet peccatoribus, pro quibus ipsa Missa offertur, perfectam contritionem, quâ disponantur ad suscipiendam à Deo primam gratiam, qua iustificantur, & à culpis liberuntur: quamuis ex hoc non liberentur ab obligatione eas suo tempore confitendi. Hunc effectum significant verba consecrationis calicis, in quo est Sanguis Christi, qui dicitur *effundendus pro nobis & pro multis in remissionem peccatorum.* Nam verbum *effundendus* non solùm intelligitur de illa effusione, quâ in cruce Sanguis Christi fuit in terram effusus; sed etiam) vt aiunt SS. Patres) de eo quod in hoc Sacrificio geritur, cum effunditur in Communicantes. Quamobrem S. Cyprianus dixit: calicem, qui consecratur prodesse vitæ & saluti totius hominis; nam simul esse medicinam & holocaustum ad sanandas infirmitates nostras, & scelera purganda. Purissima hæc hostia (ait S. Ioannes Damascenus) est omnis nostri detrimenti reparatio, & purgatio euacuans omne peccatum. Sed hoc ipsum ampliùs declarauit Sacrum Concilium Tridentinum dicens: *huius oblatione placatus Dominus gratiã, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit.* Qua sententiâ significat, modum dimittendi peccata, eum esse, quòd virtute huius Sacrificij donum largiatur pœnitentiæ: quæ est perfecta contritio, & perfectus peccatorum dolor. Hoc autem, facit prębendo per inspirationes & internos impulsus specialia aliqua auxilia ad veram contritionem habendam. Quod facit aliquando statim

S. August. serm. 4. de Innocent. vide Suarez supra. Serm. de cœna Domini. Lib. 4. de Fide c 14. Sess. 22. c. 2.

atque

atque Sacrificium pro aliquo peccatore offertur ; aliquando postea cùm est magis opportunum. Et interdum verè peccator conuertitur, eò quòd auxilia fuerunt valde copiosa & opportunè data ; ipseque peccator suam adhibuit cooperationem : sed alquando peccator non conuertitur : quia auxilijs & inspirationibus Diuinis (quę liberũ peccatorẽ relinquunt ad eas admittendas aut repellendas) resistit. Dominus autem ipse ex parte sua facit satis, cum eas sæpiùs offert, etiam indigno : quia Deus respicit ad Sacrificij dignitatẽ, quod offertur pro eo. Meritò igitur in huiusmodi occasionibus & pressuris accedemus ad Deum non diffidentes de conuersione vllius peccatoris, quantumuis impij ac scelerati. Frequentia enim Sacrificiorum, quasi globi tormentorum multiplicati, deijcere illum poterunt. In quo sequemur Apostoli consilium dicentis: a *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ*, altare scilicet, in quo Missa offertur : *vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno*, non solùm pro nobis, sed pro alijs etiam peccatorib. adiuuãte illos Domino nostro in ea opportunitate, quam diuina sua Sapientia præuidet aptam esse, vt suum auxilium optatũ habeat effectũ: vt illi conuertantur, & pœnitentiã agant. a Heb. 4. 10.

2 Alter effectus Missæ est remissio peccatorum venialium in viris iustis. Si enim tanta est eius virtus, vt mortalia peccata remittat, vt dictum est : multò maior erit ad remittenda venialia, vtpote magis communia & ordinaria. Ac propterea S. Augustinus dixit ; iteratur quotidie hæc oblatio, licèt Christus semel passus sit : quia quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest. Et S. Gregorius : prouidens Dominus nobis dedit hoc Sacramentum salutis : vt quia nos quotidie peccamus, & ille iam mori non potest, per istud Sacramentum, peccatorum remissionem consequamur. Ac poinde signum est, quod hoc Sacrificium dirigatur ad nos à peccatis liberandos : siue per modum impetrationis : quia impetrat nobis auxilia, ad peccata detestanda ; siue per modum satisfactionis ; quando, qui iustificatus est Missam celebrat, auditue, aut pro se celebrari petit in eum finem. Hæc enim voluntas ac desiderium, est signum, quòd peccata venialia detestetur ; & sufficiens dispositio ad hoc, vt Sacrificium omnia illa ei remittat, ijs exceptis in quibus actu sibi complacerer, aut in eisdem perseuerandi haberet propositum. Nam huiusmodi propositum obicem ponit remissioni, etiam accedente Sacramento, « « « « De consecr. d. 2. c. vtrũ ibi. c. Quid sit sanguis.

3 Tertius Missæ effectus est, obtinere à Deo Domino nostro gratiarum & virtutum augmentum, donaque supernaturalia : ad quorum impetrationem ab offerente vel assistente dirigitur. Quemadmodum enim Sacra Communio, quà est Sacramentum, efficit gratiæ & charitatis augmentum ob specialem suam ad id virtutem (vt suo loco est dictum :) ita Tomo 2.

Missa, qua est Sacrificium, impetrat feruentia auxilia & inspiratione quibus iusti exuunt torporem, & exercent actus feruentes, quibus pro merentur, & consequuntur illud augmentum. Et est valde credibile, quòd si Sacerdos benè attendat ad ea, quæ ait statim atq; consecrationem pr egit, accipiat huiusmodi auxilia, vt feruentiùs sese disponat reliquo tem pore vsque ad Sacram communionem, in qua Sacrificium terminatur: cu ius virtute perficietur magnis gratiæ augmentis, vt in vitæ suæ decurs cum huiusmodi meritis progrediatur.

QVARTVS Missæ effectus est impetratio omnium bonorum tempo ralium in eo gradu, quo ad nostram saluationem conducunt. Quemad modum enim huiusmodi bona possunt à Deo per orationes & preces pe ti: ita potest eis coniungi Sacrificium, vt ad eas impetrandas maiorem ha beant efficacitatem. Et hanc ob causam constituit Ecclesia, vt in Sacr Canone dicatur precatio Dominica, in qua ponuntur septem petitione quæ complectuntur omnia bona temporalia & æternа, corporis & ani mæ, & veniam ac præseruationem ab omnibus malis. Nam ad hæc om nia valet hoc sacrificium, vtpote infiniti valoris ad impetranda omnia ge nera donorum, quæ Deus potest, & solet concedere; & ad omnia gene ra personarum, absque vllo limite aut termino Nam præcipuus Sacerdo illud offerens est infinitè dignus, qui exaudiatur in omnibus quæ peti & hoc sacrificium instituit tanquam signum & pignus, quòd nobis large etur, quod promisit se daturum. Cuius rei figura fuit in Gedeone, cui ob pienti esse certum, quòd Deus impleret ipsi magnum quiddam, quod Angelus ei promittebat: iussit eum offerre quoddam, holocaustum, di

b Iudic. 6. 20. cens: b *tolle carnes & azymos panes & pone supra petram illam, & ius desup funde. Cumq; fecisset, ita, extendit Angelus Domini summitatem virgæ quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos: ascenditq; ignis de petra, & carnes azymosq; panes consumpsit: Angelus autem Domini euanuit ex oculis eius.* Idem autem fit in sacrificio Missæ: in quo Saluatoris nostri caro azy mi panis accidentibus tecta, & sanguis per ius significatus, cui admisce tur panis: quod facit Sacerdos, cum sactæ hostiæ particulam iniicit in ca licem: & ob merita Passionis Christi per petram virgâ tactam significa exit ignis amoris: qui totum hoc holocaustum consumit, in signum quòd æterno patri sit acceptum; & per illud exaudit nos, & corda nostra ad cœlum eleuat, ac cœlestibus benedictionibus replet, vt in re bus obsequij sui occupemur. Ex his quæ diximus facilè deducitur Missam quoad impetrationem, æqualis esse valoris si pro multis, atque si pro vno tantùm offeratur; nec eius valorem esse copiosiorem, si pro pau cis, nec minorem, si pro multis etiam innumeris offeratur. Quod in do bus casibus verum esse apparebit: *Alter* est, quando multi eidem Sacro ac

diendo adsunt: & vnusquisque illud Deo offert, vt quemlibet ex quatuor prædictis effectibus, aut simul omnes obtineat. Tunc inquam certum est: nullum assistentium impedire alterum; & vnumquemque eorum tantundem impetraturum, quantum si solus interfuisset, & pro sola sua necessitate obtulisset. Nam oblatio ipsa est infinita, & cum omnibus illis orat Christus; illamque offert ob necessitatem, quam quisque proponit. *Alter* casus est, cùm Sacerdos ipse Missam pro multis offert, ad eosdem effectus impetrandos: si enim eam offert pro vnoquoque in particulari: eodem modo pro omnibus impetrat, atque si pro vno solo eam obtulisset. Nam oblatio illa adeò particularis æquiualet multis orationibus, & oblationibus; & cum vnaquaque applicat Christus Dominus noster infinitum suarum orationum valorem. Magno etiam Deo Domino nostro perinde est, quòd multi simul concurrant, vt aliquid ab eo petant, atque si vnus accederet: nam ita vnicuique attendit, atque si solus oraret. Imò potiùs plurium concursus iuuat, vt exaudiantur, propter vnionem charitatis, qua ad orandum simul conueniunt.

§. II. *Effectus Missæ ex modo satisfactionis.*

Effectvs Missæ maximè proprius (vt ait S. Thomas & Theologi) est remittere pœnas, quas pro nostris peccatis luere deberemus. Quemadmodum enim Christus Dominus noster Sacramenta instituit, quorum præcipuus effectus esset culpas remittere, & delere (quamuis obiter soleat etiam pœnas, aut earum partem remittere): ita voluit Sacrificium hoc instituere, cuius præcipuus effectus esset pœnas remittere, quæ post dimissas culpas luendæ remanerent: applicans scilicet ex infinito suarum satisfactionum pretio eam partem, quæ ad satisfaciendum pro his pœnis esset necessaria. Ad cuius rei ampliorem explicationem est aduertendum, quòd quemadmodum Christus Dominus noster constituit gratiæ gradus, & quantitatem, quam in singulis Sacramentis communicat; quæ augeri potest, iuxta augmentum dispositionis ea recipientis: ita etiam gradus & quantitatem constituit satisfactionis in vnaquaque Missa applicandæ offerenti; quamuis non possimus nos assequi, quot illi sint gradus. Ac proinde etiam assignauit, & constituit quantum ex illis pœnis sit remittendum propter talem satisfactionem; cum aliquo tamen discrimine. Cum enim Sacerdos sit publicus Ecclesiæ totius Minister, & Sacrificium offerat nomine eiusdem Christi: vtroque hoc nomine & titulo constituta est in vnaquaque Missa certa quædam pars satisfactionum, quam potest ipse applicare sibi ipsi, aut alijs fidelibus pro arbitratu suo; nec vnquam illa imminuitur ob ipsius malitiam. Nam (vt ostendit S. Thomas) non minùs valet Missa mali Sacerdotis, quàm boni; sicut nec est minùs efficax Sacramentum, quod peccator, quàm quod iustus administrat. Ac

3 p. q. 79. a. 5. & 7.

Suarez. to mo 2. disp. 74. Sect. 8.

3 p. q. 82. a. 6

Refertur de consecr. d. 2. vtrum.

propterea ait S. Augustinus: nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur Sacerdote. Præter hoc autem reliquis omnibus, qui eandem
3.p.q.79.a.5. offerunt Missam, quales sunt qui ministrant, audiunt, aut offerri curant, est etiam satisfactionis pars aliqua designata; quæ in eis, cum non publicæ sed priuatæ sint personæ, crescit (vt idem S. Thomas dixit) eo gradu, quo earum crescit deuotio. Et qui maiori feruore & amore Missam obtulerit, copiosiorem, consequetur fructum, ob eius virtutem. Ex quo fit, vt cum sacerdos in Missa non solùm sit persona publica sed etiam priuata, sicut reliqui eam offerentes: hoc inquam nomine haber propriam suam partem satisfactionis: quæ augeri potest iuxta suæ dispositionis incrementum. Et eodem modo valor crescit omnium orationum & actionum, quam
c. Ipsi Sacerdotes. 1. q. 1. facit, quà est particularis persona. Et in hoc sensu dixit Alexander Papa: Sacerdotes quantò fuerint digniores, tantò faciliùs in necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiri.

Suar. dist. 69. Sect. 8. Ex quo etiam fit, vt omnes, qui tanquam priuatæ personæ Missam offerunt, debeant esse in gratia Dei: vt hunc fructum obtinere possint. Nam qui in mortali peccato est, non est capax, vt illi pœna aliqua, cuius alias est reus, dimittatur; nec dignus est, cuius particularis oblatio accepteur, vt alteri pœna aliqua, ipsius causâ, remittatur. Et ob eandem rationem, cùm
S. Tho. 3. p. q. 79. a. 7. ad 2. Sacerdos tanquam Minister publicus, Missam pro alijs offert: vt illi fructum hunc recipiant, & pœnæ eis remittantur: necesse est, eos in statu esse gratiæ: & hoc satis est, etiamsi alia deuotio aut actualis dispositio in eis non adsit. Nam etiam procul distantibus, & dormientibus ea pœnæ quantitas remittitur, quæ per ipsam Missam illis applicatur. Qui effectus in omnibus est æqualis, etiamsi ipsi in meritis sint inæquales: exempli causa: si vnus Sacerdos duas offerret Missas: alteram pro aliquo viro iusto valde perfecto; alteram pro iusto quidem, sed valde tepido: neutro tamen illorum sciente Missam pro se offerri: tunc inquam, æqualis esset in vtroque fructus satisfactionis. Et eodem modo, si duæ Missæ offerantur pro duabus animabus quæ sunt in purgatorio inæqualis sanctitatis; æqualis tamen vtrique pœna remittitur. Nam fructus hic non ex maiori aut minori susceptientis dispositione; sed ex applicatione sola Sacerdotis dependet; modò is cui applicatur, eius sit capax.

Suarez. Sect. 6. DENIQVE cũ hic effectus in singulis Missis sit limitatus: necesse est, Sacrificia multiplicari, ad obtinendã plenam remissionem pœnarum, quando illæ sunt multæ. Non tamen negamus, præter eam pœnæ partem, quam Sacrificium propria virtute (quam *ex opere operato* vocant) remittit: posse etiam per modum impetrationis maiorem aliam pœnarum remissionem obtineri: siue procurando aliquas inspirationes, quæ impellant ad opera pœnitentiæ & satisfactionis, quibus totum debitum exsoluatur; siue eandem

dem remissionem, absque alijs etiam operibus impetrando. Valde enim est conforme liberalitati Christi Domini nostri, quod propter feruentes Sancti alicuius Sacerdotis orationes, simul cum suis, quæ in ipso Sacrificio ipsi offeruntur, remittat gratiosè aliquam partem pœnarum, aut etiam omnes, applicando pro hac solutione satisfactiones suas in maiori copia, & abundantia, quàm communi nomine conferat Sacrificium. Nam quemadmodum à Deo Domino nostro impetrari potest, vt aliquis, qui detinetur captiuus, ex ea seruitute liberetur; aut ægrotus quispiam à doloribus, quibus cruciatur: ita beatus aliquis, aut vir iustus feruentibus suis orationibus impetrare à Deo poterit, vt aliqua anima ex purgatorio liberetur. Cùmque Ecclesia ex suis thesauris sæpè concedat *indulgentias plenarias* viuis ac defunctis, quæ excedunt valorem propriorum operum ad pœnas debitas exsoluendas: non erit mirum, quòd Christus Dominus noster ex infinitis suarum satisfactionum thesauris applicet aliquando gratuitas huiusmodi remissiones, ad instantiam suorum amicorum, id pro alijs petentium. Quamuis huius rei nulla adsit infallibilis regula; neque nisi rarò, ita euenit. Lex enim ordinaria est, vt hæc pœnarum remissio fiat per satisfactiones, quæ applicantur ex valore Missarum, aut Ecclesiæ indulgentijs; aut per communicationem, quam vnus iustus potest alteri facere suarum satisfactionum; aut per eas, quas quisque pro se facit. Nec est cur extraordinaria media quærantur: cum possunt applicari ordinaria.

§. III. *Orationes Missæ.*

IMPONAMVS iam finem, addito alio quodam puncto siue membro magno momenti, ad plenè cognoscendos effectus Missæ. Quæ, præter præcipuam suam partem, hoc est Sacrificij substantiam, de qua intelliguntur, quæ hactenus diximus: habet aliam partem, quæ complectitur orationes ac cæremonias, ipsam ab initio & confessione vsque ad finem comitantes: quas Sacerdos profert tanquam Minister Ecclesiæ, quæ omnium fidelium est congregatio; & omnium nomine, imo & omnes per eum eas mittunt in cœlum. Ita vt Sacerdoti competat officium illius a *Angeli*, de quo ait S. Ioannes in Apocalypsi: quod a *steterit ante altare habens thuribulum aureum; & data fuerint illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Et acceperit thuribulum, illudque impleuerit de igne altaris, & ita miserit illud in terram; & statim facta fuerint tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.* Hunc ergo in modum per ipsum Sacerdotem, qui *Angelus Domini exercituum est,*

a *Apoc. 8. 4.*

b *Malach. 2. 7.*

ascendunt orationes iustorum ac fidelium Ecclesiæ, quando is omnium nomine Missam celebrat, aut orat; easque offert super altare aureum, quod est IESVS CHRISTVS Deus & homo verus: ob cuius charitatem recipiuntur & expediuntur in throno æterni Patris. Sed quodnam erit thuribulum aureum, quod est in manu Angeli nisi ipsiusmet Saluatoris corpus, quod propter ingentem suam charitatem fuit in passione sua vulneratum in pedibus, manibus, & latere, nostræ reparationis causa. Hunc ergo eundem habet Sacerdos in manibus suis, cum sacrum facit; eumque patri æterno offert, & cum eo simul vniuntur orationes ac desideria iustorum; & per eum proijcit prunas ignis, & accensos affectus amoris, in eorum animas ad eas inflammandas, earum vitia consumenda, & virtutibus donisque cœlestibus replendas. Ex quo magna sensa oriuntur de iudicijs Dei, quæ quasi tonitrua terrent; illustrationes Diuinæ, quæ quasi fulgura illustrant; magnæque cordium mutationes, quæ sunt quasi terræmotus.

Ita Aymon. Ribera ibi.

3. p. q. 82. a. 6.

HAE autem Missæ orationes duplicem habent singularem excellentiam. *Alteram*, quòd, teste S. Thoma, habeant virtutem impetrandi quod petitur etiamsi Sacerdos eas proferens sit improbus; etiamsi fiduciam non habeat, nec alias conditiones necessarias, vt ipse exaudiatur: ad hoc enim satis est quòd illas habeat Ecclesia, cuius nomine illæ offeruntur, vt susiùs postea dicetur. *Altera* excellentia est: (quamuis non adeò certa atque prima) quòd satisfaciant pro pœnis nostrorum peccatorum, plus quàm aliæ particulares orationes. Aliqui enim Doctores piè existimant: quòd quemadmodum Sacrificio Missæ respondet certus quidem gradus, & pars satisfactionum ipsius Christi, ex eius speciali ordinatione, quæ pars efficaciter applicatur vnicuique iusto, pro quo offertur, etiamsi Sacerdos sit improbus: ita etiam orationibus & Sacris cæremonijs, quæ ex Ecclesiæ instituto adduntur sacrificio, respondet certus gradus satisfactionis: qui distribuitur in viua eius membra; nec propterea frustratur, quòd Sacerdos sit peccator. Nam ad id, aiunt, satis est, quòd Ecclesia sit sancta, & quòd ipsa statuerit tales orationes offerri suo nomine. Eum in modum quo eleemosyna, quam pius Dominus per manus impij famuli largitur, est satisfactoria, & consequitur indulgentiam, quæ eleemosynam facientibus est concessa. Hoc ipsum insinuat Angelicus Doctor dicens: omnes orationes improbi Sacerdotis, tam quas dicit in Missa, quàm illæ, quas dicit in officio Ecclesiastico, esse fructuosas. Cùm igitur particulares Sacerdotis peccatoris orationes possint esse fructuosæ, & vtiles, quoad impetrationem: signum est, eundem S. Thomam significare velle, orationes publicas talis Sacerdotis, esse etiam fructuosas quoad satisfactionem, non ipsimet Sacerdoti: (cùm enim is sit inimicus Dei, non est capax remissionis

Herriquez lib. 9. de Missa. c. 7. Nauar. lib. 2. de Restit. c. 2. n. 251. & 255. Contra sentit Suar. D. sp. 79 Sect. 8. §. 2.

3 p. q. a. 6.

sionis alicuius pœnæ, donec culpa remittatur) sed aliis iustis, quibus ille eas applicauerit; aut pro quibus eas obtulerit, tanquam Ecclesiæ Minister. Ex quo fit, vt, cùm Sacerdos etiam degradatus, aut excommunicatus celebrat contra Ecclesiæ prohibitionem : quamuis Sacrificium habeat suum proprium valorem, & si illud applicet pro animabus purgatorij, aut pro aliis iustis, habeat suum proprium effectum : quia illud offert præcipuè, quatenus est Christi Minister : orationes tamen, quas dicit tanquam Ecclesiæ Minister, nullum babent effectum. Cùm enim sit excluſus ab Ecclesiæ ministerio in eo actu, non offeruntur eius nomine, nec habẽt valorem, quem propter illam essent habituræ. Et eadem ratione, si Missa offerretur pro aliquo excommunicato, non haberent orationes in eo hunc effectum : eò quòd Ecclesia constituerit excommunicatos non esse participes orationum ac suffragiorum, quæ illa pro omnibus offert.

Ex his satis patet, quòd communiter dici solet: Missam habere tres fructus, siue effectus, vnum specialem, alterum specialissimum, & tertium omnibus communem. Specialis est gradus ille satisfactionis : qui ex ipsius Christi constitutione respondet Sacrificio, quod Sacerdos offert tanquam eius minister, constitutus ab Ecclesia ad tale ministerium. Et hunc gradum applicat Sacerdos illis personis, pro quibus Missam offert. Specialissimus effectus est, qui respondet propriæ deuotioni ipsius Sacerdotis : quem etsi possit pro alio offerre, non tamen ad id tenetur. Communis effectus est, qui respondet sanctitati & voluntati Ecclesiæ vniuersalis; quæ per suos Ministros offert Sacrificium, omnesque orationes, quę illud comitantur in bonum & vtilitatem omnium suorum filiorum. Sũmi enim Pontifices, qui sunt Ecclesiæ capita constituerunt hoc Sacrificium offerri pro omnibus fidelibus: & omnes tanquam mystici huius corporis membra, hanc voluntatem habent offerendi, & fruendi communis huius oblationis fructu. Ex quo fit, vt Sacerdoti non liceat quemquam excludere ab hoc fructu, etiam hostem suum capitalem. Quamuis enim non teneatur Missam celebrare: si tamen eam celebret, contra charitatem faceret, si beneficium commune cuiuis communitatis membro, & ius habenti, vt eius sit particeps, illlud deneget.

CAPVT VI.

PRAEPARATIO AD BENE CELEBRANDVM; ET MAGNA animi puritas ad id requisita.

IPSIVS MISSAE EXCELLENTIA VALDE OBSTRIGIT SACERDOTES, vt se præparent ad eam cum dignitate, quâ par est celebrandam: in Statu scilicet gratiæ & absque lethalis peccati conscientia. Et hæc prima est præparatio, ad quam duplici titulo obligantur. *Altero*, eò quòd Sanctissimum Sacramentum sint accepturi; *altero*, eò quòd sint Sacrificium oblaturi. Quare, si cum peccato mortali accedant, duo magna sacrilegia committent, aut certè vnum grauissimum, ob duas causas. Altera est eò quòd in malo statu communicent: & hoc sacrilegium est commune etiam sæcularibus, in eo statu communicantibus; sed grauius est in Sacerdotibus propter maiorem eorum obligationem: qua ratione suæ consecrationis tenentur non inferre talem iniuriam Sanctissimo Sacramento. Altera causa est, eò quòd etiam consecrent in peccato mortali. Hoc enim solùm sufficeret ad peccatum mortale contrahendum, quia omnes Ministri Sacramentorum tenentur (vt probat S. Thomas) constituere se in gratia & amicitia cum Deo, quando illa volunt administrare: cùm volunt verbi gratiâ solemniter baptizare, aut pœnitentem absoluere; ac multò magis, cum corpus & Sanguinem Iesu Christi Domini nostri sunt consecraturi: quia tunc excellentissimum omnium Sacramentorum conficiunt. Quare necesse est (vt S. Dionysius ait) *munde mundis contingere*, magnæq; temeritatis est: *quæ sunt Diuina, præter Diuinitatem exequi*, & absque dignitate, qua par est ea tractari: quasi cogitantes, Deum non videre, quæ ipsi vident; & quasi decipere vellent eum quem Patrem appellant, dum super signa Diuina proferre audent fœditates suas, ac dicam orationes. Hæc Dionys. Et idem asserit S. Augustinus, dicens: omnia Sacramenta nocere, indignè ea administranti: quamuis proficiât dignè recipienti. Et Sacrificium (inquit) non potest dignè offerri, nisi à Sacerdote iusto, iuxtà ea, quæ Dominus noster in antiqua lege dixit: a *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur: ne percutiat eos*. Item b *Omnis homo in quo est immundicia, qui accesserit ad ea quæ sunt consecrata, peribit coram Domino*. Et per Isaiam dixit: c *peccator, qui mactat pecus, quasi excerebret canem: & qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillũ offerat*. vult enim significare oblationem, etiamsi per se sit bona, esse detestandam, in quantum procedit à Sacerdote ducente vitam adeo improbam, quæ non competit tali oblationi, nam quòd in se est, magna infamia illam afficit. Nam (vt Apostolus

3 p. q. 64. a. 6.

De Eccles. Hier. c. 1. Epist. 8 ad Demophil. Vide S. Tho sup in arg. Sed contra.

Lib. 2. contra Parmen. c. 10. Lib. 4. de Trinit. c. 14.

a *Exod. 19. v. 22.*
b *Leu. 22. 3*
c *Isai. 66. 3.*

stolus ait) d *non diudicat corpus Domini*; nec à puro pane & vino discernit: cùm eodem modo vnum offerat, atque alterum offerret. Ac denique cùm Christus Dominus noster præcipuus sit Sacerdos, qui hoc Sacrificium offert, vtens Sacerdotibus ad id consecratis, tanquam instrumentis; tenentur omnino illi, eum in puritate imitari, estque insignis inurbanitas, ad eandem oblationem faciendam ei se coniungere, cum tanta vitæ difformitate.

§. I.

Sed viterius progreditur prima hæc obligatio, declarauit enim Ecclesia; quamuis ad culpæ mortalis remissionem vera contritio sufficiat, necessariò tamen Sacramentalem confessionem Sacræ Communioni & celebrationi Missæ esse præmittendam: & Sacerdotem qui necessitate vrgente, absque præuia confessione celebraret; debere, quàm primum confessarium habuerit, confiteri. Ex quo fit, quod etiamsi post confessionem Sacrum Missæ incipiat; si in ipso progressu, ante consecrationem, vel cogitatione laberetur in aliquod mortale peccatum, teneatur statim ante consecrationem dare operam, vt actum contritionis eliciat: vt consecrationē ipsam dignè peragat: & idem est, si in simile cogitationē consentiret ante sacram Communionem: vt enim dignè communicet, præmittendus est actus contritionis; & Missâ finitâ, Confessio facienda. Et idem dico; si in simile peccatum incideret, antequam Sacram communionem alijs porrigeret. Nam etiam, ad id dignè faciendum, necesse est contendere, vt sit in Statu gratiæ, vt affirmant Doctores, & S. Nicolaus Papa de malo Sacerdote ait, quod bono administrando seipsum tantùmmodo lædat, & vnde alijs commodum exhibet, inde sibi dispendium præbeat.

Sed multò plura meritò sunt addenda, vt Sacrum, quâ par est dignitate, celebretur. Maiori enim puritate, & virtutum exercitiis, quæ animam exornant, præparare se debet, qui supremum hunc hospitem in domo sua excipere cogitat. Sed quoniam de hac præparatione fusiùs actum est in Tract. de Communione: aliqua nunc tantùm particularia adferemus, quæ magis spectant ad Sacerdotes: quorum mundicies, vt ex præcedenti Tractatu constat, debet esse quasi Angelorum, reuocando sibi in memoriam, quòd Christus Dominus noster, cum Sanctissimum hoc Sacrificium primùm offerre voluit, & suos Apostolos ordinare Sacerdotes, Sacramque eis Communionem dare: priùs eorum pedes lauerit. Quamuis enim à quo in eius societate versabantur, à grauioribus culpis immunes erant, voluit tamen, præmittendo lotionem pedum, eis significare, quod oporteret etiam esse mundos à culpis leuioribus, & curis, cogitationibusque terrenis; ad dignè suscipiendum Ordiné

Saccerdo-

2
d 1. *Corint.* 11. 28. *Trident. Sess* 13. *c.* 7 *& Can.* 11.

In 4 *Senten.* 13 *Suar. Disp.* 72. *Sect.* 4. *To.* 3 15 *q* 8. *c. vlt.*

3

Tomo 1. *Tract.* 4.

Sacerdotalem, & purissimum sui Corporis & Sanguinis Sacramentum
a *Ioã.13.10* Ac propterea dixit eis: a *qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet; sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes*: aderat enim qui eum erat tradi
rus, lethali culpâ infectus. Ostendit præterea Saluator noster zelum p
rissimi Sacerdotis, cum voluit eos lauare ac purificare, quibus sacra
communionem erat daturus: vt intelligant Sacerdotes ad suum officium
pertinere, reliquos lauare & purificare, qui supremi huius Sacrificij & Sa
cramenti participes esse volunt; facientes ex parte sua quicquid poterun
vt sic purificati alij accedant: quamuis reipsa non sit aliquis Iudas defun
rus, qui accedat immundus. Hoc autem totum Sacerdotes ipsos magis ob
stringit, vt studeant summam, quam possint, mundiciē in seipsis seruare
Neque enim facilè aliis eam persuadere poterunt, si ipsi ea careant Qui
si Patena & calix non solùm esse debent preciosa, ex auro scilicet, vel a
gento; sed etiam mundissima à quocunque puluere & macula: eò quòd
Sanctissimum cor[illegible] & sanguinem Saluatoris contingant: quantò ea
magis rationi conse[illegible]aneum, Sacerdotes habere manus mundas à prauis
operibus; linguam à verbis ineptis; & pectus suum à malis desideriis & co
gitationibus; & sese purificare ab omni immunditia, etiam valde parua
b *2. Tim. 2 20.* Meminerint, dixisse Apostolum: b *In magna domo* Ecclesiæ *non solùm*
c *Rom. 9. 21.* *vasa aurea & argentea; sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem*
d *1. Tim. 2. 21.* *quædam autem in contumeliam.* c *Quædam vasa misericordiæ, & quædam in*
d *Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum, & vtile*
Domino, ad omne opus bonum paratum. Cui autem dubium esse potest: debe
re Sacerdotem esse vas aureum ob charitatem valde perfectam; aut saltem
argenteum, propter vitę puritatē & candorem? Et quemadmodum nō li
cet in ligneo aut fictili vase consecrare ita non decet Sacerdotis vitam ab
se contemptibilem, & terrenam. Sed etsi aureus sit, siue argenteus: debet
valde purificari & mundari ab omni nebula, quæ ipsum possit offuscare
c *Prou. 15. 4* aut obscurare: iuxtà illud Sapientis: c *aufer rubiginem de argento, & egre*
dietur vas purissimum. Et tunc in magna Dei domo erit vas in honorem
dignus scilicet qui honore afficiatur ob ministerium suum benè præsti
tum; erit vas Sanctum, in quo Diuinum hoc Sacramentum dignè manere
possit, erit & vas misericordiæ: in quo diuitiæ gratiæ reponantur; erit vas
vtile Domino: nam ex ipsius Sacrificiis & ministeriis corpus mysticum
Ecclesiæ magnum accipiet commodum, & vtilitatem; ac denique erit ad
omne opus bonum aptum & paratum; & nominatim ad Sanctissimum
hoc Sacrificium offerendum, & Diuinissimum Sacramentum suscipien-
Zach. 6. 7. dum; quod in Sacra Scriptura per excellentiam appellatur f *bonum & pul*
chrum quod Deus habet in terra: ac proinde dignum est, quòd offeratur
à Ministris bonis absque aliqua malitia; & pulchris absque aliqua fœdi-

tate

tate:g *Celati & purgatt*, vt ait alius Propheta, *quasi aurum & quasi argentum vt sint Domino offerentes Sacrificia in iustitia.*

§. II.

Ad Hanc purificationem benè, vt oportet faciendam, multum refert, quòd Sacerdos ante ipsam Missam offerat Deo Domino nostro spirituale aliud suiipsius Sacrificiū in altari cordis sui, incipiens ab a *Spiritu*, quem Dauid vocat *contribulatum, cor contritum, & humiliatum*, quod faciendum monet S. Gregorius his verbis: Necesse est, vt cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus; quia qui Passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari, quod agimus. Et quoniam Sacrificium hoc tres partes complectitur, in omnibus debet Sacerdos cum magno feruore se disponere.

a *Psal.* 50. 19

4. *Dialog. c.* 99.

Primvm debet in memoriam reuocare culpas suas omnes ab vltima confessione, aut Missa, quam celebrauit; easque coniungere cum ijs, quas non nouit, aut non recordatur; & cum reliquis totius vitæ præteritæ, quæ sunt innumeræ: vt ipsemet in Missa fatetur, cùm dicit: *suscipe hanc oblationem pro innumerabilibus peccatis, offensionibus, & negligentiis meis.* Quare pro eisdem omnibus antequam accedat ad ipsam Missam offerre debet Sacrificium Contritionis: dolens scilicet de eis, quatenus offenderunt Deum adeò benignum & bonum; vt cùm ipse adeò esset aliàs improbus, electus tamen ab eo fuerit, vt eius esset Sacerdos; & nunc dignetur ad se, adhuc adeò indignum, venire; ac demisso animo petens earundem culparum & negligentiarum veniam; addito etiam firmo, valdeque efficaci proposito emendationis. Deinde offerre debet Sacrificium Confessionis, quod Propheta appellat b *vitulū laborum nostrorum*, confitendo scilicet confessario peccata sua. Quamuis enim peccatorum venialiū Confessio, necessaria non sit; valde tamē vtile est, aliquoties in septimana eam facere, vt maiori cum puritate ad Missam accedat. Die autem, quo non confiteretur Sacerdoti, expedit culpas suas ipsimet Deo cum Dauide confiteri, qui dicebat. c *delictum meum cognitum tibi feci: & dixi: confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino*; suumq; pectus cum publicano percutere, in signum desiderij quo tenetur illud conterere; & cum sui cordis dolore aperire. Hanc enim ob causam præmittitur semper missæ Confessio generalis, in qua ter Sacerdos tundit pectus suum, ad supplendum defectus, qui fortè in Confessione speciali fuerunt. Et vt Sacrificium sit perfectum, peragenda statim est pœnitentia à Confessario iniuncta; aut alia satisfactio, quæ aliquem doloris sensum adferat, adhibenda, & quasi hostia viua Deo, ad eum placandum offerenda.

2

b *Osea.* 14. 3.

c *Psal.* 31. 5.

3

Tomo 1. tract. 3.

De His actibus, & perfectione, qua debent exerceri, fusiùs dictum est, dum egimus de Sacramento pœnitentiæ. Circa quam Sacerdotes me-

ritò debent esse valde exercitati; tum quòd cum sint Ministri huius Sacramenti, & aliorum, Pœnitentium iudices, ratione huius officij nosse debent benè quicquid pertinet ad obligationem ipsorum pœnitentium illudque etiam præstare, quando & ipsi sunt pœnitentes: seipsos benè explicantes, suisque Confessarijs ita se subijcientes: sicut ipsimet voluntipsos pœnitentes apertè se explicare, & ipsis subijcere. Deinde, cùm ipsorum ministeria summam exigant cordis mundiciem: necesse est, frequentes maculas suas, quibus inficiuntur, abluere, & omnino ad manum habere remedium, antequam Sacrificium auspicentur. Et in hunc finem iussit

d Exod. 3. 18 Deus, Moysen d *facere labrum æneum, & ponere inter tabernaculum testimonii & altare. In quod missa aqua, lauarent Sacerdotes manus & pedes quando ingressuri essent Tabernaculum Testimonii, & accessuri ad altare, vt offerrent in eo thymiama Domino.* Qua figura significabatur, quod Sacerdotes debeant in promptu habere lauacrum pœnitentiæ, in quo culpas suas abluant, antequam in DEI tabernaculum intrent, & accedant ad Sacrum altare vt sua offerant Sacrificia. Nominatim autem lauandæ sunt manus, & pedes: vt opera & affectus purificentur. Non enim decet sordidis pedibus ingredi in Sancta sanctorum; nec res sacras manibus maculatis contingere. Et eo spectant etiam manuum lotiones, quæ nunc ante Missam, & in

c. 8. §. 2 & c. 8. §. 4. eius medio fiunt, vt postea videbimus. Nec vacat mysterio, quod nos iusserit Deus lauari caput, aut faciem: non enim ea prætermisit, quod non debeant valde esse munda: sed vt Sacerdotes intelligant, adeo puram vitam ducere se debere à culpis grauioribus, quæ faciem maculant & rubore suffundunt: vt opus non sit expresse eis dicere; vt eam abluant: sint maculata. Sed in eo quoque latet mysterium, quod scriptura Diuina dicat

e Exod. 38. 8 e *fecisse Moysen labrum æneum* prædictum (in quo Sacerdotes lauarent) *de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Et quænam hæc sunt

Homi. 17. in Euangelia. specula, (ait Gregorius) nisi præcepta Diuinæ legis, eiusque consilia, in quibus puræ animæ in hoc exilio viuentes, seipsas aspiciunt, vigilantes ad ostia cœlestia, expectantes diē in quo pateat ipsis in cœlū aditus? Ex his igitur speculis cōficitur hoc lauacrum, vt Sacerdotes illud aspiciētes, deprehendant proprios defectus contra Dei præcepta, & consilia, & propria sui status; lauentq; maculas quibus sunt infecti, & excitentur ad imitādam puritatem animarum, quæ, in hæc Specula aspicientes, puram duxerunt vitam. Vera enim pœnitentia non debet sistere in culparum mundicie, sed progredi ad renouationem bonorum operum: accipiendo pro exemplari, quod imitentur, excellentem & puriſſimam vitam Sanctorum Sacerdotum, qui fuerunt in Ecclesia. Nam si, qui nunc sunt, illis æquiparantur in dignitate: æquum omnino est, vt etiam studeant illis esse in Sanctitate æquales, & cum eadem obeant munia, ac ministeria: non sint inferiores in

puritate & perfectione, ipsis ministerijs conueniente.

Nec tamen etiam postquam benè se abluerit Sacerdos, existimare debet sufficientem se habere mundiciem; sed profunda potiùs humilitate se immundum iudicare, & quasi nauseam in Dei conspectu mouere, iuxta id, quod scribitur in Iob: f *Quid est homo, vt immaculatus sit, & iustus appareat natus de muliere? inter Sanctos nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu eius: quantò magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?* Quomodo igitur satis mundum me existimabo, vt labijs meis sacrum calicem attingam, & purissimum mei Saluatoris sanguinem bibam? g *Væ mihi* (dicebat Isaias) *quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Vix autem Propheta hæc verba protulerat, cùm *volauit ad eum vnus de Seraphin, & in manu eius calculus, quẽ tulerat de altari. Et tetigit os eius, ac peccatum eius mundauit.* Commiseretur enim Dominus noster humilium, qui suam fatentur immundiciam, à qua cupiunt liberari: vt sancto ipsius altari mundè assistant: vt autem eos desiderij sui compotes faciat, communicat eis accensos Contritionis & amoris affectus, quibus ampliùs in sua puritate perficiantur.

f *Iob. 15. 14.*

g *Isai. 6. 5.*

CAPVT. VII.

SACRVM MISSAE PRAECEDERE DEBET TANQVAM Præparatio, Oratio & Meditatio. Ponuntur septem considerationes, singulæ pro singulis hebdomadæ diebus.

Ad Missam Digne Celebrandam præmitti quoq; debet insigne illud Sacrificium, de quo Dauid: a *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum* sit quasi *Sacrificium vespertinum.* Potest autem hoc Sacrificium duobus modis offerri. *Primus* est legendo Psalmos & orationes vocales, quas Ecclesia ad hanc præparationẽ in ipso Missali proponit: legendo tamen eos cum animi sensu ac deuotione eo modo, quem post Horas Canonicas inferiùs indicabimus: *Secundus* modus est, per exercitium orationis mentalis, quæ magis propriè comparatur cum incenso, quod positum super prunas comburitur & dissoluitur: estque Sacrificium in Altari cordis offerendum: in quo (vt dicitur in Leuitico, & inferiùs ampliùs explicabitur) b *Ignis semper ardebit; quem nutriet Sacerdos subiuciens* sanctarum considerationum *ligna mane per singulos dies:* & postquam benè erit accensus, imponetur incensum petitionum & orationum, quæ ascendant ad conspectum Dei. Officium itaque perfecti Sacerdotis debet esse: ipsi Sacro Missæ præmittere aliquam meditationem circa Diuina mysteria; varijsque considerationibus sese exercere, quæ excitẽt varios cordis affectus, amoris, reuerentiæ, timoris, humiliratis,

a *Psal. 140. 2.*

cœlestium affectuum

b *Leui. 6. 12. Tract. 3. c. 8.*

fiduciæ, obedientiæ, & similes alios; ac denique concludere petitionibus & colloquijs cum Deo Domino nostro: vt impetret quod optat, possitque digne ad sacrum Altare accedere. Huius rei praxim posuimus in tractatu de sacra communione cum varijs considerationibus, quæ iuuant ipsam præparationem per omnes hebdomadæ dies. Et speciatim positæ fuerunt septem considerationes, quæ complectebantur omnia, quæ in Sanctissimo hoc Sacramento continentur. In quibus meritò Sacerdotes sese exercebunt, perpendentes in singulis non solùm quod accipiunt; sed etiam quod offerunt: siquidem vtrumq; in Missa faciunt. Accipiũt enim corpus Christi D. N. glorificatum, precioſum eius Sanguinem, Sanctissimam animam, ac Diuinam Personam infinitam, heroicas eius virtutes, & satisfactiones, ac merita: & hæc eadem æterno Patri offerunt in hoc Sacrificio: & quidem priùs ofterunt quàm suscipiant: quod si oblatio bene fiat, communio fit magis fructuosa.

Tom. 1. tract. 4. 6. 4.

SED quoniam argumentum hoc copiosissimum est, suauissimum, & vtilissimum; addemus hic breues alias considerationes, Sacerdotibus magis accommodatas: vt breui illo tempore, quod expendunt in præparatione ad ipsam Missam, breuia aliqua puncta in promptu habeant, quibus pij, neque prolixioribus ratiocinationibus addicti, inescentur ac foueantur excelsis affectibus, qui hic insinuantur; qui autem fusioribus ratiocinationibus magis proficiunt, possint vela earum ampliùs extendere; vt pias nouas cogitationes inquirant, quibus nouos excitent affectus. Singularum autem considerationum thema & fundamentum erit insignis aliquis Sacræ Scripturæ locus, qui memoriæ ita deseruiat, vt c *cogitationum reliquiæ* totum *diem* quasi *festum agant ei.*

c *Psal. 75. 1.*

1. *Consideratio pro die Dominico.*

a *Ioan. 3. 16.*

SIC DEVS *dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret,* Quemadmodum Deus summum amorem suum erga mundum ostendit dans ei filium suum vnigenitum, vt eius reparationis causa homo fieret, accipiens ad id tanquam instrumentum Beatissimam Virginem Dominam nostram, quæ vt Mater illum in suis visceribus concepit: ita nunc eundem summum amorem suum erga eundem mundum ostendit, dans ei eundem filium suum vnigenitum, quo alatur & sustentetur; vtitur autem ad hoc tanquam instrumento Sacerdote consecrante in Missa panem & vinum.

ELEVA igitur, ô anima mea, oculos tuos, vt attentiùs videas, quis ille sit, qui tanto amore hoc donum tibi largitur: & agnosces, esse Deum infinitum, æternum, & immensum, summè bonum, sapientem ac potentem, qui eo solo, quòd se aspiciat, & amet, infinito gaudio perfruitur: vt opus non habeat quenquam alium diligere, vt ipse sit beatus; cuius amor non

in toto

in solis consistit verbis, sed in reipsa: quia quemcumque amat, semper ei aliquid tribuit: quod, licèt in se modicum videatur; magni tamen est valoris, eò quòd talis sit qui illud donat, tantoque amore donat. Attende etiam statim, quale donum hìc det, dilectissimum scilicet ac pretiosissimum, quod habebat: dat enim nobis vnigenitum filium suum, verum Deum & hominem: qui quà Deus, æquè est infinitus, sapiens, ac potens atque ipsemet eius Pater; quà homo autem habet omnes thesauros Sapientiæ, & charitatis Dei: quamuis ad nos veniat, velo panis & vini tectus: quia non potuisset mundus infinitum eius splendorem intueri, & ferre. Perpende etiam, cui donum hoc adeò pretiosum detur; & inuenies dari toti mundo, non solùm Ecclesiæ capitibus, Principibus, & Magnatibus terræ; sed Christianis omnibus, etiamsi aliquibus valde abiectis, & qui magni fuerint peccatores: vt omnes illud in sua viscera immittant; vt nutriantur & confortentur gratiis ac donis, quæ in ea ingressum eis communicat. Attende denique per quodnam medium hoc donum detur &, videbis esse Sacerdotes, in quorum voluntate amabilissimus Deus suam posuit, statuens dare hoc donum, quandocunque Sacerdos (quicunque ille sit) panem & vinum consecrauerit. Dat autem hoc donum non solùm vt illud comedat, & sumat; sed etiam vt in Sacrificio Illud offerat: & sic illud ei reddat in gratiarum actionem, ob tanti doni magnitudinem. O Deus in amando immense, & in donando profusissime! quis mihi det, ita te amare, sicut me amas: vt dem tibi quicquid à me petis! summo amore dedisti mihi summum quod habebas: nunc venio, vt cum omni cordis mei amore summum, quod possum, hoc est id ipsum quod mihi donasti, tibi denuò offeram. Sic ostendam meum erga te amorem: cum filium tuum vnigenitum tibi obtulero; vt per eum summum tibi deferam honorem, gratiasque summas agam pro amore, quo illum mihi dedisti. Per tuum erga eum amorem oro supplex, vt me ita amore tuo accendas, vt semper & in omnibus tibi paream, & seruiam in æternum. Amen.

2.

3.

4

II. *Consideratio pro Feria.* II.

a *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Cur anima mea contristaris? cur me conturbas, audiens talia verba? Quid dubitas, ac diffidis, tale habens pignus & cautionem? considera infinitam liberalitatem Dei tui: qui ob amorem, quo te prosequitur, omnia quæcunque fecit, in tuum commodum destinauit: b *Omnia* (ait Apostolus) *vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia siue futura: omnia enim vestra sunt: Vos autem Christi, Christus autem Dei.* Cuius charitas eò vsque peruenit, vt nec vnigenito filio, quem in sua æternitate genuit, pepercerit, neque ab hac sua ordinatione voluerit exemptum,

a Rom. 8. 32. 1.

b 1 Cor. 3. 22.

sed miserit in mundum, & commodi tui causa morti tradiderit. Neq; his contentus quotidie eum mittit, & in cibum & potum ad te nutriendum tradit. ATTENDE igitur quod in hoc dono simul omnia tibi tradit; & hoc ac titulū, quo omnia obtineas. Hic.n. tradit tibi Angelos, qui te custodiāt, ac iuuent; dat suas gratias ac virtutes, quibus exorneris ac sanctificeris; dat tibi merita & satisfactiones filij sui, quibus defectum & paruitatem tuarum satisfactionum suppleas; tradit tibi vsum rerum temporalium, in quo gradu eis indiges dat æternas, vt spe eas obtinendi lætificeris; dat seipsum tibi Deus infinitus, tanquam vltimum finem & beatitudinem supremam, qua nunc dulci contemplatione, postea verò clara visione fruaris. In pignus autem & cautionem horum omnium dat tibi vnigenitum filium suum, sub hoc velo latentem: qui tantum valet, quantum quidquid tibi promittit; & tu potes desiderare, vt satureris. NE autem aliquod dubitationis vestigium supersit, vult hunc eundem filium suum, tuā esse oblatiōem, quam ei quotidie offeras: vt quidquid petieris, impetrare possis. c *Fili* (ait Ecclesiasticus) *in tua infirmitate ne despicias teipsum. Da suauitatem & memoriam similaginis, & impingua oblationem* quasi dicat, offerens Deo suaue olens Sacrificium, & electæ farinæ memoriale: quæ erit valde pinguis oblatio. Quodnam autem Sacrificium hoc est, nisi Missæ? in quo in odorem suauitatis offertur panis viuus, qui de cælo descendit, & pinguis vitulus humanitatis Sacratissimæ, quæ sit omnium tuarum infirmitatum medicamentum, & miseriarum remedium? Ne autem existimes hāc suauē adeò oblationē à Deo despiciendā, eo quòd sis tu, qui illā offers, ipsemet Dei filius per te, fungitur officio Sacerdotis, tecūq; illā offert, vt petat & exaudiatur pro te & remuneret in te, quod ipse facit per te. O Pater supreme: quid vltrà facere poteras, quā, fecisti vt me prouocares ad te amandū, & non abiiciendū animū, aut diffidendū, me obtenturū, quod vt tibi melius seruiā desidero. Tu vnigenito filio tuo nō pepercisti propter me, neq; ego vnicæ animæ meæ ac vitæ parcā propter te. Totā ergo eā tuo trado obsequio, & cū ea simul res omnes meas. Accipe igitur oblationem hanc etsi vilē & abiectā propter filij tui oblationē, quæ adeo est preciosa.

c *Eccl.* 38. 9. 11.

2

III. *Consideratio pro Feria III.*

EGO SVM PASTOR BONVS. *bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* O supreme Pastor, explica tu ipse, quis sis, & quomodo voceris bonus? nam cuidam adolescenti dixisti: b *nemo bonus, nisi vnus Deus.* Sed ex hoc video, quod iure optimo teipsum appelles *Pastorem bonum*; es enim verus Deus; bonus per essentiam, & ipsamet bonitas infinita, & fons totius bonitatis, quæ in cœlo & in terra communicatur. Cum igitur bonitas sit amoris obiectum: tu ob infinitam tuam bonitatem dignissimus es, qui amore infinito diligaris. O si haberē amorē infinitum, vt te pro meritis amarem. SED explica mihi Domine, in quo ostendiste esse

a *Ioan.* 10. 11

b *Marc.* 10. 18. *Luc.* 18. 19.

2

bonum

bonũ Pastorem? in quo tamẽ id ostẽdere poteris: nisi cum facies summum quod potes pro ouibus tuis? descẽdisti è cœlo, vt eas perditas quæreres; vitãq; tuã pro earum redemptione exponeres; Sanguineq; tuo earum debita persolueres. Neque his cõtẽtus, è cœlo quotidie descendis, vt eas pascas neq; alio quidẽ pastu, quã ipsomet corpore tuo; nec alio, potu, quàm ipsomet Sanguine tuo. O charitatẽ absque mensura! O amorem ab omni lucro expeditũ! alij pastores aluntur carnibus & lacte suarum ouiũ: tu autẽ Pastor bone, eas propria carne & sanguine alis. Dignus sanè titulo boni Pastoris; in quo solo tanta bonitas potuit inueniri! Sed adhuc aperi mihi, Dñe, quis mihi cibũ hunc & potũ adferat, vt eis alar & nutriar? O immẽsã cœlestis nostri Pastoris largitatem! qui ne pastus hic cœlestis in terra deesset curã eũ è cœlo deferendi, ipsismet terræ habitatoribus cõmisit. Nam quicunq; Sacerdos Missã celebrat, in quacunq; terræ parte efficit, vt panis hic cœlestis è cœlo descendat, ad Christi oues alẽdas. Quis mihi det, vt vera sim ouis tua; vt hoc Diuino pastu fruar! Sed quid dicã, Deus meus: cùm oues esse soleãt oblatio, quæ in Sacrificio mactãtur in pastorũ cõmodũ: tu autẽ, pastor supreme, offers teipsum in Sacrificiũ, in ouium tuarũ commodum. Ego igitur, Domine, vtrumque faciam: nam simul cum Sacrificio precioſi tui corporis & Sanguinis offeram meipsum tanquam ouem tuã in Sacrificium, iugulãs & extinguens in me ipso quicquid tibi aduersatur. 3 4

IV. Consideratio pro Feria IV.

a Ego svm vitis, *vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructũ multum.* Perpẽde primũ Iesũ Christũ verũ Deũ & hominẽ esse vitẽ, ex qua & Esse, & virtutẽ omnẽ accipiũt homines, qui eius sunt palmites: modò tamen ipsi viti sint vniti. Sed quo modo vnitio hæc fieri poterit vite in cœlo permanente, palmitibus verò in terrra? Tu ô Deus omnipotẽs; qui res valde à se inuicẽ distãres cõiũgere, & vnire nosti, id præstas, etiãsi nulla illarũ propriũ deserat locũ. Vitis.n. ipsa in cœlo manens, quotidie descendit, vt palmitib. suis in terra manentib. vniatur. Et quoniã vitis manere solet terra cooperta, descẽdit etiã hęc panis & vini accidẽtib. tecta: & sic in domũ iusti ingreditur, qui palmes est: cũ quo per ineffabilẽ amoris vnionẽ coniũgitur. *Cõsidera* mox fructum ex eo proueniẽtẽ quòd palmes cum hac vite coniũgatur. Qualis.n. vitis est, talis & virtus erit, quæ influit in palmitem: vt fructũ ferat tali vite dignũ. Ac proinde, qui est Christo Dño vnitus, fructus proferet Christo dignos; charitatis scil. & misericordiæ; tẽperãtiæ; & castitatis; obediẽtiæ, & patientiæ ei similis, quæ fuit in Christo. Et quid mirũ, quod hoc faciat Dñs ille, qui voluit se vitem appellare: siquidẽ voluit carnẽ suã esse verũ cibũ, & sãguinẽ suũ verũ potũ? Qualis autẽ est cibus & potus, tales generat in sumentib. humores. Stude igitur quotidie te cõiũgere tuo Redẽptori; vt copioſè eius redemptionis fructuũ particeps fias. Alioquin eueniet tibi ꝙ Palmiti à sua vite abscisso, qui nec fructum

a Ioan. 15. 5. 1 2

fructum ferre potest, nec in vllum vsum valet; nisi, vt missus in ignem ardeat. Ita igitur: si à Christo te separes, nullum proferes meritorum fructum, sed eris ignis inferni fomentum. TERTIO denique perpende Sacerdotes esse Diuinæ huius vnionis instrumenta; ipsi enim, dum verba Consecrationis proferunt, vitem è cœlo deducunt; eamque palmitibus coniungunt, cum sacram porrigunt Communionem. Quare si Communices, manebis intimè cum tuo Saluatore vnitus, ipse enim dixit: b *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet: & ego in eo & viuet propter me,* sicut palmes ex vite viuit, quamdiu est illi connexus. O Saluator dulcissime, palmes tuus sum, tecum vnitus esse cupio, & ad id ad tuam præsentiam venio; satis sit, quòd tamdiu à te separatus manserim: insere itaque me in teipsum, qui es vitis mea: vt per te viuam non iam vitam meam, sed tuam: viuente te in me, & me in te in æternum. Amen.

b *Ioan 6. 17.*

V. Consideratio pro Feria. V.

EGO SVM VIA, *veritas & vita.* O veritas æterna, constitue me in recta via, qua perueniam ad te vitam meam. Cumque hæc tria habeas in hoc Diuino Sacramento existens, & offeraris in hoc sancto Sacrificio: doceas me, qua ratione ea præstes, vt possim eis frui. Ego (inquit Saluator) sum VIA salutis, & perfectionis tuæ; & per me eundum tibi est ad Patrem meum; per me illi placebis, eum placabis gratiamque in eius oculis inuenies. Ego sum via, per quam ad vitam peruenies æternam, & ad præmium promissum peregrinantibus per fidem in hoc mundo. Ego via sum, per quam ad Sanctitatis culmen, & contemplationis montem ascenditur; per me obtinebis humilitatem, obedientiam, Patientiam, & virtutum omnium perfectionem; remedium necessitatum tuarum corporalium, & spiritualium; & compos fies piorum tuorum desideriorum & abundantiam consequeris omnium bonorum temporalium & æternorum. Harum rerum quasdam obtinebis, cùm hoc sacrificium offeres, alias sumendo me in hoc Sacramento. Attende, quòd ego sim viaticum peregrinantium: b *surge & comede: grandis enim tibi restat via, & infortitudine cibi huius peruenies vsque ad montem Dei Horeb;* vbi arcana mea tibi sicut *Eliæ* aperiam, & optatam pacem consequeris deuictis hostibus tuis.

Ioan. 14. 6. 1

b 3 *Reg.* 19. 7.

2 ATTENDE etiam, quod ego sim *veritas*, quam significabant omnia Sacrificia, Sacramenta, & Cæremoniæ Legis Antiquæ: & in me inuenies veram sanctitatem, quam illa significabant, nec tamen largiebantur. Ego sum veritas in qua omnes veritates, quas firmiter credere debes, summatim continentur. Credens in me, omnia credis; hoc enim Sacramentum est per excellentiam mysterium Fidei; hic credis meam Diuinitatem, Omnipotentiam, & Maiestatem infinitam; processionem, qua prodeo à Patre

meo;credens quoque Incarnationem, Passionem, & mortem meam,eiusq; fructus. Excita igitur fidem tuam, excipe me magna fide: & ipsa experientia agnoscès veritatem Fidei. Sum etiam veritas infallibilis, quæ fallere neminem possum,nec prætermittere, quod promitto; in cuius rei pignus meipsum colloco in hoc Sacramento, & sacrificio. Confidas in me,& nihil timeas:recipias me, & offer hanc oblationem:& certus esto,me facturum,quod dico; & redditurum,quod promitto.Sum denique veritas,cui conformari debent quicunque viuunt in veritate, sine fraude & fictione. Conforma & coapta opera tua meis:& non aberrabis in eis.

Attende etiam, quod sim ipsamet Vita, sine qua quicquid est, mors est. Sum via spiritualis animæ tuæ; & ad hoc venio in Sacramento, vt qui me recipit,vitam habeat gratiæ,& vitam valde copiosam; sum vita corporis tui: quia ego sum resurrectio & vita. Et quamuis moriaris, resuscitabo te postea valde gloriosum; sum vita beata; & qui manducat me, viuet in æternum;quia habet in se vitam æternam:cum me habet,qui eam suo tempore ei dabo, deducens eum ad corregnandum mihi in regno Patris mei. Attende,quòd ego sim vita, per quam tibi est viuendum;cui debes te conformare,& quam sequi oportet, dicendo cum Apostolo meo: c *Viuo iam non ego: viuit verò in me Christus.* Denique,ego sum vita, quam omni studio quærere debes in præmium omnium tuorum laborum. Nam æterna tua vita in eo consistit,vt me videas, & ames,& fruaris me. Recipe me cum viua fide:si enim ita me habes intra te,esque mecum vnitus: ego ero tibi *via, veritas & vita.* O bone Iesu,cum hoc desiderio accedo,vt te recipiam:esto quæso mihi *via*, vt nunquam impingam;esto mihi veritas, ne vnquam aberrem;esto mihi vita, ne vnquam moriar;sed tecum viuam ac regnem in æternum,Amen. 5 c *Galat.2. 10.*

VI. *Consideratio pro Feria VI.*

Quamdiu Svm *in hoc mundo lux sum mundi.* Hoc dicit Saluator cùm cæco illi à natiuitate voluit visum restituere, quod fecit,*expuens in terram, & faciens lutum ex sputo, & liniens lutum super oculos eius.* Quo facto (vt ait S. Augustinus) significare voluit vnionem Personæ Verbi diuini,significati per sputum ex ore procedens; cum natura humana,significata per terram, ex qua est formata. In cuius vnitionis virtute datur lux spiritualis cæcis: ac propterea Christus Dominus noster dicitur *lux mundi*: & idem officium præstat in hoc Sacramento,in quo ipsummet Verbum Incarnatum coniungitur cum accidentibus terrenæ substantiæ vt lucem conferat ipsum recipientibus. Tu autem anima mea,fidei oculis, quos hic Dominus tibi dedit,lustra omnia loca, in quibus ipse fuit,vel est; & inuenies semper fuisse,& esse lucem eorum. Quando factus est homo in mundo, cœpit esse lux mundi;in cuius signum,cum natus esset in Bethle- a *Ioan 9 1. & c.8.12.*

hem, b *claritas Dei circumfulsit Pastores.* Et toto suæ prædicationis tempore hoc officium præstitit, donec in cruce expirauit: & tunc c *tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, a sexta hora vsque ad nonam*; in signum, quòd abscessisset Magister, qui Sol erat, & lux mundi. Postea descendit in limbum, locum profundissimum & obscurissimum: in quo quamdiu fuit lux fuit limbi, illuminans inferiores illas partes terræ, & eas conuertens in Paradisum; communicans animabus illis claram Diuinæ essentiæ visionem. Ipso autem inde exeunte, mansit limbus in perpetuis tenebris, & nocte. Postea ascendit in cælum Empyreum: vbi etiam fungitur officio Solis, illustrans omnes beatos. De illa enim cœlesti Ierusalem ait S. Joannes: quod d *Ciuitas non egeat Sole neque Luna, vt luceant in ea. Nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius est Agnus.* Qui, quamdiu est in cœlo, est lux cœli; & quia nunquam desinet esse ibi, ideo nec illuminare desinet neque ibi poterit esse vnquam nox.

b *Luc.* 2. 9.
c *Matt.* 27. 45.
d *Apoc.* 21. 23.

2 Sed quid faciemus in mundo, ô Agnus Dei, si semper in cœlo maneas, nec ad nos redeas? Redi igitur Domine in mundum, vt sis lux in eo venientium: sine te enim vbique sunt tenebræ. O Diuinæ charitatis celsitudinem! cuius immensa sapientia inuenire nouit modum, quo ille ipse Sol qui superiorem illuminat mundum, non discedens inde, veniat tamen quotidie ad mundum hunc inferiorem tectus velo Sacramentiuo: inde lucem emittat, quamuis nonnihil obscuram; & quod amplius est, ita tectus ingrediatur viscera communicantis, quasi in quendam limbum, quem luce sua conuertat in Paradisum. Veni Domine, veni ad visitandam hanc animam, quæ habitat in tenebris, e *& in regione vmbræ mortis.* Oriatur in ea lux tua, & Sol iste appareat ei: nam quamuis hac nube tectus veniat, per eam emittet radios, qui sufficiant ad eam illustrandam, & accendendam, & conuertendam in cœlum, propter æterni Regis præsentiam. Denique considera effectus, quos Diuinus hic sol luce sua efficit in anima, replens illam Diuinarum inspirationem splendoribus, quibus Fidei lumen amplius illustratur; gratiæ splendor augetur; charitatis ignis accenditur; & virtutum omnium affectus exstimulantur; cor lætitia repletur: & ea causa est, cur potentiæ sua munia exerceant, sicut qui in die cum decentia & honestate ambulat, horrens opera tenebrarũ. Accede igitur, anima mea, ad Deum tuum: vt eius præsentia illustreris; exurge à sommo, quo teneris, vt Christus luce sua te illuminet.

e *Isai.* 9. 2.

3

VII. *Considératio pro die Sabbathi.*

ECCE SPONSVS VENIT, *exite obuiam ei.* Si vis, anima mea, plene exequi, quod hæc vox tibi dicit: attende diligenter quis sit sponsus qui venit, & quæ illa Sponsa, quam accipiet, in quo eius sponsalia consistant, & quænam bona ex ijs resultent. Quem existimas esse sponsum

a *Mat.* 25. 6.

cum

cuius hic nomẽ reticetur, quia est ineffabile & admirabile? Ipsummet verbum Diuinum, quod è cœlo venit in thalamum Virginis, in quo nuptias cum humana natura celebraret, coniungens eam secum in vnitate Personæ. Ipse igitur idem de cœlo nunc descendit, & panis accidẽtibus tectus, cordis tui thalamum ingredi vult: vt in eo spiritualia tecum sponsalia ineat. Quis autẽ sponsus pulchrior esse potest, magis gratiosus, ditior, potentior, sapientior, prudentior, magisq; bonis omnibus repletus, quã sit filius æterni Patris, splendor eius gloriæ; in quo repositi sunt thesauri omnes infinitarum eius diuitiarum? Quamuis autem tectus veniat, & exteriùs viliter vestitus, nõ tamen est pauper: nam interiùs totã suam Maiestatem & amplitudinem adfert; & cũ eadẽ gloria, quã habet in cœlo, venit & manet in hoc Sacramento. *Sed* quid dices de anima tua, quã ipse vult in sponsam accipere? quantũ ille habet pulchritudinis, tantum illa habet deformitatis. Ille est niue candidior, illa nigra instar carbonis; ille est speciosus super filios hominum, illa Dæmonibus turpior: eò qnòd culpis innumeris se maculauerit, sitque multis sceleribus defœdata. Et quænam maior iniquitas, quàm adulterium commisisse contra supremum hunc sponsum? Sed quænam contrà maior esse potest bonitas & benignitas in tali sponso, quàm quòd parcat adulteræ, & iterum redeat, ad purã cum ea amicitiam ineundã? b *Tu* (ait Dominus) *fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.* Purifica teipsam per pœnitentiã, & accede ad communionem, & ego te in meam accipiam; & tanquam cum sponsa tecum agam. Nam c *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.* Quemadmodum enim vterq; coniunx sunt vna caro: ita anima & Deus sunt vnus Spiritus: vnus propter vnionem charitatis; vnus propter conformitatem voluntatũ; vnus ob similitudinẽ in actionibus; vnus in rebus omnibus, quæ spectant ad alterum; quia vterq; eas accipit, quasi proprias. Ita vt anima dicat: d *dilectus meus mihi & ego illi.* Sed quis referre poterit bona, quæ hinc proueniunt? amicitiã adeo intimã, familiaritatem adeò magnam in oratione, delicias contemplationis, fiduciam adeò certam in petendo, efficacitatem adeò magnam in obtinendo, quod petitur; solidam adeò rerũ temporaliũ renunciationem, & voluptatem in solis æternis quærendis; quantam lætitiam in aduersitatibus, quantum zelum in adiuuandis alijs? Sed cur laboro in referendis bonis, cum inter bonos sponsos non sit bonorum partitio. Cum igitur anima sponsum habeat Deum, quomodo cum eo non habeat omnia? Aduẽde igitur, ô anima, quod tuus iam accedat sponsus, exorna teipsam, & exi obuiam ei, & quemadmodum corpus tuum sacris vestibus ornas: ita enitere, vt præclaris virtutibus spiritum ornes; ne repellaris ex nuptijs, non habens vestem, quæ dignam te faciat in eis manere.

1

2

b *Ierem.* 3.

c *Ioan.* 6 57.

3

d *Cã.* 2. 16.

4

CAPVT VIII.

COLLIGVNTVR VARIAE MEDITATIONES DE VITA Christi Domini nostri diuersis anni temporibus accommodatæ pro præparatione ad Missam.

Psal. 110. 4

CVM CELSISSIMVM HOC SACRAMENTVM ET SACRIFICIVM sit a *memoriale mirabilium Dei*, etiam est summa quædam Fidei nostræ mysteriorum; tam eorum quæ spectant ad humanitatem Christi Domini nostri, eiusque vitam Passionem, & mortem; quam eorum quæ pertinent ad Diuinitatem, eiusque magnalia, stupenda opera, ac beneficia. Ac proinde in eodem mysterio summatim continentur præcipuæ res, quæ argumentum & materia esse possunt meditationis per totum huius peregrinationis tempus. Quare præter spirituale alimentum, quod nobis præbet in Sacra Communione, alteram etiam Spiritualem præbet refectionem, ex consideratione & meditatione, quæ euoluit & explicat res, quas illud continet.

b Eccle. 15. 3

Et vtriusque refectionis nomine commodè aptatur huic Sacramento quod dixit Ecclesiast. b *cibabit eum pane vitæ, & intellectus, & aqua Sapientiæ salutaris potabit illum.* Est enim panis vitæ communicantibus; & panis intellectus meditantibus; & aqua Sapientiæ salutaris intelligentibus, & assequentibus suprema mysteria, quæ in se continet. Propterea etiam dixit Isaias: Dominũ c *daturum nobis panem arctum, & aquam breuem*: in parua enim externa quantitate ingentem continet internam virtutem, cum innumeris & ineffabilibus mysterijs, quæ sunt animæ cibus, & potus; quamvis intus latent thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, & inæstimabiles eius gratiæ, diuitiæ, ipsumque Verbum Diuinum, quod Scriptura Sacra d *verbum* appellat *abbreuiatum*: quòd cum sit Deus adeo immensus, quem cœli nec terra capere possunt: ita voluit abbreuiari, & angustari: vt humanam carnem indueret in vtero virginis; neque hoc contentus se ampliùs abbreuiauit, & angustauit, collocans seipsum Sacramentaliter sub modica sanctissimi huius panis, & vini quantitate: conuertens eorum substantiam in substantiam totius sui corporis & sanguinis cum sua diuinitate coniunctam. Et quicquid fecit, passusque est, nostræ reparationis causâ, per triginta tres & ampliùs annos, id totum breuissimo compendio complexus est in hoc Diuino Sacramento & Sacrificio: vt hac ratione Spirituales delitias nobis præpararet. Et cùm sit stylus & phrasis Scripturæ Sacræ, per *panem & aquam* significare omnem ciborum varietatem, quibus alimur; ideò per *arctum* hunc *panem, & aquam breuem*, quam Saluator nobis dat, intelligitur Spiritualiũ ciborum varietas, quâ nos alit ac recreat, & con-

c Isai. 30. 20

d Rom. 9. 28 Isai. 10. 12,

c 4 Reg. 6. 22 Eccle. 29, 28.

municat Euangelicam perfectionem, quæ etiam appellatur panis & aqua breuis, in quantum abbreuiat & contrahit præceptorum & sacrificiorum antiquorum multitudinẽ, ad pauca, quibus nos suauiter efficiat perfectos.

Huius perfectionis summam quandam siue compendium Christus Dominus noster hic proposuit in septẽ heroicis virtutibus, quas hic exercet *Humilitatem* scilicet, qua suam amplitudinem & splendorem regens, eò se demittit, vt fiat cibus hominum; *Obedientiam*, cùm ad ipsa verba consecrationis venit è cœlo ad Sacramentum: in quo sinit se hinc inde portari *Misericordiam*: faciens seipsum medicum & medicamentum pro nostris infirmitatibus & personaliter ad eas reparandas descendens; *Liberalitatem*, cùm benedictiones suas spirituales larga & profusa manu per hoc medium nobis largitur: dat enim nobis seipsum, & ita simul res omnes; *Charitatem* cùm vult esse semper nobiscum, & quidem omnibus vnitus per maximam vnionem, quæ mortalis huius vitæ statui conueniebat; *Patientiam*, cùm iniurias tolerat, & contemptus, quos patitur quotidie in hoc Sacramento ab iis, qui indignè illud tractant; & *Perseuerantiam* in his omnibus vsque ad finem mundi; & in singulis hostiis, quamdiu Sacramentales species perdurant. Septem hæ virtutes argumentum esse possunt septem meditationum, siue, considetationum pro septem hebdomadæ diebus, vt in alio loco perpendimus: & esse debent etiam fructus omnium reliquarum: ex quibus instituemus hic quoddam cõuiuium Sacerdotibus per totum annum, varia offerentes fercula pro temporum varietate. Nam quemadmodum Ecclesia Catholica sciens, varietatem exercitiorum solere tollere tædium eorum, voluit imbecillitati nostræ sese accommodans, annum in diuersa tempora partiri: Aduentus, Quadragesimæ, & Paschatis, & assignare singulis varia officia tam in ipso Sacro Missæ, quàm in septem horis canonicis; vt hæc ipsa varietas nouitate, quam secum adfert, deuotionem foueat; propter eandem igitur causam accommodantes nos spiritui Ecclesiæ, varias alias considerationes & meditationes insinuabimus, diuersis añi temporibus accommodatas constituentes septem pro hebdomadis cuiusque temporis: quamuis quæ pro vno tempore assignantur, possint etiam vtui esse pro altero. Quæ etiam videri poterunt fusiùs positæ in libris meditationum, quos edidimus, & in locis hic in margine indicatis.

Tomo. 1. tract 4. c. 3. Medit 6

§. I. *Considerationes tempore Aduentus.*

I *Partis. 2. Medit. 1.*

Prima pars anni Ecclesiastici est Aduentus: in quo Ecclesia agit de præparatione ad aduentum Christi D. N. in mundum per Sanctam suam Natiuitatem. Pro quo tempore vsui esse possunt hæ septem proximæ considerationes.

Prima consideratio erit Aduentus Dei D. N. tanquam iudicis ad paradisum terrenum, cùm Adam comedens pomum sibi prohibitum pec-

cauit: ad quem reprehendendum de admisso peccato, & propterea è paradiso excludendum & intimandam ei mortis sententiam, quam sua culpa erat promeritus, Deus ipse accessit. Sed mox officium iudicis in Paternum amorem & officium commutauit; & cùm iratus esset, misericordiæ est recordatus: promittens Mediatorẽ & Redemptorem potentissimum, reuelans mysterium Incarnationis Verbi Diuini, ad eius miserias reparandas; ita enim serpenti minatus est, dicens: a *ipsa conteret caput tuum*. Qua Dei promissione valde fuit Adamus consolatus, gratumque obtendit animum ob excelsum adeò beneficium, glorificans Deum adeò pium, qui infinitos fauores & gratias promitteret ei, qui agnoscebat se promeritum æterna tormenta: & cum magno desiderio vixit aduentûs huius Saluatoris, per quem tanta sperabat se accepturum beneficia. Hic autem Saluator est, qui in Sanctissimo Sacramento visitandi te causâ venit. Si quamuis tua peccata digna erant, quibus ipse seuerum se iudicem exhiberet, eaque puniret: non tamen ita venit, sed sicut Pater misericors, vt hoc Diuino cibo tibi indulgeat: quia est panis vitæ, destinatus ad reparanda dãna, quæ intulit alterius cibi sũptio, per hunc siquidẽ liberaberis à morte & restitueris paradiso gloriæ, & vitæ æternę. Ac propterea hic panis significatus est per fructum arboris vitæ, quæ in altero paradiso erat sita.

a Gen. 3. 15.

2. 2. Part. Meditat. 5.

SECVNDA consideratio erit feruẽtiũ desideriorũ, quæ Patres antiqui habebant aduẽtûs Saluatoris in mũdũ, quẽ orationibus, Sacrificiis, aliisq; sanctis actionib. sẽper solicitabãt, dicẽtes: b *ostende nobis Domine misericordiã tuã: & salutare tuũ da nobis*. c *Visita nos in salutari tuo: ad videndũ in bonitate electorũ tuorũ*. Veni Dñe & noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ. Cuius desiderij cũ nõ fierẽt cõpotes, dũ viuerẽt, permansit in eis post morte, quidiu fuerũt in obscuro limbi carcere: vbi clamabãt in cęlũ petẽtes promissũ sibi reparatorem, ac dicẽtes: d *Rorate cœli desuper, & nubes pluãt iustũ: aperiatur terra, & germinet Saluatorem*. Et ita perseuerarunt in eo desiderio donec peruenit tẽpus, quo fuit illis expletũ, qp est felix hoc tẽpus quo iã fruimur. iã. n. venit Saluator, & quotidie venit è cœlo ad visitãdos habitatores terræ, vt immẽsa cõferat beneficia iis, qui feruẽter eius aduentũ expectãt, & ad ei se præparãt. Ac proinde iure optimo nobis dici potest: e *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis: multi, n. Prophetæ & reges voluerunt ea videre & non viderunt*.

b Psal. 85. 8.
c Psal. 105. 4
d Isai. 45. 8.
e Luc. 10. 34

3. 2. Par. Meditat 6. Luc. 1. 28.

TERTIA Consideratio est mysterij Annunciationis, dulcisq; colloquij Angeli Gabrielis cum Sanctissima Virgine: in quo aliud colloquium valde iucundum & suaue insinuatur, quod habetur inter inspirationem Diuinam, aut bonum spiritum per eam, & animam puram Sacerdotis, aut ad communionem accedentis. Considerando, quasi Diuina inspiratio aliquando ingrediatur dicens: *Aue gratia plena: Dominus tecum. Aue* inquam anima, quæ iuxta tuam capacitatem es *gratia plena*: propter quam *Dominus*

tecum

tecum est;& nunc recens venire vult, vt maneat apud te. Aliquando autem dicit: *ne timeas*, anima,aut fias pusillanimis, *quia* tantam *inueniſti gratiam apud Deum*, vt elegerit te ministrum ad hoc Diuinum Sacrificium offerendum, vultque intra cor tuum hospitium habere. Quod si nosse cupias, *quomodo fiet istud? Spiritus Sanctus superueniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Spiritus inquam ille, qui cũ factus fuisti Sacerdos, te impleuit;nunc etiam superueniet, vt in hoc ministerio legitimè præstando, te adiuuet; & Altissimi virtus gratiâ suâ te protegens, ita obumbrabit vt cum puritate ipsum hospitio excipias. His considerationibus excitata anima tua,induere se debet,sicut Sacratissima Virgo magna humilitate, obedientia,& fiducia,ac dicere: *Ecce Ancilla Domini. fiat mihi secundùm verbum tuum*:ecce inquam seruum Domini indignum, qui eius sim Sacerdos, fiat in me, & per me iuxtà ipsius verbum. Potens es Deus meus facere, quod dicis:da mihi,quod iubes, & iube quod volueris. Nam ego seruus tuus sum,& paratus ad faciendum quicquid iusseris.

4
1. Par. Med. 9.

Qvarta consideratio erit de ipso mysterio Incarnationis Filij Dei in visceribus Virginis Sacratissimæ. Qua Incarnatione valde fuit ipse contentus, quòd videret se impleuisse, quod hominibus promiserat ad eorum reparationem; & glorificauit æternum Patrem, à quo fuit in forma hominis missus in mundum; & ex tunc obtulit se ad parendum ei in omnibus, quæ iuberet, vsque ad mortem. Magnoque amore animam & corpus Sacratissimum amplexus est, cum certo animi decreto nunquam deserendi, quod semel accepit,& animam innumeris bonis repleuit;corpori verò maxima etiam promisit, postquam pro salute mundi mortem in cruce subiisset, Quod si ipse filius Dei tunc mansit adeo contentus; etiam Sanctissima eius Mater fuit valde contenta, videns iam impletum totius generis humani desiderium; & quod ipsa semper habuerat supremi huius mysterij; & seipsam videns adeò repletã fauoribus ac donis cœlestibus ex præsentia Domini, quem in suis visceribus conceperat. Ipsemet igitur Dominus est, qui ad te ingreditur tanquam cibus, vt te complectatur, tecumque viuiatur animo nunquam te deserendi; (nisi tu eum reiicias)& ad explenda desideria cordis tui suauitate cælestium luorũ donorum. Huc rectè spectat quod ipse Saluator postea dixit: f *Beati qui esuriunt,& sitiunt iustitiam;quoniam ipsi saturabuntur.* Quæ autem hæc est iustitia,nisi ipsemet Christus?de quo Apostolus:g *quod factus sit nobis iustitia,& sanctificatio,& redemptio.* Sãctificat enim nos, iustificat,& copiosè redimit. Quod si esuris,& sitis ipsum recipere, quando venerit, saturaberis abundantia iustitiæ & Sanctitatis,quam præsentia sua tibi cummunicabit.

f *Mat.* 56.
g 1. *Cor.* 1. 30.

Qvinta consideratio est, circa primam profectionẽ,quam æternum Verbum Incarnatũ,existens in visceribus Matris suæ,fecit, vt officiũ Re-

5
2 *Par Med.* 11.& 12.

demptor

demptoris exerceret cũ infantulo Ioanne, existente adhuc in vtero S. Elisabethæ. Cui duplicem insignem gratiam communicauit: gratiam scilicet sanctificationis cum charitate & reliquis virtutibus; & gratiam actualis deuotionis cum dono contemplationis, lætitia spirituali, & spiritûs iubilis. Idem autem, vt easdem tibi largiatur, latens in hoc Sacramento advenit & iuxta tuam dispositionem fies earum particeps: si studueris duos illos feruentes affectus concipere, qui in vtraque Matre eluxerunt: alterum humilitatis & admirationis in S. Elisabetha, dicente: h *Vnde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* alterum laudis & gratitudinis in virgine Sanctissima dicente: *Magnificat anima mea Dominũ Et exultauit spiritus meus in Deo Salutari meo: &c.* His enim duobus effectibus disponitur animus ad recipiendos in Sacra Communione prædictos duos effectus & gratias.

h *Luc. 2. 43.*

6

2. *Par. Meditat.* 14.

SEXTA consideratio est Circa ea, quæ sanctus Ioseph fecit, quando Virginem sanctissimam admisit in domum suam, posteaquam deposuerat anxia dubia, quæ habuerat; & per Angeli reuelationem agnouit Incarnationis mysterium, quod in ea factum erat. Et hic perpendenda dulcia suauiaq; colloquia mutua inter hos duos iustos; & ex parte sancti Ioseph profunda humilitas, reuerentia, & stupor; quo afficiebatur, aspiciens Virginem Sanctissimam Dominam nostram, tanquam reliquiarium & viuum templum Dei hominis facti; & quomodo eidem summo cum amore ac diligentia seruiebat, propter eum amorem, quem erga Deum suum gerebat, qui latebat in ea. Ex parte verò Virginis sacratissimæ, per cuius os filius eius loquebatur, considera accensam charitatem, & sapientiam cœlestem; qua loquens cum suo sponso, eum docebat Incarnationis arcana. Et vterque hic Seraphin inuicem se excitabant ad amandum, laudandum, summoq; feruore seruiendum Deo suo. Hunc ergo imitandum, cùm ob exiguam tuam fidem aliquando te subtrahis, à Christo Domino nostro, in te recipiendo; & posteà viuaciori fide eum cum feruore recipis: eris similis S. Iosepho, quod crescentem significat: quia crescet tua in Deum reuerentia, & amor, & ideò accipies ab eo gratiarum ac donorum cœlestium augmentum cum insigni Diuinorum mysteriorum notitia.

7

2. *Par. Meditat.* 16.

SEPTIMA consideratio erit, profectionis Incarnati Verbi in vtero Matris suæ ex Nazareth in Bethlehem, vt ibi nasceretur, & se mundo manifestaret: eligens ad id pauperem ciuitatem, vile stabulum, & angustum præsepe: quæ tamen omnia præsentia sua nobilitauit, ac sanctificauit. Non enim Deus honorem accipit à loco, in quo habitat; sed locus honorem accipit à Deo: à quo omnia recipiunt honorẽ: Hunc in modum in hodiernum diem nõ cessat venire è cœlo, & ingredi in pectus vilis homuncionis, quem sua præsentia nobilitat: quia eum facit, quasi alteram

Bethle-

Bethlehem, quæ vox significat domum panis: quo pane vitæ confirmat eius cor, ac desideria exsatiat.

§. II. *Considerationes tempore Natiuitatis, vsque ad Septuagesimam.*

Secvndvm tempus Ecclesiastici anni computatur ab ipsa Natiuitate vsque ad Septuagesimam: in quo celebrat Ecclesia septem mysteria Saluatoris: Natale scilicet, Circumcisionem, Adorationem Magorum, Præsentationem in templum, Fugam in Ægyptum, Mansionem in templo in medio Doctorum, & Baptismum. Quæ omnia spiritualiter renouantur in Missa.

1 Qvemadmodvm enim in ipsa Natiuitate manifestauit se Deus in forma visibili hominis, tanquam infantis, pauperibus pannis inuoluti, & in præsepio positi, quod est mensa animalium; descendentibus Angelis è cœlo ad celebrandum, & manifestandum eius Natale: ita in Missa quotidie manifestatur idem Christus Dominus in alia forma visibili, tectus scilicet & inuolutus accidentibus panis & vini, & sic ponitur in mensa Altaris, vt sit hominum cibus; descenduntque inuisibiliter Angeli, vt ei assistant, & fidem charitatemque celebrantium excitent. Ideoque de vtroque mysterio cantat Ecclesia in ipsa præfatione: *vt dum inuisibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur.*

1 Par. Medit. 17.

2 In Circvmcisione impositum est infanti nomen Iesvs: quod significat Salvatorem, vt eius officij possessionem acciperet, effundens primitias sui sanguinis; & præbens exemplum raræ humilitatis, patientiæ, insignis obedientiæ, & Charitatis: & in Missa facit etiam officium Iesv erga fideles, applicans vnicuique precioſi sui sanguinis precium; & rara præbens humilitatis exempla, cum figuram adeò humilem susci-pit; patientiæ, in tolerandis iniurijs, quæ ibi ipsi inferuntur; obedientiæ, dum quoties consecratur panis, semper ipse adest; & charitatis, cum se adeò profusè omnibus tradit.

2 1. Par. Med. 20.

3 In Advent v Magorum ostendit Saluator suam Omnipotentiam, & gratiæ suæ efficaciatem, qua ex Oriente deduxit tres illos Reges cum tanto feruore, vt se coram ipso prosternerent, & offerrent aurum, tanquam Deo; Myrrham tanquam homini mortali; & thus tanquam Summo Sacerdoti. Et in ipsa Missa suam etiam ostendit Omnipotentiam: efficit enim, vt omnes fideles parui & magni se coram ipso prosternant, & confiteantur, latentem ibi esse verum Deum & hominem, summumque Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech. Et quia talem agnoscunt, offerunt ei tres feruentes affectus, amoris, mortificationis, & orationis: exspectantes ex immensa eius liberalitate ingentem retributionem.

3 1. Par. Med. 22.

4 In Praesentatione in templum, desideratus omniũ gentiũ præ-

sentauit sese, quasi primogenitum æterno suo Patri in gratiarum actionem ob collata mundo beneficia, & ad placandam eius iram, & consequendam pro omnibus copiosam misericordiam: vbi se Simeoni, & Annæ manifestauit: qui ingenti tenebantur desiderio eius aduentûs. Et in missa idem ipse Dominus quotidie æterno suo Patri sese præsentat: a *vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*, fungens munere aduocati, & Mediatoris; & seipsum offerens etiam in gratiarum actionem, ob innumera quæ nobis obtulit beneficia; lumen etiam præbens Diuinæ suæ præsentiæ ipsum aspicientibus, & fide viua suscipere cupientibus.

a *Heb. 9. 24.*

5 2. *Par. Med.* 27.

FVGIENS in Ægyptum supremus hic Dominus prolixum confecit iter à Nazareth Patria sua vsque in Ægyptum, vbi (vt ait Isaias) b *Dominus ascendit* tectus *nube leui*, & candida Sanctissimæ suæ humanitatis, vestigionem illam suâ præsentia honoraret, & in ea seminaret Sanctitatis fomentem, quæ postea floreret. Et nunc in ipsa Missa aliud etiam conficitur è cœlo in terram: non deserens tamen cœlum, tegens seipsum in hoc Sacramento, nosque Diuina sua præsentia honorans, & in cordibus nostris sementem perfectionis Euangelicæ seminans, quæ floret in Ecclesia.

b *Isai. 1. 9. 1.*

6 *Par. Med.* 29.

CVM esset postea duodecim annorum remansit ipse in templo in medio Doctorum magnam eis adferens admirationem suis responsis; & sic fuit inuentus à suis parentibus, qui gementes illum quærebant; & inde cum eis descendit in Nazareth, in domum suam. Et nunc in Missa est in medio omnium fidelium tanquam Magistrorum Magister, Doctorque Doctorum, docens legem Perfectionis cum summa admiratione omnium audientium verba, quæ interne illis loquitur; & qui illum ibi cum lachrymis quæsiuerit: inueniet, & excipiet, secumque deducet in domum suam, socium illum habens peregrinationis suæ in hac misera vita.

7 1. *Par. Med.* 3. *Rom.* 6. 4. c *Mat.* 3. 17

DENIQVE quemadmodum in Baptismo Christus Dominus Noster coopertus fuit aquis, & sic mortem suam & sepulturam repræsentauit; & aperti sunt cœli, & vox de cœlis audita: c *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ita in missa tegitur speciebus panis & vini, referens mortem & sepulturam suam; aperiuntur cœli, vt veniat & visitet nos, & sua dona in nos effundat: & Pater æternus Diuinæ suæ illustrationis voce interna præbet testimonium, quod qui ibi est, etsi videatur, non tamen sit Panis, sed filius eius vnigenitus, valde sibi charus, in quo sibi complacet infinite; & propter quem reliqui eius adoptiui filij diligentur, & in cœlũ admittentur.

§. III. *Considerationes à Septuagesima vsq; ad Quadragesimam.*

In Tribvs septimanis à Septuagesima vsque ad primam Dominicam Quadragesimæ considerari possunt conuiuia septem, misterijs plena, quibus Christus Dominus noster interfuit: in quibus repræsentatur quod in hoc cœlesti conuiuio agitur.

1 3. *Part. Med. 9.*

Primvm fuit in nuptijs in Cana Galileæ, in quibus eius iussu impleuerunt sex hydrias aquâ, quam ipse conuertit in vinum valde præstans: vt & defectum, quo laborabant conuiuæ, suppleret, & ipsis simul indulgeret. Ibi enim significabatur, quod in cœlesti Spiritualium Nuptiarum conuiuio geritur: in quo Sacerdotes infundunt in calicem vinum aqua mixtum, quod ipsemet Dominus per eos conuertit in suum preciosum sanguinem: vt fidelibus indulgeat, eosque confortet, & feruentis sui amoris vino inebrier.

2 a *Luc. 14. 7. 15.* 3 *Par. Med. 56.*

Secvndvm conuiuium fuit in domo cuiusdam Principis Pharisæorũ, in quo præclara tradidit conuiuis documenta: quorum vnus dixit: a *Beatus qui manducabit panem in Regno Dei.* Quam sententiam vt approbaret Christus Dominus noster proposuit parabolam hominis, *qui fecit cœnam magnam*, & inuitauit multos qui se excusarunt: & postea iussit *vocari cæcos & claudos*, & multos peregrinos, vt *impleretur* inuitatis *domus eius tota*: & minatus est his, qui se excusarunt: quòd *nemo virorum illorum gustaturus esset* vnquã *cœnam* suam. Qua tota parabola significare voluit: beatũ illum esse, qui Diuinum hunc panem in Regno Dei, hoc est in Ecclesia eius militante comedit: nam postea alio modo comedet illum in Ecclesia triumphante. Qui tamen inuitantur, ne se inaniter excusent: nam in æternum excludentur ab hoc conuiuio, & humiles admittentur: neque deerunt, qui sponte & libenter accedant, & assistant. Domus enim Dei non manebit vacua, sed plena erit inuitatis, à Deo vocatis.

3 b *Luc. 5. 29* c *Mat. 9. 13.* d *Luc. 5. 23*

Tertivm *Conuiuium fuit in domo S. Matthæi*, postquam illum ad se vocauit, & conuertit: vbi assedit mensæ cum multis *Publicanis & peccatoribus*. Et quamuis multi ex Pharisæis murmurarent; quòd c *cum Publicanis & peccatoribus manducaret*, non tamen propterea abstinuit; sed vt factũ suũ excusaret, dixit; *discite quid est: misericordiam volo & non Sacrificium.* Ad quod confirmandum, adduxit alia occasione parabolam filij prodigi, cui eius pater iam conuerso, fecit solenne conuiuium in domo sua, & d *occidit vitulum saginatum*, vt eius reditum cum magna lætitia celebraret. Quem vitulum dicunt Sancti Patres significare carnem Christi Domini nostri, quæ in hoc Diuino Sacramento datur peccatoribus, qui pœnitentiam de suis peccatis egerunt: neq; enim pijssimus hic Pater dedignatur cum eis in eadem mensa comedere, eisque proprium suum ferculum com-

communicare; nec alium cibum in eo, quàm seipsum. *O res mirabilis! manducat Dominum pauper seruus & humilis.*

4 IDEM etiam repræsentatur in conuiuio Zachæi, quem Christus Saluator noster vidit in Sycomoro, & iussit descendere, & ire in domum suam: c *quia hodie*, inquit, *in domo tua oportet me manere*. Talis quæ fuit eo, & in domesticis eius mutatio, vt ipse Christus dixerit: *Hodie saluti domui huic facta est*. Meo scilicet ingressu, simul salus & prosperitas in hanc domum est ingressa. Vt hinc peccator, qui extra se ambulat, intelligat: primò debere per pœnitentiam ingredi seipsum; & statim Deum in eius cor ingressurum; cui in Sanctissimi Sacramenti conuiuio integram præbet hospitalitatem.

3. Part. Med. 28.
c Luc. 19.5.

5 QVINTVM conuiuium fuit, quod Christus Dominus noster miserans innumeræ multitudinis, quæ ipsum sequebatur, nec habebant quod manducarent, illis exhibuit, & prodigiosè illos satiauit; semel quidem quinque panibus, & iterum septem: ita vt multi superfuerint. Quo conuiuio referebat hoc Diuini Sacramenti, cum quinque aut septem rebus stupendis, quas in se continet, ad nutritionem nostram spiritualem. Continet enim Saluatoris ipsius corpus, Sanguinem, animam, Diuinitatem & gratiarum, virtutum ac meritorum suorum & infinitarum satisfactionum thesaurum; & posteaquam desideria expleuit, omnium communicantium: adhuc, quod supereſt, est infinitum, vt possit etiam infinitos homines, si adessent, satiare: nunquam enim potest infinita virtus eos sustentantis exhauriri.

3. Part. Medit. 17.

6 SEXTVM conuiuium fuit in cœna Bethaniæ, in domo Simonis Leprosi; vbi Lazarus, qui fuerat quatriduanus in sepulchro, erat vnus ex discumbentibus, cuius f *soror Maria, fracto alabastro pretiosi vnguenti, effudit super caput Saluatoris discumbentis*. Qua ratione voluit nos docere: quod licet non libenter assideat Diuinæ huic mensæ cum animabus leprosis & mortuis: non tamen dedignatur eas admittere, quæ aliquando quidem tales fuerunt: nunc autem non sunt tales; sed & mundæ sunt, & vita gratiæ viuunt. Delectatur verò cum in medio conuiuij vngitur pretioso deuotionis vnguento: cùm scilicet & corpus & spiritus noster in eius obsequium offertur, & quicquid in corde nostro pretiosum habemus.

4. Par. Med. 5.
f Mat. 26.6. Ioan. 12.3.

7 VLTIMVM conuiuium fuit in vltima cœna, cùm suis discipulis dixit: g *desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*: & statim cum eis duos comedit Agnos Paschales. Primum quidem promotæ Legis veteris assum igni, cum lactucis agrestibus; & statim alterum Legis Nouæ, qui erat ipsemet Dominus, Agnus Dei qui tollit peccata mundi, velatus speciebus panis & vini. Vt sic doceret eos, qui Diuino huic conuiuio aderunt, vt primùm spiritualiter Christum comedant; consideran-

4. Par. Med. 7. & 11.
g Luc. 22.15.

tes eum fuisse assum igni suorum tormentorum, & cruciatuum; & gustasse amaritudinem suarum afflictionum; & postea eundem Dominum Sacramentaliter sumere, vt participes fiant dulcissimorum nostræ Redemptionis fructuum, qui eum comedentibus communicantur.

CAPVT IX.

ALIAE CONSIDERATIONES DE PASSIONE, Resurrectione & mysteriis Diuinitatis pro reliquo anni tempore.

PECVLIARI QVADAM RATIONE SACRAMENTVM hoc appellatur a *panis arctus & aqua breuis*: eò quòd sit memoriale Passionis & mortis Christi Seruatoris nostri, & anxietatum & afflictionum, quas in ea sensit. Quamuis autem omni tempore sit celebrandum cum hac memoria: nominatim tamen & præcipuè in Quadragesima: in qua Ecclesia proponit ipsius Passionis mysteria. Quæ reducemus ad septem præcipua, applicantes quod in eis est peculiare Sanctissimo huic Sacramento, quod est omnium memoriale. a *Isai* 30. 20

PRIMVM mysterium fuit eius quod in horto fuit gestum, in quo Christus Dominus noster summa affectus est tristitia ob peccata hominum, & eorum in particulari, quæ rectà erant contra Diuinum hoc Sacramentum: iniurias scilicet, quibus multi illud erant affecturi, & exiguam vtilitatem, quam plurimi ex eo erant accepturi. Et ita orauit Patrem dicens: b *Si vis transfer à me calicem istum. Veruntamen non mea voluntas sed tua fiat.* Cuius sententiæ sensus, præter communem, potest etiam esse: calix meæ Passionis, & ipsum Sacramentum transeat à me etiam ad meos electos, efficiens in eis efficaciter fructum illum, cuius causà fuit institutum: sed in omnibus non mea, sed tua fiat voluntas. Deinde positus in agonia sudauit guttas Sanguinis, & sudore vultus sui promeritus nobis est panem cœlestem, quem sumere debebamus: carnem scilicet suam, cui coniunctus esset idem ille Sanguis in Sanctissimo Sacramento, quem nunc suscipimus. Inde autem surgens exiit obuiam venientibus ad se comprehendendū, & passus est se ab eis teneri, & ligari, & Sancto Petro, volēti id impedire, dixit: c *calicem, quem dedit mihi Pater, non* vis vt *bibam*? & ita nos docuit non acquiescere conantibus impedire nos à suscipiendo calice Passionis, quem ipse Dominus nobis obtulerit, aut Sanctissimi huius Sacramenti, cum id nobis inspirauerit: vtrumque enim significat nomen calicis. De quo dixit Dauid: *quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mih.? calicem Salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* I 4. *Part. Med.* 20. b *Luc.* 22. 42. c *Ioan.* 18. 11. d *Psal.* 115. 13.

2 4. Par. Med. 29. c Mat. 26, 64. Mar. 14, 62.

SECVNDVM mysterium erit, quod illa nocte actum est in domo Caiphæ, qui interrogauit Christum; an esset Filius Dei Benedicti? cui ipse respondit: *Ego sum*: Sed ne videntes eum adeò abiectum, responsi eius nō crederent, adiecit: *veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Hoc spiritu firmiter tibi est credendum, Christum filium Dei viui (qui ad dexteram Patris sedet, venturusque est cum magna maiestate in nubibus cœli, ad mundum iudicandum) sub illo velo, etiamsi exteriùs adeo vili, qualis sunt panis accidentia, verè latere: quem his oculis aspiciens, coniunges reuerentiam tantæ Maiestati debitam, cum amore, quē tanta exigit humilitas. Statim autem perpendes, quòd hostes illi eo responso audito, *velarunt faciem eius, & conspuerunt in eam, & colaphis eum ceciderunt*: quæ omnia stupenda ipse patientiâ pertulit. In quibus iniuriis repræsentabantur peccata indignè communicantium. *Velant* enim eius oculos, qui mortua quadam fide, nec aduertentes se ab eo videri, aut præsentem ibi esse: ad communionem accedunt. Eum *conspuunt* sordidis sputis, qui cum sint lasciui, voratores, & garruli, ad communionem accedunt; capillos ei *euellunt* tumultuosi, & scandalosi: qui fraternam charitatem & vnionem lædunt, quam habent fideles cum Christo, & ad inuicem. In faciem eum *cædunt* mundani & ambitiosi, qui mundi leges pluris faciunt, quàm ipsius Dei, magnâ eum afficientes iniuriâ. Quæ omnia tolerat cum patientia Saluator noster (quamuis ea videat) in gratiam suorum electorum: qui ipsum cum reuerentia & deuotione suscipient. Denique quemadmodum Christus Dominus noster tota illa nocte detentus & ligatus fuit in domo illa, & quamuis potuisset se soluere, & liber abire; id tamen facere noluit, sed expectauit vsque mane: ita omnibus noctibus manet in Sacrario Ecclesiæ solus, expectans, vt mane fideles accedant, petituri suarum necessitatum remedia.

3 4. Par. Medit. 33.

TERTIVM mysterium est eorum, quæ gesta sunt in domo Herodis, qui ex curiositate quadam cupiebat Christum D. N. videre, vt miraculum aliquod ab eo ederetur. Qui tamen nullum voluit facere. Qui enim ad communionem accedit Spiritu curioso degustandi & experiendi fauores, quos Dominus noster suis dilectis exhibet, indignus est, cui exhibeantur. Statim Herodes illum spreuit, & non exutum vestibus propriis, superinduit veste alba in contemptum. Ipse autem Dominus noster, non exuens preciosam gloriæ suæ vestem, superimponit sibi, tegitque se alba accidentium panis veste. Et quamuis propterea contemnatur, & stultus iudicetur ab infidelibus: nos tamen eum veneramur & amamus; eumque summam Sapientiam, Deique virtutem reputamus, qua nostram curat superbiam. Veste illa alba indutus ambulauit Christus D. N. per plateas illas

illas Ierusalem, omnibus eum tanquam stultum irridentibus: qui quinque diebus ante proprias vestes exuerant, & in terram proiecerant, vt iumentum, cui ipse insidebat, supereas transiret. In præmium autem humilitatis, qua Dominus talem iniuriam sustinuit: ducitur nunc in Sanctissimo Sacramento magnâ cum pompâ per Ecclesiæ plateas, cum multis hymnis & canticis.

4. 4. Par. Med. 34.

Qvartvm mysterium complectitur gesta in prætorio Pilati, postquam Christus rediit ab Herode. *Primum* fuit, quod ipse Christus D.N. minoris fuerit æstimatus, quàm Barabas: & in hanc horam sustinet hanc iniuriam à multis, qui pluris faciunt mendacij & vanitatis panem, ac delicias & honores mundi, quàm panem vitæ, qui in hoc Sacramento datur. Sicut Hæbræi, qui, cum haberent Manna de cœlo in deserto, suspirabant tamen & præferebant allia & cæpas quibus in Ægypto vescebantur. Aliam quoque sustinuit iniuriam cum Sacratissimum eius corpus fuit durissimè flagellatum, & Sacratissimum suum Sanguinem ex toto corpore effudit. Quem tamen totum in Sacratissimo hoc Sacramento deposuit sub accidentibus triticei panis, qui molitur, cribratur, pinsitur & ad ignem coquitur, vt nostrum fiat alimentum. Et sic nos docet, exercitia patientiæ apta esse media, ad magnam spiritualem voluptatem ex hoc cibo sumendam. Statim secuta est coronatio, qua imposita illi est corona spinarum, & indutus est purpura, & irrisus, ac illusus; cum Pilatus eum populo ostendit, dicens: *Ecce Homo*, quasi diceret, attendite an hominem ita exhaustum noueritis, cùm reuera sit homo. Hunc in modum ostenditur nobis quotidie Christvs D. N. tectus accidentibus panis, cùm dicitur: *Ecce Agnus Dei.* Quamuis enim videatur panis; re vera tamen non panis est, sed verus homo, & Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Med. 35.

Medit. 36. & 37.

5. 4. Par. Med. 39. & 40.

Qvintvm mysterium erit baiulationis crucis vsque ad Caluariæ montem: vbi fuit Cruci affixus, & sanguinis torrentes effudit per vulnera pedum & manuum: in qua re Iudæi impleuerunt quod dixerant: f *mittamus lignum in panem eius*, erigentes Cruci affixum eum, qui seipsum vocat *panem viuum*: vt sic *eradamus eum de terra viuentium.* In cuius rei memoriam quotidie eleuatur in missa hostia & calix: in quibus est idem ipsum corpus, & Sanguis eiusdem Domini cum signis vulnerum, per quæ fluxit. Vt omnes intelligant, quod si viua fide Dominum hunc aspiciant in locum altum eleuatum, sanabuntur à Spiritualibus suis vulneribus, si veniam eorum petierint. Intelligant etiam finem & scopum Sacræ Communionis esse, vt vires recipiant ad tollendam crucem; & in ea mundo & amori proprio moriendum.

f *Iere.* 11, 19.

Ecclesiam ait S. Augustinus, esse sicut viduam illã, quæ tempore ingẽtis

famis

famis dixit Eliæ : g *en colligo duo ligna, vt* parũ panis *faciam mihi & filio meo vt comedamus & moriamur.* Duo ligna, ait esse crucem Christi, cuius virtute eius mysteria considerantes, condiemus cœlestem hunc panem, qui comedentes moriemur mundo, & viuemus Deo. Etiam cùm venerit est ad Caluariæ montẽ, iuxtà Dauidis Prophetiam: h *dederunt ei in escam fel* & postea *in siti potauerunt aceto.* Nunc autem ipse dat nobis carnem suam in cibum, & Sanguinem in potum cum summa dulcedine, quam nobis summa sua amaritudine comparauit, Quã amaritudinem ei renouat, qui indignè communicat: quia intra cor suum ei porrigit fel & acetum, vt supra diximus.

g 3 Reg. 17. 12.

4. Par. Med. 40 & 49.

h Psal. 63. 22.

2

SEXTVM mysterium est eorum, quæ gesta sunt, cum Christus Dominus noster in cruce penderet. Nam *primùm* signa, quæ facta sunt, significant dispositiones, quibus ad sacram Communionem sit accedendum. Nam terræ motus est timor Dei; scissio lapidum, est contritio, qua cor conteritur; sepulchrorum apertio est sacra Confessio, scissio veli est penetratio arcanorum Christi Sluatoris nostri, quæ fit in meditatione; verba, quæ ipse locutus est in cruce, significant fructus ex communione Sacra hauriendos: orare scilicet Deum pro persequentibus nos; benefacere indigentibus & petentibus à nobis, exemplo ipsius Christi, qui latroni petenti promisit paradisum; curam gerere personarum & rerum, quæ ratione aliqua nobis incumbunt: sicut ipse Christus Matris suæ ac Discipuli curam gessit; sitire iustitiam & ipsius Dei gloriam; & frequentẽ communionem; opera Dei ad finem vsque perducere, & quanta fieri poterit perfectione finem eis imponere; recurrere ad Deum in nostris angustiis, ac desertionibus, & spiritum nostrum, nostraque omnia confidenter ei mandere; neque ex cruce descendere vsque ad mortem, etiamsi, vt eam deseramus, vrgeant aduersarij qui nos tentant.

4 Par. Med. 52.

Medit. 45 & Sequentibus

7

SEPTIMVM mysterium erit sepulchri, in quo Christi Domini noster corpus fuit vnctum magna copia *myrrhæ & aloes, & inuolutum sindone munda, ac positum in sepulchro lapideo, in quo nondum quisquam positus fuerat, & inuolutus est lapis ad ostium monumenti*; & maioris securitatis causa fuit etiam obsignatum. In qua re etiam ponitur: ob oculos ratio & forma perfectè communicandi: offerendo scilicet priùs Deo multas mortificationes valdè perfectas: & induendo vestem puram magnæ perfectionis, aptatam nouo homini, & præparando in anima interius monumentum, siue sepulchrum, hoc est cor renouatum, & benè firmatum instar lapidis: in quo ipse dominus requiescat; illudque post sacram communionem obsignando, & magnam sensuum custodiam adhibendo: vt sanctis cogitationibus, feruentibus affectibus ac petitionibus, tali hospite seorsim fruatur.

Medit. 55.

§. II. *Considerationes à Paschate vsque ad Pentecosten.*

A Paschate vsque ad Pentecosten considerandа sunt mysteria, quæ illo tempore euenerunt, & Ecclesia tunc celebrat: quæ ad alia septem sunt reducenda, & sacræ Communioni applicanda. 1 *5. Par. Med. 1.*

Primvm considerandum: animam Christi Domini nostri Sanctissimam visitasse Iustos, qui erant in limbo, eosque consolatam esse claramque sui visionem eis communicasse; & ex obscuro carcere, in quo tenebantur, eduxisse: ita etiam eandem visitare communicantes, eos consolari, & ex tenebris, quibus tenentur, educere; & benignæ iucundæque contemplationis dono eos illustrare.

Deinqve, quòd resurrexit gloriosus, vniens animam corpori mortuo, quod erat in sepulchro, tribuens ei quatuor gloriæ dotes: & ita nunc cum tota sua gloria ingreditur animam, cui vnitur; eamque viuificat, & feruorem impertit; communicans ei cœlestes suas proprietates: vt cum ipso resuscitata in vitæ nouitate ambulet. Reddit illam quasi impatibilem, ob patientiam in aduersis; quasi incorruptibilem & immortalem, ob præseruationem à grauioribus culpis; claram & splendentem, ob splendorem operum bonorum; agilem & promptam, ad præcepta & consilia Diuina implenda & amplectenda; subtilem denique, & ita spiritualem, vt exuat se ab omnibus rebus terrenis. 2 *Medit. 2.*

Tertio considerandæ variæ eius apparitiones diuersis vicibus, variisque figuris discipulis suis factæ, loquendo cum eis de Regno, magnaque arcana eis aperiendo, vulnera sua tangenda offerendo, & magnos alios fauores eis exhibendo; & magna auxilia promittendo: nunc hoc, nunc illo modo. Ita etiam in sacra communione manifestat se spiritualiter iustis mille modis: cum quibus magnam contrahit familiaritatem; & blandissimè loquitur. Ex quibus apparitionibus possunt eligi septem pro septem hebdomadæ diebus: prima scilicet, quam fecit Beatissimæ Virgini Matri suæ; deinde S. Mariæ Magdalenæ, eiusque sociabus; S. Petro; duobus discipulis euntibus in Emaus; omnibus Apostolis in Cœnaculo; ijs qui piscabantur in mari Tiberiadis; & vltima, quæ facta fuit omnibus, quando eis valedixit. In quibus apparitionibus interdùm sumebat cum eis cibum, frangebat eis panem, aut partem piscis assi distribuebat, aut fauum mellis, quæ erant cœlestis huius conuiuij figura; in quo nobis communicatur, quod prædictis rebus significatur. 3 *Medit. 3. & sequentibus.*

Considerandvm præterea, quòd suo tempore ascenderit in cœlũ, vnde venerat, captiuam ducens captiuitatem, & corda discipulorum. Et ibi sedet ad dexteram Patris, agens nostrum aduocatum. Et ita descendit è cœlo ad Sacramentum, & ingreditur cor Communicantis: & postea ascendit in cœlum captiuam ducens eius animam amoris compe- 4 *Medit. 18.*

dibus: vt conuersationem suam habeat in cœlis: vbi ipse est, & ipsa plena sit spe, quod suo tempore eodem ascendet; & cum eo sedebit in alia sede gloriæ.

5 *Medit. 9.* ITEM, quemadmodum ipse Christus verus Deus & homo est in cœlo Empyreo, magnum præsentia sua honorem adferens cœlesti beatorum Ciuitati; nam ipse est Sol eos illuminans; fons aquæ viuæ eos recreans; alimentum, quo illos alit, suæque Diuinitatis & Humanitatis visione lætificat; ita vt in ipso solo habeant Beati omnia bona, quæ ad æternam suam requiem optare possunt. Eodem modo voluit idem ipse Dominus assistere Ecclesiæ suæ latens tamen in hoc Sanctissimo Sacramento, nosipsos honorans, & omnibus bonis replens. Nam (vt S. Ambrosius dicit) Christus nobis omnia est, nostra Sapientia, Iustitia, Sanctitas, & Redemptio nostra.

Lib. 3. de Virgin.

6 *Medit. 22.* MISIT præterea Spiritum Sanctum è cœlo in suos discipulos, qui donis & gratijs suis eos repleuit, & in alios viros mutauit, igneas linguas eis dedit ad loquendum, & prædicandum eius legem magno spiritûs feruore. Et nunc vult idem ipse Dominus etiam è cœlo venire ad Sacramentum, & inde nobis Spiritum sanctum suum communicare, gratijs suis replere, & amoris sui igne inflammare: vt de eo sentiamus, & cum eo loquamur, vt par est ad nostram maiorem perfectionem, & aliorum bonum. Quare in hoc Sacramento venit ille Dominus, qui est flos Iesse, a *in quo requiescit Spiritus Dei*, cum septem Spiritibus, quos Isaias appellat *Spiritum Sapientiæ & intellectus, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis, & Spiritum timoris Domini.* Est quoque b *lapis super quem sunt septem oculi*, c *qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram.* Et ingrediens in cõmunicantem dignè, tribuit ei septem hos spiritus valde copiosè: timorem filialem, quo ipsum reuereatur, & ab omni recedat malo; fortitudinem, qua res magnas obsequij eius aggrediatur; pietatem, qua ad res Diuini cultus benè sit affectus; consilium, ne in rebus agendis aberret; scientiam ad opera Dei eiusque beneficia agnoscenda; intellectum ad Fidei mysteria penetranda; Sapientiam denique ad sentiendum & voluptatem percipiendam in excelsis rebus Diuinitatis.

a *Isai. 11. 2.*
b *Zach. 3. 9*
c *Apoc. 5. 6*

7 *Medit. 25.* DENIQVE Spiritus Sanctus statim cœpit inspirare fidelibus frequentem huius Sacramenti vsum: de quibus S. Lucas ait: d *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & orationibus, & communicatione fractionis panis*, qui erat Eucharista. Nam Spiritus sancti proprium est, iustos his tribus cibis Spiritualibus alere, concionibus scilicet audiendis, orationibus fundendis, & huius diuini panis communicatione. Quos hoc ordine collocat: quia Dei verbum audire disponit ad orationem piè fundendam; oratio ad Communionem, quæ præcipuus est cibus.

d *Actuũ. 2. 42.*

§. III. *Considerationes à Festo Pentecostes usq; ad Aduentum.*

Reliquo anni tempore, à Festo scilicet Trinitatis vsque ad Aduentum, considerari possunt mysteria Diuinitatis, eiusque perfectionum ac beneficiorum, quæ mundo contulit; quæ mysteria etiam possunt ad septem capita reuocari; quamuis singula complectantur plura, quæ possunt in singulos hebdomadæ dies distribui.

1 6. Par. Med. 4.

Primum igitur considerari potest mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Quòd scilicet tres personæ Diuinæ, propter vnitatem in essentia, sint in Sanctissimo Sacramento, comitantes corpus & Sanguinem Iesu Christi D.N. Pater itaque æternus ibi est generans Filium suum, eique communicans suammet Diuinitatem; summè gaudens, quòd talem habeat Filium, & quòd ille sit cum humanitate vnitus sub speciebus panis & vini: quia ipse misit illum in mundum, vt noster esset Redemptor; & nunc eundem mittit, vt nostrum sit alimentum: quod ab ipso nobis dari petimus, dicentes: *Pater noster qui es in cœlis: panem nostrũ quotidianum da nobis hodie.* Filius ipse Dei cum summa voluptate in ipso est Sacramento, accipiens Esse à suo Patre: & vterque, mutuo se amore infinitè amantes, producunt Spiritum Sanctum: & ibi est cum sua humanitate coniunctus; venitque eò, vt nos sibi per amorem coniungat: ponens nobis tanquam exemplar, vnionem, quam cum suo Patre habet: vt ipsemet Christus Dominus loquens cum suo Patre affirmauit, dicens: a *ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Spiritus Sanctus in eodem Sacramento est, accipiens suum Esse à Patre & Filio cum summo gaudio: quòd sit vnus & idem Deus cum illis: & cupit seipsum nobis communicare in hoc Sacramento: vt faciat nos vnum secum per charitatem, quam effundit in corda nostra. Et sic impletur, quod ipse Saluator noster dixit: b *si quis diligit me, sermonem meum seruabit; & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

a Ioan. 17. 22.

b Ioan. 14. 23.

2 Medi. 10. & Sequentib.

Secunda consideratio erit septem Diuinarum perfectionum, quæ in hoc mysterio elucent: infinitæ scilicet *Sapientiæ* Dei, qua talem conuiuij formã adinuenit, vt cõiungeret res adeo distãtes, & modo illo adeo prodigioso, vt nobis indulgeret; *Immensitatis*, quam manifestat in eo, quòd quemadmodum Deus est in omni loco; ita quà est homo, vult esse in cœlo, & in terra, & in locis innumeris: vt possit vbique esse venerationi, & cum reuerentia sumi; *Omnipotentia*, qua stupenda adeò edit prodigia, conuertens substantiã panis in corpus suũ, retentis interim accidentibus panis, quibus se tegat, & occultet: idq; facit in vno momento, & simul in plurimis locis; infinitæ *charitatis*, qua nos adeò diligit, vt velit vnum fieri nobiscum,

sicut cibus cum comedente. Quamuis non nos eum mutemus in nos, sed nos mutemur in eum, vt eius gloriæ participes efficiamur; immensa *Misericordiæ*, qua inductus, ipsemet in persona venit, ad reparandas nostras miserias, & pascendos esurientes, potumque præbendum sitientibus cibo & potu adeò preciosis; summæ *Liberalitatis*, qua merè gratis seipsum nobis tradit, & secum omnia simul: cupiens nos gratiæ suæ donis ditare, ac denique immutabilis eius *Perseuerantiæ*; hæc omnia præstans, & totus repetens: vsque ad finem mundi, assistens inter suos Ecclesiæ suæ, vt etiam nunc ostendat, se c *in finem diligere*, eosque velle in regnum suum secum deducere.

c Ioan. 13 1.

3

TERTIA consideratio erit de beneficijs naturalibus, Creatione, Conseruatione, & Prouidentia erga homines. Non enim contentus quòd nos ex nihilo creauerit, & semper nos in Esse quod dedit, conseruet; peculiarem gubernationem & prouidentiam vniuscuiusque gerit, subueniens cuique prout opus habet, manumque suam aperiens ad eos benedictionibus suis replendos, tribuens alimenta necessaria corpori, cum mille ciborum differentijs & varietatibus. Sed cum id totum modicum reputaret, voluit suauissimam suam prouidentiam ostendere, prospiciens tibis de cibo alio cœlesti multò preciosiori, quàm fuerit Manna. Accipiens enim naturalem cibum panis & vini, illum in corpus & Sanguinem suum transsubstantiauit, vt sub speciebus rerum naturalium ingrederetur in nos, quod est Dei supremum. d *Quid enim* (ait Zacharias Propheta) *bonum eius est & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Med. 17. & Sequentibus

d Zach. 9. 17.

4

QVARTA consideratio erit beneficiorum supernaturalium nostræ Redemptionis: cùm Filius Dei factus est homo, & in hoc visibili mundo fecit erga homines omnia officia, quæ illi poterant in suum commodum optare. Ostendit enim amabilem suam prouidentiam erga eos. Nam, vt Magister, eos docuit doctrinam cœlestem; vt medicus eorum curabat morbos; pastor & protector eosdem regebat, & in suis periculis protegebat. Benefactor omnium vniuersalis, ac denique fuit eorum Redemptor, effundens suum Sanguinem, & crucis mortem subiens. Et quoniam pauci homines frui potuerunt eius præsentia in carne mortali, modum illum adinuenit, vt in hoc Sacramento remaneret, & cuique eadem conferret beneficia, & faceret participes bonorum, quæ, talia officia exercendo, largitur.

5

QVINTA consideratio erit beneficiorum supernaturalium, quæ sunt media nostræ salutis; & continentur in Vocatione, Iustificatione, Augmento Gratiæ, & Charitatis, omniumque virtutum, ac donis Spiritus Sancti, & perseuerantia vsque ad finem vitæ: quæ Dominus noster com-

6. Par. Med. 39.

municat cœlestibus suis inspirationibus, & Sacramentis, quæ constituit, & nobis reliquit. Inter quæ tamen magis eminet Evcharistia: in qua non contentus, quòd sua nobis dona largiatur seipsum etiam nobis tradit; & ipsemet per seipsum venit, vt propria sua manu ea nobis det; & indein ipsa Missa mittit inspirationes Sanctas, quibus vocat, iustificat, & feruentiores reddit adstantes, & frequenti Communione gratiam suam auget, & perseuerantiam in ea tribuit: ipse enim dixit: e *qui manducat me non morietur, sed viuet in æternum.* e Ioan. 6. 59

Hvc accedit, quod Sacrificium Missæ sit fons duorum præstantissimorum beneficiorum. Est enim infinitus thesaurus, ex quo precium accipimus, ad soluenda nostrorum peccatorum debita; imo etiam cognatorum nostrorum & amicorum viuentium ac defunctorum; estque titulus & ius amplitudinis infinitæ, ad impetranda omnia naturalia, & supernaturalia bona, quæ desiderare possumus & petere à Domino nostro, in vtilitatem & commodum nostrum, ac proximorum. Ex quo fit vt miracula, quæ Saluator noster, dum viueret in hoc mundo, edidit erga infirmos, & indigentes: eadem etiam in hoc Scramento ediderit, accipientibus illud viris Sanctis, tanquam medium ad ea impetranda: ad dandam scilicet infirmis sanitatem, eiiciendos Dæmones, hostes superandos, & insignia alia miracula, quibus plenæ sunt historiæ. 6 7

Vltimvm beneficium est gloriæ cœlestis, quæ est æternus & immutabilis status, ab omnibus malis, quæ timeri aliàs possunt, expeditus; plenus verò bonis omnibus, quæ desiderari possunt, propter visionem & possessionẽ Dei, cuius pignus est Sanctissimũ hoc Sacramẽtũ adeò certũ & secutũ, vt ipse Saluator dixerit. f *Qui manducat meam cernem, habet vitam æternam.* Quare si Deus oculos mihi aperiret, tantũq; lumen largiretur, vt videre possem totum quod ibi latet, statim essem beatus, sicut qui iã sunt in paradiso. Et quemadmodum ait S. Ioannes, quod è g *Sede Dei & Agni procedebat fluuius aquæ viuæ, irrigans cœlestem ciuitatem Ierusalem, & ex vtraque parte fluminis* etant plurimæ arbores *vitæ per menses singulos reddentes fructum suum* & significant ipsos beatos, quorum gaudia sunt semper recentia, & perpetua propter visionem beatificam, quæ fluminis instar procedit à Diuinitate. & humanitate Saluatoris; ita dicere licet, in Diuino hoc Sacramento esse thronum & sedem Dei & Agni, qui est Deus & homo, à quo fluit fluuius gratiæ, ac cœlestium deliciarum: cuius virtute Iusti conseruant bonorum operum feruorem ad similitudinem beatorum. Cum igitur Christus verè sit arbor vitæ, in se mutans comedentem ipsum: non mirum, quòd ipsi comedentes etiam vocentur arbores vitæ. Excita igitur in te fidem Dñi in hoc Sacramento præsentis, cupiens vniri ei per feruentem amorem. Sic enim habebis hic inchoatam tuam beatitudinem, suspi- f Ioan. 6. 55. g Apoc. 22. 1.

rans ad æternam & plenam consequendam, ac dicens cum Angelico Doctore S. Thoma: *Iesu quem velatum nunc aspicio, quando fiet illud, quod tam sitio: vt te reuelata cernens facie, visu sim beatus tuæ gloriæ?*

In Hymno huius Festi.

CAPVT X.

EXCELLENTES VIRTVTES PER SACERDOTALES vestes significatæ quibus exornandi sunt Sacerdotes vt Missæ Sacrificium offerant.

SACRAE VESTES, QVAS INDVVNT SACERDOtes Sacrificium Missæ celebraturi, ad viuum exprimunt virtutum & operum Sanctorum præparationem, qua ornati esse debent, vt eam dignè celebrent, iuxtà illud Dauidis: *Sacerdotes eius induantur iustitiam*, quasi loricam, quæ illos tegat, & à pedibus ad caput protegat, exornans omnes eorum potentias & facultates internas, & externas: ita vt nulla absque proprio ornamento maneat; sed omnes contineat virtutes, quas iustitiæ nomen complectitur. Hoc autem (ait S. Gregorius) voluit Deus D. N. significare per illas vestes, quas assignauit Sacerdotibus antiquis: ostendens eis ex ornatu exteriori eum, quem in anima habere deberent. Vt videre licebit in vltimo huius operis tractatu, qui erit de Episcopis & Prælatis. Sed quoniam illæ erant præcipuæ figuræ, & illud Sacerdotium quasi vmbra nostri, non habebant vim, animis imprimendi quod significabant: nostrum autem Sacerdotium, cùm sit participatio ipsiusmet Christi, per omnes illas figuras & vmbras antiquas significati, efficacitatem habet, qua Sacramentum est ad animam virtutibus induendam, quas corporis indumenta insinuabant. Et hæc causa fuit cur Christus Dominus noster in nocte vltimæ cœnæ Sacrificium hoc obtulerit, communibus & ordinariis suis vestibus indutus; nec Apostolis suis per seipsum tunc præscripserit peculiares exteriores vestes: vt intelligerent, præcipuam eorum vestem esse debere interiorem purificatâ scilicet animâ ab omni culparum genere, exornatâ verò excellentibus operibus & virtutibus. Quamuis postea Sacri Apostoli eorumque Successores, ex inspiratione eiusdem Christi Domini nostri, cùm viderent, (vt ait Sacrum Concilium Tridentinum) homines multum moueri adminiculis exterioribus, quæ oculis cernunt: statuerunt, vt Sacerdotes non celebrarent Diuinum hoc Sacrificium ordinarijs & communibus induti vestibus, sed alias tunc induerent Sacras & benedictas,

a *Psal. 131.9*

in Pastor. c. 2. & 3. & lib. 1. Epist. c 24. Hier. Epist ad Fabiol. c. tium 1.

Sess. 23. c. 6.

quæ

quæ magna mysteria in se continerent: vt sic intelligerent, ad opus adeò heroicum non satis esse vitam ordinariam: sed opus esse induere animam illis operibus & affectibus, quos vestes illæ Sacræ referebant. Et vt S. Hieronymus ait: debere Sacerdotes mundâ conscientiâ, & virtutum vestibus ornatâ, Domini Sacramenta tractare. Et quamuis communes & ordinariæ vestes esse debeant decentes, quia eorum vita omni tempore & loco debet esse Sancta, & quæ alios ædificet: at Sacræ magis mysticæ esse debent; multò enim maiorem Sanctitatem præferre debent, cum Sacrificium Missæ offerunt: in quo collecta quodammodo est omnis perfectio doctrinæ, vitæque Euangelicæ; & excellentia passionis, ac mortis nostri Saluatoris: quæ mirificè est delineata ac depicta in sex Sacerdotalibus vestibus, quas appellamus: Amictvm, Albam, Cingvlvm, Manipvlvm, Stolam, Et Casvlam; & in verbis, quæ dicuntur cum singula induuntur, quibus exprimitur, petiturque à Deo Domino nostro virtus, quam significant. Quod totum esse potest argumentum considerationis & orationis per singulos hebdomadæ dies. Cogitando scilicet vno die mysteria vnius vestis, & altero alterius; & in singulis perpendendo virtutem animæ, quam significant; & mysterium Christi Domini, quod referunt; & exemplum, quod nobis præbuit imitandum. Et studeamus (vt ait S. Hieronymus) exequi, quod suadet Apostolus, cum dicit: vt b *induamus viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, c *exspoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum*, qui est Iesvs Christvs Dominus noster; & excelsas eius virtutes, concipientes confusionem & pudorem, quòd tali veste exuti simus, iuxtà dictum Innocentij Papæ: attendat Sacerdos studiosè, vt signum sine significato non ferat; & vestem sine virtute non portet: sed oret Deum, vt ea virtute ipsum exornet, vt paulatim explicabitur.

In cap. 44. Ezechielis.

b *Colos 3. 12. 9.*

c *Rom.*

Lib. de Mysterio. Missæ. c. 64.

§. 1. *Virtutes & mysteria per Amictum significata.*

Prima Vestis Sacra Amictvs, quo Sacerdos primùm operit caput suum & humeros; postea ex capite illum demittit, vt vestis suæ collum tegat, dicens: *Impone Domine capiti meo galeam salutis ad expugnandos Diabolicos incursus.* Ex quo constat per *Amictum* significari virtutem spei & fiduciæ in Deum: de qua S. Apostolus: a *induamus loricam fidei, & charitatis, & galeam spem salutis.* Quæ virtus triplici nomine est Sacerdotibus valde necessaria. *Primum* est, ad resistendũ incursibus & tẽrationibus Dæmonũ: qui tũc accedũt ad fructũ Sacrificij impediẽdum. Huiusmodi enim Dei & nostri hostes, cum experiantur magna damna &

a 1. *Thes. 5. 8. Epkes. 6. 17.*

iactu-

iactu ram, quam accipiunt ex Missa benè peracta, & attentè audita: vana offerunt tentationes, ad nos turbandos: tam per imaginationem & appetitus internos; quàm per eas res & imagines, quæ per externos, sensus recipiuntur: estque necessarium, magna attentione & vigilantia eis resistere. Sed quoniã vires nostræ valde sunt breues, ac debiles: fiducia in Deum las auget & victoriam obtinet. Ac propterea significatur per galeam, q protegit caput: in quo præcipui sunt hominis sensus. Sagittæ enim Sa

b *Threm.* 1.5 næ rectà tendunt ad lædendã ac destruendã partẽ magis principalẽ, spiri scilicet, & rationem. Ac propterea dixit Ieremias: b *facti sunt hostes eius*

S. Greg. li. 1. Moral. c. 29 *capite*; quia cœperunt ipsum spiritum; & corruperunt intentionem, q caput est & principium operis. *Deinde* spei virtus est necessaria in Mi quia Sacerdotes fungantur officio mediatorum inter Deum & homine intercedunt enim, & orant pro eis: eique proponunt necessitates omn um: ad cuius orationis maiorem vim & efficacitatem plurimum rele fiducia, cui orationis impetratio innititur: ac propterea Dauid vtra

c *Psal.* 4. 6. que coniunxit, cùm dixit, c *Sacrificate Sacrificium iustitiæ, & sperate in Do mino.* Sacrificium enim ex parte hominis offerentis, eò efficaciùs quo quærit obtinebit: quò maiori Diuinæ misericordiæ fiducia illud obtu rit. Est quoque hæc fiducia necessaria ad temperandam pusillanimitatem quam adfert timor & reuerentia Maiestatis Dei, Sacrificio huic assistẽtis. Non enim paruo sed magno opus est corde ad opus, adeóque grauc faeinus aggrediendum in conspectu ipsius Domini, coram quo tremu potestates cœlestes, & spiritus Angelici contremiscunt.

2 Sed quoniam spes ita Diuinæ Misericordiæ innititur, vt nostris obs quiis exhibitis valde confortetur: hinc est, quòd Amictus ponatur sup humeros, ad significandam (vt ait Hugo de S. Victore) fortitudinem bo norum operum, quibus debet Sacerdos se munire, vt spes eius sit firma

Lib. 2. de Sacram. p. 4. c. 1. & possit citiùs obtinere, quod intendit. Experientia enim docet noctã tã crescere fiduciam: ac propterea S. Ioannes dixit: *si cor nostrum non re prehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.*

3 SED aliquid adhuc excelsius significat AMICTVS, vt solidius fulc

In expos. Myster. Missæ. Innocentius sup. mentum nostræ fiduciæ præbeat: nam (vt S. Bonauentura air) refert ipsam Christi Domini nostri *humanitatem*, cuius e *caput*, ait Apostolus, est *Diuinitatem*, quæ illam cooperit, sicut *Amictus* tegit caput Sacerdotis. Nam

c 1. *Cor.* 11. 3. enim potuissent oculi nostri infinitum huius Solis Iustitiæ splendorem a spicere: nisi eius carnis nube operiretur. Qui tamẽ *Amictus* statim ex capite ad humeros dimittitur: quia ita Deus occultat se in Christo, vt fides lo cum habeat, & tamen non desinat se admirandis suis operibus aperiens manifestare: quæ adeò sufficiens dederunt suæ Diuinitatis testimonium

vt

ipse dixerit: f *opera ipsa, quæ ego facio, testimoniũ perhibent de me; quia Pater misit me:* & g *si mihi non vultis credere, operibus credite.* Nec alienum est, quòd vna eademq; res virtutem significet confidentiæ, & Saluatoris humanitatẽ: illa enim spes nostra, & omne nostrum solatium ac remedium ab ea prouenit. Quare cùm Sacerdos *Amictum* accipiens, illum osculatur, & capiti suo imponit: cogitare debet, se amoris osculo Sacratissimam Christi humanitatem tangere, & capiti suo tanquam rem sibi charissimam imponere, vt ea se protegat, ac tueatur: Memor illius Dauidis ad Deum sententiæ: h *Domine virtus salutis meæ, obumbrasti caput meum in die belli*: quia eâ me protexisti.

f Ioan. 5. 36.
g cap. 10. 33.
h Psal. 139. 8

Alii Doctores dicunt: Amictum significare *velum* illud quo Iudæi i *velarunt faciem* Christi in domo Caiphæ; & *colaphis eum cædentes dicebant*: k *Prophetiza nobis Christe quis est qui te percussit?* Cùm enim hoc Sacrificium sit memoria Passionis eius: ideo vestes, quibus illud celebratur, signa sunt earum, quibus hostes eius eum in Passione induerunt: quas meritò debemus venerari, & super nostra capita imponere, ac de eis eiusque iguominijs & cruce gloriari. Obiter etiam monentur Sacerdotes, à momento quo *Amictum* sibi imponunt, debere se maximam quam possint modestiam oculorum seruare: cùm è Sacristia exeunt, & redeunt ad eam; & multò adhuc maiorem, quamdiu sunt apud ipsum Altare, vt eos semper demissos habeant neque huc illucue conuertant: nisi quantum necesse est, vt videant quod faciunt, nec aliud quicquam aspiciant. Ne eis eueniat, quod Ieremias conqueritur, dicens: l *oculus meus deprædatus est animam meam*; & m *mors ascendit per fenestras*, quæ subtrahit attentionem ac deuotionem cordis.

4 Gabriel Lefilio. 11. in Canonem.
i Matt. 14. 65.
k Matt. 26. 68.
l Thre. 3. 51
m Iere. 9. 21.

§ II. *Virtutes quas Alba & Cingulum significant.*

Alba, quæ vestis est linea, tegitque totum Sacerdotis corpus vsque ad pedes, repræsentat vitæ Innocentiam, & cordis puritatem, quæ complectitur sanctitatem perfectam, & constantem: vt insinuant verba, quæ dicit Sacerdos, cum illam induit; *Dealba me Domine, & munda cor meum, vt in sanguine Agni dealbatus, gaudiis prrfruar sempiternis.* Optanda omnino est in Sacerdotibus omnibus innocentia, quæ careat culpis, ita vt ab eis abstineant, & se præseruent. Cùm tamen hæc adeo sit rara, seruare saltem debent, eam mundiciem, quæ ex eo procedit, quod statim se purificent ab eis, in quas labi contingit: ita vt nulla, studiò in corde remaneat, non solùm aliqua magna, sed neque parua; sed quemadmodum Alba tegit totum corpus: ita iustitia & sanctitas totum exornet spiritum, vt de Sacerdotibus dici possit, quod de antiquis Nazaræis: a *candidiores Nazarai eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphyro*

a Thre. 4. 7.

pulchriores. Et iure optimo eos comparamus candori niuis, propter puritatem castitatis, quæ refrigerat ardores concupiscentiæ; & nitori lactis propter molliciem mansuetudinis & affabilitatis, quæ impetus iræ reprimit; & pulchritudini Saphyri, propter eam, quam illis adfert feruens eorum charitas, cum varietate virtutum illam comitantium. Et quibus omnibus conficitur vestis illa Alba, candida, & longa: quæ per totam duret vitam, omnia opera exornet, & pedes affectuum regat: imò multum adhuc superest, vt cupiant Sacerdotes multò plura, quàm re ipsa faciant, præstare, vt placeant Domino, à quo tantum accipiunt bonum. Hunc tamen candorem & pulchritudinem non ex seipsis habent, sed ex gratia & misericordia Dei propter Christi merita: sicut illi Sancti, de quibus in Apocalypsi dicitur: b *quod lauissent stolas suas, & dealbassent illas in Sanguine Agni.* Qui sanguis applicatur per Sacramenta & exercitia bonorum operum, lauando animas à culpis, ac dealbando eas splendore præstantium virtutum. Et cum Agnus ipse Sanguinem suum effuderit ingentibus cruciatibus, vt eo lauaremur & dealbaremur: æquum est, nos quoque aliquem sustinere laborem, & mortificationem, sine qua candor ille & pulchritudo non obtinetur. Ac propterea Alba est linea & alba, quæ multis lotionibus, & percussionibus ad suum peruenit candorem: vt intelligatur, etiam animæ candorem obtinendum esse laboriosis, & pœnam aliquam adferentibus operibus, lachrymis, orationibus, & mortificationibus. Horum omnium meritò meminerit Sacerdos, cum ipsam *Albam* induit. Si enim horreat sordidam induere, & mundam aliam petat: potiùs debet erubescere, si animam suam videat vitiorum vestibus, & habitibus indutam; ac proinde diligentem operam dare, vt ab eis lauetur, & purificetur. In cuius rei signum constituit Ecclesia, vt Sacerdos antequam vestes Sacras induat, lauet manus, dicens: *Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, vt sine pollutione mentis & corporis valeam tibi seruire.* Ex quo constat: lotionem hanc externam excitare internam, iuxta antiquas Cæremonias, quibus iubebat Deus c *Aaron & filios eius lauare aqua, antequam Sacerdotalibus induerentur vestimentis*; imò & populum iubebat d *lauare vestimenta sua*, vt sic se præpararent ad Dei aduentum, cùm volebat illis loqui: Ex quo deducit S. Ambrosius: si in eo quod erat figura, tanta erat seruanda mundicies: multò maiorem meritò esse seruandam in ipsa veritate, quam illa referebat: discè (inquit) Sacerdos, quid sit lauare vestimenta tua, vt mundũ cor celebrandis exhibeas Sacramentis. Si populus, antequam lauaret, prohibebatur accedere ad Sacrificiũ: quomodo tu animo & corpore maculatus, orare audes, & sacrificare pro alijs? Hæc S. Ambrosius.

b *Apoc.* 7. 14.

c *Exod.* 29. 4. *d.* c. 19. 10. *Lib.* 1. *Offic.* c. 50.

Vt au-

Vt Avtem hæc faciliùs & exactiùs reipsa fiant, multum refert, oculos leuare ad mysteria, quæ ipsa Alba indicat: vestem scilicet albam, qua e *Herodes Christum indutum illusit, ac remisit ad Pilatum*, irridens eius regnum, & ipsum quasi stultum. Ipse autem Dominus patientia sua vestem obtinuit albam gloriæ in sua Resurrectione, sicut habuit in Transfiguratione, vbi f *vestimenta eius* dicuntur *facta alba sicut nix*: Quæ vestis etiam significatur per Albam. Quis igitur non contendat in hac vita induere albas virtutum vestes, etiam cum ad eas dealbandas, magnus labor sit subeundus? si aspiciat, quanta animi promptitudine dulcissimus noster Saluator exceperit vestem illam albam, qua illum induit Herodes in contemptum: quæ simul erat indicium candidissimæ internæ vestis, quam Pater æternus in eius anima posuerat. Quod si per hanc promeretur vestis candida gloriæ: benè collocatus censebitur quicunque labor in ea comparanda. Quàm fuit salubre consilium Domini, quo Sacerdotem quendam Episcopum exhortabatur, dicens: g *suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris*, quibus tegatur confusio nuditatis tuæ, & sic in honore habearis apud Angelos & homines.

2

e *Luc* 23.11

f *Mat.* 18.2.

g *Apoc.* 3.18

AD Ipsam Albam cingendam & constringendam adhibetur Cingvlvm, dicendo: *Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, vt maneat in me virtus continentiæ & castitatis.* Ex quibus verbis facilè intelligitur, hoc Cingulum significare virtutem castitatis, de qua superiùs egimus; estque magni momenti pro Sacerdotibus, ad perfectam eorum puritatem. In cuius figuram iubebat Deus h *comedentes* & Sacrificantes *agnum Paschalem accingere renes suos*; & ipse Christvs Dominus noster dixit: i *sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*, expectantes aduentum sponsi cœlestis: non solùm cum ad ad iudicandum est venturus; sed etiam quando in ipso Sacramento venit, vt nos visitet. Non enim admittetur, qui non erit succinctus. Et ideo Sanctus Hieronymvs, cùm Sacerdotales antiquas vestes moraliter esset interpretatus, ad cingulum perueniens, ait: Hæc omnia frustra fiunt si castitas arcta, & ornata non fuerit, Ideo zona est, & cingit lumbos, restringit, & mortificat. Et qvando Christvs Dominvs Noster apparuit Sancto Ioanni k *vestitus podere*, hoc est veste Sacerdotali, erat *præcinctus ad mammillas zona aurea.* Vt Sacerdotes intelligant; quòd præcingere se debeant perfectissima castitate, quæ & corpus, & Spiritum, & omnes affectus purificet: amorem carnalem vincens spirituali, quod est aurum charitatis; quæ suauem ac iucundam reddit castitatem, ex se valde grauem ipsi carni, quam priuat voluptatibus,

3

h *Exod.* 12.11

i *Luc.* 12.35.

In Psal. 132.

k *Apoc.* 1.13.

quas appetit; & seueriùs eam punit, vt intra suos contineat limites. Et quamuis hoc cingulum (iuxtà aliquorum Doctorum sententiam) significet funes, quibus Christus Dominus in Horto fuit ligatus; aut flagella, quibus fuit ad columnam cæsus: huius tamen rei memoria auget amorem erga eum, qui tanta pro nobis est perpessus, & suauem nobis reddit castigationem carnis, necessariam ad eam continendam, & castam seruandam.

4 SED vlteriùs pergit CINGVLI huius significatio; quòd etiam colliget & contineat partes Albæ superfluas, ne per terram trahatur, aut ministeriũ impediat. Et hoc nomine significat prudentem & cautam mortificationẽ, non solùm in illicitis, sed etiam in licitis, cum non sunt ei, quod tunc fit, accommodata. Sanctitas enim est sicut *Alba* adeo longa & lata, vt complectatur varia genera cogitationum, affectuum, & curarum, & quidem bonarum & Sanctarum. At cogitationes & curæ, quæ in alio tempore & loco bonæ sunt, non semper sunt aptæ in Altari, & tempore Missæ. Quare opus est, illas præcingere, & colligere, ne impediant. Tempus enim illud est destinatum ad orandum, & sacrificandum; non autem ad studendum, concionandum, aut negotium aliud agendum, quod extra illum locum & tempus esset licitum.

§. III. *Virtutes per Manipulum & Stolam significatæ.*

1 MANIPVLVS præmisso osculo crucis, quam in medio habet, imponitur sinistro brachio, dicendo: *Merear, Domine, portare Manipulum fletus & doloris: vt cum exultatione: recipiam mercedẽ doloris:* quæ sententia videtur alludere ad illam Psalmi: a *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Quare dicere possumus, MANIPVLVM significare virtutem zeli, hoc est tristitiam & dolorem de peccatis proprijs, & alienis, in quantum honori Dei, & animarum saluti aduersantur, cum Sãcta quadã cõtra ea indignatione, & feruenti ea disturbandi & expellendi desiderio. Peccata propria dissoluuntur lachrymis, gemitibus, & contritionis actibus, & pœnitudinis, qui disponunt hominem ad hoc Sacrificium dignè offerendum. Aliena peccata sunt etiam remouenda, orando cum lachrymis, & Sacrificium pro eorum remissione offerendo.

a Psal. 125. 5

2 MANIPVLO item, cui infixa est crux, & in modum scuti in sinistrum brachium imposito, significantur (vt ait S. Bonauentura) arma defensiua, quæ præparare nos oportet ad certamen, quod continuum habemus cum hostibus, impugnantibus nos aduersis huius vitæ rebus; ad lenienda autem sensa, quæ illa aduersa adferunt, scutum & clypeus noster esse debet humilitas & patientia Christi Domini nostri; & labores, pugnæ & luctæ,

Supra.

quas

quas ipse sustinuit vsque ad mortem crucis, addens nobis animos ad aduersa toleranda, & pugnandum in omnibus congressibus, sicut ipse Dux noster in suis pugnauit: & memores simus eius, quod alia occasione dixit Ieremias: b *dabis eius scutum cordi tuo laborem tuum*. Quæ sententia, etsi in literali sensu, intelligatur de incredulis, qui quasi scuto quodam se tegebant, & excusabant; ne Christi Diuinitatem crederent, quem videbant tot calamitatibus & ignominiis Passionis affectum: multò tamen aptius Sacerdotes & Iusti sumere debent aduersa crucis Christi, tanquam scutum cordis sui; vt eis se protegant, amplectentes ea magno cum amore; cuius indicium dat Sacerdos, cum imponens *manipulum* in brachium, crucem eius osculatur. Quicquid enim cum amore suscipitur, id iucundum est ac suaue; amor enim clypeus est solidus, ad defendendum quod amat. Ac propterea in libro Canticorum dicit ipse Christus animæ: c *pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio; dura sicut infernus*, siue sepulchrum, *æmulatio*.

Hoc ipsvm clariùs adhuc significatur per Stolam, quæ superponitur collo, ducitúrque per medium pectoris in modum crucis; & cinguli extremitatibus alligatur, ne decidat. Ea autem significat obedientiam Legi Dei exhibendam: de qua dixit Salomon, vt d *collo nostro* tanquam *torquem* magni pretij imponamus, gloriantes & honori nobis tribuentes, quod ei nos subiiciamus, eiusque iugum cum humili subiectione tollamus. Eandem autem apponimus pectori nostro vt ante oculos semper illam habeamus, eius memores, iuxtà illud quod Dominus iussit populo suo dicens: e *verba legis ligabis quasi signum in manu tua, & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ*. Ac denique in crucis modum disponitur super pectus, ita vt pars, quæ ab humero dextero descendit, tendat ad sinistrum; & quæ ab humero sinistro, tendat ad dextrũ. Ad seruandam enim legem, opus est, vt huius vitæ amara & aduersa tanquam dulcia & prospera accipiat; & contrà, dulcia & prospera reputet sibi aduersa. Summum reputans gaudium, quòd patiatur tribulationes vt magis proficiat in humilitate & patientia: timeat verò serenitatem prosperitatum, ne ipsum præcipitent in præsumptionem & superbiam: vt sic in omnibus imitetur obedientiam & subiectionem Christi, per Stolam (vt S. Bonauentura ait) significatam. Qui amplexus Diuinam legem, eam in medio cordis sui posuit: f *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*: & per totam vitam tulit crucem suam, fugiens honores, delicias & prosperitates; amplectens verò contemptus, dolores, & aduersitates: exemplo hoc suo approbans, & venerandum reddens hunc electionis modum: vt nos permoueret ad sequendum suum iudicium & consilium, tanquam rectius & aptius, & amplectendum ac faciendum, quod ipse fecit

b *Thre.* 3. 6

c *Cant.* 8. 6

d *Prou.* 1 8.

e *Deut.* 6. 8.

f *Ephes.* 2. 8.

cit. Quemadmodum enim Iacob morti proximus commutauit manum vt benediceret Manassen & Ephraim filios Ioseph, qui g *Manasses* natu maiorem collocauerat ad *Patris sui dextram; Ephraim vero* natu minorem *ad sinistram. Iacob autem commutauit manus, dextram ponens super minorem, & sinistram supra maiorem.* Ita Christus D.N. tempore mortis suæ, in Cruce pendens, ponit manum suam dextram super ea, quæ mundus minora reputat, aduersitates scilicet; sinistram verò super ea, quæ mundus maiora iudicat, quales sunt prosperitates: quamuis enim in vtrisque possint homines saluari; primæ tamen magis sunt conformes ei, quod ipse Dominus sibi elegit, tanquam magis securum.

g *Genes.* 48. 13.

3 DENIQVE Sacerdos Stolam accipiens, osculatur Crucem in eius medio sitam, dicens: *Redde mihi Domine, Stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis: & quamuis indignus accedo ad tuum Sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.* Qua sententia significatur quòd quemadmodum Adamus ob inobedientiã, quam exhibuit comedendo fructum arboris prohibitæ, vestem immortalitatis & æternæ gloriæ amisit: ita eam recipit per obedientiam, virtute Crucis, in qua secundus Adamus mortuus est, vt Patri suo æterno obediret. Et propter spem huius vestis æternæ, debemus libenter induere vestem obedientiæ; osculantes demissè, & amanter Crucem propriæ abnegationis, in qua obedientia fundatur.

§. IV. *Virtutes per Casulam significatæ.*

1 CASVLA, quæ vltima est vestium, magisque splendida ac preciosa reliquas tegit: significat virtutem charitatis, quæ reliquis virtutibus est excelsior; quibus & honorem adfert, eas defendit ac protegit, comitando eas in earum actionibus, vt perfectæ sint. a *Charitas* enim (vt ait Apostolus) *omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*, & ad omnia valet, ita vt sine ea res omnes sint imperfectæ, cum ea autem suam omnes habeant perfectionem: b *Finis enim Præcepti* (vt idem Apostolus ait) *est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*, sed integrâ & perfecta. Et quemadmodum Casula duas habet partes, quarum altera pectus, altera dorsum tegit; ita, ait S. Bonauentura, charitas duos debet habere actus: amoris scilicet Dei, & proximi; amorem amicorum & inimicorum, nemine excluso, etiam nobis valde infenso, & qui prodiderit nos ad dorsum aggrediatur. Nam charitas est, quæ suaue nobis reddit legis iugum, & Christi Crucem, & omnium præceptorum & consiliorum onus facit leuius; aut potius in ea sola summatim quasi omnia continentur, & perfecta legis obseruatio; cuius fructus est pax & gaudium in Spi-

a 1. *Cor.* 13. 7.

b 1. *Tim.* 1. 5.

ritu Sancto. Ac propterea Sacerdos, cùm eam induit, dicit: *Domine qui dixisti iugum meum suaue est, & onus meum leue: fac vt istud portare sic valeam vt consequar tuam gratiam.* Nec sine causa Casula brachia relinquit libera: vt intelligatur libertas spiritûs, quam adfert Charitas: communicans magnam promptitudinem & velocitatem ad omnia quæ sunt diuini obsequij, ita vt nihil illam terreat, aut impediat. Hæc est præcipua c *vestis nuptialis*, quam habere debet ingressurus hoc cœleste conuiuium, ac Diuinũ hoc Sacrificium oblaturus; Et d *tunica illa hyacinthina*, qua Sacerdotes antiqui ornabantur, ex cuius fimbria pendebant *tintinnabula aurea simul cum malis punicis*: Charitas enim tribuit Sacerdotibus cœlestem vitam, simul cum verbis & operibus magni exempli, & magna efficacitate ad omnium corda vnienda. Hæc est e *vestis Esau* valde preciosa, & propria Sacerdotij, quæ ad illum iure primogenituræ pertinebat, quam induit *Iacob, vt benedictionem Patris sui Isaac obtineret*: Sacerdos enim Charitate indutus, sibi & proximis suis benedictiones obtinebit è cœlo venientes, propter merita summi nostri Sacerdotis Iesu Christi: cuius f *tunica inconsutilis* significabatur per Casulam, eratque Symbolum Charitatis, non ferentis diuisionem aut scissionem aliquam: omnes enim iustos coniungit in vna Ecclesia, in vno Spiritu, & in participatione vnius eiusdemque Sacramenti & Sacrificij. Sed cum sit vna, talem habet proprietatem, vt ita se multis accommodet, vt fiat omnia in omnibus & omnium illorum colorem induens, *Fleat cum flentibus at cum gaudentibus gaudeat.*

Et quemadmodum Casula inter reliqua ornamenta singularem exigit colorem, vnum ex quinque iuxtà diuersitatem temporis: album scilicet, aut rubrum, viridem, aut violaceum, aut nigrum; (his enim tantùm vtitur Ecclesia diuersis temporibus) ita Charitas varios induit affectus, nunc lætitiæ & gaudij ob Deum magnalia, & gratitudinem propter eius beneficia; nunc patientiæ & fortitudinis, vt se ad martyria, magnosque labores offerat; nunc heroicos exercet actus Spei, tum cùm orat; tum cùm egregium aliquod facinus aggreditur, aut se in aliqua videt pressura constitutam; tum exercet actus Fidei, ex se quidem obscuros, sed illustratos amore, supplente cognitionis defectum; ac denique affectus exercet tristitiæ, & fletûs propter sua peccata & miserias, aut etiam aliena; aut propter aduersa, quæ eius dilectus est in Passione perpessus; aut propter exilium quo detinetur, optans illum in sua, gloria videre. Hac affectuum varietate potest ac meritò debet exornare se Sacerdos diuersis temporibus, vt suum dignè offerat Sacrificium.

c *Matt.* 22, 12.

d *Exod.* 28. 31.

e *Gen.* 27. 15. *Ex Isidoro in Gen.* 23. *Vide Pinedam in c.* 1. *in Iob, versu.* 1.

f *Ioan.* 19. 23.

g *Rom.* 12. 15.

2

Hae

3 HAE summatim sunt virtutes, quas vestes Sacerdotales significant, quarum actibus induere se debent Sacerdotes, vt possint dignè sanctam Missam celebrare, accommodantes deuotionem cordis, & modestiam grauitatemque corporis, ei, quod ipse, ornatus repræsentat; ita vt & corpus, & Spiritus rectè in omnibus conformentur in hoc opere, & in omnibus motibus, verbis, actionibus, ac cæremoniis eius: coniungentes reuerentiam & grauitatem internam cum externa, ad populi ædificationem, & externam ipsam cum interna, ad placendum Deo, qui non delectatur honoribus purè externis.

CAPVT XI.

RATIO LEGENDI ET AVDIENDI MISSAM CVM perfectione; & nominatim quid sit agendum in prima eius parte vsq; ad Euangelium.

CVM MISSA SIT SACRIFICIVM COMMVNE TOTI vs Ecclesiæ, tria personarum genera ordinariè ad eam concurrunt. Quarum prima & præcipua est ipse Sacerdos, qui aliqua dicit, & facit solus; in aliis autem iuuatur à Ministris ipsi assistentibus, & hi secundum tenent locum; (quorum munia in capite secundo proposuimus) tanti enim momenti hæc munia sunt in oculis Dei, vt aliquos gradus instituerit Sacramenti Ordinis, qui gratiam conferant, vt perfectè fiant. Tertium locum tenent reliqui fideles, Missæ assistentes: qui, vt suprà diximus, etiam offerunt hoc Sacrificium, magnamque ex eo accipiunt vtilitatem: si, quod ipsis incumbit, rectè præstent: audientes scilicet quæ Sacerdos dicit, & facientes, quæ commendat: eumque imitantes in iis, quæ facit, in eo gradu, qui illis incumbit. Est autem pro fundamento supponendum: in ipsa Missa simul concurrere eminenter, etiamsi breuiter, exercitia spiritualia, quæ Sancti vocant Lectionem, Orationem, Meditationem, & Contemplationem, quorum finis est vnio cum ipso Deo: & Orationem quidem exerceri cum omnibus modis orandi etiam excelsioribus, præcipuè quatuor illis, quos Apostolus vocat, a *orationes* affectuosas, *gratiarum actiones* ob accepta beneficia, *petitiones* donorum & gratiarum, *& obsecrationes*, hoc est preces addactis titulis & causis, ad obtinendum quod petitur, vt in alio loco fusiùs explicuimus. Et correspondent quatuor titulis, quibus Missa offertur: in quibus omnibus exercere debent tam Sacerdotes, qui illam legunt, quam reliqui

a 1. *Tim.* 2.

Ducis spirit Tract. 1. c. 12.

ei assi-

ei assistentes. Neque enim absque iusta causa iubebat Deus in lege veteri offerri sibi per singulas hebdomadas b *duodecim panes* nomine duodecim Tribuum Israel, appositio super singulos panes modico *thure lucidissimo*, quo significabatur Sacrificium hoc & Sacramentum sub speciebus panis & vini, quo Christus Dominus noster instituit coram duodecim suis Apostolis, vt illi eorumque Successores illud offerrent pro se & nomine totius multitudinis fidelium, qui omnes coniungerentur ad oblationem cum lucidissimo Orationis thure: *vt sit panis in monimentum oblationis Domini*: qui ad Diuinam eius præsentiam ascendat, & impetret quicquid optamus in bonum vniuscuiusque & totius Ecclesiæ.

b Leuit. 24.

Omnia hæc distinctiùs licebit videre in iis, quæ de singulis rebus dicemus: quas Sacra Missa complectitur; quæ in tres quatuor ve partes distribuitur. *Prima* est quasi præparatio & quædam dispositio ad ipsum Sacrificium; ab ipso scilicet initio vsque ad Euangelium, quæ olim vocabatur Missa Catechumenorum: eò quòd eo vsq; permitterentur ei interesse. Inde incipit *altera* pars, quæ disponit ad ipsum præcipuum Sacrificium: & complectitur oblationem panis & vini & ipsam Præfationem. Hanc sequitur *tertia* pars quæ pertinet ad ipsummet Sacrificium vsque ad communionem. *Vltima* pars complectitur reliquum Missæ, quæ est quasi gratiarum actio propter eam Deo ipsi oblata.

Vide Suar. Disp. 4. Sect. 3 in 3. p.

§. I. *Confessio, quæ præmittitur.*

Prima Verba, quæ sunt Missæ initium, illa sunt: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Nam (vt S. Dionysius dixit) omne opus, cuius scopus est Deus, inchoari debet ab inuocatione Sanctissimæ Trinitatis; cuius virtute est paragendum. Quamuis enim illa omnibus sit præsens, non tamen omnes adeò attentè sunt illi præsentes; nisi cum eam attentè & quietè, vt par est, inuocant. Est autem magni momenti, in eius præsentia se constituere, eamque in sua memoria toto tempore, quo Missa durat, habere. Ad eam enim dirigitur Sacrificium; & ipsa intentio ad eius præcipuè gloriam est dirigenda; & quia meminisse, Sanctissimã ipsam Trinitatem præsentem esse, plurimum iuuat attentionem & reuerentiam, quam ampliſſimum hoc opus exigit & ad inuicto pectore obsistendum impugnationibus hostis, conantis Sacrificij fructum impedire. Quemadmodum enim a *volucres descendebant super cadauera quæ Abraham sacrificare volebat, quas ipse abigebat*: ita quo tempore Missa legitur, & auditur, accurrunt Dæmones ad nostram oblationem impediendam; & attentionem & reuerentiam turbandam plurimis imaginationibus & curis nullius momenti; ac propterea opus est, semper illas abigere. Ad quod

De Diuin. Nomin. c. 3.

a Genes. 15. 2.

quod non parum confert, attendere, Deum esse præsentem nos; aspicere. Quamobrem ea verba proferentes, & Sanctissimam Trinitatem invocantes, signamus nos signo CRVCIS à fronte vsque ad pectus, & à sinistro humero vsque ad dextrum, quasi nos virtute CHRISTI CRVCIFIXI munientes, ad pugnam ineundam cum hostibus Sacrificij quod offerre intendimus in memoriam mortis, quam ipse in cruce subnuit.

2 b *Psal* 42.4

HOC SIGNO præmisso, Sacerdos dicit versiculum illum Psalm 42: b *Introibo ad altare Dei*: Ministrans verò nomine reliquorum dicit: *Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam*. Quem ter repetunt: primùm, anteqam Psalmus inchoetur; deinde in ipsomet Psalmo, ac tertiò post eius finem: vt intelligatur, quanta firmitate, & constantia inchoandum & prosequendum sit hoc opus, intendentibus intrare ad altare Dei, eiusque præsentiæ assistere; quà renouetur, quod fuerat inueteratum; & restituitur nobis iuuentus spiritualis, quæ est feruor spiritus, & lætitia cordis oriens.

REPETITVR etiam tertiò, vt intelligamus, Missam nec dicendam, nec audiendam esse solùm ex consuetudine, cum quadam tepiditate, animo abiecto, tædioso, ac tristi: quasi graue sit & molestum tempus in eam consumere: sed potiùs audiendam & legendam esse recenti quadam delectatione, & spirituali impulsu: quasi illa esset prima, resistendo tædio spiritûs, quod tunc aggredi nos audet. Ac propterea DAVID in eodem Psalmo addidit: *Quare tristis es anima mea; & quare conturbas me?* cum enim nihil tibi sit magis gloriosum, quàm ipsa Missa: cur tædio afficeris eam legendo aut audiendo? & cur alijs curis ac disiderio citius finiendi vexas, vt ad alia, quæ minoris sunt momenti, attendam? *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi*, quia ipse est *salutare vultus mei, & Deus meus*, quoniam ipse dabit, vt in eius laudibus perseueres, nec tristis sis & abiectus, sed lætus & valde iucundus. Hoc spiritu excitatus Sacerdos, dicit statim versum illum: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*: & respondent ei; *Qui fecit cœlum & terram*, vt omnes intelligant præcipuum in hoc opere auxilium venturum sibi à nomine & potestate Dei: vt non ponant fiduciam suam in carneo suo brachio, aut in propria industria; sed in sola diuina gratia, & virtute crucis Christi; qua se signant, cùm versum illum proferunt.

3 c *Prouerb* 8. 17.

ET quoniam humilitas est fundamentum Sanctitatis, & quæ bonum actionibus nostris præbet initium: quia (vt Salomon dixit) c *iustus prior est accusator sui*. Statim Sacerdos facit generalem Confessionem: quæ opus quoddam est insignis humilitatis, fatetur enim se esse peccatorem coram DEO, cœlique Sanctis, & hominibus, qui tunc assistunt, di-

cit enim Sacerdos : Confiteor *vobis fratres* ; & humiliter petit, vt orent pro ipso, non solùm Sancti, qui in cœlo sunt, sed etiam ipsi assistentes, cùm dicit : & *vos fratres*, &c. Quod mox illi faciunt, dicentes breuem illam orationem : *Misereatur tui*, &c. sed quoniam minores sequi meritò debent exemplum maiorum ; & maiores debent præcedere minores : hinc est, quòd cæteri assistentes Confessionem faciant generalem, fatentes, se etiam peccatores coram Deo, & Sanctis, & ipsomet Sacerdote, petuntque ab eo, vt pro ipsis oret : quod & ipse facit orationibus prolixioribus, petens à Deo remissionem peccatorum pro omnibus : eius enim officium est, pro omnibus orare. Confessio hæc eo spiritu est facienda, quem in se continet : ita vt non sint nuda verba, sed adsint interna sensa suæ vilitatis & miseriæ, magnusque dolor de omnibus suis peccatis cogitatione, verbo, aut opere admissis : ita vt sibi ipsi culpam tribuat, non alteri, percutiens pectus suum in signum contritionis, qua tundit & conterit cor suum.

Sed & cum ab aliis petit pro se orari, id faciat humiliter, agnoscens suam infirmitatem, & necessitatem, ob quam suorum fratrum auxilio indiget : etiamsi illi sint alias minores, aut ipso inferiores. Propterea enim Sanctvs Iacobvs Apostolus dixit : d *confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem vt saluemini.* Quod vt præstent omnes, Sacerdos clara voce orat pro omnibus : illique respondent verbum illud : Amen, quasi approbantes eius petitionem, & ostendentes, se desiderare, vt Devs eam exaudiat, & omnibus concedat. Et statim Sacerdos orat secretò pro seipso, vt Deus omne peccatum ab ipso auferat : vt cum animæ puritate ingredi possit in sancta Sanctorum. Sed huic secretæ orationi præmittit clarà voce verbum : *Oremus* : vt circumstantes intelligant, debere se etiam breui illo spatio orare secretò : vt Deus omnes purificet, vt dignè possint coram Sanctis Sanctorum permanere, & mysterio illi Diuino interesse.

d *Iacob. 5. 16.*

4

§. II. *Missæ Introitus, Kyrie eleison, Gloria in excelsis. & orationes.*

Praemissa breui præparatione prædicta, inchoatur Introitvs Missæ, quasi proprium eius initium ; & ferè semper sumitur ex aliquo psalmo. Tempore enim Apostolorum celebrationi huius mysterij premittebant fideles aliquos Psalmos, cantantes Diuinas laudes. Vtebantur autem potius Psalmis, eò quòd (teste Sancto Dionysio complectantur in se per modum laudum, quicquid Sacra Scriptura continet ;

1 *Eccles. Hierar. c. 3. De Constit. Monast. 6 10.*

inchoabant igitur eb eis eò quòd (vt ait S. Basilius) deceat ingredientes
De Const. Monast. c. 10. ad conspectum Dei, inchoare ab eius laudibus, priusquam noua petam beneficia: vt sic ostendant, se non tam proprij commodi causâ venire, quàm ipsum, vt par est, honorandi & glorificandi. Introitum sequitur *Kyrie eleyson & Christe eleyson*: quod significat *Domine miserere, Christe miserere.* Quæ voces repetuntur nouies, ter ad singulas Sanctissimæ Trinitatis personas, petendo à singulis, vt nostri misereatur, & remittat omnia nostra peccata, quæ cogitatione, verbo aut opere admisimus. Sacerdos inchoat & Minister respondet; quamuis apud Græcos totus populus Sacerdotem comitatur, idem quod ipse repetens: ad significandum, quàm instanter studere debeant omnes, hanc misericordiam à Deo petere: à qua omnis nostra felicitas pendet; & vt appareat, Deum non defatigari, etiamsi nos videamur importuni, eandem toties repetentes orationem: sed potiùs in eo sibi complacet; quia talis instantia nostra indicium est perseuerantiæ, qua nos disponimus ad misericordiæ eius effectus recipiendos.

2 POSTEA sequitur Hymnus: *Gloria in excelsis Deo, &c.* cuius primis verba primi cecinerunt Angeli ipsa nocte Natalis Christi, cùm ipse manifestauit se mundo; ex cuius aduentu magna secuta est gloria Deo in cœlo, & magna pax hominibus in terra: quia cælum & terra coniunxerunt se in vnum, cum Deus factus est homo. Meritò autem repetitur idem Canticum in hoc mysterio Missæ, per quod Deo defertur summa gloria in cœlo; & hominibus summa pax in terra: siquidem ipsemet Christus, qui in cœlo est, ad terram descendit: vt hanc pacem communicet hominibus, eosque à terrenis ad cœlestia eleuet, vt exultent cum Angelis eoque perueniant, vt eodem bono fruantur, quo ipsi Angeli. Reliqua verba adiecit Ecclesia, suntque plena valde feruentibus affectibus laudum Dei, Adorationis, Actionis gratiarum, Petitionum, & obsecrationum, additis amoris titulis: vt, quod petimus impetremus. Quod si ipsa verba proferrentur cum sensu eius, quod significant: excitarent procul dubio teneros valde affectus erga tres Diuinas Personas, ad quas ipsa verba diriguntur.

3 HOC Hymno absoluto, conuertens se Sacerdos ad populum, dicit
a *Ruth. 2. 4* a *Dominus vobiscum*, cui omnes respondent: *Et cum spiritu tuo*; quæ verba erant communis & ordinaria salutatio antiquorum, qua ibus Booz suos messores salutauit, vt suo loco est dictum, Nec solùm salutationis est verbum; sed etiam exhortationis: monēs nos præsentiæ Dei Domini nostri, tam eius quam habet cum omnibus, qua Deus est; quàm eius, quam speramus in Sacramento; optantes, vt sit cum omnibus etiam per gratiam & charitatem, & per intimam familiaritatem, implens quod promisit, cum

Tomo. 1. tract 3. c. 3.

eis

dixit: b *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus: vsque ad consummationem saeculi.* Cumque haec salutatio tam multa complectatur, eam Sanctus Dionysius appellat dignissimam, Sanctam, mysticam, ac coelestem. Estque summi momenti, excitare fidem ac desiderium huius praesentiae frequenter: & propterea octies in Missa repetitur, praecipuè ante orationes, ne praesentiae Domini obliuiscamur; sed semper attendamus, quod sit nobiscum: & feruenter optemus, vt sit perfectissimo modo, quem ipsa verba significant. Nam S. Augustinus dixit: non omnes esse cum Deo eo modo, quo dixit Dauid: *ego semper tecum*: cogitando scilicet de te, diligendo te, meumque Spiritum simul cum tuo vniendo: neque Deus est semper cum omnibus eo modo, quo dicimus in Missa: *Dominus vobiscum*, assistendo scilicet, vt vobis faueat suaque dona & gratias communicet. Expedit tamen studere, vt semper cum Deo simus, vt & ipse semper nobiscum sit iuxta illud, quod quidam Propheta dixit Israelitis: c *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.* Vrimur autem voce *Dominus* potiùs, quàm alia: vt nos ad reuerentiam & timorem excitet; & quoniam Sacrificium offertur Deo, quà est rerum omnium Creator. huic enim nomini innititur titulus Domini; item: quia etiam propter Incarnationem & Passionem coepit nouo titulo noster esse Dominus; nos verò eius serui, redempti eius Sanguine: qui cupimus esse eius possessio, vt nos per hoc Sacrificium possideat: in quo tanquam rem ipsius nos ei offerimus. Nec vacat mysterio, quòd Sacerdoti dicenti: *Dominus vobiscum*, non respondeatur: Et tecum; Sed: *Et cum spiritu tuo*: quod verbum est maioris momenti, magisque spirituale: quasi respondentes optent: Dominum implere spiritum eius deuotione, vt magno feruore pro omnibus oret: ita vt eius oratio non solùm lingua proferatur, sed multò magis corde & Spiritu.

b *Matth.* 28. 20. *Eccles. Hierarch. c. 3.*

c 2. *Par.* 15. 2. *In Duce Spirit. tract. 1. c. 6.*

Statim autem Sacerdos profert verbum: *Oremus*, omnes exhortans ad orandum; & monens, vt cum ipso orent; & quòd ipse omnium nomine oret. Ac propterea Missae Orationes vocantur *Collectae*: quia omnes fideles Spiritu sese colligunt ad orandum; & omnes coniunguntur vnitione voluntatum ad idem petendum; & cum ipso Sacerdote sese coniungunt, ad petendum si nul eum eo, quod ipse nomine totius Ecclesiae pro omnibus petit. Ac propterea Sacerdos clara voce orat; vt omnes intelligant, quid petant: reliqui autem corde & affectu orare debent: optantes, vt Deus illum exaudiat; &, quod petit, largiatur: exstimulantes fiduciam suam, quae innitatur promissioni ipsius Saluatoris dicentis: d *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* 4

d *Matth.* 18. 19.

Quod ad litteram, vt dicitur, impletur in ipsa Missa: in qua fideles

conueniunt cum Sacerdote, ad simul orandum: in quorum medio ipse Christus Dominus Noster tanquam supremus Sacerdos, pro omnibus orans, & Sacrificium ipsum offerens, vt exaudiantur: & ipsa Ecclesia orat etiam per suum Ministrum, quæ Mater est multò prudentior, quam fuerit Mater filiorum Zebedæi. Quare orantibus cum illa non respondebit Dominus: e *Nescitis quid petatis*: petit enim, ab ipso Christo inducta quòd expedit nobis petere ad seruiendum ei, si illud obtinuerimus. Quare omnes rationes redundant stupendis affectibus & sensis: petuntur enim bona spiritualia, & æterna; imò interdum etiam temporalia: eo tamen modo, quo talia petere licet. Ex quo fit, vt qui non intelligant quid petatur in ipsis orationibus, quia ignari sunt latinæ linguæ, nihilominus amittant: debent enim tales cogitare, se esse coram Deo tanquam mutos & surdos; alios autem pro ipsis petere: quorum voces æquè exaudiet Deus, atque si ipsimet peterent. Sufficiat ergo eis, quod effundant coram suum in conspectu Dei, proponentes suas necessitates: vt ipse Dominus eis subueniat. Propterea enim dixit Apostolus: f *Spiritus supplere locum idiotæ*, non intelligentis quid oretur; orat enim pro eo, eiusque cordis affectus promouet, vt communis orationis fructum consequatur. Non tamen negamus: quòd idem Apostolus refert, eum, qui non intelligit quid oret, *carere* speciali *fructu* & gustu spirituali, quo afficitur, qui intelligit & attendit quid dicat: si enim effundat sese, idem ei est, atque si non intelligeret. Quamobrem deberent Sacerdotes valde esse attenti his orationibus: vt spiritus Sanctus stupendam eis præberet spiritus refectionem, quam per eas solet communicare.

e *Matth.* 20. 22.

f 1. *Cor.* 14. 16.

versus 14.

5

DENIQVE omnes ferè orationes finiuntur obsecratione illa: *Per Dominum nostrum Iesum Christum* &c. expressâ item mentione regni æterni duraturi: vt inde crescat feruor & fiducia, cùm orationes innitantur meritis Iesu Christi, & speretur regnum æternum in eius societate. Et omnes respondent: *Amen*, hoc est: vtinam ita fiat, sicut petis, & ita verum est, sicut dixisti. In quo solo verbo continetur quidquid Sacerdos pluribus dixit; & tanto affectu verbum illud dici potest, vt non minùs promereatur vnico illo verbo prolato, quàm si protulisset omnia. Deus enim Dominus noster non tam verborum multitudinem respicit, quàm feruorem affectuum.

§. III. *Epistola, Euangelium, & Credo.*

Orationibvs primis finitis, sequitur pars quædam Missæ, quæ dirigitur ad docendum, & instruendum fideles; & vt noua motiua & causas ex ea accipiant, ad laudes Diuinas decantandas: Deoque feruenter offerendas suas orationes & Sacrificia. *Prima* est lectio quædam scripturæ Sacræ ex Testamento Antiquo aut Nouo, exceptis Euangeliis: & vt plurimùm accipitur Lectio ex Epistolis Sancti Pavli, & aliorum Apostolorum: quæ propterea appellatur Epistola. Cuius Lectio fuit vsu receptissima in primæua Ecclesia, &, si fiat, vt oportet cum aliqua mora & sensu eius, quod legitur vel auditur, magnæ est vtilitatis: eò quòd verba illa sint ipsiusmet Spiritûs Sancti, qui ea solet in corde legentis vel audientis repetere, firmius imprimens sensum & spiritum, quo fuerunt scripta, & vt S. Gregorius ait, verba illa sunt instar litterarum, quas Deus mittit ad homines, vt suam eis voluntatem, & quid ab eis requirat, manifestet. & Subdiaconus vel Sacerdos, cum Epistolam legit in Missa, eam nobis manifestat, & monet de voluntate Dei. Ad vtrumque autem illorum pertinet eam legere, eum in modum quo in libro Esdrae dicitur, quod a *Leuitæ legerunt in libro legis Dei distinctè, & apertè ad intelligendum: & intellexerunt cum legeretur. Flebat autem omnis populus, cum audiret verba Legis.*

Alii præ timore, attendentes, quàm malè fuissent executi, quod Deus iusserat; alij præ deuotione, optantes ei placere, qui talia ipsis commendabat. Latet autem aliquod mysterium in eo, quod iubetur Sacerdos, quando Epistola legitur, ponere manus super librum; vt intelligat, debere se Lectionem cum operibus coniungere; nec solùm legere, vt sistat in lectione; sed vt manum ad opus applicet, quod in ea commendatur. Sæculares autem, qui lectionem illam non intelligunt possunt interim orare Dominum nostrum, vt ipsis inspiret, & ad cor loquatur, quod ibi legitur; ita vt ipsemet sit Epistola viua, quæ ipsis loquatur: quod solet ipse facere in huiusmodi casibus & occasionibus. Ac propterea expedit, ei dicere sicut Samuel: b *loquere Domine, quia audit seruus tuus*, quia vbi tu es, & mihi loqueris: non nocebit, quod non intelligam, quæ homines loquuntur. Epistolâ finitâ, respondet Minister; *Deo gratias*; ostendens animi gratitudinem ob acceptum ab eo beneficium: quod bonam adeo refectionem nobis præbuerit in mensa Scripturæ Sacræ. Et propter eandem causam addit ipse Sacerdos verbum, *Alleluia*, quæ vox significat: *Laudate Deum*, & repetitur ter aut quater extra tempus luctûs: vt laudetur Deus propter seipsum, & bona quæ nobis confert.

Lib. 4. Epist 40.

a 2. *Esdr.* 8. 8.

b 1. *Reg.* 3.

Et

Et quamuis non semper ore proferatur: nunquam tamen est prætermittendum, vt ait S Augustinus, quin corde dicatur: vt imitemur Dauidem dicentem: c *Benedicam Dominum in omni tempore semper laus eius in ore meo*, non tam corporis quàm cordis & animæ.

In Psal. 106
c Psal. 331.

2. MAIORI autem solemnitate ac deuotione legitur Sacrum Euangelium: cuius verba ore suo Sanctissimo protulit ipsummet verbum Incarnatum. Ac propterea excellentiam quandam & efficacitatem maiorem habent, ad docendum permouendum, alliciendum, & cor ipsum accendendum; de omnibus enim illis dicere licet: d *verba vitæ æterna habes*. Et ipsemet Christus dixit: *verba quæ ego loquor vobis spiritus & vita sunt*. Et ipsi ministri Pharisæorum dixerunt: e *nunquam sic locutus est homo*. Quamuis autem proprium sit Diaconi officium, Euangelium cantare in Missa solemni; Sacerdoti tamen ipsi incumbit, cum legit Missam, magna cum reuerentia ac deuotione illud legere. Ad quod melius præstandum, prius petit à Deo gratiam & benedictionem, supplex orans, vt quemadmodum calcculo mundauit labia Isaiæ Prophetæ: ita dignetur ipsius cor & labia purificare: *vt dignè possit eius Euangelium annunciare*; bonumque illum nuncium, ipsius nomine mundo adferre. Qua oratione præmissa, aggreditur rem, præmittens salutationem illam: *Dominus vobiscum*, quasi monens audientes, esse cum illis Saluatorem, qui dixit: f *vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim*. Tunc autem adest præsens, & fungitur officio Magistri proponens auditoribus verba, quæ locutus fuit mundo; eademque loquitur ad cor eius: qui illa audit, vt oportet. Bene hoc est expertus Magnus ille Antonius, cum ingressus templum, audiuit cantari Euangelium, in quo Christus loquebatur adolescenti cuidam dicens: g *Si vis perfectus esse: vade vende omnia: quæ habes, & da pauperibus & veni sequere me*. Quibus verbis ita Deus cor eius tetigit: vt statim opere ipse impleuerit, quod verba sonabant. Quo autem spiritu & legendum sit, & audiendum Euangelium, repræsentatur in ipsis cæremoniis, quæ adhibentur à legente, & audientibus. Vt autem vtilitatem maiorem adferant, curandum est, vt interius adsit ille affectus, quem verba indicant. Initio enim super ipsum librum formatur signum crucis, & postea in fronte, ore, & pectore: ad significandum: Euangelicam doctrinam esse Christi Crucifixi, & mysteriorum crucis, ac motificationis; & quod non solum legatur, vt sciatur; sed vt menti infigatur & verbo, & opere, omnibusque nostris affectibus exprimatur: h *semper* (vt ait Apostolus) *mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes*. Ad finem Euangelij accipit Sacerdos librum in manus, & locum osculatur, in quo fuit crux formata: ad significandum amorem, quo tota illa doctrina sit amplectenda, & in medio cordis ponenda, executioniq; mandanda. Quod autem omnes illud audiant

d Ioan. 6. 69 26
e Ioã. 7. 46.
f Ioan. 13. 13
g Mat. 19. 21.
h Cor. 4. 10.

stantes

stantes, significat reuerentiam & attentionem, animique promptitudinem quam par est habere, ad eam doctrinam excipiendam, & quod iubet exequendum. In fine tandem respondet Minister verbum illud: *Laus tibi Christe.* laudat enim Christum Dominum nostrum propter bonum Euangelij nuntium, & doctrinam quam nos docuit.

In Signvm autem, quòd credamus & acceptemus, quæ Christus nos docuit, & in ipso Euangelio audiuimus, addi solet Symbolum Nicænum, in quo Fidei nostræ veritates sunt magis expressæ: quas expedit ita distinctè confiteri, vt interior nostra Fides magis excitetur, & protestemur nos eas credere: quia Deus eas reuelauit, & Ecclesia tunc proferendas proponit. Et quamuis dicatur, & audiatur à stantibus sicut ipsum Euangelium: quando tamen peruenitur ad mysterium Incarnationis, quod exprimitur illis verbis *Incarnatus est*: omnes flectunt genua: primùm ad Maiestatem Dei adorandam, propter illud beneficiorum beneficium, quod est fons cæterorum. Deinde, vt eâdem nostra humiliatione confiteamur ipsiusmet Dei humilationem, quâ seipsum demisit & abiecit, formam serui accipiens. Ac denique, quòd (vt S Basilius ait) cum genua flectimus, & è vestigio surgimus, reipsâ protestemur, propter peccata nostra nos in terram cecidisse; sed propter Dei misericordiam assurgere ad cœlum & hoc nobis proueniisse ab ipsa Incarnatione nostri Saluatoris, qui seipsum, vt nos exaltaret, humiliauit. Euangelio & Symbolo finitis, solebat olim Diaconus dimittere Catechumenos, & reliquos, qui propter aliquod impedimentum non admittebantur ad Diuina mysteria: tunc enim propria illorum Missa finiebatur, quæ ad illorum instructionem dirigebatur. Circa quam expedit hic aduertere, ad consolationem Fidelium non intelligentium, quid in ea dicatur, eò quòd omnia proferantur sermone Latino: Ecclesiam Catholicam ab Spiritu Sancto gubernatam, & ex traditione Apostolorum, prudenter ac sanctè (vt S. Concilium Tridentinum declarat) eum morem semper seruasse: vt Missa non legeretur lingua vulgari propter grauissimas rationes, quas habet ad eum seruandum: quas ego hic prætereo, Lectorem remittens ad Doctores, qui illas adferunt & stabiliunt: nostro autem instituto non sunt necessariæ: nam Fidelibus, ad quos sermo noster dirigitur, sufficit authoritas Ecclesiæ, & maior reuerentia Sacrificio huic Sanctissimo debita quæ meritò præferri debet proprio cuiusuis iudicio, ac oblectationi; præcipuè cum eius linguæ ignari proprio suo fructu non fraudentur, si, quæ hactenus diximus, & quæ in proximo capite proponentur, præstiterint.

30

Lib. de Spiritu Sancto. c. 17.

Sess. 22. c. 2. & Can. 9.

CAPVT XII.

OFFERTORIVM, PRÆFATIO, CANON MISSÆ. Consecratio, Elevatio Sacræ Hostiæ & calicis, & quid tum faciendum auditoribus.

EVANGELO SACRO ET SYMBOLO FINITIS terum Sacerdos populum salutans dicit: *Dominus vobiscum*. Et: *Oremus*, exhortans eum ad orationem non clara voce, sed submissa faciendam. Eadem enim Ecclesia Catholica, vt idem Concilium Tridentinum declarat, constituit ne tota Missa alta voce legatur; sed magna ex parte submissa, vt à circumstantibus non percipiatur. Et hoc in modum quo Christus Dominus noster, cum offerret cruentum sui ipsius Sacrificium in cruce, interdum orauit, & locutus est voce clara; interdum autem, & quidem diutius, secretò & quasi in silentio; sic præbet Ecclesiæ Sacerdotibus exemplum vtriusque huius modi orandi in Sacrificio Missæ. Et expedit interdum, submissa voce orare, imò sine vlla voce solo interdum spiritu: vt & seipsos ad maiorem excitent deuotionem; & circumstantibus dent locum, vt & orare, & meditari secretò possint; hanc quoque fructum, quem huiusmodi cum Deo colloquia adferunt. Ac propterea Concilium Colonienſe dixit: *tunc esse in Missa præcipuas populi partes, quando submissius legente, aut tacente Sacerdote, vnusquisque cum Deo loquitur.* Par. 7. c. 26. Et certo quodam modo dicere possumus: fructum tum esse duplum: & quia dupla oratio habetur: altera per ipsum Sacerdotem secretò pro omnibus orantem, & omnes cum eo; altera singulorum priuata & propria; & propter affectus deuoti cuiusque cordis; cumque vtraque sit secreta, non se impediunt mutuò.

§. I. *Offertorium, Lotio manuum, & Præfatio.*

TRIA PRÆCEDVNT Sacrum Missæ Canonem, tanquam præparatoriæ dispositiones ad Sanctum Sacrificium. *Prima* est oblatio, qua offertur panis & vinum, quæ sunt consecranda. In qua oblatione dicuntur aliquæ orationes valde teneræ, deuotæ, ac sanctæ à Sacerdote quasi spiritualiter *habente in manibus thus lucidissimum, & Panes Propositionis*, qui in mensa Domini offeruntur. Et quamuis Sacerdos satisfaciat orationes illas ex affectu dicens, quem ipsa verba insinuant, benè ad ea ac

1. *oblatio panis & vini.* 2. Leuit. 24. 7.

tentus: sed magis adhuc specialiter cum accepit Patenam cum Hostia in manibus, debet spiritualiter in ea cor proprium ponere, & corda omnium circumstantium imò & omnium Fidelium: vt ea etiam Deo offerat cum ea celsissima intentione; quod quemadmodum hostiam illam offert, quæ est purus panis, vt eius substantiâ destructâ conuertatur in corpus ipsius Christi: ita cor suum & omnium Fidelium offerat, vt in eis destruat quicquid terrenum est & conuertat ac per amorem & imitationem transformet in ipsum Christvm: ita vt desinant esse, quod erant, & viuere more antiquo: incipiant autem esse & viuere sicut ipse omnium redemptor. Et qui Missæ assistit, debet etiam hoc Spiritu proprium cor cum omnibus suis facultatibus & sensuum motibus Christo Domino nostro offerre: supplex orans, vt eos per amorem & imitationem in suos conuertat, & transformet: vt dicere possit cum Apostolo: b *viuo non iam ego, sed viuit in me Christus.*

b *Gal. 2. 20.*

2. *oblat. Calicis.* S. *Tho. 3. p. q. 7. a. 6.*

Idem faciendum est, cùm Calix offertur: in quo modicum aquæ admiscetur vino, ad significandam coniunctionem Sanguinis & aquæ fluentis ex latere Christi Domini nostri in cruce pendentis; & vnionem populi Christiani per aquam significati, cum Christi Sanguine, quem vinum significat. Quæ mixtio eo spiritu est facienda, vt desideret Sacerdos immergere seipsum in abyssum Sanguinis Iesv Christi, sicut aqua illa mergitur & conuertitur in vinum: & similiter quemadmodum aqua sola nunquam potest consecrari, sed simul cum vino consecratur; ita anima nostra suæ naturæ relicta, nunquam poterit ad vnionem cum Deo peruenire, nec æternam vitam consequi: coniunctæ autem cum Christo, ex eius virtute, omnia erunt possibilia.

3. *Lotio manuum.* c. *Psal. 25. 6.*

Hac oblatione factâ, lauat Sacerdos extremitates digitorum, quibus tractaturus est Hostiam consecratam; dicitque verba illa Psalmi: c *Lauabo inter innocentes manus meas: & circundabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis tuæ, &c.* & ita protestatur, se velle seipsum coniungere hominibus mundis ac puris, vt mundè ac purè viuat: quod si opera sua aliquo modo maculentur, studeat statim ea abluere. Cùm autem ipse Sacerdos manus suas aliàs lauerit (vt intelligatur, quod sit à grauioribus mundus) tunc solùm lauat digitorum extremitates, significans (vt Sanctvs Dionysivs aduertit) desiderium se purificandi etiam à culpis leuioribus: præcipuè si in aliquas esset lapsus post Missam inchoatam; & hoc spiritu Lotio hæc adhibetur.

Hierar. Eccles. c. 3. S. Th. 3. p. q. 83. a. 5. ad 5.

4. SED quoniam non multum tribuit, nec fidit suæ puritati; verùm populum dicit: *Orate Fratres*, &c. petens ab eis, vt orent Deum, vt Sacrificium, quod ipse & illi offerunt, acceptet. Respondetur autem illi pro ma quadam oratione, quam dicit Minister; & omnes adstantes magn eandem spiritu dicere deberent: *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam nominis sui ad vtilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.* Et in his spiritualibus sensis expendi potest tempus illud, quo Sacerdos quasdam orationes secretas pro omnibus dicit.

5 STATIM Sacerdos incipit ipsam Præfationem quæ cor præparat, leuarque ad laudes Diuinas proferendas; vt magna cum deuotione S erosanctum ipse inchoet Sacrificium; totusque ferueat deuotione duobus præcipuè affectibus, quos Apostolus appellat d *Orationem & gratiarum actionem*: per orationem intelligens affectum eleuandi spiritum ad Deum: quare statim Sacerdos dicit: *Sursum corda*; & omnes respondent: *Habemus ad Dominum*. Attendant itaque circumstantes, quo spiritu audiant exhortationem, qua monentur, vt corda sursum eleuent; & quæ verè ipsi respondeant: iam habemus ad Dominum: esset enim pudor corda tunc habere in terram abiecta. Eleuet itaque primus Sacerdos cor suum ad Deum; & reliqui sequantur, sua singuli eleuantes: non propriis viribus innitentes: quia sic non euaderent compotes voti; sed virtute Domini id iubentis. Iuxta dictum S. Augustini: illud, quod interius mysteria cor habere sursum iubemur, ipso adiuuante id valemus; qui iubente, admonemur. Et hoc spiritu licebit dicere: Da mihi, Domine quod iubes, & iube quod vis. Statim Sacerdos exhortatur adstantes ad gratias Deo agendas: cui respondetur iustum id esse: & ita ipse inchoat omnium nomine actionem gratiarum verbis teneris & amplissimis, dicens: *Verè dignum & iustum est, æquum & salutare: nos tibi semper & vbique gratias agere*: quemadmodum faciunt Angeli, Cherubini, & Seraphim quibus se omnes coniungentes, ipsorum Seraphinorum canticum dicunt quod audiuit Isaias; & quatuor animalium: quæ audiuit S. Ioannes, decentium: e *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Quibus concremur Trinitatem Diuinarum Personarum, & perfectionem, de qua maximè gloriantur: hoc est earum sanctitatem. Nam (vt Sanctus Ambrosius ait) nihil preciosius inuenimus, quo Deum prædicare possimus, aut vt Sanctum appellemus. Cum hoc cantico coniungitur illud Hebræa plebis, *fcædentis ramos & sternentis in via*, cum Christum Dominum nostrum venientem in Ierusalem (vbi ipse postea obtulit cruentum suum ipsius Sacrificium) excipiebat *& clamabant dicentes: benedictus qui venit in nomine Domini.* Quæ verba addenda sunt in ipsa Missa, conijciendo oculos in aduentum, quo ipse Dominus vult ad Sacramentum venire, vt

d *Phil. 4. 6. In præfatione quid faciendum.*

De bono viduit. c. 17.

e. *Isai. 6. 3.*

Apoc. 4. 8. Li. 3. de Spiritu S. c. 18.

f. *Mat. 21. 8.*

ipso Sacrificio efferatur. Pro quo beneficio, ei benedicimus, petentes, vt suæ redemptionis fructum nobis applicet, & nos saluet.

§. II. *Canon vsque ad vltimam sacræ Hostiæ Eleuationem.*

Praecipva Missæ pars, quæ ad substantiam Sacrificij vsque ad eius communionem pertinet, incipit à Canone, hoc est à Regula, quæ seruanda est in eius oblatione: Qui vt Sacrum Concilium Tridentinum definiuit, nihil omnino continet, quod non maximè sanctitatem, ac pietatem quandam redoleat; mentesque offerentium in Deum erigat, vt cum eo coniungantur. Cum autem hoc spectet ad ipsos Sacerdotes: prius agemus de ijs, quæ illorum sunt propria; & postea de pertinentibus ad circumstantes,

I. *Pars prior Canonis quid dicat.*

In Primis, pars Canonis præcedens ipsam consecrationem, est oratio quædam deuotissima, habens omnes partes necessarias, vt sit perfecta. Is enim, quem Sacerdos orat, est Pater æternus, cum quo Filius & Spiritus Sanctus sunt vnus Deus: ac proinde, quod ab vno petitur, simul petitur ab altero. Præcipuus autem Mediator est Iesus Christus Dominus noster, Filius eius vnigenitus; cui etiam coniunguntur alij intercessores, inter quos commemoratur Virgo Sanctissima, Sancti Apostoli, & aliqui Martyres: & in genere omnes Sancti. Quæ petuntur sunt excelsissima: acceptatio scilicet Sacrificij, quatenus prouenit à Fidelibus illud offerentibus; & applicatio fructuum & effectuum eius ijs omnibus, pro quibus petitur & offertur: hoc est in genere pro tota & vniuersali Ecclesia, Summo Pontifice, Episcopo, Rege, & omnibus Fidelibus; nominatim pro assistentibus siue circumstantibus: permittitur præterea Sacerdoti, vt in ipso Memento oret nominatim, imò offerat Sacrificium pro quo volet: quod ei licet facere vocalitet sicut reliqua dicit, aut mente tantùm. Tunc enim non tam agit publicum Ecclesiæ Ministrum, quàm priuatam personam: potestque eum orandi modum sibi eligere, qui suam deuotionem magis excitet. In hoc Memento reuocandæ sunt in memoriam personæ, & necessitates, pro quibus Missa offertur: ad has septem illas reducendo. Vt in *primo* loco sint speciales necessitates eorum, pro quibus tenetur ipsam Missam offerre. In *secundo* autem necessitates Ecclesiæ, Hæresibus, Schismatibus, alijsque calamitatibus oppressæ. In *tertio* Ecclesiasticus Status, qui continet Summum Pontificem, Cardinales, Episcopos, Sacerdotes, &c. In *quarto* Status Religiosus. In *quinto* Status Secularis, in quo continentur Rex, Magnates, Iudices, Gubernatores & omnes Ciues, & nominatim loci illius, in quo Sacerdos habitat. In *sexto* necessitates parentum, fratrum, aliorum cognatorum, & amicorum: imò, vt charitas magis effundatur, etiam pro inimicis est orandum. In *vltimo* loco po-

Pro quibus Sacerd. Sacrific. offerre possit.

nũtur neceſſitates ipſiusmet Sacerdotis. Et in ſingulis his rebus applicari poteſt Sacrificium in tres fines, quod habet ad noſtram vtilitatem; hoc eſt in gratiarum actionẽ pro acceptis beneficijs; in ſatisfactionẽ pro admiſſis peccatis; & ad nouas gratias & beneficia impetranda; aut ad nos liberandos à malis ſpiritualibus, & temporalibus incommodis; aut ad conceden dum nobis augmentum contrariorum bonorum. Neque eſt cur in ordine omnium horum ſeruando hæreatur: potius enim ſpectanda eſt intentio offerentis; & Sacrificium per modum impetrationis eſt inſtitutum, & valet ad omnia.

modus offerendi ſacrum.

SATISFACTIO autem applicanda eſt illi, pro quo Sacrum ipſum offertur: abſque cuius tamen præiudicio, poteſt reliquis omnibus illud applicari in eo gradu, & eo modo, quo Dominus noſter nouerit id eri poſſe. Praxis autem talis eſſe poteſt: Pater æterne, offero tibi hoc Sacrificium vnitum & incorporatum ei, quod redemptor meus in nocte Cenæ, & in ipſa cruce obtulit; ad gloriam ſanctiſſimi eius nominis, & in gratiarum actionem propter omnia beneficia in me collata ab hora, qua mundum & me ipſum creaſti vſq; in hanc præſentem; & in ſatisfactionem pro omnibus peccatis, quæ admiſi à tempore quo peccare cœpi, vſque in hanc horam; & per infinita Jeſu Chriſti Domini noſtri merita ſupplex oro, vt omnia mihi peccata condones, & ab omnibus miſerijs meis ſpiritualibus & temporalibus eripias; concedas verò omnia bona corporis & animæ, quæ ad tibi magis ſeruiendum mihi expediunt; ac denique perſeuerantiam in gratia & amore tuo, donec ad tuam gloriam perueniam. Amen.

HVNC in modum poteſt eadem oblatio fieri pro re quacunq; ex ſuperius poſitis; deſcendẽdo ad particulares neceſſitates, quæ ampliùs premũt. Multò tamen erit commodius totam rem hanc expedire, cum ſe præparat Sacerdos ad Miſſam legendam, antequam illam inchoet; & poſtea in ipſo Memento remittere ſe ad ea, quæ præparauit: vt aliquid temporis ſibi ſuperſit, in quo poſſit mentaliter agere cum Deo ſuo, agnoſcens magnam ſuam miſeriam, & indignitatem; & offerens ſpirituale quoddam ſui ipſius Sacrificium, quo deſideret totum ſe in Diuinum ipſius Dei obſequium impendere; & eidem ſupplicans, vt ſpeciale dignetur ſubſidium det ad hoc ipſum opus ita præſtandum, vt illi placeat. Alium quendam modum oblationis proponemus inferius, cum agemus de precatione Dominica

2. *Conſecratio quib. affect. peragenda.*

ACCEDENTE iam tempore Conſecrationis, induere debet Sacerdos animum valde confidentem ac generoſum, cum magna tamen reuerentia coniunctum, quaſi qui ipſiuſmet Chriſti Domini perſonam gerere debeat. Prolatis verò Conſecrationis verbis, debet oculis Fidei penetrare

ad

adid quod latet in ipsa Sacra Hostia, quam manibus tenet. Et quamuis tunc non sint exterius verba proferenda, præter illa quæ in ipso Canone designantur. licebit tamen internè cum ipso redemptore loqui variis modis & affectibus: nunc sicut sanctus Petrus mente cogitando: a *Tues Christus Filius Dei vivi*; nunc sicut Sanctus Thomas: b *Dominus meus & Deus meus*; aliquando sicut pueri Hæbræorum: c *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Et Potsibile est, quod ego in manibus meis Saluatorem meum habeam? vnde mihi tantum boni, vt in manibus meis eum habeam, qui me tenet in suis? Si adeò beatus censetur fuisse Simeon, quòd in vlnis suis Saluatorem infantem acceperit: quomodo non ego hoc nomine felicissimus ero, qui in manibus meis eum habeam, qui est in cœlo? Cùm aurem Sacram Hostiam manu tenens, genua flectit: Dominum hunc adorare debet adeò profunda reuerentia, vt cor suum vsque ad ipsam abyssum humiliet, quasi desiderans, in terræ profundum descendere, ob tantæ Maiestatis reuerentiam. Et memor eius, quòd supra dicebamus, quòd Angeli descendant è cælo vt huic Domino in Sacrificio adsint: cogitare debet: in eo momento se circumdari Angelorum exercitu; & simul cum illis adorare & laudare communem ommium DOMINVM & creatorem.

Trid. Sess. 22 statim post canones

a *Mat. 16. 16.*

b *Ioan. 20. 28.*

c *Mat. 21. 9*

Et quando ipsam Hostiam Sacram sursum eleuat: id faciet, nunc cum sensu doloris, & lachrymis; memor Dominum eundem propter ipsius peccata fuisse in cruce eleuatum, & ab omnibus contemptum; nunc idem faciet affectu quodam gaudij, & gratitudinis, quòd ipsam Hostiam eleuet, vt honor ipsi Domino deferatur, & ab omnibus adoretur, quasi in compensationem præteritorum contemptuum. Aliàs potest etiam in memoriam reuocare, quod idem Dominus dixit: d *ego si exaltatus fuero à terra: omnia trahamad me ipsum*: & eundem Dominum orabit, vt dignetur ipsius cor à terra ad cœlum eleuare, vbi ipse ad dexteram: Patris sedet. Et aliàs cum Hostiam supra caput suum eleuat, profiteri debet magnam æstimationem, quam de ipso Domino habet, quem super ommia creata eleuat, iuxta Prophetiam superius allatam: *erit placenta tritici in capitibus Sacerdotum.* Præterea tanto amoris affectu Sacram Hostiam in suis manibus habere debet: vt sentiat aliquid doloris in corde, quod eam debeat in altari collocare: sicut virgo Sacratissima adeò tenero amore filium suum amplectebatur, vt vellet nunquam à se dimittere; nec quidem in præsepio, aut cunis collocare. Quamuis affectu summæ humilitatis, indignum se iudicans, qui illum in suis manibus teneat, ponat super Corporale. Eisdem verò pijs affectibus Consecratio & Eleuatio Calicis est peragenda.

Eleuatio quomodo peragenda.

d *Ioan. 12. 13.*

6. 3.

Secunda pars Canonis quid complectatur, & quid in ea faciendum.

ALTERA pars Canonis vsque ad Precationem Dominicam, est quædam alia pijssima oratio, quæ tria complectitur. *Primum* est, oblatio quædam eiusdem Domini, qui præsens adest in memoriam Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis eius ad cœlos: in qua orandus suppliciter est æternus Pater: vt Sacrificium hoc, qua parte à nobis procedit, accepta, sicut Sacrificium quod obtulit Abel, Abraham, & Melchisedech; & nostræ orationes per Sanctos eius Angelos in ipsius conspectu præsententur: vt omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur quotquot Diuini huius Sacrificij participes erimus. *Secundum*, quod illa oratio complectitur, est oblatio pro defunctis in purgatorio existentibus. Ideoque Sacerdos in secundo Memento, in quo defunctos commemorat, primo loco eum defunctum collocare debet, pro quo Sacrum celebrat; & postea suos parentes, amicos, & benefactores; & aliquando meminisse poterit animarum, quæ diutius in purgatorio patiuntur, aliquando earum, quæ sunt quasi desertæ, & pauciora habent suffragia, aliquando earum, quæ Deum vehementiùs amant, magisque anxiè eum videre desiderant; aliquando earum, quæ in proximo sunt vt liberenter, vt citiùs boni sui desiderij compotes fiant. Neque est alienum, vt in eodem Memento colloquatur aliquantulum cum Deo suo, ac denuò sese offerat eius obsequio; excitans in se affectus pios suprà insinuatos. *Tertium*, quod eadem oratio complectitur, est pia quædam petitio, quam Sacerdos pro se & pro omnibus facit. In cuius signum percutiens suum pectus, voce clara dicit illa verba: *nobis quoque peccatoribus*, supplex orans Deum, vt nos admittat in societatem & in partem Apostolorum, & Martyrum eius, quorum aliquos in particulari exprimit.

§. III. *Quid eodem tempore faciendum iis qui Missæ intersunt.*

VENIAMVS nunc ad eos, qui Missæ intersunt, vt sciant, quid sit sibi agendum à principio Canonis vsque ad Pater noster; neque enim decet eos interea esse otiosos. Cum enim & ipsi sint offerentes: debent Sacrificium ipsum offerre, & orare mente, aut etiam voce, vt libuerit: ita tamen, vt si voce orent, id faciant submissè: ne Sacerdotem ipsum aut quos propè se habent, impediant. Nam (vt S. Bonauentura ait) minus cauta & imprudens est oratio, quæ cum sit vna, multas impedit, & cum sit ipsa tepida feruentes retardat. Possunt igitur *primùm* in vtroque Memento Missam offerre pro eisdem personis, eisdem necessitatibus, & in eosdem fines, sicut faciunt ipsi Sacerdotes: quemadmodum suprà est dictum: est enim magnæ charitatis actus, pro omnibus orare. Et Apostolus omnibus Fidelibus loquebatur, cum dixit: a *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus*

In speculo. c. 10.

1.

21. Tim. 2. 1.

nimbus: pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt. &c.

Deinde possunt eodem tempore breues aliquas habere meditationes, & considerationes mysteriorum Passionis Christi: quæ ibi ob oculos nobis proponuntur. Quod si quotidie Sacro interfint: possent ipsa mysteria distribuere per dies hebdomadæ, hunc in modum. Die *Dominico* quisque consideret mysteria, quæ fuerunt in Horto, tristitiam scilicet Christi Domini nostri, Orationem ternam ad Patrem suum, Sudorem sanguineum, Apparitionem Angeli, & Cõprehensionem: ita vt breuem horum omnium commemorationem faciens, offerat æterno Patri, quod eo in loco eius Filius ei obtulit; & oret, vt nos participes faciat virtutum quas ibi exercuit; & bonorum, quæ nobis comparauit. *Feria Secunda*, consideret mysteria illius noctis, quæ gesta sunt in domo Annæ, & Caiphæ, vbi fuit velatus, consputus, colaphis cæsus, irrisus, & damnatus, quasi dignus esset morte. *Feria tertia* consideret, quòd fuerit deductus ad Pilatum & Herodem: vbi fuit pro stulto habitus, & alba veste, in contemptum & irrisionem indutus. *Feria quarta*, quòd fuerit minoris æstimatus, quàm Barrabas, & ad columnam flagellatus. *Feria quinta* consideret Coronationem spinarum, & *Ecce Homo*. *Feria sexta*, quod exiuerit baiulans sibi Crucem, in qua fuit affixus *Sabbatho* consideret reliqua in Cruce gesta, donec exspirauit Christus, & sepultus est. 2.

Mysteria Passionis in canone considerans.

Sed est tertius alius modus, vtiliter valde expendendi tempus illud: in præparatione scilicet ad spiritualem Communionem, quæ meritò fieri debet semper, cum assistitur Missæ. Quę præparatio præcipuè cõsistit in actib. perfectissimis triũ virtutũ Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis, circa præsens mysterium, & fructuũ qui ex eo proueniunt. Neq; enim aliud est spiritualiter communicare, quàm ipsum Christum Dominum nostrum talibus desiderijs & affectibus spiritualiter intra seipsum accipere: vt in ipso nostro spiritu affectus aliquos operetur eorum, quos efficit, cùm Sacramentaliter sumitur. Quem in finem meminisse oportet trium modorum, quibus Christus Dominus nostet sanitatem ægrotis conferebat, & alia miracula edebat. *Primus* enim modus erat, cùm tantùm volebat, aut iubebat fieri. *Secundus*, cùm transiret, tangens manu infirmum, aut permittens se tangi, vel saltem fimbriam vestimenti sui. *Tertius*, cùm ipsemet veniebat ad domum infirmi, aut ipsius auxilio indigentis, & ibidem aliquantulum permanebat. Eum in modum idem Christus Dominus noster in Eucharistia existens, potest necessitatibus nostris subuenire tribus aliis viis siue rationibus, modò adsit in nobis Fides, & fiducia in eius omnipotentia. Quamuis enim accedat, vt hospitio excipiatur ab ipso communicante: potest tamen vel sola sua voluntate locupletare aspicientem ipsum, aut tangentem. Hoc præiacto fundamento, tempus, ante ipsam e- 3.

Tribus modis Chr. in Euch. existẽs pot. necessit. humanis subuenire.

leuationem, expendendum est in edendis & concipiendis feruentibus desiderijs Dominum hunc videndi: eum in modum, quo Regem venturum & ciuitatem ingressurum omnes auidissimè expectant. Et tunc alia verba & sententiæ dici possunt, quas antiqui Sancti Messiæ aduentum expectantes, dicebant: b *vtinam dirumperes cœlos, & descenderes!* veni Domine & noli tardare, vt dimittas peccata populi tui: c *ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Quando Sacra Hostia eleuatur exercere debet fides egregios suos actus, credendo, venerando, & adorando Dominum in ea latentem, atque si corporis oculis ipsum videret; ac dicendo: *Tu es Christus filius Dei viui, Deus meus & Dominus meus,* qui ad hoc Sanctissimum Sacramentum venisti: ego te adoro Saluatorem meum, & benedico, ob immensam gloriam cum qua venis, licèt tectam & occultam. Spes etiam suos actus exercere debet, sperans, quòd vel talis aspectus sufficiat ad hoc, vt spiritualibus benedictionibus repleatur. Et quemadmodum c *percussi a serpentibus* valde soliciti & auidi accedebant, vt *aspicerent serpentem æneum,* pendentem in ligno quodam: quia illo aspectu sanabantur: ita qui Sacro interest debet cum huiusmodi affectu aspectum expectare illius Domini, qui in altum est eleuandus, ad præsentandam eius in cruce eleuationem; & credere & confidere de eius Omnipotentia quòd hoc solo possit ipsum saluare: & cum hac fide potest dicere illud Dauidis: d *Dic animæ meæ: salus tua ego sum*: id enim sufficiet, vt sanetur anima mea. Charitas etiam exercere debet actus suos, nunc dolendo quòd suis peccatis in causa fuerit, cur dilectus hic suus fuerit in cruce eleuatus, totumque sanguinem suum effuderit, nunc gaudendo, quòd omnes eum adorent, & reuereantur; tum optando ipsum in viscera sua transmittere; & cogitando, hunc Dominum ipsi dicere illud canticorum e *surge, propera amica mea, columba mea & veni ad foramina petræ*, vulnera scilicet mea, & habita in *cauerna maceriæ* scissura scilicet lateris & cordis mei: cui magno affectu respondere potest: f *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam,* intra ipsũ cor tuũ! O dulcissime Iesu, qui in altari lates, immenso plenus igne, proijce prunam aliquam in animam meam, vt eam purificet, accendat, & amore tuo inflammet adeò, vt possit esse digna tui habitatio. His & alijs similibus affectibus expendi potest reliquum tempus vsque ad precationem Dominicam: aspiciendo ipsum Christum Dominum nostrum in altari existentem, & exercendo tres actus Sacrificium comitantes: nunc affectibus actionis gratiarum, nunc satisfactione pro peccatis, ac denique recentium gratiarum petitione.

b. *Isai.* 64. 1.
c. *Psal.* 84. 8.
In eleuatione quid agẽdum.
c *Num.* 21. 9.
d *Psal.* 34. 3.
e *Cant.* 2. 10.
f. *Psal.* 54. 7.

CAPVT XIII.

PRECATIO DOMINICA, ET SEPTEM BREVES Considerationes, pro ipsa Missa.

POST SECVNDAM Sacræ Hostiæ eleuationem, dicitur à Sacerdote Precatio Dominica, ex traditione Apostolorum, quos ait S. Hieronymus, id à Christo Domino nostro didicisse: cuius authoritate ac doctrina audemus illam dicere, sicut hic constituit Ecclesia.' Estque optima occasio id hic faciendi: in septem enim petitionibus huius orationis continentur summatim res omnes à Deo petendæ, & ad quarum impetrationem Sacrificium Missæ est offerendum. Et ipsemet Christus orat cum Sacerdote, & cum reliquis illam dicentibus. In Ecclesia Græca omnes circumstantes eam dicunt, vt S. Gregorius testatur: in Latina autem solus Sacerdos, nomine omnium, cuius signum est quod Minister omnium nomine respondeat vltimam petitionem. Estque valde conforme spiritui Christi, vt omnes eandem orationem cum Spiritu dicant: perpendentes & sentientes ea, quæ petunt; & offerentes ipsam Missam ad ea impetranda. *Primum*, vt nomen Dei Trini & vnius, & nomen Iesu Christi sanctificetur in toto mũdo; & credatur, & venerationi sit omnibus etiam infidelibus; ei seruiatur, & adoretur opere ipso ab omnibus Christianis, & sanctificetur ab omnibus iustis in terra, sicut fit ab Angelis in cœlo. *Deinde*, vt eius regnum ad nos perueniat, ita vt ipse in omnibus regnet per gratiam & charitatem, & omnes regnent cum ipso in regno cœlorum, glorificati in animabus & corporibus. *Tertiò* vt eius Diuinam voluntatem exequamur quoad omnia præcepta & consilia, cum ea puritate & perfectione, qua id Angeli & Sancti in cœlo præstant: conformantes nostram cum ipsius voluntate in rebus omnibus, prosperis & aduersis. *Quartò*, vt nobis hodie quotidianum panem & ordinarium largiatur, pro anima & corpore: præcipuè tamen animæ refectionem per vias & modos, quos ipse Dominus nouit; & speciatim per Sanctissimũ hoc Sacramentum, quod iam præsens est; & verus panis est supersubstãtialis, quo ipse nos alit. Cum autem dicimus: *da nobis hodie*, videmur petere, vt in ipsamet MISSA panem hunc nobis det Sacramentaliter, aut saltem spiritualiter, communicando nobis ipsius Sacramenti fructum. *Quintò*, vt nostra omnia debita dimittat, tam culparum, quàm pœnarum: quarum propter illas rei sumus, modo superiùs dicto. *Sextò*, ne permittat nos labi aut impingere in tentationes, quibus Dæmon, mundus, & caro nos oppugnant;

Lib 3. contra Pelagianos.

Lib. 7. Epist. 63. In oratione Dominica quid petendum.

1.

2.

3

4.

5

6.

oppugnant; sed potiùs ita nobis auxilio suo adsit, vt cum vtilitate eas euadamus. *Septimò*, vt nos ab omni malo corporali & spirituali, temporali & æterno eripiat ac liberet. Quod magis exprimit adhuc Sacerdos subiungens statim secretam quandam orationem, qua petit, vt *nos liberet ab omnibus malis præteritis, præsentibus & futuris.*

Sept. breues considerat. in præparat. ad miss.

AD HOS septem fines potest ac debet dirigi Sacrificium Missæ & orationes, de quibus licet facere septem breues considerationes, ad Missam benè audiendam; distribuendo illas per septem hebdomadæ dies alpicientes Dominum nostrum cum septem excellentiis, quas septem hæ petitiones nobis ob oculos ponunt.

bene ad aptand. considerat. accommodata.

1. *Christus D. N. consideran vt Sanctiss.*

DIE Dominico considerandus est Christus Dominus noster in Sanctissimo Sacramento, quà Sanctus est, & ipsamet Sanctitas cum omnibus virtutibus ac perfectionibus, quas complectitur: propter quas dignissimus est, qui ab omnibus sanctificetur, & Sanctus habeatur. Ac propterea optandum, vt omnes illum sanctificent; & ex animo gaudendum quòd plurimi id faciant. Supplicabis etiam, vt partem aliquam suæ Sanctitatis tibi largiatur, qui dixit: a *Sancti estote: quoniam ego Sanctus sum;* Cùm igitur ipse ad Sacramentum veniat cum tota sua Sanctitate, vt eam ipsum suscipientibus communicet: titulus is tibi erit magnus, vt petas, te ab eo sanctificari. Profer quoque quod vltima cœna ipse dixit æterno suo Patri b *Pro eis Sanctifico ego meipsum, vt sint & ipsi Sanctificati in veritate.* O Saluator mi qui in hac ipsa Missa te sanctificas, & in Sacrificium offers: me quæso sanctifica sanctitate, quam habes: vt sanctitas mea sit in veritate, & in omnibus valde similis tuæ, vt cum ea glorificem & sanctificemur.

a *Leuit. 11. 44.*

b *Ioan. 17. 16.*

2. *vt Rex.*

FERIA secunda licet eundem Dominum in Sacramento intueri quasi Regem, venientem cum toto suo regno, vt ingrediatur in ipsum communicantem. Perpendes autem stupendas huius Regis proprietates, sapientiam bonitatem, affabilitatem, & liberalitatem, qua subditos suos regit & innumeris eis confert beneficia: Ac propterea dum venit, ducit secum suum regnum: quod est *iustitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto*: quod statim communicat, vt sit pignus quoddam & cautio, quòd suo tempore etiam sit daturus regnum ipsum gloriæ. Et in virtute huius Sacramenti impletur, quod ipse dixit: d *regnum Dei intra vos est.* O Rex supreme, cum tu ipse intra nos sis: certum est, & regnum tuum simul intra nos esse. Cùm igitur, vbi Rex est etiam sit aula Regia: aulici quoque tui cœlestes recum proeul dubio aderunt. Veni quæso Domine in animam meam; vt in eam ingressus, in tuo eam regno colloces, & ipsa tecum regnet in æternum. Amen.

c *Rom 14. 17.*

d *Luc. 17. 21.*

3. *vt omnia Creator.*

FERIA tertia eundem Dñm licet aspicere in Sacramento, tanquam absolutum cœlorum & terræ Dominum, cuius volũtari omnes subijci debent;

eò quòd

eò quòd ita sit vniuersalis omnium Creator, vt ab eo omnia accipiant esse quod habent. Debes itaque hærere in considerandis huius Domini proprietatibus, cuius Dominium non tyrannicum est, sed paternum; non graue, sed suaue, non iubet aliquid impossibile, sed quod facile est, & iucundum. Nam ipsemet auxilium præbet ad exequendum: & quamuis libenter videat omnes exequi ipsius voluntatem: id tamen facit ob nostram vtilitatem: eò quod voluntas eius regula sit totius Sanctitatis; & admirandis præmiis seruos illos remunerat, qui eam cum perfectione implent, sicut in cœlo impletur. Ac propterea ipse è cœlo descendit in Sacramentum: vt qui illum recipit in ipso Sacramento, viuat, sicut qui sunt in cœlo. O Domine Deus virtutum, aptè nunc mihi licet dicere: *fiat voluntas tua in terra, sicut in cœlo*: quandoquidem præsentiâ hac tua in cœlum eos conuertis, qui degunt in terra. Veni ò Domine vt me in hominem transformes cœlestem: vt ita voluntatem tuam faciam, sicut Spiritus faciant cœlestes.

Feria quarta licebit eundem Dominum aspicere, tanquam vniuersalem omnium creaturarum prospectorem, qui admiranda sua prouidentia vnicuique suum præbet necessarium alimentum, e *aperiens manum suam, vt impleat omne animal benedictione.* Attende & considera proprietates supremæ huius prouidentiæ, qua Deus omnibus dat hoc alimentum etiam vilissimis, & nullo prorsus excluso; datque omnibus diebus nullo excepto; & ita liberaliter, vt multum adhuc supersit; nec solùm animæ, sed etiam corpori, cum ea proportione, quæ conuenit vnicuique. Considera item infinitas excellentias panis huius, quem hic habes præsentem; quem etiamsi valde pretiosum, vult tamen esse ordinarium tuum alimentum: ac propterea illum vocat *panem quotidianum.* Adeòque est benigna & humana eius prouidentia, vt ipsemet illum adferat, te inuitet, & sit ipsum conuiuium, & seipsum tibi tradat in Sacramentum; manuque propria sua animæ tuæ præbeat refectionem necessariam, vt viuere possit. f *Respicite* (inquit) *volatilia cœli, & g coruos quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* O Pater cœlestis, hic video, quàm multum me ames, & quanti facias: siquidem mihi non serenti, neque metenti, neque horrea habenti, panem hunc vitæ è cœlo mittis. Tu Domine illum in terra seminasti, & morte messuisti, & in cœlestibus horreis collocasti: & inde quotidie ad me mittis, vt sit meum nutrimentum! Benedicta sit Paterna tua prouidentia: per quam supplex oro, vt ita me disponas, vt eius fructu frui possim.

Feria quinta, consideranda est quinta petitio, & aspiciendus hic Dominus in Sacramento tanquam mundi Redemptor, ad quem spectat di-

4. *vt benignissimus omnium prospector.*

e *Psal.* 144. 16.

f *Mat* 6.26. g *Luc.* 12.24

5. *tanquam mundi Redemptor.*

In Eucharistia sacra. omnia Chr. merita sunt recondita.

tere omnia peccata, & soluere debita nostra. Perpendenda itaq; est ... piosa eius redemptio, propter infinitum precium Sanguinis sui, quem ... cruce pro nobis effudit cum immenso amore & dolore. Hoc autem ... tum precium tanquam in deposito est in precioso sanctissimi huius Sacrificij & Sacramenti scrinio: in quo sunt recondita merita & satisfactio... ipsius Saluatoris. Ex quo tantum est tibi accipiendum, quantum sufficit ad omnia tua debita exsoluenda. Vt autem doceret te quantum referat, ... dimittere tuis debitoribus, vt ille tua peccata ac debita dimittat; ipse ... cessit hoc exemplo. Quando enim erat in cruce, exsoluens omnium debita: ipse, quantum in se fuit, dimisit inferentibus sibi iniuriam; dixi... æterno suo Patri: h *Pater ignosce illis, non enim sciunt, quid faciant.* Hoc ... ritu assistens huic Sacrificio, dicere poteris Deo magna cum humilitate ... fiducia: *dimitte mihi Domine debita mea*: pro quibus Redemptor meus ... soluit: & ecce precium nunc tibi offero, quod ipse mihi, ad ea soluendum dedit. Ego ex corde meis debitoribus omnia dimitto, sicut ipse dimisit ... vt & tu mihi dimittas, & ab omnibus meis culpis ac pœnis liberum faciat. Amen.

h Luc. 23. 34

6. tanquam Dux protector & adiutor

FERIA sexta considerationis argumentum erit sexta petitio: aspicias ergo illum tanquam Ducem, Protectorem, & Omnipotentem adiutorem: contra cuius potentiam nec Dæmon, nec totus infernus, nec mundus nec caro præualere poterunt. Machinæ tentationum, & certaminum eorum, euanescunt tanquam fumus coram ipsius Omnipotentia, & ... Diuino Sacramento: cuius virtus præbet arma offensiua ac defensiua contra eas. De ipso enim intelligitur illud Prophetæ; i *Deus ab austro venit & Sanctus de monde Pharan*: *cornua*, siue arma & instrumenta potentiæ suæ, *in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius*: *ante faciem eius ibit mors. Et egredietur Diabolus*, totus confusus & calcatus, *ante pedes eius*. Et quid mirum, quòd fugiat ex Missa, in qua repræsentatur memoria ipsius destructionis & fugæ? præcipuè cum in ipso Sacramento sit idem ipse, qui ipsum vicit, & fugere coegit. Qui in manibus suis seruat vulnera, quibus illum vicit; & fortitudinem retinet, qua illum subiugauit; nec potest absque ipsius voluntate, eius electos tentare, aut aggredi; quare ab eo petes, ne permittat te adeo tentari, vt succumbas.

i Habac. 3. 3

Dæmon per missam fugatur.

7. vt est sũmè misericors.

SABBATHO eundem Dominum aspicies, quà est summè misericors & potens ad eruendũ te ab omni genere mali, & miseria præterita, præsenti, ac futura: nullo ex parte ipsius termino, aut limite constituto. Vt autem ad Sacramentum, vt erga te exerceat opera misericordiæ. Visitat enim te tanquam ægrotum, vt te sanitati restituat; induit tanquam nudum gratia sua; pascit te corpore & sanguine suo, tanquam esurientem & sitientem; redimit te à passionibus tuis, à quibus captiuus tene...

batis; docet te, tanquam ignorantem; parcit tibi, tanquam peccatori; & pro te orat, tanquam tali subsidio indigente. Et in omnibus tuis necessitatibus habes hic, quasi aduocatum & misericordem Patrem: qui commiseratione tui motus cupit ab eis te liberare. Quare magna cum fiducia dicere ei potes, vt ab omni te malo liberet, cum ipse sit fons omnis boni.

CAPVT XIV.

RELIQVA PARS MISSÆ VSQVE AD EIVS FINEM, & gratiarum Actionem.

DICTA PRECATIONE DOMINICA, DIVIDIT, SACERDOS Sacram Hostiam; cuius paruam particulam mittit in calicem: in signum, quòd in die Resurrectionis Domini coniunctus est Sanguis eius corpori Et quemadmodum Hostia, quoad accidentia panis, est res sicca; imbibens que accidentia vini humectatur: ita Iustus cùm communicat, inuisceratur modo quodam nouo, cum Christo; & participat feruorem deuotionis, & amoris, quem vinum significat. Et hoc spiritu facienda est hæc cæremonia, vt fructum & vtilitatem nobis adferat. Statim postea dicit Sacerdos *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi miserere nobis*; & *dona nobis pacem*. Quæ oratio est deuotissima & ad communionem præambula: quam meritò etiam dicent circumstantes, propter spiritualem suã communionem, eliciendo actũ Fidei circa eam veritatem, quòd qui ibi est, sit verè Agnus Dei, & Filius Dei viui: cuius carne & sanguine nutrimur; cuius lana, quæ est eius Charitas, induimur; eumque Patri offerentes, ipsum placamus: quia ipse est, qui se in cruce eidem obtulit pro peccatis mundi: sibique retinuit semper hoc officium, & conseruat Agni mansuetudinem; vt animum nobis addat, ad petendam ab eo misericordiam, & pacem. Ter autem repetitur hæc oratio: vt discamus, quàm instanter agere apud ipsum Dominum debeamus, quando aliquid, ab eo petimus. Eodem Spiritu accipiens Sacerdos Sacram Hostiam in manu, dicit etiam ter: *Domine non sum dignus* &c. & ita confitetur suam indignitatem, ad suscipiendum tantum Dominum: simul tamen eiusdem Domini confitetur Omnipotentiam, cùm ait, *tantùm dic verbo*, & *sanabitur anima mea*. in cuius orationis affectu fructus consistit Cõmunionis spiritualis: quod videre licet in eo, quod euenit Centurioni: qui primus hæc verba dixit Christo, offerenti se ire ad eius domũ a *vt puerũ eius*

1. *Communionis fructus.*

2. *Ad Agnus Dei, quos actus elicere oporteat.*

3. *Item, Domine non sum dig.*

2. Mat. 8. 7.

sanaret;

sanaret; cuius fidē & fiduciā vidēs, Christus dixit: *vade, & sicut credidisti fiat tibi.* Et sanatus est puer in illa hora. Hunc in modum qui Missæ interest simul cum Sacerdote verba illa dicere debet: exercendo actus Fidei, Spei & Charitatis; valde optando, hunc Dominum ingenti cum amore excipere attendendo ad infinitam eius bonitatem; & ingens bonum, quod tanto hospite in domum suam excepto, sibi poueniet; ex alterata tamen parte se se contrahendo, & humiliando, agnoscens propriam indignitatem & miseritatem. Et quasi medium quoddam accipiat, ad simul exhibendam debitam tantæ maiestati reuerentiam, & propriæ necessitati prospiciendam accedit Spes, dicens ipsi Domino: *Dic tantum verbo, & sanabitur anima mea*, nam quod re ipsa accedens sub tectum meum perficeres, verbo idem præstare poteris. Et ita sicut Christus Dominus noster non intrans in domum Centurionis, contulit eius puero integram sanitatem: atque si verè fuisset ingressus: ita euenire potest, vt tanto Spiritûs feruore hanc facias Spiritualem communionem: vt tantùm gratiæ augmentum promerearis, quantum ipse Sacerdos recipit ex communione Sacramentali: propter quam tamen, si ille similem haberet dispositionem, copiosiorem reciperet gratiam

Luc. 7. 6.

Tres considerationes ad cōmun. cum suis affectibus.

EX HIS omnibus deducitur, tres considerationes facere Communionem Spiritualem cum affectibus ab eis prouenientibus. *Prima* consideratio est, magnitudinis & amplitudinis Christi Domini nostri, quà est Deus & homo, Redemptor, ac benefactor noster, adiunctis feruentibus desiderijs eum recipiendi: vt cum ipsius spiritu nostrum coniungamus. *Secunda*, est innumerabilium nostrarum miseriarum: ob quas supremo hoc beneficio indigni sumus: adhibitis affectibus humilitatis, & reuerentiæ, excitato in nobis desiderio, vt tales simus, quibus liceat facultatem petere ipsum recipiendi. *Tertia* est, infinitæ liberalitatis, misericordiæ, & omnipotentiæ huius Domini, quæ non est Sacramentis alligata, cùm nos non negligimus illa recipere: ideòque confidere debemus, posse ipsum nobis, qua via & modo voluerit, subuenire; quod vt faciat, petemus ab eo feruentibus orationibus, nosq; in eius manus cū integra resignatione proijciemus. Et hac ratione paulatim disponitur magis cor nostrum ad recipiendum hoc Diuinum Sacramentum, eiusque fructus plenius colligendos. In primæua enim Ecclesia fideles quotidie communicabant in Missa de manu Sacerdotis celebrantis, postquam ipse communicauerat: interim cantabatur Psalmus aliquis, cuius loco nunc dicitur versus aliquis aut sententia, quæ appellatur *Communio*. Et Sanctum Concilium Tridentinum dicit, se optare, morem illum antiquum ita renouari, vt in singulis Missis Fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali eiusdem Eucharistiæ perceptione communicent: quod si id semper fieri non possit

test expedit certè, vt primum, quod de spirituali communione dictum est, semper fiat.

Actio gratitarum.

Peracta Communione, reliqua Missæ pars dirigitur ad gratiarum actionem,& petendum à Deo Domino nostro fructum,bonumq; accepti Sacramenti vsum;& imponitur finis verbo illo: *Deo gratias*,quod bis repetitur: semel,cùm Sacerdos dicit: *Ite, Missa est*:aut: *Benedicamus Domino*;& iterum finito Euangelio Sancti Ioannis. Nam (vt SS. Dionysius & Augustinus dicunt) actio gratiarum debet esse finis,& conclusio Sacrificiorum,omniumque Sacrorum operum: quare etiam Sacerdos, finita Missa, dicit priuatim canticum: *Benedicite omnia opera Domini Domino*: quo inuitat omnes creaturas cœli & terræ, non solùm Angelos, Sacerdotes, & Iustos; sed etiamSolem,Stellas, Elementa, & res insensibiles: vt omnes Deum laudent pro beneficio adeò insigni, quo nos afficit; suppleantque debilitatem nostram in reddendis gratiis pro dono adeò glorioso. Hoc facit Sacerdos tanquam publicus Ecclesiæ Minister; tanquam persona verò priuata decet vt seorsim se colligat ad agendum cum Domino, quem intra se habet: vt tunc expleat consilium Euangelicum Christi Domini dicentis: a*cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito*: qui est in cœlis, & manet etiam intra cor tuum, videns & audiens quid agas: & quodamplius,paratus etiam est te inducere, docere,& auxilium præbere ad orandum, sicut oportet. Meminerit Sacerdos se,cùm communicat in Missa, repræsentare sepulchrum Christi Domini nostri: Et quemadmodum,sepulto eo, occluserunt & b *munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus*: ita qui communicat estque viuũ sepulchrum Christi viuentis: statim atque ipsum intra se accepit, debet huius sepulchri portas occludere, & obsignare;suas scilicet facultates & sensus; ne quid ingrediatur, quod ipsius pacem impediat, aut turbet; Sanctosque Angelos oret, vt custodum officio fungantur, repellendo quæcumque ipsum possunt turbare. Et sic intra suum sepulchrum, hoc est ad sua interiora ingressus, suas cogitationes, & affectus in eo Domino ponat,quem intra se, non mortuum habet sed viuentem, incipiatque cum eo agere humiliter & confidenter. Et inprimis gratias ex corde agat, ob collatum sibi beneficium, quo tali visitatione indignum visitare ipse dignatus est: deinde proponat ei valde minutim & exactè omnes suas necessitates, vt eas dignetur reparare; & supplex oret, ne illis non reparatis, à se discedat. Tertiò, nouas petat gratias ad ipsum magis diligendum. eique seruiendum. Et super omnia hæc in eius conspectu & cum ipso conquiescat cum affectu amoris, gaudij, & complacentiæ, quasi dicens: c *inuenì quem diligit anima mea, tenebo eum nec dimittam*.Et d *luctetur cum eo*,sicut alter ille

4

Eccles. Hierar. c. 3. Epist. 59 q. 3

Collectio & exercitium Sacerd. post Missam.

a *Mat. 6. 6.*

b *Matth. 27. 66.*

c *Cant. 3* 4

d *Genes. 32. 24.*

ter ille Iacob, *donec ipsi benedixerit*, *& nomen mutauerit*, vt vocetur in posterum *Israel*, quod significat: qui videt Deum, diuinam scilicet faciem per contemplationem quietam & tranquillam: nulla enim est melior occasio, quàm hæc: ideoque non decet eam præterire. Possunt etiam hic renouari considerationes prædictæ pro præparatione, singulis diebus vnum accipiendo; ad eumque Dominum dirigendo, qui præsens adest: vt affectuum ignem in eius præsentia foueant. Et hoc propriè diuina scriptura appellat e *ruminare*, quod proprium est animalium, quæ Lex mundam putabat. Ruminare enim est eundem cibum dentibus conterendo, qui integer & crassus fuerat ingestus, secundò comedere. Ideoque qui hunc panem vitæ Sacramentaliter sumpsit: meritò iterum Spiritualiter comedet ruminando, & consideratione comminuendo cibum, quem sumpsit vt maiorem ex eo suauitatem, & vtilitatem percipiat. Hoc enim Diuinum Sacramentum est f *vinum* illud *optimum*, quod cœlestis sponsus *dignum* indicat suis *dilectis*, *ad potandum*, *labiisq; & dentibus* illorum *ad ruminandum* excitando scilicet molles & pios affectus, sed constantes ratiocinationes ad eius admirandam suauitatem degustãdam & penetrandam. Si idolorum cultores magnique peccatores (vt ait Oseas Propheta) *super triticum & vinum* quod comedunt & bibunt, *ruminant*, vt sese ex eo oblectent; & (vt Septuaginta interpretes vertunt) *sese concidunt*, hoc est pungunt & sanguinem extrahunt, sicut h *Sacerdotes Baal* (qui incidebant se cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine) gratias suis idolis agentes, propter panem & vinum, quod putabant se ab ipsis accepisse: multò æquius erit Fideles & veros Dei ministros ruminare cœlestem istum panem, & vinum & gratias agere tanti beneficij largitori, offerentes ei, si opus erit, sanguinem proprium in gratiarum actionem pro dono adeo precioso.

e Leui. 11. 3 *Spiritualis Euch. ruminatio.*

f Cant. 7 9

g Osea. 7. 9. Ribera ib.

h 3. Reg. 18. 8.

IN eundem finem multum etiam conferunt sententiæ quædam aliquorum Psalmorum benè perpensæ: nominatim, quæ sunt in Psalmo 102 qui sic habet: *Benedic anima mea Dominum, & omnia, quæ intra me sunt, nomini Sancto eius.* Cum igitur nunc intra meipsum sit Saluator: ipsemet seipsum benedicat, & sanctum nomen suum laudet ob insignia beneficia, quæ mihi largitur. Quæ prosequitur ipse Psalmus, ea exprimendo, quæ sunt effectus huius Sacramenti & Sacrificij, & ita ait: *Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*: deinde: *sanat omnes infirmitates tuas*: Tertiò: *redimit de interitu vitam tuam*: Quartò: *coronat te in misericordia & miserationibus*, quibus te vndique circumdat, & insignes victorias obtinere facit. Ac denique: *replet in bonis desiderium tuum: & renouabitur vt Aquilæ inuentus tuus*, & tui spiritus vigor. Pro quibus omnibus beneficijs, Domine, infinitas tibi reddo gratias, supplexque oro, vt larga manu eas mihi applices, qui

i Psal. 102 1. *Effectus Communionis.*

semper

semper tibi seruiam;& crescente beneficio, animi mei gratitudo etiam crescat. Ad idem spectat initium Psalm. 106. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* circa quem perpendenda primùm est miseria nostra, quæ ob oculos proponitur cùm dicit: *esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit*: in omnibus enim rebus temporalibus miseræ huius vitæ, nihil est, quod famem & sitim nostram satiare possit: ideoque necesse est nos perire, nisi Deus subueniat. Sed in hoc Diuino Sacramento omnino nos satiat. Quamobrem: *confiteantur Domino misericordiæ eius; & mirabilia eius filiis hominum. Quia satiauit animam inanem: & animam esurientem satiauit bonis*: quod facit in Diuino hoc Sacramento, quod infinitas continet misericordias, & mirabilia. quæ omnia ipsum laudant, qui ea fecit, & facit in cõmodum filiorum hominum; qui & ipsi eundem laudent, & benedicant propter accepta ab eo beneficia. Est quoq; aptissimus in eundem finem Psalmus 115. quem Sacerdos postquam Sacram Hostiam sumpsit, antequam sumat Calicem dicit. Nam subsistens aliquantulum in considerandis bonis, quæ cum sacratissimo Christi corpore accepit: in eam postea sententiã magno affectu erumpit: k *Quid retribuam Domino pro õnib⁹, quæ retribuit mihi?* Cũ in hoc solo Sacramento omnia contineantur; eò q̃ sit summum bonum, in quo omnia bona latent. Et sacrum Calicem, accipiens, quasi respondeat sibi interroganti: *Calicem*, inquit, *Salutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo.* Sanguinem scilicet preciosissimum, qui in hoc Salutis meæ calice continetur, accipiam, in gratiarum actionem pro innumeris bonis, quæ cum Sanctissimo suo corpore mihi est largitus. Et quoniam cum ipso Sanguine eadem bona recipio, ac propterea est singulare omnino beneficium: pro vtroque laudabo semper sanctum eius nomen, & cupio, vt totus mundus ipsum laudet, ac benedicat: & cum Angelorum Hierarchijs nouum illud canticum cantet in honorem huius Sacrificij, quod eius mortem repræsentat: l *dignus est Agnus, qui occisus est,* (& qui hic immolatus est) *accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & gloriam, & honorem, & benedictionem, in secula seculorum, Amen.*

Luc. 7. 6.

k Psalm. 115. 12.

l Apoc. 5. 12.

CAPVT XV.

VALDE SANCTAM ET VTILEM ESSE DEVOTIONEM legendi, & audiendi Missam.

Excelsiss. & vtiliss. est sacrif. Missa.

INTER Omnes Ecclesiæ Catholicæ deuotiones nulla excelsior, sanctior, vtilior est, ac iucundior; quàm quòd Sacerdotes quotidie Missam legant, & reliqui illam audiant: quamuis pro Sæcularibus excipiendus sit vsus Sanctorum Sacramentorum Confessionis & Communionis Sacramentalis, qui illis est maior & vtilior.

AD CVIVS exactiorem intelligentiam præsupponendum est: inter alias legis gratiæ excellentias, eam esse valde admirabilem, quòd in Sacrificio summam præstantiam cum summa frequentia coniungat. Nam in mundo omne pretiosum, vt dicitur, est rarum; & quod commune et ordinarium, solet vilescere, & contemni. Et in antiqua lege Agnus Paschalis, qui (vt Sanctus Thomas ait) est expressissima Diuini huius Sacrificij & Sacramenti figura: quia omnes illum sacrificabant & edebant, non offerebatur nisi semel in anno, & a *Ierosolymis* tantùm, confluentibus ad eam in eum finem Hebræis totius regionis. At noster Agnus Paschalis Christus Iesus in omni loco & tempore; in omni templo, & quotidie sacrificatur & sumitur. Et omnes Christiani interesse possunt Sacrificio & preciosam hanc oblationem comedere. Olim b *Summus Sacerdos* semel tantùm *in anno ingrediebatur in Sancta Sanctorum*, vbi erat Propitiatorium ad *orandum pro se, pro familia sua, & pro omni populo*; offerens Sacrificium Thymiamatis, quod ponebat super prunas: & nullus hominum poterat cum eo ingredi, aut assistere ei, quod ille faciebat. Nunc autem quilibet Sacerdos etiam ex minoribus potest quotidie ingredi in Sancta Sanctorum Ecclesiæ, & orare coram Propitiatorio, Christo Iesu, pro se & pro toto populo, licetque alijs ipsum comitari, & omnibus Fidelibus et assistere. Quod si Christus Dominus noster voluisset, vt ipsius, dona eò quòd rara essent, pluris fierent; & constituisset vt cœleste hoc Sacrificium semel tantùm in anno offerretur, aut in vna tantùm Christianitatis ciuitate, aut in vno tantùm templo cuiusuis ciuitatis: aut per vnum tantùm Sacerdotem: omnes contentione quadam confluxissent die illo ad præscriptum locum, vt viderent & fruerentur adeo precioso dono, & millies felicem eum iudicassent, cui talis sors contigisset, vt in Sacerdotem eligeretur ad tale Sacrificium offerendum. Infinita tamen eius charitas noluit hos terminos & limites dono suo, etiam preciosissimo, præscribere; sed genera-

3. p. q. 73. a. 6.

a Deut. 16. 5.

b Leuit. 16. a. 17. Heb. 9. 7.

ter

lem facere potestaem, vt quotidie eius possent esse participes. Ac propterea Sacrificium hoc in præsentia duodecim discipulorum suorum obtulit dicens eis: c *Hoc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Quibus verbis apertè satis significauit, se potestatem eis facere, sæpè idem faciendi non constituto numero, aut limite: imò inuitabat, & prouocabat, vt Sacrificium hoc quotidie offerrent, vt ei placerent, & explerent eius desiderium: & continuam eius memoriam seruarent: quò reciprocum erga eum amorem ostenderent.

c 1. Corint 21. 25.

Iubebat in antiqua Lege Deus, d *offerri sibi iugiter per singulos dies agnos anniculos duos: alterum mane, alterum vespere, & decimam partem similæ* hoc est floris farinæ purissimæ, *conspersæ oleo tuso; & vnam mensuram vini in agno vno*; & hoc *fieri super altare in conspectu Dei: vbi constituam*, inquit, *vt loquar ad te: ibique præcipiam filiis Israel.* Hoc dixit Deus Moysi ad significandum, quòd Christus Dominus noster, Agnus qui tollit peccata mundi, pro cuius reparatione sacrificatus & mortuus fuit feria sexta vesperi, & resurrexit die dominico mane: Sacrificandus esset perpetuò quotidie in altari Ecclesiæ sub speciebus panis & vini, & valde copiosè largiturus purissimum gratiæ suum oleum, dignè sacrificantibus, & ipsum suscipientibus; admittens eos ad suam dulcem familiaritatem, & consuetudinem. Quis igitur erit Sacerdos, viuæ fidei lumen & aliquam veræ charitatis scintillam habens, qui non libenter & cum animi sui oblectatione velit oblationem hanc Agni huius quotidie offerre, dulcisque adeo cibi particeps fieri? Et quis Christianus non studeat, quotidie assistere eiusmodi oblationi, & Missæ interesse, & multis quidem si posset: cum quotidie multæ offerantur in odorem suauitatis ipsi Deo, & quietis ac tranquillitatis nostrarum animarum, colloquendo & agendo cum ipso Domino, omnium bonorum fonte. Vt autem magis appareat celsitas & vtilitas huius deuotionis, comprehendemus hic breui summa quæcunque hactenus de Missa diximus: tam quoad Sacrificij ipsius substantiam, & fines, propter quos offertur: quàm rerum, quæ illud comitantur. Vt hæc magnalia & vtilitates videntes, afficiamur ad Sanctum illud exercitium, in quo illæ continentur; illudque præferamus alijs multò inferioribus.

d Exodi. 29 3.

Christus quotidie offerri potest.

Lipiman. in Catena.

§. I.

Primvm Diuina Lex obstringit nos, ad deferendum honorem & adorationem Deo nostro; offerentes ei Sacrificia in testimonium infinitæ ipsius excellentiæ. Et quamuis hoc præceptum, eò quòd sit affirmatiuum, non obliget in particulari fideles, nisi certis quibusdam tẽporibus: est tamen valdè gloriosum, Deiq; voluntati valdè conforme, vt

Causa quare Missa sacrif. offeren.

1. *Lex obligat.*

quotidie executioni mandetur: offerendo celsissimum hoc Sacrificium in eius honorem eo modo, quo Sacerdotes Missam facientes, aut alij eam audientes. Cùm igitur ipse quotidie beneficijs nobis collatis, honorem nos quotidie afficiat: quid mirum, si & nos eum quotidie honore afficiamus: quia maximo est honore dignus? etsi enim ipsum quotidie honoremus, semper tamen multumque distabimus; cum ipse sit infinitâ æternâ gloriâ, honore, & laude dignus. Quamobrem ait Sanctus Ioannes, quod quatuor illa animalia requiem non habebant die ac nocte, decentia: a *Sanctus, Sanctus Sanctus Dominus Deus omnipotens* Æquissimum itaque est vt quo poterimus modo, quotidie conueniamus ad eum honorandum, dicentes in ipsa Missa eundem Hymnum, de quo ipse tantoperè gloriatur.

Apoc. 4. 8.

2. *Gratitudo.*

Ex quo secunda deducitur ratio: quia scilicet innumera sunt & immensa beneficia, quæ ab ipso quotidie, imò singulis horis accipimus: propterea gratitudinis lege deberemus quotidie, & horis singulis infinitas ei gratias reddere, si infinitæ nobis essent possibiles. Æquum igitur est, vt cum infinitum hoc Missæ Sacrificium nobis reliquerit ad hoc debitum ei exsoluendum: quotidie illud ei offeramus in gratiarum actionem pro tot beneficiis, quæ quotidie ab eo accipimus. Antiqui Patres statim atque insigne aliquod beneficium à Deo accipiebant, erigebant altare, in quo aliquod Sacrificium offerebant. Cum igitur altare pro hoc sit inuentum erectum: æquum omnino est, vt quotidie hoc ei offeramus, siquidem quotidie adeo præstantia accipimus, quamuis non semper ea agnoscimus.

3. *Memoria mysteriorũ Christi.*

Hvc accedit, quod beneficium Incarnationis, Passionis, & mortis ipsius Saluatoris, in cuius memoriam Missa fuit instituta, sit infinitum. Quid igitur æquiùs est, quàm quotidie animi nostri gratitudinem ostendamus, renouantes eius memoriam, vt honorem ei deferamus: qui tantum nos beneficio affecit, totque bona nobis promeruit?

4. *Peccata quæ in illa exsoluuntur.*

Qvarto: quia quotidie peccamus, & noua quotidie ob culpas nostras debita contrahimus. Quæ igitur maior prudentia esse potest, quàm dicere vel audire quotidie Missam: vt certiori, ac copiosiori solutione, & minoribus nostris expensis, quàm offerre pro illis possimus, eas exsoluamus? vna enim Missa bene quotidie oblata, plus soluit, quàm dies aliquot ieiunij, aut disciplinæ, & quodcunque aliud opus satisfactorium propter satisfactiones ipsius Saluatoris, quæ in ea nobis applicantur, & propter proprias, quæ accedunt ex deuotione, qua illam offerimus.

5

Qvinto: quia quotidie circumdamur innumeris periculis, tentationibus, & peccandi occasionibus, quas Dæmon, mundus & caro nobis

obtru-

obtrudunt: quæ autem solidiora & efficaciora arma contra eas arripere possumus, quàm ipsam Missam, quâ cœleste subsidium contra omnes nostros hostes impetramus, & Angeli, qui ei assistunt, in subsidium nobis aduenient aduersus Dæmones; & ipsemet Dominus causam nostram tanquam propriam suam suscipiet: quia summum, quem possumus, honorem in hac oblatione ei offerimus.

quia arma præbet aduers. peccata

6. *quia à malis præseruat*

Qvid autem dicam de periculis corporalibus, & miserijs, quibus nostrum corpus est subiectum? Innumera sunt mala, quæ quotidie euenire nobis possunt contra vitam, salutem, honorem, facultates, & solatium: quædam publica, alia occulta: quæ nullâ humanâ industriâ præuenire, & euadere possumus: ad quæ tamen euitanda plurimum confert Missa, cuius valor terminum nullum habet: quam si quotidie Domino nostro offeramus, eum permouemus, vt ab eis omnibus nos præseruet.

7. *quia perfectionem promouet.*

Qvod si cupias multum in perfectione & sanctitate proficere: quodnam medium suauius & efficacius ipsa Missa adhiberè potes: in qua exercentur heroici omnium virtutum actus; Deoque offertur res præclarissima, quæ offerri ei potest? hic enim fides exercetur circa mysterium difficillimum; spes cum pignore certissimo; oratio cum fulcro Sacrificij & Ecclesiæ Sanctæ directione; charitas oratione & oblatione ipsius Missæ pro viuis ac defunctis. Quod si Sacramentaliter, aut spiritualiter communices, augmentum erit multò maius.

8. *quia in illa cũ Deo ómnia bona nobis conferẽte agimus.*

Octavo: quis filius non plurimum delectetur visitare quotidie suum parentem? & quis priuatus homo non studeat quotidie apud suum Principem aliquo tempore manere? Et quis ægrotus non afficiatur magna consolatione, quod videat quotidie suum medicum, à quo sentit morbum sibi alleuiari? & quis discipulus non conuerletur frequenter cum sapiente suo Præceptore? Et quis tristis ac desolatus non gaudeat agere, quotidie aliquo tempore cum suo amico, à quo aliquod sentit solatium? Cur igitur non delecteris assistere quotidie Missæ, ad quam è cœlo venit tuus parens, tuus Princeps, medicus, Magister & amicus tuus verus? Cùm igitur magnus noster Devs velit quotidie remedij & solatij tui causà è cœlo ad terram venire: quid mirum, si & tu è domo tua ad templum te conferas, vt aliquid temporis in iucunda cum ipso conuersatione, & familiaritate expendas? apud nos in more est positum, vt cùm duo amici valde à se inuicem distant, cupiunt verò se mutuò videre, ita viam partiantur, vt in medio iteneris conueniant. At noster Salvator multò plus facit, qui è summo cœlo ad templa nostra descendit, vt

nos

nos eò accedamus ad videndum, colloquendum, ac de nostris negotijs cum eo agendum. ET quid magis frequenter in scriptura Diuina repetitur, quàm necessitas semper orandi, sine intermissione, omni tempore: & qui iubet, nos quotidianum panem ab ipso petere pro hodierna die; signum est etiam velle, vt crastina die, perendie, & quotidie illud petamus. Quid igitur magis expediens, quàm quotidie Missæ interesse, & in ipsius Domini præsentia precationem illam ei dicere, quàm ipse iubet: qua petamus septem illa dona, quæ peti à se iubet. FACILITAS etiam supremi huius exercitij nos inuitat, & allicit ad quotidie illud frequentandum. Si enim offerenda nobis fuissent, sicut antiqui offerebant animalia, oues, arietes, & res aliæ variæ cum difficultate, & expensis; aliquam habuissemus excusationem; nulla autem cogitari potuit oblatio facilior ac suauior, quàm hæc sit; nam eam potius instituit Christus Dominus noster in pane & vino, qui cibus est ordinarius: eò quòd optaret esse ordinarium & quotidianum: Hvc accedit: quòd Dæmon extraordinaria quadam rabie Sanctissimum Missæ Sacrificium oppugnet, & per Hæreticos Anti-Christi Præcursores contendat eam abolere. Et ipsemet Anti-Christus in mundi fine (vt ait Daniel) b *tollet* à publico vsu *iuge Sacrificium*, quod signum est, valde illud placere Deo, & hominibus prodesse. Ex quamuis nihil aliud hic esset spectandum, quàm vt despectus fieret Sathanæ: est valde ad rem quotidie huic Sacrificio interesse; & operam dare, vt eius continuatio semper progrediatur ac proficiat. ET quamuis Ecclesia constituerit integrum diem Dominicum, & aliorum festorum Diuinæ cultui dedicari: ad eundem tamen cultum, præceptum tantùm ponit: actum audiendi Missam: eò quòd hic sit potissimus, in quo multa ad ipsum Dei cultum & honorem spectantia continentur. Cùm igitur Ecclesia Missæ auditionem tanti faciat: rationi est valde consentaneum, vt qui eius filios esse gloriantur, non solùm in Dominicis & festis, sed reliquis etiam diebus illi intersint, Deumque suum optimo, quo possunt, modo honorent ac venerentur.

9. *Necessitas orandi.*

10. *Facilitas sacræ Missæ.*

11. *quia Deo summùm placet.*

b *Daniel.* 8.11.

12. *Quia Ecclesia summi eam facit.*

HIS addamus tantam esse Dei nostri Charitatem & liberalitatem vt optantem ipsum, vt magis ei placeat, videre aliquo semper beneficio singulari, & supra meritum, afficiat: quo bonum illud desiderium remuneret. Et qui ad Missam audiendam accedit, vt in consecrata Hostia ipsum videat & adoret: non recedet inde absque magno aliquo lucro, & fructu talis aspectus. Præclara huius rei imago est, quod euenit Zachæo: nam cùm magno desiderio teneretur videndi Christum Dominum nostrum, qui transibat versus Iericho; nec posset c *præ turba, quia statura pusillus erat præcurrens ascendit in arborem, vt eum videret*: nihil aliud cogitans aut quærens, quàm eum videre, & nosse; Sed Christus Dominus noster, cui desi-

13. *Quia Deus operã in ea locatam remunerat.*

c *Luc.* 19.3.

derium

derium eius valde placuit, *suspiciens*, & benignissimis suis oculis *eum videns*, dixit: *Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere*, quasi distinctiùs ei dixisset: tu optasti hodie me videre: hoc igitur desiderium tuum hodie etiam remunerabo, ita vt me hospitio excipiens, & videas, & diutius mecum colloquaris: ita vt *hodie salus domui tuæ facta sit*, maneatque sanctificata. Quænam igitur dies, ô mundi Saluator, futura est; in qua ego non studeam, te videre, ambulantem per Iericho huius mundi tectum licèt & velatum in Sanctissimo hoc Sacramento? Quomodo non quotidie cupiam te aspicere, transeuntem in hoc Sacrificio: qui adeò es liberalis in eos, qui te videre desiderant? Et si satis mihi existimo esse, quòd solùm te videam, indignum me reputans, qui te hospitio recipiam: tu cordi meo loqueris ac dices; ingredere in domum tuam, quia hodie volo apud te manere. O Diuinæ Charitatis celsitudinem! quæ ita benignè suauiterque agis cum his, qui te aspiciunt: vt in eorum animas spiritualiter ingrediaris, eosdem visitans, & consolans tuâ præsentiâ; totque bonis eos replens, vt dici possit: *hodie salus domui huic facta est*: quia salutis auctor in eam est ingressus. Sed quid dicemus, quando ipse Sanctissimi Sacramẽti aspectus, affectum excitat, & voluntatem ipsum accipiendi: imò tantam excitat famem, vt homo non satietur, nisi regia ipsius præsentia, quam in Sacramentali sumptione accipit? Sæpè hoc accidit humilibus & pijs animabus, cùm Missæ intersunt; quas vehementibus inspirationibus hic Dominvs ad Sacram communionem impellit, dicens eis idem, quod Zachæo: ingredere in domum tuam, eamque studiosè præpara, & exorna: quia hodie in Sacra Communione volo ad eam venire. Et cum hac ratione eam ingreditur, maiori cum efficacitate dicit: *hodie salus domui huic facta est*: manet enim locupletata, & beata ex mea præsentia.

Denique omnia hæc bona & commoda, quæ Missa adfert, voluit Deus confirmare multis & præclaris miraculis editis in fauorem eorum, qui laudabilem hanc tenuerunt consuetudinem. Aliquos enim eripuit à fornace ignis; alios à fulminibus aut morte subitanea; alios à vehementi bus tentationibus; alios à vinculis & carceribus; alios ab hostium suorum incursibus. Sed quid mirum, quod qui quotidie tot edit prodigia, etiamsi inuisibilia: vt fiat Sacrificium & cibus noster, faciat etiam multa visibilia: vt à nostris periculis per hoc medium nos eripiat? Si d *serpens æneus pro signo* in altum *eleuatus*, prodigiosè *sanabat percussos* à veris & venenatis *serpentibus*: quid mirum si quotidie Christum Dominum nostrum in Missa aspicere, cùm in Sacra Hostia & Calice eleuatur, satis sit, vt etiam miraculosè, si id opus esset, à nostris doloribus & aduersitatibus liberemur? Ne desit nobis Fides, ne deuotio nostra intepescat: cùm enim 14.

d *Num.* 9. 12

Diuina bonitas & Omnipotentia non imminuatur, non desinet subuenire confugientibus ad ipsius misericordiæ thronum, qui est Sanctissimum Missæ Sacrificium.

§ II.

EX DICTIS deduci debent duo magni momenti documenta. *Primum* pro Sacerdotibus, quos hæ rationes magis obstringunt, & urgent ad quotidie celebrandam Missam cum maxima, qua possunt deuotione. Quibus tamen rationibus aliæ adhuc valde efficaces accedunt.

1. Documentum

PRIMA, ob insignem vtilitatem, quæ illis prouenit, non solùm Sacrificij oblatione; sed etiam ex ipsius Sacramenti sumptione. Estque ingnis prodigalitas priuare se tanto bono, quod possit adeò facilè obtineri. Et est quasi contemptus quidam, aut exigua certè æstimatio, cœlestis huius Mannæ, & panis supersubstantialis; quòd non sumatur quotidie: cùm tam facilè fieri possit, vt videri potest in quarto tractatu primi tomi.

1

SECVNDA ratio est ob ingentem vtilitatem, quam adfert Ecclesiæ vniuersæ, & omnibus fidelibus viuis ac defunctis. Est enim exigua Charitas, breuisque misericordia, tanto bono eos priuare, cùm nulla ex parte adsit causa, quàm ignauia & negligentia propria. Sacerdos (ait Beda) qui absque legitimo impedimento Missæ celebrationem omittit, quantum in ipso est Sanctissimam Trinitatem priuat laude & gloria; Angelos lætitia; peccatores venia; iustos auxilio & gratia; existentes in purgatorio subsidio & refrigerio; Ecclesiam ipsam ingenti beneficio; & seipsum medicina & remedio.

2

Idem S. Bonau. tract. de parand. ad Missam c. 5.

PRÆTEREA (vt ait S. Thomas) non est tutum, a *in vacuum gratia Dei recipere*, & b *talentum* à Domino *acceptum fodere in terram*; & non exercere officium sibi commissum. Cùm igitur Sacerdotis officium sit Missam celebrare, & pro fidelibus omnibus orare; & gratia Sacramenti ordinis ad hoc sit illi data: malè omnino faceret, si ab hoc exercitio semper se subduceret, etiam prætextu reuerentiæ & humilitatis. Cùm enim officium & gratiam habeat ad illud exercendum: non erit contra reuerentiam & humilitatem frequenter illud exercere.

3

3. p. q. 82. a. 10.

a 2. Cor. 6. 1.

b 2 Matth. 25. 18.

PRÆCIPVE, cùm satis constet id esse magis conforme præcepto Christi Domini nostri. cùm dixit Apostolis, eorumque successoribus: *Hoc facite in meam commemorationem*. Qua sententia, vt concilium Tridentinum declarat, hoc Sacrificium offerri præcepit: Et quamuis hoc præcepto non obligenter ad Sacrum quotidie faciendum, quia solùm commendat, vt id faciant Dominicis minimùm & festis solemnibus: dubium

4

c Luc. 22. 19

Sess. 22. c. 1. Sess. 23. c. 14 de Reform.

tamen non est, quin sit obiedientia futura perfectior, si id quotidie faciant: contendentes, quantum in ipsis erit, vt hoc Sacrificium continuetur, neque ipsorum negligentia interrumpatur.

Hvc accedunt omnes rationes positæ in quarto tractatu primi tomi: quæ exhortantur ad frequentem Sanctissimi Sacramenti sumptionem, quod si debet esse panis quotidianus aliquibus Fidelibus: multò id magis conuenit Sacerdotibus. 5

Denique hic mos approbatus est, & confirmatus exemplo Sanctorum, qui de eo gloriabantur: de quo S. Andreas Apostolus Tyranno illi Egeæ dixit: *ego Omnipotenti Deo quotidie immolo immaculatum Agnum.* Sanctus Hypolitus Martyr explicans extremi iudicij sententiam, inducit Christum Dominum loquentem cum bonis Sacerdotibus, ac dicentem: venite Pontifices qui mihi quotidie Sacrificium purè obtulistis, corpusq; & sanguinem meum precioſum mihi Sacrificastis. Idem faciebat S. Cyprianas, & quidam alius Episcopus nomine Cassius, cuius consuetudinem (vt refert S. Gregorius) approbauit Christus Dominus noster, iubens ei dici: age quod agis, operare quod operaris: citò enim venies ad me & retribuam tibi mercedem tuam. Et vt idem S. Gregorius perpendit: qui quotidie iudicis aduentum expectat, æquum est, vt quotidie legationem siue nuntium ad eum mittat, rogans ea quæ pacis sunt. Quæ autem legatio potest aptior esse, quàm ipsa Missa: si quotidie offeratur ad pacem cum Deo habendam? 6

Epist. 54. Homil. 37. in Euang.

Sed quoniam bona consuetudo multum amittit, cum ex sola consuetudine, absque spiritu & deuotione, aliqua seruatur: necesse est ita Sacerdotes assuescere, quotidie Missam legere, vt quotidie tanto spiritus feruore eam faciant, sicut primas; quæ ob nouitatem, solent maiori cum deuotione, reuerentia, & quiete fieri. Quam ob causam cùm Deus in lege Antiqua iussisset offerri sibi quotidie duos Agnos & modum præscripsisset, quo alter esset mane offerendus, adiecit: d *alterum agnum offerendum esse ad vesperam inxa ritum matutinæ oblationis.* vt ex ea repetitione intelligerent, se non debere Sacrificij feruoren relaxare, eò quòd esset secundum & ad finem diei. Ac propterea etiam Sacerdos (vt supra diximus) semper inchoat Sacrum dicens: *introibo ad altare Dei,* & Christum qui renouat iuuentutem meam. Et qui ob frequentiam faciendi Sacrum, aliquid remitteret de reuerentia: expediret ei abstinere interdum, cum sancto timore: vt postea maiori cum feruore & amore accederet. Ex quo satis apparet, ita debere Sacerdotes vitam suam componere: vt quotidie possint Missam dignè celebrare: Propter hanc enim occasionem dixit Ecclesiastes (vt supra perpendimus:) e *Omni tempore sint vestimenta tua candida* quasi

2. *Documentum.*

d. *Exod. 29. 41.*

e *Eccles. 9. 8*

r fert S. Th. 3 p q. 8 a. ... Sed. con. ... a.

quasi quotidie adfuturus conuiuio nuptiarum cœlestium. Quamuis autem leuibus aliquibus culpis interdum afficiantur: non propterea fieri debent pusillanimes: imò etiamsi lapsus aliquis accidat grauis: modò statim studeant per pœnitentiam surgere. Propterea enim S. Ambrosius dixit: graue est, quod ad mensam Domini mundo corde & manibus innocentibus non venimus; sed grauius est, si dum peccata metuimus, etiam Sacrificium non reddamus. Et cum iustus septies cadat in die, & resurgat: si Sacerdotes quotidie ceciderint, quotidie etiam surgant, & statim Missam celebrent, & communicent. Quod tamen faciendum non est præcipuè propter aliquod temporale commodum; sed propter finem & motiua prædicta. Ex quo proueniet, vt non celebrent cursim, & festinanter, vt citò se expidiant; sed cum grauitate, moderatione, & more conuenienti: vt cum debita deuotione & reuerentia celebrent. Neque propter humanos respectus, scilicet audientium, citius se expediant. Siquidem in eo actu sunt omnibus superiores, etiam mundi Potentatibus, ac Regibus. In cuius testimonium statuit Ecclesia: Sacerdotem, cùm sacris vestibus indutus exit ad altare, aut ab eo redit, nulli hominum debere pileum deponere: eò quòd in illa actione personam gerat Christi. Cum etiam in comicis actionibus, qui Regis personam gerit, & sicut Rex est indutus, quamdiu actio illa durat, loquitur, agit, & omnes corporis motus dirigit, atque si verus esset Rex. Multò igitur æquius est, vt in Missa Sacerdos ad viuum gerens Christi personam, opus illud cum ea grauitate, modestia, & Sanctitate peragat, qua ipsemet Christus fecisset; in quantum potest creatura ipsum imitari.

HIS similia sunt documenta, quæ concernunt Sæculares, Missæ assistentes: qui etsi assuescant quotidie Missæ interesse, non tamen debent ex sola consuetudine id facere; sed ex feruore Spiritus: neque erit difficile, tædium deponere, si bene ad eam attendant modis superiùs positis: variatis scilicet considerationibus per dies hebdomadæ, & suo ordine renouatis. Ex quo etiam proueniet, vt non cupiant, eam citò absolui; & multò minus Sacerdotes vrgeant, vt se expediant: nec quidem tale desiderium eis aperiant. Id enim esset eos prouocare, vt officio suo non bene fungantur. Audiant, qui tales sunt, querelas Sancti Augustini ad suam plebem Hiponensem: volo, inquit, de vobis conqueri ob rem quandam valde mihi ingratam, ac molestam. Sunt enim vestrûm aliqui, & præcipuè huius sęculi potentes, qui ad Ecclesiam venientes, non habent debitam deuotionem ad laudes diuinas celebrandas; sed vrgent potius Sacerdotem, vt Missam abbreuiet, & ad ipsorum arbitrium cantet, nec permittunt, Ecclesiasticum ordinem seruare, propter suam gulam; & auaritiam; vt eant ad conuiuia, aut ad sua negotia terrena. Magnam sanè ...

exigu...

exiguæ fidei ac deuotionis indicium est: quod comica aliqua actio trium horarum videatur ipsis breuis; Missam autem, quæ duret semihora, iudicent nimis longam. Et satis est, si hoc tempore, quod ad excelsum adeo mysterium est valde breue, contenti simus: quamuis, attenta nostra imbecillitate, videatur satis moderatum: vt imitemur quod dixit, S. Ioannes quod f *cum Angelus aperuisset sigillum septimum factum fuerit silentium in cœlo, quasi media hora.* Fiat igitur silentium in Ecclesiæ cœlo per semihoram qua Missa durat. Silentium dico, vt cessent confabulationes impertinentes; multoque magis negotia profana. Nam omnia tempus habent: Missæ autem tempus non est ad garriendum, aut agenda negotia; sed ad orandum, & meditandum. Quod si comica actio cum attentione & silentio auditur: (ad nostram confusionem hoc vtor exemplo) cur non cum attentione & silentio actio hæc adeo Diuina audiatur? Si censetur inurbanitas, loqui aut negotia aliqua in præsentia Regis terreni tractare: quid erit idē facere in præsentia Regis cœlestis? Si apud Romanos cū Sacrificia sua falsa offerrent, solùm audiebatur vox Præconis clamantis: *Hoc age, quod agis, Hoc agite.* Quantò magis erit rationi consentaneum, vt qui vel legunt, vel aut diunt Missam, attendant ijs quæ agunt: cogitantes, ipsummet Deum, aut Sanctum eius Angelum, ipsos monere, & attendere, an acquiescant admonitioni. Qui ad Ecclesiam venit (ait S. Augustinus) non debet corpore intus esse & corde exterius. Totus intus esse debet. *Si intus est quod videt homo, quare foris est, quod videt Deus?* Totus igitur homo corpore & spiritu, & omnibus suis facultatibus intra Ecclesiam esse debet, attendens ad officium Diuinum, quod in ea fit: magis enim rationi est consentaneum, Deo placere & satisfacere, quàm hominibus. Ad id porro iuuerit non parum, quod in proximo tractatu dicturi sumus de Horis Canonicis, & modo eas legendi.

f *Apoc. 8. 1*

Eusebius Lib. 4. de Præpara.

Serm. 6. de verb. Dom. Tomo. 10.

TRACTATVS TERTIVS

DE PERFECTA RATIONE OFFICIVM DIVINVM SIVE HORAS CANONICAS PERSOLVENDI.

CAPVT I.

CAVSÆ CVR INSTITVTVM FVERIT DIVINVM Horarum Canonicarum officium, & magna eius commoda.

SECVNDVM Valdeque Insigne Sacerdotum Ministerium est: orare Deũ provniuerso Christiano populo, cuius officij & muneris partem etsi expleant in Missæ Sacrificio, vt iam vidimus: fusiùs tamẽ id præstant cum HORAS CANONICAS orant, quas communiter DIVINVM OFFICIVM appellamus, ob excellentiam officij & muneris orandi & laudandi Deum. Quod officium non ad solos pertinet Sacerdotes, sed etiam ad Ministros ordine sacro insignitos; & multos alios, quos Ecclesia Sancta ad id præstandum designat constituens tempus & locum, in quo ad sanctum hoc exercitium debeant conuenire. Cuius initium fuit in ipso die, qua Christus Dominus noster ad cœlos ascendit. Apostoli enim, vt S. Lucas refert, receperunt se in quoddam cœnaculum cum alijs multis discipulis, vbi a *omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione*, præsente etiam *Maria Matre Jesu*, donec venit super eos Spiritus Sanctus. Cuius inspiratione permoti Fideles primæuæ Ecclesiæ: b *erant* (vt idem S. Euangelista refert) *perseuerantes in communicatione fractionis panis, & orationibus*, & conueniebant in templum ad communionem: & S. Apostolus ad Corinthios refert, quod illi c *conuenirent* ad vnum locum *ad Dominicam cœnam manducandam*, & exercenda dona & gratias gratis sibi datas in vtilitatem

Dolentes C. de Celebra. Missar.

a *Actuum.* 1. 14.

b 62. 42. 46

c 1. *Corint.* 11. 20.

omni-

omnium, & ad laudandum Deum. Ac propterea dicit: d *cum conuenitis, vnusquisque vestrum Psalmum habet*, quem proferat, & *alter gratias Deo agit*, & *idiota*, etiam non intelligentes, *respondent*: *Amen*. Et hinc ortum est, vt orationes Ecclesiæ vocarentur Collectæ: eò quòd multi simul in loco vno recollecti eas pro omnibus dicerent. Ex quo apparet, hanc orationem non fuisse purè mentalem, sed vocalem; & quidem elata voce, vt ab omnibus audiri & intelligi posset, eum in modum, quo idem S. Lucas refert: Apostolos cum reliquis Fidelibus in locum vnum conuenisse, & omnes e *vnanimiter leuasse vocem ad Deum*, longam ac feruentem facientes pro omnibus orationē. Quamuis autem Spiritus Sanctus (cuius donum est, vt quis sciat bene orare) soleat orantibus verba inspirare, in ipsa oratione dicenda, ita vt ex feruenti interna & mentali oratione resultet (vt ait Sanctus Bonaventura) vocalis oratio; ita vt ipsemet orans, suæ orationis verba componat, id tamen rarò euenit, ob dispositionis nostræ paruitatem; & quòd non omnes apti & capaces sint, ad id præstandum. Quare quemadmodum Christus Dominus Noster componere voluit ipsam Precationem Dominicam, vt omnes fideles eam orarent: ita etiam Spiritus Sanctus Ecclesiæ inspirauit, vt officium Diuinum ordinaret, & orationes laudesque Dei colligeret: quas eius Ministri dicturi essent in loco & tempore sibi præscriptis.

d c. 14. 23. 26.

c *Actuum.* 4. 24.

Processus. 7. *Relig.* c. 3.

§. I.

Causae huius Sanctæ Institutionis multæ fuerunt, valdeque vtiles: & Sanctus Bonauentura quinque valde Pias assignat. *Prima* causa fuit: vt Ecclesia Militans imitaretur morem Triumphantis: in qua Angeli & Spiritus Beati coram Deo semper assistunt, eius laudibus attendentes, iuxta illud Dauidis: a *Beati, qui habitant in domo tua Domine: in seculum seculorum laudabunt te.* Cum igitur Christus D. N. sicut est in cœlo, realiter & verè sit etiam in Sanctissimo Altaris Sacramento in ipsis templis: æquum & iustum est, vt sint constituti Ministri qui eius præsentiæ assistant, laudesque decantent cum ea maiori continuatione & frequentia, quam humana fragilitas adhibere potest. Et videntur Seraphini, quos vidit Isaias, descendisse de cœlo in templum Ierosolymitanum, vt nos docerent modum, Deum in nostris templis laudandi. In præsentia enim Domini b *clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnu terra gloria eius*: vt homines intelligerent, se debere imitari incensum Seraphinorum amorem: vt magna concordia vniti, Sanctissimam Trinitatem laudent: existimantes, hanc esse supremam occupationem quam in terra habere possunt: cū de ea glorientur supremi cœlestes Angeli: quorum laudibus debēt suas coniungere,

I.

opus. de 6. Alis Seraph. c. 8.

a *Psal.* 83. 5

b *Isaiæ* 6. 3

vt earum

vt earum defectus suppleatur, fiantq́ue Domino ipsi gratiores. Ideò enim Ecclesia in Præfatione addit : *cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur, &c.*

SECVNDA huius Institutionis causa fuit, vt esset perpetua Diuinorum beneficiorum memoria, designatis certis horis, in quibus Deus sit laudandus; gratiæq́ue illi pro eis agendæ: vt huic obligationi, maiori qua possemus, continuitate satisfaceremus, iuxta illud Dauidis: c *benedicam Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo*; & illud Isaiæ: d *miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddit in nobis; & super multitudinem bonorum, quæ domui Israel largitus est*. In quibus verbis meminit duorum beneficiorum specialium, quæ largitur Dominus vnicuique fidelium; & generalium, quæ concedit domui Ecclesiæ suæ, in omnium vtilitatem. Vt autem vtrorumq́ue sit continua memoria & gratiarum actio institutæ sunt horæ Canonicæ: vt Ecclesiastici suo & Ecclesiæ nomine semper Deum laudent, gratiasq́ue pro his beneficijs agant, sed magis in particulari, vt memoriam habeant beneficij nostræ redemptionis. Dominumq́ue laudent, qui *media nocte* fuit natus; & alia nocte ingentes sustinuit cruciatus; *mane* verò ad iudices deductus; & *hora tertia* flagellatus, & ad mortem damnatus; *sexta* autem crucifixus; *vesperi* tandem mortuus; & *circa noctem* sepultus; postea diliculo resurrexit, & hora tertia Spiritum Sanctum misit. Cum igitur hisce horis adeo insignia beneficia Ecclesiæ contulerit: decebat, vt eius filij eisdem horis ad ipsum Dominum, qui ea tanta liberalitate & misericordia contulit, laudandum conuenirent.

c *Psal. 33. 1.*
d *Isai. 63. 7.*

HVIC causæ affinis valde est *tertia*: vt scilicet orationis exercitium qua posset maxima frequentia continuaretur, duplici nomine. Altero, eò quòd necessitates & miseriæ tam particulares, quàm communes, quibus premimur, sint continuæ: quarum vniuersalis reparator est ipse Dominus noster, adhibita ratione ad id impetrandum; Altero, eò quòd oratio sit efficacissimum medium ad conseruationem & augmentum Fidei, Religionis, & Sanctitatis, quam profitemur: quæ absque Diuino fauore non potest diu durare, hic autem fauor obtinetur orationibus. Et vtroque hoc nomine dixit Christus Dominus noster: e *oportet semper orare, & non deficere*. Quod (vt ait Beda) præstat Ecclesia, statuendo vt eius Ministri toties die ac nocte conueniant, ad Horas Canonicas dicendas: vt vtrumq; à Deo obtineant, quas quotidie repetunt, vt quotidie vtrumq; obtineant, iuxta illud S. Hieron. Deus semper largitor, semperq; donator est: non mihi sufficit, quòd semel donauit, nisi semper donauerit. Peto, vt accipiam, & cũ accepero, rursus peto. Auarus sum ad suscipienda beneficia Dei. Neque ille deficit in dando, neque ego satior in accipiendo; quantò plus bibero, tanto plus sitio. Præterea, cum Officium Diuinum non solùm con-

e *Luc. 18. 1. c. 71. in Lucam. apud D. Thom. in catena. Epist. ad Thesiphontem inte medium.*

tineat petitiones; sed multos actus & virtutum omnium affectus complectatur: ideo si vt oportet, dicatur: non solùm consilium impletur, semper orandi, sed etiã proficiendi continuè in puritate & sanctitate: iuxta illud quod Spiritus sanctus dicit: f *qui iustus est iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Et illud Ecclesiastici: g *non impediaris orare semper, & ne verearis vsq; ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in æternum.*

f Apoc. 22. 11.

g Eccli. 18. 22.

4

HINC etiam *Quarta* causa huius Institutionis oritur: vt communis plebs, quæ parum scit, parumque delectatur hoc exercitio orandi & laudandi Deum: ei assuescat, accedens ad Ecclesiam constitutis horis: vbi non solùm per ipsos Sacerdotes oret, & laudet Deũ; sed hoc etiam exẽplo seipsam excitet, vt iuxta suam capacitatem, idem præstet; & attendens Diuinis officijs, reddatur ei minus graue tempus, quod ibi orando expendit. Experientia enim docet nos, quòd, nisi sancta hæc esca proponeretur: multi non accederent templa, aut citò defatigarentur in eis manendo. Et hoc est, quod S. Lucas dixit: quod, quando Zacharias Pater Sancti Ioannis Baptistæ ingressus est templum Domini, vt secundùm consuetudinem Sacerdotij incensum poneret: tunc h *omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi*; atque si nunc diceremus: dum Sacerdotes officium suum præstant in altari, vel in choro omnis populus est foris orans, & clamans ad Deum, bono illorum exemplo permotus.

h Luc. 1. 10.

5

QVINTA causa est: quia id spectabat ad Catholicæ Ecclesiæ, & Christianæ Religionis decorum. Si enim Gentiles conueniebant in suis templis, vt suos falsos Deos adorarent & laudarent: multò magis est rationi consentaneum, vt Christiani in templis nostris conueniamus, ad adorandum & laudandum verum nostrum Deum. Et, si antiquæ legis fideles suas etiam faciebant congregationes in suis Synagogis; suaque festa celebrabant pro gloria Dei nostri: multò certè magis iustum est, vt Christiani conueniamus in templa nostra, vt eum laudemus, & altissimorum eius mysteriorum, & Sacramentorum participes efficiamur: facientes quod refert Ecclesiasticus de Dauide dicens: i *dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vsque ad consummationem vitæ; vt laudarent nomen sanctum Domini; & amplificarent mane Dei sanctitatem*: Omnes enim tenemur eum laudare: quia talis est; & propter altissimas, quas in se habet perfectiones; & propter ampliſſima opera, quæ nobis præstitit, ac præstat: decetque vt omnes nostras vires intendamus in his cum omni solennitate possibili præstandis: semper enim minùs faciemus, quàm infinita eius Maiestas deposcat, & promereatur, vt apertè dixit idem Ecclesiasticus: k *glorificate Dominum quantumcunq; potueritis, superualebit enim adhuc & admirabilis magnificentia eius. Qui benedicitis Dominum, exaltate illum quantum potestis: maior enim est omni laude.*

i Eccli. 47. 12.

k Eccli. 43. 32.

§. II.

HAE QVINQVE institutionis officii Diuini causæ, magnum eius momentum nobis aperiunt: quod ampliùs explicauit SANCTVS CHRYSOSTOMVS iucundissimis quibusdam similitudinibus. Præmittit enim quòd per Orationem non solùm petitiones intelligamus, sed varios etiam actus deuotionis, & amoris, qui in officio Diuino continentur. Cuius septem partes sunt instar septem Planetarum cæli ipsius Ecclesiæ, quæ lumen illi, calorem, & vitæ influentias communicant.

Lib. 1. & 2 de orando Deum.

ORATIO, ait hic Sanctus, idem facit in animalibus, quod Sol in corporibus. Quemadmodum enim Sol illuminat, calefacit, & viuificat; eiusque præsentiâ plantæ virescunt, & alia viuentia lætantur; ægroti subleuantur; & sani sua opera exercent: & si Sol deficeret, omnia manerent in tenebris, in frigore, miseria, & vmbra mortis. Ita Oratio veritatem impetrat lumen, quod illustrat intellectum, sine quo lumine omnia essent tenebræ ignorantiæ, & errorum. Ab ea procedit bonorum affectuum calor accendens corda: sine quibus omnia essent frigus peccatorum ac tepiditatum. Per eam descendunt influentiæ inspirationum cœlestium, quæ sunt vitæ nostræ principium; sine quibus omnia sunt pericula mortis. Per deuotam orationem reuirescunt plantæ virtutum, animi tristes exhilarantur; infirmi ac debiles sanctitatem, & fortitudinem recipiunt; & qui sani sunt ac boni, maiori cum feruore opera sua faciunt. Sed vlteriùs adhuc dicere possumus, quòd oratio faciat homines tanquam Soles, propter excellentiam splendoris, & ardoris, quem illis adfert. In cuius testimonium quando Moyses descendit de monte, vbi diu fuerat in oratione colloquens cum Deo, a *habebat faciem suam cornutam*, emittens scilicet lucis radios adeò vehementes, vt filii Israel non possent eam intueri; sicut nec Solis radios quis intueri potest. Et quando Christus Dominus noster b *orauit in monte* Thabor, c *resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius* ex eo splendore *facta sunt alba sicut nix*. Et quoniam Ecclesia est, d *electa vt Sol*, vult facere e *certam suam electionem* frequenti oratione, quæ valde est ad id potens & efficax: cuncque profiteatur semper se f *amictam* esse *Sole* iustitiæ; ideo vult etiam profiteri continuam orationem per quam conseruat vestem adeò pretiosam; optans vt vnusquisque suorum ministrorum splendeat sicut Sol & certam faciat suam electionem, & vocationem per huiusmodi exercitia.

1 *Lib. 1. in initio.*

a *Exod. 34. 29.*
b *Luc 9. 29.*
c *Mat. 17.*
d *Cant. 6. 9*
e *2. Petri. 1. 10.*
f *Apoc 12. 1.*

HINC est, quòd oratio (vt ait S. Chrysostomus) signum sit sanctita-

2

tis

tis animarum, quæ sunt viua Ecclesiæ membra. Et quemadmodum dixit Ecclesiasticus: g *ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis, enuntiant de illo:* ita multò magis, ait deprecatio, cultusq; Dei signum est totius iustitiæ: est enim habitus quidam spiritualis, ac diuinus, stupendam adferens animabus pulchritudinem; quia vitam totam componit ac dirigit; omnem ab ea maculam eluens, sancta quadam superbiâ quæ propria est colentium & honorantium Christum: & consistit in eo, vt contemnat omnia terrena; peccato seruire dedignetur; & spiritum in omni puritate conseruare nitatur. Et cùm aliquem video, inquit, non addictum orationi, nec eius curam habere: statim colligo, eum nihil egregiæ dotis in animo possidere: si autem video cultui Diuino valdè attentum, & summum damnum reputare, quòd non oret continuè: coniecto talem omnis virtutis firmum esse meditatorem, ac Dei templum; in quo Deus habitet & glorificetur.

Lib. 11 de orando Deũ g Eccl. 19 26

Oratio, inquit, est tanquam neruus virtutum &, mysticorum Ecclesiæ membrorum. Nam quemadmodum corpus neruis suis connectit, & colligat sua membra; eisdem viuit, ambulat, currit, & omnia sua opera facit; & in eisdem præcipua vis & fortitudo consistit: ita vt, illis abscisis, tota eius harmonia dissoluatur, & corporis fabrica ruat: ita virtutes oratione deuota vniuntur, & connectuntur in Charitate; cum qua viuunt, suos actus exercent, magnamque in eis fortitudinem habent; & orationis spiritus coniungit corda fidelium; & potentes eos facit, ad omnia suorum officiorum munia præstanda. Et est præcipua Ecclesiæ protectio: quemadmodum enim Ciuitas, etiamsi ab hostibus obsideatur, si bonis & solidis mœniis sit circumdata, non parebit hostibus aditus; nec propter famem se dedet, si habeat sufficientia alimenta, nec deiicietur violenter, si multos habeat strenuos milites, qui eam propugnent: ita Ecclesia & quælibet anima, in qua feruentis orationis Spiritus floret, septa est Diuinæ protectionis muro inuicto & insuperabili; defenditur à multis millibus Angelorum; estque bene ei prospectum de copiosis spiritualibus alimentis; ita vt non sit, cur timeat se à suis hostibus capiendam.

3 *Lib. 2.*

4

Oratio, inquit idem Sanctus, est sicut irrigatio plantarum, quæ aqua fluente, virorem & vigorem suum conseruant, crescunt folia, proferunt flores ac fructus; qua tamen deficiente marcescunt, arescunt, ac denique pereunt: præcipuè si sataæ sunt in terra arida, sterili, arenosa, & si clima sit valdè calidũ & intemperatum. Hunc in modũ irrigatione orationis ac deuotionis conseruatur vigor & feruor Spiritus in Ecclesia; virtutum

5

plantæ crescunt in animabus, erumpunt feruentium desideriorum flores: folia verborum sanctorum, & bonorum operum fructus. Qua irrigatione deficiente, reliqua etiam deficerent, & virtutes perirent: eò quòd corda, in quibus sunt satæ, sint arida terra, & oppugnentur ab vrentibus passionum ventis, & fulminibus igneis, quæ proprius amor eiaculatur. Ex quo apparet, per Orationem impleri in Ecclesia illud Isaiæ: h *Lætabitur deserta & invia & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit & exultabit lætabunda. Et quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum.* Quemadmodum enim Moyses orans impetrauit à Deo, vt i *aperiret* populo *thesaurum & fontem aquæ viuæ*, vt satiari posset, & ita ex *durissima petra egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta.* Et k *Elias* (vt S. Iacobus Apostolus perpendit) *oratione impetrauit vt cœlum daret pluuiam*, & irrigata *terra daret fructum suum.* Quæ omnia animaduertens Ecclesia, vult suos Ministros sæpiùs quotidie orare; vt cœlestem hanc irrigationem impetrent, & viuas gratiarum aquas, quas Deus ex infinitis suis thesauris effundit.

h *Isaiæ.* 35. 1. 7.

i *Num.* 20. 6. 11.

k 3. *Reg.* 18. 41. *Iacob.* 5. 13.

SED ampliùs adhuc exaggerat S. Chrysostomus exercitij huius necessitatem, dicens: quòd quemadmodum anima est vita corporis, cui sensus & motus omnes communicat; ea autem discedente, manet cadauer deforme, & fœtidum, & conuertitur in vermes: ita oratio est vita animarum, in quantum eis impetrat omnia, quæ sunt necessaria, vt viuant, sentiant, & operentur iuxta Leges Spiritus S. eiusque gratiæ, quæ est propria vita spiritûs. Quod si illæ orationem dimitterent, breui morerentur, & redderentur deformes à vitiis, & valde fœtidæ à malis exemplis; & replerentur vermibus, inquietudinis & remorsûs. Et ob hanc causam cum Christus Dominus noster in cœlum ascendit, tota Ecclesia, quæ tunc erat, tradidit se Orationi continuæ, donec Spiritus Sanctus super omnes descenderet, & in eadem postea perseuerabant, ad conseruandam, & augendam Spiritualem illam vitam. Et quemadmodum aqua ita est vita piscium, vt in ea viuant, natent, suasque actiones exerceant; ex qua cum exeunt, statim exspirant: ita, ait, oratio est vita animarum, qua viuere debent, respirant, laborare, & opera facere æternâ vitâ digna: quod si dimittant Orationem, exponunt se periculo omnia amittendi.

6 *Lib. 1. de orando Deū.*

Libro. 2.

Lib. 1. ab initio.

HIS & alijs similitudinibus ostendit gloriosus hic Doctor necessitatem & vtilitatem huius exercitij orandi, dicens: si velimus imitari Patriarchas, Prophetas, Apostolos, & Clarissimos Ecclesiæ Patres: facilè id impetrare nos posse: si per omne tempus precationibus ac Dei cultui, studioque pietatis dediti viuamus; hanc vitam, hanc sanctitatem, hanc opulentiam, hanc bonorum omnium summam existimantes, vota nostra offerre Deo sincero puroque corde. Quæ sententia speciatim competit Sa-

cerdotibus

cerdotibus & Ecclesiasticis, qui ratione suæ Professionis, dedicati sunt & consecrati continuæ orationi, cultuq́ue diuini ministeriis, multò maiori excellentia, quàm Sacerdotes & Leuitæ Antiquæ Legis: quibus Ezechias Rex dixit: l *vos elegit Deus, vt stetis coram eo, & ministretis illi, cohortiq́; eum, & cremetis incensum*. Cum autem quòd stemus coram Deo, fiat ad orandum, & cum eo loquendum, & offerenda Sacrificia, & incensum cremare, sit orationis symbolum: hoc totum est proprium Ecclesiasticorum; de quo meritò debent ampliùs gloriari, quàm de rebus alijs omnibus: cùm deceat vnumquemque gaudere, & gloriari de officio suo; præcipuè, si ad id sint ab Ecclesia constituti, & conducti. Quæ benè collocatos reputat redditus, etiam valde pingues dignitatum & beneficiorum etiam simplicium, eo solùm nomine, vt illi quotidie occupentur in Diuino officio legendo; & ipsi Ecclesiæ auxilium præstent suis orationibus. Ita vt etiam dicere possit Christus Ecclesiasticis Ministris, quod dixerat antiquis m *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?* Si enim aliquid laboris in ministerio vestro ponitis: temporalem vestram mercedem accipitis. Quod si portas sensuum vestrorum clauditis, vt intra cordis vestri templum orationis causà vos recipiatis, & incensum vocalium vestrarum orationum incendatis: ego vobis sufficiens pro eo labore stipendium trado; præter illud spirituale & meritum gratiæ & gloriæ quam vestro hoc opere obtinebitis. Non enim existimare debent Ecclesiastici, orationem institutam ad communem Ecclesiæ vtilitatem, non esse etiam sibi ipsis valde vtilem, & proficuam: quia est magis ipsis, vtilis, quàm si solùm pro seipsis orarent, vt constabit ex dicendis capite tertio.

l 2. Paral. 29. 11.

m Malach. 1. 10.

CAPVT II.

QVIBVS CAVSIS SPECIALITER INNITATVR Consuetudo solenniter canendi officium Diuinum alternis versibus, & quo fructu & vtilitate id fiat.

EX Dictis Hactenus deducere licet causas consuetudinis in tota Ecclesia receptæ, solenniter canendi Diuinum officium. Ad cuius rei declarationem aduertendū est: duobus modis dici posse & persolui Canonicas Horas. Alter est submissa voce illas legēdo & hic modus, vt ait S. Thomas, est necessarius omnibus Ecclesiæ Ministris: Quia enim illa est visibilis: etiā oratio, quā illa iniungit, & ad quā obligat, debet esse vocalis; ita vt qui illam solus legit, possit suis auribus eam

2. p. q. 83. a. 12.

percipere; quod si cum altero, tali etiam voce eam legat, vt & alij ipsum, & ipse alios audire possit. Cum autem oratio hæc fit in choro, tali voce est proferenda, vt à Fidelibus, quorũ nomine offertur, percipi possit. Ad quod plus confert alter modus, quo horæ illæ canuntur, vt nunc moris est in vniuersa Ecclesia. Cuius consuetudo (vt ait Sanctus Augustinus) fundamentum habet in ipsa Scriptura sacra; & in eo quod antiqui Sancti ex Dei inspiratione gesserunt, à tempore Moysis, cum cœperunt aliqua Cantica a *Domino nostro decantari*. Et postea Dauid (vt proximo capite est dictum) instituit vsum b *cantandi psalmos & hymnos cum instrumentis musicis*, constituens ad id cantores: & Christus Dominus noster in nocte cœnæ suum dixit c *hymnum*, &, vt idem Sanctus ait, Hymnus appellatur laus Dei cum cantico; Et S. Chrysostomus: quod Saluator noster hunc hymnum canere voluerit ad nostrum exemplum, & Apostolus exhortatur Fideles ad d *cantandos Psalmos, Hymnos, & Cantica spiritualia*, id quòd valde fuit vsu receptum (vt ait Sanctus Dionysius) in Ecclesia primæua; & etiam fit mentio in canonibus Apostolorum, à quibus Sancta hæc prouenit consuetudo in Orientalem & Occidentalem Ecclesiam; de qua Sanctus Augustinus dicit: Ipsius Domini, & Apostolorum habemus documenta, et empla, & præcepta: Cuius eædem sunt causæ, atque Diuini officij in genere iam positæ. Sed in particulari (vt S. Thomas aduertit) non est existimandum orationes & laudes vocales ipsumq; ne cantum eò dirigi, vt corda ac desideria nostra Deo manifestemus, sicut facimus cũ hominibus; nec vocem extollimus, vt nos Deus exaudiat, sicut Elias e *illudens dicebat falsis falsi Dei Baal Sacerdotibus*. Nouit enim Deus cordis nostri cogitationes penetrare prius, quàm eas nos proferamus: quare quod clara voce, & artificioso concentu orationes faciamus: fit tantùm ob nostram ædificationem & vtilitatem.

Epist. 119. ad Ianuar. c 18. & Lib. 12. de Ciuit. c. 14.
2 Exodi. 15. 1.
Deut. 32. 1.
b 1. Paral. 6 31.
2. Par. 7. 6. Eccli 47. 12.
c Matt 26. 30.
In Psal. 72.
d Ephes. 5. 19
Colos. 3. 16
De diuin. nomin. c. 3. & c. 3. de Cœlest. Hierar. Epist. 9.
2. 2. q. 91. a. 1
c 3. Reg. 18 27.

§. I.

ET PRIMVM quidem: Quòd, (vt S. Ioannes Damascenus ait) cum spiritu & corpore constemus. decet adorare & laudare Deum, non tantùm affectibus spiritûs; sed verbis etiam ac vocibus corporis; vt & corpus & spiritus, siue a *cor & caro nostra* (vt dixit Dauid) *exultent in Deum viuum*. Ex quo fit, vt propter vnionem corporis & animæ, sicut spiritus abundantia erumpit in voces feruentes per linguam; ita linguæ voces deuotionem excitent spiritûs. Propter quam rationem ait S. Augustinus, se approbare consuetudinem cantandi in Ecclesia: vt debilium animus ob aurium oblectationem erigatur, & excitetur ad pios affectus concipiendos: & de seipso, cum Deo loquens, dicit: quantum fleuim Hymnis, & Canticis tuis, suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commoti acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in

1
Libr. 4 de Fide orthod. c. 3.
2 *Psal. 83. 3.*
2
Lib. 10. Confess. c 33.
Lib. 9 c. 6.

cor

cor meum, & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. Hinc prouenit, vt (quod ait Sanctus Gregorius) cantus Psalmorum viam pandat, qua Dominus noster communicet Diuinorum mysteriorum cognitionem, contritionis donum, & pios alios affectus, quemadmodum euenit Elisæo petenti: b *adduci sibi Psaltem: quo canente* disponeretur ad excipiendum Spiritum prophetiæ: & tunc *facta est super eum manus Domini*. Et propterea dixit Dauid: c *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei:*: & iterum ait: d *Cantate Deo, Psalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*. Et ita insinuat, Deum glorificari cantu laudum eius; & hominem manere bene ad id dispositum, vt Dominus, qui habitat in cœlis & in luce inaccessibili, veniat ad eius cor illudque luce sua illustret, suaque illi arcana manifestet: conuertens eius spiritum, qui instar occasus obscurus est ac frigidus, in Orientem & Meridiem clarum, igneque Diuini amoris feruentem.

3 *Homil. 1. in Ezechiel.*

b 4. *Reg.* 3. 15.

c *Psal.* 49. 23.

d *Psal.* 67. 5.

Atros multos effectus efficit Cantus hic Diuinus. Nam (vt ait S. Isidorus) tristia corda consolatur, animos reddit suaues, tædio affectos recreat, ignauos excitat, & peccatores impellit ad planctum: Psalmũ (ait S. Basilius) esse vocẽ Ecclesiæ, quæ dies festos reddit illustriores, replẽs illos lętitiâ. imò interdum etiã tristitiâ, quæ est secundũ Deũ: eliciens dulces lacrymas ex corde, instar lapidis duro. Psalmus est quies & trãquillitas animarũ; vnio dissidẽtium, & pacis causa inter hostes. Et quamuis aliquis sit irâ inflãmatus instar feræ alicuius: accedẽte tamẽ cantu Psalmi, & aures eius ingrediente, mitescit, feritate deposita. Psalmus est opus Angelorũ & cõmune cœlestis Reipublicæ officiũ; & spirituale suauissimi odoris thymiama. His addit S. Thomas: cãtũ laudũ Diuinarũ plurimũ ad id prodesse, vt Ecclesię Ministri eis occupati, abstineant ab ijs, quæ Deo displicent: iuxta illud, quod ipse Dominus per Isaiam dixit: e *Laude mea infrænabo te ne intereas* Et S. Gregorius Nazianzenus asserit: psalmum multum prodesse ad sensuum, & huius mundi voluptates reprimendas: quia eleuat mentem ad fruendum cœlestibus ac diuinis. Ex quo fit, quòd Ecclesia militans huiusmodi canticis imitetur, quomodo potest, triumphantem: in qua Beati Deum laudant vocibus, & clamoribus valde concinnis, canticis ac musicis valde iucundis. De quibus ait S. Ioannes quod viderit eos f *habentes citharas suas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*; & summo gaudio *cantabant canticum nouum*. Vt de vtraque Ecclesia dicere liceat illud Canticorum: g *quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum*? quorum vnus est exercitus militiæ Angelicæ: qualis illa fuit, quæ descendit ad celebrandum Natale Domini, tribuens h *gloriam Deo in excelsis*: *alter* chorus est animarum Sanctarum

4 *Lib 3. sentent. c. 7. Poem. in Psalm.*

2. 2. q. 91. a. 1.

e *Isai.* 48. 9. *orat. 4. contra Iulian.*

f *Apoc.* 5. 8. & c. 14. 23.

g *Cant.* 7. 1.

h *Luc.* 2. 13.

quæ

quæ Dæmones vicerunt, de quibus S. Ioannes dicit, quòd *haberent Citharas Dei: & cantarent canticum Moysi serui Dei, & canticum Agni*: qualis sunt cantica militum vincentium, & laudantium Deum ob victoriam obtentam. *Tertius* Chorus est ministrorum Ecclesiasticorum in terra, quibus coniunguntur Angeli è cœlo, vt cantus illorum sit magis deuotus. Vocantur autem chori, & castrorum exercitus: eò quòd concordibus huiusmodi vocibus, ortis ex cordibus vnitis, Dæmones vincant, ac de vitijs & passionibus triumphent: & ita referant ciuitatem Beatorum: & concordiam, quam meritò habere debent filij & ciues Ecclesiæ. Nam (vt S. Augustinus ait) musica & cantus Ecclesiasticus concordi varietate compactam benè ordinatæ ciuitatis insinuat vnitatem. Vt enim in cantu voces, etsi aliàs valdè in se differentes concordant; & varietas Alti & Bassi, Discantus, & Tenoris, quia in musica concordant, eam reddunt suauiorem & iucundiorem; ita in ciuitate benè ordinata, qualis est Ecclesia, & qualis esse debet Ecclesiasticorum congregatio: debent omnes in charitatis vnione conuenire, etiamsi ingenia & officia valde diuersa habeant. Et qui ex naturali sua constitutione valde sunt Cholerici, aut Phlegmatici, Melancholici, aut Sanguinei; aut contrarias habentes naturales propensiones: nosse debent, excessus suos mortificare cum tanta animi fortitudine, vt summa pace fruantur; & musicam cordis faciant Deo & eius Angelis valde iucundam. Neque exiguus censendus esset is fructus, quem S. Augustinus insinuat: si eum Ecclesiastici ex cantu suo acciperent.

1 *Apoc.* 15. 2.

Lib. 17. *de Ciuit. c.* 4.

6.

DENIQVE Sanctus hic doctor tantam huius ministerij habebat opinionem, si fieret vt oportet, vt dixerit: Quando non est tempus, cùm in Ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi, nisi cùm legitur, aut disputatur, aut antistites clara voce deprecantur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur? alijs verò particulis temporum, quid meliùs à congregatis Christianis fiat, quid sanctius, omnino non video. Addamus tamen quod fideles ad templum conuenientes, & officia Diuina audientes, accipiant omnes hos fructus etiamsi ipsi non cantent: si externa illa solennitate sese prouocent ad internam reuerentiam ac deuotionem, & reliquos affectus prædictos. Supponimus enim, quod in huiusmodi cantu & musica nihil debet admisceri prophani, ne quidem eius aliqua species, vel odor, sed summa grauitas ac decentia, quæ ita corporis auditum recreet, vt etiam Spiritum exhilaret, & soletur.

Epist. 119. *c.* 18. & 19.

7.

§. II.

SED quoniam hic mos posset multum grauare corpus, eò quòd officium Diuinum sit prolixum, & cantus ipse laboriosus: percrebuit in Ecclesia Catholica consuetudo dicendi huiusmodi Horas Canonicas à duobus Choris; altero versum vnum canente; altero versum alium respondente.

Quam

Quam sanctam consuetudinem (ait S. Isidorus) originem duxisse ex ijs quę Isaias dixit de Seraphinis: quod a *clamarent alter ad alterum*: hoc est primus dicebat: *Sanctus*; alter verò eius exemplo permotus respondebat similiter: *Sanctus*; & primus repetebat: *Sanctus*. Et S. Ignatius Martyr (vt refert Nicephorus & alij Doctores) hanc consuetudinem in suam induxit Ecclesiam: eò quòd audiuisset, Angelos hoc modo cantantes Hymnum Sanctissimæ Trinitatis. Quæ consuetudo fuit postea in tota Ecclesia Orientali & Occidentali vsu recepta. Et est conformis consilio Sancti Apostoli exhortantis fideles, ad cantandos Hymnos, & Psalmos: b *loquentes*, inquit, *vobismetipsis*: quod Haymo declarat intelligendum esse quasi mutuò vos exhortemini, vt quisque dicat versum aliquem, & partem. Fuitq; hoc valde expediens: nam varietas hæc canendi & audiendi delectat auditum & prouocat deuotionem; & canendi labor (vt ait Cassianus) redditur suauior, & facilior: quia dum alij cantant, alij quiescunt. Et S. Basilius ait: hac ratione coniungi meliùs orationem mentalem cum vocali. Nam cum lingua tacet, Spiritus excitatur ad res æternas meditandas: & statim cum maiori feruore ad cantum ipsum redit. Hic etiam modus se mutùo iuuandi, alternatim canendo versus Psalmorum, simul verò Antiphonam ad eorum finem: significat efficacitatem boni exempli, quo alij alios prouocent ad feruorem Diuinarum laudum, & ad cordium vnionem, glorificando Deum eique seruiendo: pro cuius gloria laudes ipsas decantant. Hæc insignis illa est promissio, quam fecit Deus per Sophoniam Prophetam, loquens de felici tempore Legis gratiæ. c *Tunc* (inquit) *reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.* Labium electum vocat, quod diligenter attendit, vt semper loquatur quæ Sancta sunt & electa, & nominatim in dicendis aut canendis Diuinis laudibus: addendo orationi & cantui omnes conditiones, quas opus adeò excellens quasi comites requirit.

Quoniam verò persona vna non sufficit ad solennitatem & rei amplitudinem; plures autem, nisi benè secum conueniant, non possunt eam, vt oportet, perficere: promittit Dominus noster Ecclesiasticis & Religiosis *labium electum*; & cordium vnionem, vt *humero vno* ferre possint Chori, & Ministeriorum Diuini cultus onera. Modò ita distribuendo onus, vt alijs canentibus alij sileant; & alijs sedentibus, alij surgant & stent: modò omnibus simul & magna concordia surgentibus, & cantantibus. Promissio hæc est Dei Domini nostri: eius enim esse debet donum, puritas labiorum, excellentia in Diuinis laudibus cantandis, & animorum vnio ad id præstandum: quam propterea Apostolus à Deo pro iustis petebat: o *vt vnanimes, vno ore Deum honorificarent*: quod faciebant sancta quatuor animalia, de quibus S. Ioannes dicit, quòd requiem non habebant die ac nocte, di-

Lib. de Eccles. Offic. c. 7.

a *Isaiæ. 6. 3*

Suarez lib. 4. de Orat. vocali. c. 12

Lib. 13. Hist. c. 8.

b *Ephes. 5. 19.*

Lib. 3. de Instit. Renūt. c. 8.

Epist. 63.

c *Soph. 3. 9*

d *Rom 15. 6*

cte, dicentia: e *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens, qui erat & qui est, & qui venturus est.* Latet verò magnum in eo mysterium, quòd cum tria illorum animalium essent similia Leoni, vitulo, & Aquilæ, quæ non nouerunt loqui, sicut homo: omnia tamen quatuor loquebãtur ad hãc linguam, & eundem canebant cantum, laudando Sanctissimam Trinitatem. vt ex hoc intelligatur, quòd f *sapientia Diuina* (vt sapiens dixit) *aperuit mutorum, & linguas infantium faciat disertas*, detque donum orationis omni generi hominum; siue sint rudes, siue bene capaces & apti, siue sint debiles, siue fortes; & omni nationi, quæ sub cœlo est, vt omnes cantent: *Alleluia*, hoc est, *laudate Deum.* Nã (vt ait S. Hieronymus) diuersis linguis vnus & idem Spiritus Dei eius concinit laudes, & omnes (vt ait S. Basilius) ore vno & corde vno offerunt Deo Psalmorum confessionem: sicut enim charitatis vnione eos conjungit in vno Ecclesiæ corpore, ita eos docet orare & laudare Deum, eodem spiritus feruore: vt in Sancto hoc exercitio dies & noctes constitutis horis expendant, prouocantes totam fidelium multitudinem, ipsos in templis audientium: vt adorent, & laudent ipsum Deum. Eum in modum, quo S. Ioannes dixit, quod g *cùm darent illa animalia gloriam, & honorem & benedictionem viuenti in secula seculorum procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in Throno; & adorabant viuentem in secula seculorum: & mittebant coronas suas ante eius pedes*; & cœperunt eundem laudare cantico proprio suo, dicentes: *Dignus es Dominus Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Vt ex hoc intelligant Reges & Principes, & omnes mundi huius Domini, cæteræque fideles in templo existentes: quòd licèt vnusquisque possit ibi esse cum ea grauitate ac decentia, quæ ipsorum statum decet: statim tamen atque officia Diuina Deique laudes inchoantur: debeant suis temporibus surgere, & procidere coram Diuina Maiestate, & exuere cor suum omni inani & erecto affectu; & mittere quamcunque suam amplitudinem ante pedes Dei: proprijs etiam Hymnis & canticis eum landantes, & confitentes, se creaturas esse supremi huius Domini: cuius sola voluntate sunt, viuunt, & conseruantur.

e *Apoc* 4. 8

f *Sap.* 10. 21.

Epist. 84. *ad Sabinianũ* *Epist.* 93. *ad clerum Nocest.*

g *Apoc.* 4. 9

8

IMPONAMVS capiti huic finem, indicata differentia inter eos, qui Diuinum officium in choro canunt, & qui seorsum illud legunt. Hi enim solùm attendere debent spirituali suo profectui: ita opus hoc faciendo, vt placeat Deo; & ipsi fructum & profectum acquirant: qui autem canunt, præter hoc debent etiam attendere ad bonum spirituale fidelium conuenientium in Ecclesia: ita opus hoc facientes, vt placeat Deo & proximi prosit ad ædificationem. Ex quo fit, vt omnes cæremonias meritò seruare debeant, quas in eum finem Ecclesia statuit adhibendas. Qui autem

soli officium legunt, possunt eo modo tonoque vocis dicere, qui magis eos iuuet, ad augendam suam deuotionem; siue tantùm legant, siue etiam soli canant. Et similiter si legant officium cum alio, possunt inter se versus dividere, vt laborem minuãt dicendi omnes: quemadmodum in ipso choro fit. Iam enim consuetudo hæc recepta est, & approbata in vniuersa Ecclesia. Ac propterea S. Clemens in Apostolicis suis constitutionibus dixit; quando fideles non possunt conuenire in Ecclesiam ad canonicas Horas dicendas, *vnusquisque psallat sibi, canat, aut oret, saltem duo simul, aut tres.* Nec dicit plures quia multitudo in particulari recitatione aliquam adferret confusionem. Et rectiùs, & maiori cum ordine orant duo vel tres, quasi duos choros facientes: eum in modum, quo Tertulianus dicit, morem fuisse olim inter pios coniuges: Quid maritus illi, & quid illa marito cantabit? Sonant inter duos Psalmi, & Hymni; & mutuò prouocant, quis melius Deo suo canat. Quod si decentem seruent moram in legendo, haurire poterunt fructus & vtilitates, quas diximus obtinere tacentem tempore, quo alter canit.

Lib. 8. c. 34.

Lib. 2. ad vxorem c. 6. & c. 9. ad finem.

CAPVT. III.

VALOR ET EFFICACIA ORATIONVM QVÆ NOMINE Ecclesiæ fiunt.

ALIAS EXCELLENTIAS ET VTILITATES non minoris momenti, quam sint prædictæ, habent Orationes, quæ totius Ecclesiæ nomine dicuntur: quæ inter alias duas valde insignes habet proprietates, ad nostrum institutum accommodatas. Propter quas cœlestis eius sponsus de ea dixit: *a vna est columba mea, perfecta mea*; quia Ecclesia est vna, & est Sancta. Vnitas eius consistit in eo, quòd sit congregatio multorum Fidelium, eadem Fide, & Religione Christiana coniunctorum, sub vno visibili capite Pontifice Romano, S. Petri Successore, & Christi D. N. in terris Vicario. Quæ quamuis vna sit, multas tamen particulares Ecclesias complectitur, quæ sunt etiam congregationes fidelium sub specialibus capitibus, hoc est Episcopis, Apostolorum Successoribus: & propter hanc vnionem dicitur tota Ecclesia Sacrificare, orare, canere, & alia similia facere: cùm ea facit ex præscripto & ordinatione Christi D. N. qui eius est fundator, & præcipuum caput; aut decretis Episcoporum conuenientium in Concilijs cum suo capite Summo Pontifice, (hi enim repræsentant Ecclesiam vniuersalem) aut Decreto & Constitutione Summi Pontificis, cui Christus D. N. vices suas plenissimè reliquit. Non tamen est necesse, omnes Fide-

a Cant. 6, 8.

les hæc opera per seipsos præstare; sed iatis est, quòd ea faciant per aliquos, qui cùm sint eiusdem Ecclesiæ pars quædam, ab ea destinantur ad huiusmodi ministeria. Eum in modum, quo dicimus hominem videre, ambulare, & laborare: quamuis hæc non faciat omnibus sui corporis membris, sed aliquibus, quæ ad huiusmodi actiones sunt apta, & à natura destinata; videt enim homo oculis, ambulat pedibus; laborat manibus. Ecclesiæ Sanctitas consistit non solùm in sanctitate Legis; Sacramentorum & Sacrificiorum, quæ in ea sunt; sed in eo etiam quòd in eadem congregatione fidelium semper sint aliqui verè Sancti, & amici Dei habentes charitatem, & virtutes valde præstantes: quorum opera & actiones valde ipsi placent, magnumque in ipsius oculis meritum habent. Ex quo prouenit: vt quamuis in Ecclesia multi sint peccatores: (est enim instar areæ multum straminis siue paleæ cum frumento admixtum habentis) quod tamen ipsa in communi facit, est Deo gratum: eò quòd oculos suos potiùs coniiciat in amicos, quos in ea habet, ipsíque placent; quàm in improbos, ipsum offendentes. Cum ex colloquio, quod Abraham cum Deo habuit circa maledictas illas ciuitates Sodomæ, & Gomorrhæ, eisq; confines, constat quòd Deus ignouisset multitudini peccatorum adeò horrendorum, si inter eos inuenisset quinquaginta iustos, quadraginta, aut viginti, imò si vel decem tantùm inuenisset. b *dimittam*, inquit, *omni loco propter eos*. Et per Ieremiam dixit: c *circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei:* toti scilicet ciuitati. Deus enim Dominus noster valdè propensus est ad clementiam & misericordiam; & propter aliquorum iustorum sanctitatem benefacit communitati peccatorum, in qua illi viuunt: quantò igitur magis id faciet toti Ecclesiæ: in qua multi sunt Sancti: quorum sanctitas non amittit suum splendorum propter aliorum malitiam. Ex quo fit vt Ecclesiæ sanctitas hoc nomine augeatur, & imminuatur. Tunc enim sanctior est cum plures habet præclaros Sanctos. Ac propterea tempore Apostolorum, & in suis initiis fuit Sanctissima propter heroicam sanctitatem, quæ in primæuis Christianis eluxit.

b *Genes. 18. 26.*
c *Ierem. 5, 1. 3 p. q. 8, a. 1. ad 3.*

§. I.

EX Hoc fundamento deducere licet præstantiam & excellentiam orationum Ecclesiæ: quæ est corpus quoddam mysticum cuius præcipuum caput est Christus; cor autem (vt ait S. Thomas) est Spiritus Sanctus. Quemadmodum autem caput, & cor, cum toto corpore operantur per spiritus vitales, quos ei communicant: ita Christus Dominus noster, & Spiritus Sanctus orant pro corpore suæ Ecclesiæ, influentes in eam, speciatim in vîua eius membra, quæ sunt ipsi Iusti, Spiritum orationis, &

feruen-

seruentes orandi affectus. Tota autem simul dicitur orare per suos Ministros: qui propterea meritò esse deberent valdè coniuncti cum suo capite Christo & cũ Diuino Spiritu: vt eorum orationes conformes essent Spiritui proprio ipsius Ecclesiæ, Implentes quod ad hanc rem Apostolus scripsit Ephesiis: a *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Quamuis autem videatur Apostolus loqui de mentis oratione, qua quisq; secum & cũ Deo in corde loquitur sanctis cogitationibus, ac meditationibus: tamen etiam loquitur (vt ait S. Thomas) de vocali oratione. Vocat autem cantica spiritualia ea, quæ ab spiritu & corde deuoto procedunt; propterea enim eos exhortatur, vt impleantur Spiritu sancto, qui linguas infundit igneas, quas per Sophoniam vocat b *labium electum*: vt cum feruore dicant Psalmos, Hymnos, & cantica laudis, & actionem gratiarum, cantantes ea cordibus & linguis, innitendo gratiæ & virtuti Iesu Christi, cuius nomine orant pro omnibus. Nec vacat mysterio, quod Apostolus huiusmodi orationum & laudũ mentionem fecerit: à quo Ecclesia eas accepit, & suis Canonicis Horis inseruit: in quibus inseruntur Psalmi Dauidis, Cantica Prophetarum, & Hymni varij, quos viri Sancti adinuenerunt; & alij orandi modi, quos ipsemet Apostolus in suis Epistolis docet; & omnes reliqui, quos Spiritus Sanctus ex communi & ordinaria lege Fidelibus inspirat: memoria scilicet Diuinæ præsentiæ; eleuatio cordis ad ipsum Deum, recognitio vilitatis nostræ, & humilis nostræ miseriæ, confessio, reuerentia, & adoratio Diuinæ Maiestatis, petitio rerum, quæ nobis desunt, particularis peccatorum nostrorum remissio, victoria tentationum; gratiæ, ac virtutum augmentum; obsecratio, siue Sacri alicuius rituli allegatio: quæ ipsum Dominum nostrum ad nos audiendos inclinet; actio gratiarum pro acceptis, beneficijs oblatio & vota siue proposita rerum, quæ ad obsequium Diuinum spectant; laudes Dei propter magnalia, quæ in se continet; & propter ea opera, quæ facit; ac deniq; memoria præstantissimarum rerum, quas fecit in tribus legibus, Naturali, Scripta, & Euangelica, fauendo, prosequendo & remunerando iustos; puniendo verò peccatores; ad nos permouendos, ad affectus amoris, Spei, & contritionis, & alios multos in omni genere virtutum: quibus affectibus Horæ Canonicæ sunt plenæ, vt postea videbimus.

a *Ephes.* 5. 19 *Coloss.* 3. 16.

2. 2. q. 91. a. 2. ad 1.

b *Soph.* 3. 8.

Qvoniam autem in his orationibus magis splendet, est valor & efficacitas earum ad obtinendum quod quærunt. Pro cuius explicatione supponendum est: orationem aliam esse particularem, aliam communem. *Particularis* illa dicitur, quam quisque proprio suo nomine ac deuotione facit, remedia petens suarum necessitatum, aut etiam proximorum: siue mente

Dux. Spirit. Tract. 1. c. 15

tantùm oret, siue etiam voce; siue ipsemet verba componat, siue ab alijs composita legat. Quod fusiùs explicuimus in libro meditationum, & in Duce Spirituali.

CVM autem Ecclesia non sit aliud, quàm Fidelium omnium Congregatio: quò quisque in particulari meliùs nouerit orare, maioreque feruore & spiritu id fecerit: eò amplius promouebit valorem orationis totius Ecclesiæ: cuius *oratio* vocatur *communis*. Quamuis hæc communitas possit esse duplex: Altera, cum fideles alicuius prouinciæ, Ciuitatis, aut familiæ ex sua deuotione & cum spiritu Dei conueniunt in vnum locum ad orandum, alicuius necessitatis omnibus communis causâ: vt fieri solet tempore siccitatis, aut pestis, aut belli; cum instituuntur Supplicationes, dicuntur Litaniæ: & in templis conueniunt, vt pro inuicem & pro omnibus orẽt. Sed magis propriè appellatur *oratio communis* & publica ea quæ fit nomine totius Ecclesiæ vniuersalis. Quæ vt talis sit, duas debet habere conditiones. *Prima* est; vt qui eam facit, sit ipsiusmet Ecclesiæ Minister, eiusdem auctoritate designatus & constitutus ad hoc ministerium orandi nomine ipsius Ecclesiæ: quales sunt omnes Sacerdotes, & quicunque sunt ordine Sacro insigniti, aut Ecclesiastica habent Beneficia: *Secunda* conditio est, vt ipsæ orationes sint etiam ab ipsa Ecclesia constitutæ, vt ipsius nomine offerantur: quales sunt septem Horæ canonicæ; & quæ in ipsa Missa designantur. Eum in modum, quo legati siue oratores debent nominari à Principibus, qui ipsos mittunt; & illi ea tantùm negotia agere, quæ Principes illis committunt. Ex quo fit, vt si quispiam secularis propria deuotione inductus Canonicas Horas legat, etiam in loco publico, quale est templum, aut cum alijs: eius oratio nec communis, nec publica dicatur; sed secreta & priuata: eò quòd non eas dicat nomine Ecclesiæ, à qua non est ad id destinatus. Et similiter, cùm Sacerdos Coronam siue Rosarium Beatissimæ Virginis orat: eius talis oratio nec communis est, nec publica. Rosarium enim non est oratio ab Ecclesia suis ministris præscripta, vt eam eius nomine faciant. Si tamen idem Horas Canonicas recitet, siue id faciat in templo, siue in priuato suo Oratorio; siue solus, siue simul cum alijs: talis eius oratio vocatur communis & publica; quia eam offert nomine totius Ecclesiæ, quam repræsentat. Ideoque etiamsi sit solus, dicit: *Oremus*; & *Dominus vobiscum*; & respondet sibi: *Et cum spiritu tuo*, & similia alia verba dicit sibi ipsi, quasi cum multis, aut multorum nomine loqueretur. Sanctè autem ac piè constituit Ecclesia, vt certis diei temporibus multi conueniant in Chorum, ad has Horas Canonicas dicendas: vt sic conuenientes repræsentent veram Congregationem ipsiusmet Ecclesiæ vniuersalis, quæ per ipsos oret.

§. II.

Præcipvvm harum orationum diſcrimen conſiſtit in efficacitate & valore earum. Particularis enim oratio totum ſuum valorem & efficacitatem accipit ab ipſo orante: & iuxta maiorem, aut minorem eius ſanctitatem ac diſpoſitionem, Oratio ipſa eſt magis aut minus vtilis & fructuoſa. At Oratio communis valorem & efficacitatem ſuam accipit à tota Eccleſia, cuius nomine offertur; quæ ex hac parte & hoc nomine multò maiorem habet efficacitatem; non quidem in omnibus orationis effectibus, ſed in aliquibus. Si enim attendamus ad illos duos effectus: meritum ſcilicet augmenti gratiæ, & gloriæ; & ſpiritualem orantis refectionem; non eſt diſcrimen aliquod inter vtramque orationem. Hæc enim duo ſunt opera & fructus perſonales, quæ ita ea facienti proſunt, vt non poſſint alijs communicari; & omnino innituntur Charitati & feruori orãtis: ita vt neque plus mereatur, propterea quod ſit Eccleſiæ Miniſter; nec amittat quidquam, propterea quòd non ſit talis. Et tantum promerebitur ſecularis orans ipſas horas Canonicas, quantum Sacerdos orãs eaſdem, ſi æqualem habeat Charitatem, & feruore oret æquali. Quoad alios verò duos effectus, hoc eſt, ſatisfactionem pro pœnis noſtrorum peccatorum; & impetrationem recentium gratiarum ac donorum multum inter eas orationes intereſt. Nam particulares & priuatæ orationes non ſatisfacient pro pœnis debitis, niſi orans ipſe ſit in gratia apud Deum; ac proinde ſecularis exiſtens in peccato mortali, etiamſi Canonicas Horas legat, non ſoluit ſua debita: imò etiamſi illas offerat pro alio iuſto, aut pro animabus purgatorij, non proſunt illis. Et ſæpè non impetrant, quod petunt; quia orantibus deſunt conditiones neceſſariæ, vt exaudiantur. Orationes autem publicæ vtrumque effectum & fructum habent per excellentiam eo modo, quo ſuperiùs de orationibus Miſſæ dictum eſt: etiamſi ſacerdos ſit peccator: & nominatim quoad ipſam impetrationem: propterea quòd eas orationes dicat in perſona Eccleſiæ; cuius preces Dñs noſter exaudit; quia tanquam ſponſam ſuam eam diligit, etiamſi Miniſtrum ipſum oderit, & orationes reijciat, quas proprio ſuo nomine ipſe obtulerit. *Tract. 1. c. 5. § 3.*

Exactivs hoc ipſum intelligitur, ſi diſcurramus per conditiones neceſſarias ad hoc, vt oratio infallibiliter impetret, quod petit, iuxta promiſſionem à Chriſto ipſo Domino noſtro factam. *Prima* eſt, vt res, quæ petitur, bona ſit ac neceſſaria, aut expediens ad ſalutem conſequendam. Si enim res ſit praua, quæ petitur; etiamſi tantùm ſit leuis culpæ; peccatum eſſet graue illam à Deo petere. Eſt enim grauiſſima in eius bonitatem iniuria, petere ab eo vt auctor ſit qualiſcunque peccati. 1. *S. Thomas. 2. 2. q. 83. a. 15.*

Et quan-

Et quamuis res petita sit alias bona, si illa non expedit saluti spirituali, non est infallibile, quod obtinebitur; quia Christi promissio non se extendit ad talem. Et hoc nomine Ecclesiæ orationes dignæ sunt, quæ exaudiantur: quia semper sunt de rebus bonis, & in eo gradu, qui conducit ad maiorem Dei gloriam & bonum Fidelium.

Suarez tomo 2. de Relig. tract. 7. lib. 1. c. 23.

2

SECVNDA conditio est, vt oratio fiat cum *Fide*, & Spe siue *Fiducia*. Fides tunc adesse censetur, cùm certissimè creditur veritas Diuinæ promissionis; & quod potius a *cœlum & terra transibunt*, quàm ipsius Christi *verba præterent*, & promissioni, verboque suo desit. Fiducia in eo consistit vt firmissimè absq; vlla dubitatione, aut titubatione speremus, quòd Deus Dominus noster concedet nobis, quæ petimus, promissionis suæ pactum fideliter obseruans. Vtramque hanc virtutem coniunxit ipse Christus Dominus noster, & S. Iacobus eius Apostolus, cum dixit: vt b *postulemus in Fide, nihil hæsitantes*. ob quarum virtutum defectum multæ particulares orationes non exaudiuntur. Orationes autem publicæ Ecclesiæ, nunquam hoc defectu laborant. In Ecclesia enim nec Fides certa, nec spes firma deesse potest, de veritate & bonitate sponsi sui Christi. Et ita in quadam oratione Missæ dicit Sacerdos Christo Domino nostro: *ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ*: propter quam etiam peccatoribus benefacit, sicut sanauit c *Paralyticum propter fidem illorum*, qui illum coram ipso constituerant. Quamuis autem non sit necessaria charitas petentis, ad hoc vt Deus eius exaudiat petitionem, & promissionem suam impleat: quia etiam exaudit peccatores, modò reliquas bonæ orationis conditiones obseruent; nullum tamen est dubium, quin orantis sanctitas plurimum iuuet, vt eius oratio exaudiatur & iuxta votum eius expediatur. Propterea enim dixit Psalmista: d *Oculi Domini super iustos & aures eius in preces eorum*: & S. Ioannes dixit: e *si cor nostrum non reprehenderit nos, Fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo*. Quæ cum ita sint, quis in terra sanctior est Ecclesiâ Christi ipsius sponsa? & quis dignior, in quem Deus oculos suos conijciat? & aures eius audiant talis sponsæ petitiones? Quamuis autem fiducia nostra non debeat præcipuè inniti operibus & meritis nostris: non tamen excidit illa, quæ potiùs existimare solent cor, vt fidat bonitati & liberalitati Dei, quæ præcipuum est fundamentum & fulcrum fiduciæ nostræ. Camq; duo illi sancti Reges Dauid & Ezechias, vt oratio sua exaudiretur, allegarint, quod f *in toto corde suo ipsum Deum exquisiuerint*, & quòd g *in corde perfecto & in veritate coram ipso ambulauerint*: potiori iure allegare poterit Ecclesia seruitia & obsequia, quæ ipsi Domino per membra sua, iustos scilicet præstat; & hunc addere titulum, vt ipsius orationes exaudiantur.

a Matt. 24. 35.

b Matt. 11. 22. Iacob. 1. 6.

c Matt. 9. 1.

S. Tho. 2. 2. q. 83. a. 6.

d Psal 36. 16.

e Ioan. 3. 23

f Psal 118. 10

g Isaiæ. 38. 3

3

HVIC Orationis conditioni affinis est tertia, *reuerentia* scilicet & humili-

militas, quæ illam comitantur: cùm de Christo ipso Domino nostro dictum sit, quod h *exauditus fuerit pro sua reuerentia*; & Ecclesiasticus dixit: quod i *oratio humiliantis se nubes penetrabit, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.* in qua conditione etiam præcellunt orationes Ecclesiæ: quæ digna est, quæ propter suam reuerentiam axaudiatur. Tam propter reuerentiam quam ipsa Deo suo exhibet; quàm ob reuerentiam, quæ sponsæ Christi iure debetur; imò etiam quia quò est maior, eò ipsa se gerit magis humiliter, & in omnibus suis orationibus diffidit sibi, suamque agnoscit miseriam; confidit autem solùm titulo illi, quem semper allegat: vt scilicet exaudiatur *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, sponsum scilicet ac dilectum suum; sine quo agnoscit se nihil posse; & per quem confidit, se omnia posse. Et ipsemet Christus discipulis suis, cùm essent in cœnaculo dixit: k *Quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*; & l *quodcunq; petieritis me in nomine meo hoc faciam, vt glorificetur Pater in filio. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.* Hoc totum accipit sibi Ecclesia præsens, quæ successit ei, quæ tunc erat in illo cœnaculo; & cùm sit semper sancta mansatque in Christo, & Christus in ea: audet petere quicquid vult, quod semper est bonum; & sperat se id obtenturam, quatenus expedit: non ob sua merita tantùm; sed propter bonitatem & liberalitatem sponsi sui, & propter reuerentiam & humilitatem, quam ipsemet sponsus habuit: quam ipsa applicat sibi.

h *Hebr.* 5. 7.
i *Eccli.* 35. 21.
k *Ioã.* 14. 13.
l c. 15. 16. 7.

Quarta orationis conditio est *Perseuerantia*: ita vt nunquam cessemus, nec deficiamus à multiplicandis orationib⁹ donec exaudiamur; & impetremus, quod petimus. Solet enim Deus iustissimis ex causis id differre, vt in alio loco explicuimus. Et necesse est: m *nunquam deficere*, vt ipsemet Christus monuit, ad ducto exemplo *vidue venentis ad iudicem, qui per multum tempus nolebat eam audire*: quia tamen *illa molesta ei erat*, tandem obtinuit ab eo quod petebat. Quæ autem hæc vidua est, ait S. Augustinus, nisi Ecclesia Catholica, quatenus eius sponsus Christus in cœlum ascendens, ab ea discessit, eam relinquens in hoc exilio? Cumque semper persecutionem à suis aduersarijs patiatur, & in suis filijs continuè auxilio indigeat: semper gemit, & nunquam cessat. Ac propterea constituit ministros, qui omnibus horis diei & noctis hoc orandi officium obeant, vt ipsorum præsentia dignam eam reddat, quæ exaudiatur.

4

m *Luc.* 18. 2.

Denique licèt aliqui ex sanctis senserint promissionem infallibilem, quòd orationes nostræ sint exaudiendæ; intelligendam esse tantùm cum pro nobis ipsis petimus; non autem ita cùm pro aliis. Hoc tamen non nocet Orationibus Ecclesiæ. Cùm enim illa sit omnium fidelium Congregatio: cùm illa pro suis fidelibus orat, etiam censetur pro seipsa orare: ideoque hoc nomine etiam est exaudienda. Et quando

5

Lib. 2. qq. Euang. c. 45 tomo. 4.

S. Tho. 2. 2. q. 83. a. 15. & 16.
Ex S. Aug. Tract 73. & 102. in Ioan.

orat pro infidelibus, etiam pro se ipsa orat: nam propriam dilatationem petit per conseruationem eorum, pro quibus orat. Adde, quòd (S. Ambrosius dixit) non est, cur Saluatoris promissio angusteur & contrahatur ad petitionem orantis pro seipso: cùm ipse vniuersim dixerit, se concessurum quidquid peteretur. Promissiones autem fauorabiles Principis adeò immensi, non coarctandæ, sed amplificandæ potiùs sunt ad omnem latitudinem, quam ipsæ sonant: siue quisque pro se petat, siue pro alijs. Non enim minùs tibi dari censendum est, quod pro alijs petis, quàm si pro ipso petas: cùm vtrumque in tui gratiam concedatur. Sicut Angelus quidam dixit S. Paulo oranti pro suis socijs, qui erant in periculo pereundi tempestate: n *donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum.* Cùm igitur Ecclesia sit quasi nauis, in qua omnes fideles nauigamus, si omnes o *oremus pro inuicem vt saluemur*, sicut dixit S. Iacobus Apostolus: Deus oranti dabit salutem eorum, pro quibus orat.

Lib. 5 in c. 5 Luca.

n *Actuum 27. 24.*

o *Iacob. 5. 16*

CAPVT. IV.

VTILITATES ET COMMODA ORATIONIS, QVÆ Multis simul in vno loco manentibus vnus pro omnibus orat.

EX HIS QVÆ PROXIMO CAPITE diximus de vtilitatibus & commodis orationis communis, quæ fit nomine totius Ecclesiæ, deducere licet etiam commoda orationis multorum fidelium, qui ob aliquas speciales causas in vnum locum conueniunt ad orandum, sicut in primæua Ecclesia conueniebant propter occurrentes necessitates. Et cùm conuenissent semel Apostoli cum aliquot fidelibus, ait S. Lucas, eos a *vnanimiter leuasse vocem ad Deum*, tantoque feruore spiritûs, vt *locus* totus *moueretur, in quo erant congregati, & repletos omnes fuisse Spiritu S.* ex quo apparet efficacitas & excellentia huiusmodi orationis, quæ fit à multis simul. Quæ deduci potest, *Primum* ex speciali Christi Domini nostri assistētia, qua sic orantibus adest, implens quod promisit: b *si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quomodo autem est in medio eorum, nisi tanquam Mediator, vt exaudiantur, & tanquam protector, vt iuuet eos petere cum feruore & fiducia? *Huc* accedit, quòd vnio Charitatis, quam ostendunt, dum conueniunt ad simul orandum, sit insignis dispositio, vt eorum oratio exaudiatur: valde enim placet Domino nostro fidelium concordia. Ac propterea in oratione quam omnibus prescripsit, voluit vocari c *Pater*, & quidem non meus sed *noster*: sic eis significans debere ipsos coniũctos & vnitos viuere, sicut fratres absq; vlla abiuicē dissensione, & si qua fortè esset, oportere eam remouere ante ipsam orationem, ac propterea in eadē oratione adiunxit: *sicut & nos dimittimus debitoribus.*

a *Actuum 4. 24. 31.*

1

b *Mat. 18. 19.*

2

c *cap. 6. 9.*

toribus nostris. *Præterea*, quando multi simul orant, augetur fiducia: quia vnusquisque sibi persuadet, obtenturum se per alium, quod per seipsum non existimat se promereri. Et quoniam ex humilitate quisque sibi diffidit, ita omnes simul magis digni redduntur, qui exaudiantur. *Feruor* quoque crescit, quia alterius exemplo alter excitatur; & modestia ac tranquillitas feruentium impellit tepidiores ad eandem habendam. Ex quo fit multò facilior *Perseuerantia* in oratione, quando plures adsunt socij. Qui enim seorsim orat, citò defatigatur: qui autem orat cum alijs, minùs sentit suum laborem: quia aliorum exemplo sese excitat ad perseuerandum. *Denig*, multorum oratio, quæ simul fit, est instar congressûs cuiusdam, quo Deum ipsum inuadimus; & genus quoddam violentiæ, quæ ei infertur: vt, quod petitur concedat. Quemadmodum enim Tertullianus dixit: qui sumus eiusdem corporis membra eadem fide ac fiducia coniuncti, cõuenimus in vnum locum, vt *Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.* Hoc idem perpendit S. Chrysostomus explicans, quod euenit, cùm S. Petrus seruaretur in carcere iussu Herodis Regis: nam, vt ait S. Lucas, d *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Ecclesiam vocat Congregationem fidelium qui erant in Ierusalem; & eorum nominatim, qui simul erant in domo Mariæ matris Marci, continuè orantes pro hac necessitate, per quorum orationem liberauit Deus Apostolum ac in eandem domum deduxit. Quid inquit hac oratione potentius, quæ columnam & Ecclesiæ turrim adiuuat? magna est vis orationis in Ecclesia concorditer à populo oblatæ. Ne dixeris: vix pro me ipso orare audeo: quomodo pro aliis audebo? Nam quòd vnus pro multis oret, magnam requirit fiduciam, & spiritûs libertatem: si autem multi conueniant ad orandum pro vno, non est res difficilis. Et domi quidem orari potest: sic autem, vt in Ecclesia non potest: vbi tanta Patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur; nõ ita Dñm per te solum orans audieris, vt cum fratribus tuis. Hic enim maius aliquid est, puta vnanimitas & consonantia, Charitatisq; vinculum & Sacerdotum Orationes: quæ sunt potentiores: quibus si debiliorum coniungantur, simul cum eis ascendunt ad cœlos. Hæc S. Chrysostomus. Nec tamen per hæc quæ attulimus, reiicimus orationem priuatam, & seorsim in oratorio, aut cubiculo: (præcipuè cùm, qui orant, perfecti iam sunt, & exercitati: ita vt opus non habeant externis motiuis, quibus excitentur: nam in eis solitudo habet quasdam alias magnas commoditates, ad attentionem, & maiorem ipsius orationis puritatem) sed ponimus ob oculos vtilitates huiusmodi orandi, vt fiat cum maiori spiritu: quando necessitas & occasio obligat nos ad eum in praxi tenendum. Et huic fundamento innititur consuetudo Ecclesiæ & populi Christiani, qua tempore pestis, belli, famis, siccitatis & aliarum tribulationum instituit publicas Supplicationes, & Litanias; & exponit Sanctissimũ

3

4

5

6

In Apologetico. c. 39.

Homil. 79. ad Popul. & Homil. 3. de incomprehens. Dei. nat.

1 Act. 12. 5. 12.

Sacramentum, ad orationem quadraginta horarum: vt multi conueniant ad orandum, & iram Dei suis orationibus placandam; aut subsidium in aliquibus necessitatibus impetrandum, sicut dicitur de Apostolis ac Discipulis; quod e *erant perseuerantes vnanimiter in oratione*, petentes aduentum Spiritus Sancti; & liberari à f *persecutione Iudæorum & Herodis*. Est tamen aduertendum, non repugnare, quòd eadem oratio fit recollecta, & fiat seorsum; & tamen sit eam communis: quando scilicet oratur pro omnibus, & pro communibus Ecclesiæ & Christianæ Reipublicæ necessitatibus. Quod voluit Christus Dominus noster monere, cum dixit: g *cum oramus, intremus in cubiculum, & clauso ostio oremus Patrem in abscondito*, & statim subiecit formam precationis, quam Dominicam appellamus, quam (vt Sancti Patres dicunt) voluit esse communem, in qua vnusquisque petat, non sibi soli, sed omnibus Fidelibus, quos habet tanquam fratres. Omnes itaque hanc Orationem cum Spiritu Christi Domini nostri decentes, etiamsi orent in aliquo angulo, orant in communi, alij pro alijs, & vnusquisque pro omnibus. Ex quo fit, vt modus hic Orationis communis præstantior sit, & efficacior particulari: quia maiori innititur charitati & vnioni amoris cum omnibus proximis: committitur tibi (ait S. Ambros.) orare pro omnibus, vt appareat magis splendor magnæ charitatis, si vnusquisque pro se solo oraret, eius oratio esset minùs efficax: quia ei sola. Nunc autem quia singuli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro singulis. Si pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt; siquidem & tu in omnibus es: ita magna remuneratio est, vt orationibus singulorum acquirantur singulis totius plebis suffragia. Hoc idem docet S. Gregorius, confirmans id ex eo, quod dicit Scriptura Diuina: quòd Dominus misertus fuerit Iob orantis pro suis amicis, reddens illi in duplum, quæ abstulerat. Charitas enim & misericordia, quæ pro alijs orando exercetur, multum Deum mouet, vt ipsiusmet pro alijs orantis misereatur; & plus pro se valere preces suas efficit, qui has & alijs impendit. Libentiùs quippe Sacrificium orationis accipitur, quod in conspectu misericordis iudicis, proximi dilectione conditur. Ex quo intelligent Ecclesiastici, se nihil amittere, sed potiùs multum sibi ipsis prodesse ex eo, quod Horæ Canonicæ, quas legunt, aut canunt, cedant in vtilitatem omnium. Et eadem ratione omnes fideles, cum pro seipsis orant, deberent etiam pro reliquis orare, etiam suis inimicis: cum hac ratione plus pro seipsis lucrentur

e *Act.* 1. 14. f c. 4. 14. 29

g *Matt.* 6. 6. S. Cyprian. Ambrosius & alij. *Lib.* 1. *de Cant. & Alleluia.* c. 9.

DENIQVE hoc ad nostram consolationem addam: quòd Communio Sanctorum, quæ est in corpore mystico Ecclesiæ, magis adhuc specialis, quam habent Religiosi eiusdem Religionis, tantam habeat efficacitatem, vt sæpè (quamuis vnusquisque iustus pro seipso solo oret, & sit in

alio

alio loco quàm alius: cum sint eodem amore coniuncti, habeantque idem desiderium Deo seruiendi; hoc solo quòd orent eodem tempore, sufficiat, vt eorum orationes coniungantur in conspectu Diuino, & subsidium pro omnibus impetrent. Hoc ipsum valde nobis declarat memorabilis ille exitus orationis, quam fudit Tobias, cum tribularetur à paupertate & cæcitate; & quam eodem tempore fudit Sara filia Raguelis afflicta propter improperium quo fuerat affecta, quasi ipsa occidisset septem viros prima nocte nuptiarum, quos Dæmonium occiderat. Quamuis enim valde procul alter ab altero distaret, neque alter quicquam de altero sciret: perpendit tamen Scriptura Diuina, quod h *eodem tempore exaudita sint preces amborum in conspectu Summi Dei: & missus sit Angelus Domini Sanctus Raphael, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.* Qui tamen Angelus non venit propter solum Tobiam, nec propter solam Saram; sed propter vtriusque orationem, quæ id à Deo impetrauerat. Cuius sapientia & charitas est infinita: & videns necessitates seruorum suorum, etiamsi seorsum vnusquisque, & in diuersis locis oret: attendit ad orationes & clamores quos fundunt; & medium aliquod adhibere solet, quo simul multorum necessitates reparet. Felices qui tam bono Patri seruiunt, cuius i *oculi* (vt ait Dauid) *semper sunt super iustos & aures in preces eorum*, vt eas exaudiat.

h Tob. 4. 24

i Psal. 33. 16

CAPVT. V.

QVOSNAM OBLIGET PRÆCEPTVM LEGENDI: siue canendi officium Diuinum; & intentio necessaria ad illud explendum & perfectius orandum.

CATHOLICA ECCLESIA SPIRITV SANCTO ILLVSTRATA, agnoscens plurimum se indigere orationibus ad sui conseruationem & augmentum, & ad spirituale ac temporale suorum filiorum bonum: noluit orandi exercitium; suorum Ministrorum libero arbitrio relinquere: quasi per modum consilij illud eis commendaret; nec satis sibi esse voluit, quòd tales Ministri eodem generali præcepto orandi tenerentur, quo cæteri Christiani; sed præceptum, & quidem valde seuerum eis imposuit, obligans eos ad persoluendas septem Horas Canonicas plenè & exactè, vt constat ex decreto Innocentij Papæ in Concilio Lateranensi, quod sic habet: *Districtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt Diuinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent, pariter & deuotè.* Quod præceptũ, vt constat ex communi sensu, & consuetudine Ecclesiæ, districtè ac seuerè obligat omnes Ecclesiasticos Oreinis Sacri,

c Dolentes &c. Presbyter de celebra. Missarum. Suarez Lib. 4. de Horis c. 16. Concil. Basilien. Sess. 22. c. Qualiter extra chorum Horæ Canonicæ sint dicendæ.

per quem deputantur ad laudandum Deum; quibus aptè conuenit illud Prophetæ: a *omnem illum, qui inuocat nomen meum, in laudem meam creaui illum.* Et cum Ecclesia eos velit esse à curis matrimonij expeditos per votũ castitatis: æquum omnino est, ipsos occupari & attendere Diuinis laudibus; & frequẽtiùs orare, quàm faciant coniugati. Idem præceptum obligat etiam omnes clericos, habentes aliquod Ecclesiasticum Beneficium, ex cuius redditibus sustentari possunt: Beneficium enim datur propter officium. Et quamuis clerici beneficiati plura officia in Ecclesia habere possint: hoc tamen dicendi Horas Canonicas, vult Ecclesia omnibus illis esse commune, vt orent pro toto populo Christiano, à quo accipiunt alimenta; & quia hoc ipsum officium orandi est medium aptum ad reliqua bene præstanda. Sed aliqui, præter hoc præceptum, ob specialẽ sui beneficij obligationem, tenentur diuinum officium in choro suis temporibus canere cum ea, qua par est, decentia ac solennitate: quales sunt Canonici, Rationarij, & alij Beneficiati: qui quasi Ministri constituti & conducti sunt ab Ecclesia ad hoc Ministeriũ; ac proinde ex iustitia tenentur non deserere Chorum; quòd si absque causa legitima absint, grauiter peccant contra præceptum Ecclesiæ, & contra pactum, quod cum illa inierunt. Et præterea amittunt Distributiones, & partem fructuum ei ministerio respondentẽ. In qua re nullus relinquitur locus indulgentiæ & remissioni: vt constituit Concilium Tridentinum, renouans constitutionem Bonifacij Octaui cui addit: *Omnes Diuina per se & non per substitutos compellantur obire Officium, atque in Choro ad psallendum instituto Hymnis & canticis Dei nomen reuerenter, distincte, deuoteq; laudare.* Ex quo apparet, prædictos Canonicos & reliquos non satisfacere, si tantùm adsint in Choro, non tamen cantent; etiamsi aliàs Diuinum recitent Officium: tenẽtur enim etiam canere, quando legitima causa non adest, quæ ipsos excusẽt. Præceptum enim non tantùm obligat, vt adsint, sed vt adsint ad canendum Officium, iuxta Ecclesiæ consuetudinem: neque enim cantus seruari posset, nisi aliqui canere tenerentur. Cùm igitur non sit maior ratio, cur alij potiùs quàm alij teneantur, facilè intelligitur omnes teneri.

EADEM obligatione (licèt non cum tanta seueritate) tenentur ex consuetudine Religiosi, qui iuxta suum Institutum profitentur, Horas Canonicas in choro canere. Quamuis enim Prælati teneantur valde exactam adhibere diligentiam, ne chorus à Communitate negligatur; quod tamen singuli Religiosi in particulari, etiam absque legitima causa, desint, eam solã culpam aut pœnam incurrent, ad quam eorum Regula, aut Superiorum Ordinatio eos obligaret, aut imponeret: hoc autem oritur ex fine, quem choro suo habendo intendunt; qui diuersus est à fine Ecclesiasticorum Secularium. Quorum Chorus præcipuè non dirigitur ad suum profectum,

a *Isaiæ. 43. 7*

c. *Quia, De rescriptis in 6.*

D. 92. c. vltimo. Clem. de Celebr. Missar. c. 1. Suarez lib. 4. de Horis. c. 9. & 10. c. vnico de Cleri. non residenti in 6. Sessio. 24. c. 12. de Refor. circa finem.

ctum, sed vt plebs, cuius decimis & redditibus sustentantur, accedere possit ad templum, & his ministerijs interesse. Ex quo etiam prouenit, vt & si Ecclesiastici ea exerceant, tanquam media proprij profectus Spiritualis, si ea faciant cum perfectione, qua tenentur. In Religiosis autem contra fit eorum enim Chorus & cantus præcipuè fuit institutus tanquam medium quoddam proportionatum Professioni, quam profitentur iuxta suum statum. Cum enim tantùm sint Diuino cultui & seruitio mancipati: nec tamen omnes (vt aduertit Gerson) apti sint ad orationem mentalem, & meditationem, aut contemplationem quietam: expediebat designare illis hunc modum occupationis, in qua partem diei & noctis expenderent in cantu Chorali, ad se ipsos mouendos ad deuotionem & amorem Dei, & hoc medio implendam exactè specialem obligationem, qua tenentur, laudandi Deum: etiamsi populus Christianus ad huiusmodi ipsorum officia non accederet, neque ille eleemosynas aut stipendia eis daret. Sed hinc etiam prouenit, vt accedentes ad ipsorum officium, eundem capiant fructum, quem caperent accedentes ad eadem officia reliquorum Ecclesiasticorum. Cùm igitur oratio Religiosorum siue lecta, siue cantata in choro accipiatur quasi medium propriæ perfectionis: hic ipse nouus erit titulus, inuitans & impellens, vt conentur excellere, quantum licebit in eo cum magna excellentia præstando: non tam quoad externam solennitatem, quàm quoad perfectam obseruationem rerum, quas Ecclesia præcipit, & suadet, vt fiant cum perfectione.

Vide Suarez supra c. 12.

p. Alphabet. 78. lit. 8

§. I.

Ad cuius maiorem declarationem supponendum est: hoc præceptum duo actuum genera complecti: quosdam internos, spectantes ad intellectum, voluntatem, imaginationem, & sensuum appetitus, in quibus sunt affectus animæ sensibiles: qui omnes deseruiunt orationi ex ea parte, qua includit quod mentale est. Alij sunt actus externi, qui pertinent ad orationem vocalem: & hi consistunt in prolatione verborum cum cæteris circumstantijs ad corpus spectantibus. *Primi* actus sunt præstantiores, eò quòd in eis consistat substantialis perfectio orationis, & sint secundis difficiliores. Corporis enim membra obtemperant homini absq; resistentia; & in eius potestate est, si velit loqui, aut canere cum longiori mora; habere oculos demissos, manus & corpus ipsum quietum in vno loco, cum hoc aut cum altero situ. Internæ autem potentiæ, & nominatim imaginatio, & sensuum appetitus non hoc modo ei obediunt; sed cum aliqua repugnantia, neque enim est in hominis potestate ita de hac re cogitare, vt non cogitet de altera; attentus esse ad id quod dicit, aut deuotus ac tener: sed potiùs sæpè distrahitur & arescit; & magnâ opus est vi, vt distractionem, & spiritus aridi[illegible]atem, à se remo-

ueat.

ueat. Quemadmodum tamen corpus & anima mutuò se iuuant in suis actionibus: ita in recitatione & cantu actus interni multum conferunt, vt externi fiant cum sua virtute; & hi etiam iuuant, vt interni fiant perfectius. Et vtrosque commendauit Innocentius Papa, cùm constituit, vt officium diceretur *studiosè & deuotè quantum Deus dederit*: quia eius est donum, & vnusquisque (vt ait Ecclesiasticus) a *benedicere debet Dominum, & exaltare illum quantum potest*, intendendo omnes suas vires, vt hoc opus præstet cum ea perfectione qua par est, ac decet. Cùm igitur interni actus magni sint necessarij, & quasi radix externorum: incipiamus ab ijs, quæ ad eos pertinent, reducentes eos ad tres præcipuos actus.

a Eccli. 43. 33.

PRIMVS est ex parte voluntatis, quem vocamus INTENTIONEM orandi; secundus est ex parte intellectus quem vocamus ATTENTIONEM siue aduertentiam ad id quod oratur; ex quibus tertius resultat, qui vocatur DEVOTIO, & consistit in promptitudine voluntatis ad hoc opus peragendum: quam deuotionem comitari solent alij teneri affectus, qui vocantur deuotio sensibilis. Et in omnibus his tribus actibus est aliquid omnino necessarium ad veram & vtilem orationem; aliquid autem est solùm ex consilio, vt illa sit perfecta. Qui tamen ita solent esse connexi, vt de quocunque aliquid dicamus, opus sit aliquid de alijs miscere.

1 *Vide Suarez lib. 3. c. 3.*

OSTENDAMVS hoc nunc in primo actu, hoc est in orandi INTENTIONE: quæ adeò est necessaria, vt sine ea non possit vera esse oratio. si enim accipias breuiarium, & percurras omnes Psalmos: & orationes quæ in eo continentur, propter solatium, aut curiositatem, aut studium; verè non oras: nam orare est cum Deo colloqui, & verba ad eum dirigere: Quando autem orationes legis ob fines prædictos, non magis cum Deo colloqueris, quàm cum legis alios libros. Est igitur necessarium cum ea intentione legere, vt cum Deo colloquaris, & gratias ac dona ab eo petas, & verba illa ad infinitam eius Maiestatem dirigas, faciens illum actum Religionis, qui ex se dirigitur ad cultum Diuinum, & remedium nostrarum necessitatum. Ex quo apparet, non satisfieri præcepto Ecclesiæ illo modo Officium legendo: hoc enim præceptum est orandi Deum, & has eius laudes proferendi: quod non expletur, nisi cum prædicta intentione ac fine officium illud legatur.

2

VERVM quidem est, non esse omninò necessarium, quòd hæc intentio sit expressa, & actualis quotiescunq; Officium legitur; sed sufficere, vt implicita sit aut virtualis. Virtualis autem intentio censetur, quæ inititur alicui actui præterito. Qualis esset, si matutino tempore apud te constituteres orare Canonicas Horas; quas absque alia actuali intentione suis temporibus legeres, ac recitares. Implicita intentio censetur, quæ innititur bonæ consuetudini, quam habes orandi illas Horas pro honore Dei, & vt tu

am ob-

am obligationem impleas, præstans quod ex tuo officio præstare teneris. Cuius indicium esset: quòd interrogatus, cur accipis Breuiarium in manus? statim responderes, ad orandum, & satisfaciendum tuæ obligationi. Melius tamen esset actualem ipsam intentionem renouare, antequam ipsæ Horæ Canonicæ inchoarentur: vt eo proprio spiritu dicerentur, quem illæ requirunt. Ex quo fit, vt ad Ecclesiæ præceptum implendum, non sit necessarium habere expressam & actualem intentionem illud implendi; sed sufficere virtualem, aut implicitam, quæ includitur in voluntate quã habes orandi iuxta bonam tuam consuetudinem. Imò addo: si quis scrupulosus diceret se velle legere aut canere Officium, & tamen nolle tunc præceptum implere; sed illud repetere, vt præcepto satisfaceret: is inquam, si postea mentem & voluntatẽ repetendi deponeret: non teneretur Officium repetere: nam prima recitatione aut cantu præcepto satisfecit: quia fecit quicquid Ecclesia faciendum constituit. Voluntate autem illa Officium repetendi, neque ipse sibi præceptum imposuit, quia non penderet ex eius voluntate præceptum facere; neque voto se ad repetendum obstrinxit: quia id non intendit simplici voluntate & proposito repetendi concepto: ideoque non manet repetitioni obstrictus. Ante tamen, quàm tempus Officium dicendi elabatur, tenetur priorem voluntatem non satisfaciendi præcepto per primam recitationem mutare, & velle per eam satisfeciſſe: nam voluntate illa non mutata, neque repetito Officio, lethaliter delinqueret, nam quantum est in se, dicit, se nolle præceptum implere: sicut etiam peccaret is, quem præceptum impleuisse pœniteret. 3

Vide Suarez lib. 4. c. 26.

Super hanc intentionem, quæ tanquam basis & fundamentum est veræ Orationis sufficiens ad præceptum implendum, erigi possunt variæ aliæ intentiones; quædam vitiosæ, quædam verò sanctæ & perfectæ. Neque est cur hoc quenquam deterreat. Nam quemadmodum dicit Apostolus: b *Super fundamentum, quod est Christus Iesus, alios ædificare ligna, fœnum, & stipulam; alios verò aurum, argentum & lapides pretiosos*: Ita etiam super intentionem orandi solent homines ex malitia sua tres alias intentiones vitiosas superædificare, quæ sunt tanquam ligna rudia, fœnum aridum, & vacua stipula: quibus fouebitur Purgatorij saltem ignis. Quædam igitur vitiosa intentio est cupiditas orantium Officium, aut accedentium ad Chorum, præcipuè ob stipendium temporale. Alia est intentio inanis, orantium aut canentium ob inanem gloriam: siue quærant ex ipsamet Oratione sancti haberi; sicut Pharisæi Hypocritæ, de quibus dixit Christus c *quod recepissent mercedem suam*; siue ex aliqua circumstantia, sicut Cantores, qui ex vocis elegantia inaniter gloriantur. Alia est intentio seruilis, orta ex timore seruili, qualis esset eorum, qui ad Chorum propterea tantùm venirent, vt pœnam effugerent aut reprehensionem Prælatorum. 4

b 1. Cor. 3. 12.

c Mat. 6. 5.

Quæ intentiones non impediunt, quò minùs Oratio sit vera, per quam præcepto Ecclesiæ satisfiat: sicut qui Baptizant, consecrant, & alia Sacramenta administrant cum ea recta intentione faciendi, quod iubet Ecclesia: quamuis talibus actionibus prauos alios fines admisceant, non propterea desinunt administrare vera Sacramenta. Ac proinde, qui ob tales fines Officium recitant, etiam temporales distributiones consequuntur, licèt defraudentur spiritualibus, & non consequantur æternas. Oratio enim quæ fit propter malum finem, non est actus virtutis, sed vitij: nam d*Psal.*108.7 virtutis corpus tantùm sine spiritu, & exteriorem speciem sine interiori veritate habet. Deus autem potiùs respicit cor, quàm exterioris operis substantiam & speciem. Et de his intelligitur illud Dauidis: d *Oratio eius fiat in peccatum.* Quamuis enim talis sit vera Oratio propter finem, quem ipsum opus respicit: est tamen peccatum, propter malum finem, quem orans sibi proponit. Ex quo fit vt quamuis sic orans se ipsum defraudet fructu talis orationis: quia neque meretur, neque satisfacit, neque peremit aliquid sibi impetrat: Ecclesia tamen nõ defraudatur fructu impetrationis quem per eam Orationem intendit, vt superiùs est dictum: sufficit enim ad hoc, vt ipsa purissimam habeat intentionem in eo, quòd per suos Ministros orat ac petit: quemadmodum Sacramenta non fraudantur effectibus suis ob malam Ministrorum intentionem; neque eleemosyna, quam famulus ob inanem gloriam largitur, desinit esse vtilis & fructuosa Domino, qui bona intentione dari eam iussit; sed magna est famuli miseria, quòd ipse iacturam faciat fructûs ex eadem actione percipiendi, qua Dominus magnum accipit lucrum. Magnaque est Ecclesiastici infelicitas quod ipsius Orationes Ecclesiæ prosint; ipse verò, ob prauam appositam intentionem, præmio fraudetur spirituali, contentus temporali vanæ gloriæ aut bonorum fortunæ. Studeat igitur precioſum à vili separare, & Officio Diuino nullam admiscere vilem & abiectam intentionem; qua illud maculetur aut obfuscetur. Et magna diligentia sensus & affectus suos examinet, qui obliquas huiusmodi intentiones produnt: vt agnitas strenuè mortificet. Si enim cum magna animi voluptate ad Chorum se confert diebus illis, aut horis in quibus ampliores sunt distributiones; reliquis verò, aut non accedit, cùm non adsit iusta aliqua causa: aut cum tædio quodam, & illibenter accedit: indicium est, quòd intentio multum habeat cupiditatis. Aut si inchoata iam aliqua hora, maneat ipse extra Chorum garriens, & expectet ingredi Chorum, donec primus Psalmus absoluatur, aut tantùm id vult præstare, quod necessarium est, ne Distributione priuetur: indicia hæc sunt, quòd non obediẽtiæ, sed lucri causâ accedat Et qui libenter in Choro cantat, cùm frequens est auditorium, silet verò, quando non est: satis ostendit, se tantùm canere vt ad speciem

satis-

satisfaciat, aut propter vanitatem, & ita cupiens hominibus placere, placet verè Dæmonibus, & displicet Angelis. Quemadmodum euenit Cisterciensi cuidam Monacho, qui cum præclaram valde haberet vocem, non tamen volebat canere, nisi diebus solennibus, in quibus magnus fiebat ad Chorum concursus. Cumque in quodam ex his diebus cum ingenti inani sua gloria cecinisset, valdeque sibi in cantu suo complacuisset: apparuit Dæmon in figura pueri cuiusdam turpis, & terribilis; & in omnium conspectu cum multis vultus distorsionibus, & manum manu percutiens in modum subsannationis, & irrisionis, dixit: ô, ô, bene, bene cantauit, Et ita euanuit.

In vitis virorum Ill. Ordin. Cister. Spec. Exẽpl. verbo Cantus. exempl. 1.

§. II.

Sed Vlterius progredi debet, qui Diuinum Officium dicere cupit cum perfectione; studens suprà necessariam intentionem prædictã, alias adiungere puriores ac perfectiores: quæ sint quasi aurum aut argentum, aut lapides precioſi. Aurum est pura amoris Dei, eiusque gloriæ & laudis intentio, non quæsito alio præmio, aut mercede, quàm debitum ei honorem deferre. Nam (vt ait S. Chrysostomus) adeò præclara res est Deum laudare, vt licèt nullum aliud præmium speraremus, satis magnum illud esset censendum, quòd velit Deus Dominus noster nos in ipsius laudibus occupari, nam hoc est propriè ei gratis seruire: quamuis id non faciamus sine magno præmio, vt suprà est dictum. Argentum est intentio propriorum orationis finium, quæ dirigitur ad impetrandam à Deo gratiam ipsi seruiendi, aut obtinendi animæ nostræ refectionem, qua obtineamus animum, & maiorem feruorem in Diuino obsequio. Lapides precioſi sunt multitudo virtutum, quæ ipsam orationem comitantur, & vnaquæque proprium suum finem ei adiungit: licèt enim simul quærere multos bonos fines virtutum quę cum ipsa conueniunt. Obedientiam scilicet, tanquam finem obseruandi præceptum; pœnitentiam, quasi finem pro delictis nostris satisfaciendi, misericordiam, applicando ipsam orationem pro necessitatibus viuorum atq; mortuorum; spem, optando præmia & gaudia æterna; animi gratitidinem, offerendo gratiarum actionem pro acceptis Beneficijs; Religionem, ad cultum debitum ei exhibendum; & Charitatem, ad magis ei placendum, eò quòd dignissimus sit, cui exactè obediatur, cuique honor, & obsequium deferatur. Hanc Dauid optabat intentionem, cùm Deo dicebat: a *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Quomodo autem incensum in altum ascendit, nisi propter vim ignis separantis, quòd subtile est à terrestri, & facientis, vt quasi fumus fragrantissimus ascendat? Hunc igitur in modum ignis amoris Dei secernere debet à nostris orationibus quemcunque terrenum finem, mortificando vanitatem, cupiditates, & quoscunque alios terrenos, & mundanos

Serm. de laude Dei post lib. de orando Deum tom. 5. Tract. 1. c. 9.

a *Psalm.* 140. 2.

nos fines: vt rectà, in Deum aſcendant, cum odore ingentis ſuauitatis. Et
b *Apoc.* 8.4. vt b *Angeli de quorum manib⁹ aſcendere* ſolet *fumus incenſorum de orationib⁹*
c *Cant.* 3.6. *Sanctorum coram Deo* (vt ait S. Ioan.) dicere poſſint de anima Eccleſiaſtica
dicente aut cantante Horas: c *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut vir-*
gula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarii: ita
ſi dicerent: quæ eſt anima iſta quæ exiſtens in Choro cum multis aliis, ipſa
tamen in corde ſuo ita eſt ſola, atque ſi eſſet in deſerto? Quæ eſt iſta, quæ
cum tanto ſpiritu orat, adeòque exuta eſt affectibus omnibus terrenis, vt
intentione ſua rectâ aſcendat in cœlum? Sed quid mirum quod ſic aſcen-
dat, quæ nouit cum igne amoris coniungere in thuribulo cordis ſui myr-
rham mortificationis electæ, incenſum orationis continuæ, & fragrantes
d *Cant.* 5.14. virtutum omnium pulueres, adiuncta ſemper prudentia, vt in hoc operetur
illam comitentur? ô feliciſſimum opus adeò fragans coram Deo, adeòque
e *Prou.* 25.11. precioſum in eius præſentia, exornatum auro & argento, & precioſis clariſ-
ſimarum virtutum lapidibus! Licet omnino dicere de eo, qui hoc modo o-
f *Cant.* 4.11 rat & agit, quod: d *manus illius plenæ ſint hyacinthis*, ob ingentem valorem
virtutum, quibus exercitia ſua comitatur: cuius verba ſunt tanquam e *ma-*
la aurea in lectis argenteis: quia plurimùm eis audiendis delectatur Dominus
noſter; & ipſe magnam ſentit ſpiritûs quietem & tranquillitatem in eis
proferendis, dum Creatorem ſuum magno amore ac puritate in eis laudat.
Verè f *fauus diſtillans labia ſponſæ* ſic orantis, *& mel & lac ſub lingua eius*: ſicut
enim fauus multa habet loca, quaſi vaſcula puro melle plena, quod ſenſim
ſtillat al dimittit: ita Eccleſia ad officium dicendum omnes virtutes con-
iungit, cum ſuis puris intentionibus; & ita ſenſim magna cum tranquillita-
te, & ſpiritûs dulcedine verba ſua dimittit. Ex quo fit, vt hæc intentio, quæ
purior eſt, & ab omni proprio lucro expeditior: eò ſit ditior, & ingentibus
lucris copioſior; creſcit enim aurum Charitatis, & merita vitæ æternæ, aurum dulcedinis, ac deliciarum ſpiritualium, quæ animam recreant; & lapi-
des precioſi plurimarum gratiarum & fauorum, quos Deus largitur ſibi
cum tanto feruore ſeruientibus; & diſtributiones temporales eis multipli-
cat, & conſeruat; ne etiam temporale commodum ipſis deſit. Nam etiam
g *Mal.* 1.10 in hoc ſenſu eſt verum, quod dixit Malachias: qui *claudit oſtia* ſenſuum
ſuorum, & *incendit* ignem, quo incenſum offert orationis; non
id faciet *gratuitò*; ſed magnum accipiet præ-
mium in hac & in æterna vita.

CAPVT VI.

ATTENTIO AD OFFICIVM DIVINVM CVM PERfectione persoluendum necessaria.

SECVNDVS Actus Intellectus proprius, qui debet officiũ diuinum comitari, siue legatur, siue canatur, est ATTENTIO, siue cõsideratio eius quod dicitur, & fit. Quæ adeò est necessaria ad orandum absq; peccato, vt, qui sponte distrahitur dum orat, non faciat veram orationẽ imò etsi aliquid oret absq; obligatione, peccet ita orando, cum enim orat, tenetur (vt ait S. Thomas) orare cum attentione ad id quod facit, ob reuerentiam Dei Maiestati debitam, cum quo loquitur. Qui non acquiescit adorationi, aut laudibus merè externis; sed potiùs de eis conqueritur, dicens per Isaiam Prophetam: a *populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me.* Et bene dixit longè esse: vt enim S. Hieronymus aduertit, non accedimus ad Deum corpore, sed spiritu; nec sola lingua oramus, sed corde; neque adoratur externis tantùm cæremoniis, sed vt ipse Saluator dixit: b *in spiritu & veritate*: nam *spiritus est Deus: & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare*: hoc est, adorationi corporis adiungere debẽt adorationem spiritus. Et quænam maior esse potest inciuilitas, & irreuerentia: quàm si quis cùm Rege cælesti colloquens, sponte occupetur cogitationibus rerum terrenarum? Si est inurbanitas, quòd, qui cum magno alquo principe loquitur, aliò respiciat: quantò maior erit, cum Deo colloqui, & effundere se per imaginationem ad res huius mundi? Et mente attendere ad creaturas, non habita ratione, quòd loquaris cum Creatore? hoc (ait S. Basilius) non est orare: sed irridere, non est Deum placare: sed ad indignationem eum permouere; non est petere aut gratias desiderare: sed incidere in nouas offẽsiones grauib⁹ suppliciis dignas: c *maledicti*⁹ enim est (vt Ieremias ait) *qui facit opus Domini fraudulenter*. Officium autem Diuinum (vt aduertit S. Bernardus) appellatur per excellentiam *opus Dei*: quo nomine illud S. Benedictus in sua regula appellauit dicens: nullã rem præferri debere *operi Dei*: quantò igitur minus illud est negligenter peragendum. Quæ autem maior negligentia (ait S. Cyprianus) esse potest, quàm à te ipso exire, & permittere, duci te ab impertinentibus ac profanis cogitationibus, dum opus Dei facis quod est oratio? Homines offenduntur cùm exteriora indecentia oculis suis vident: at Deus qui videt corda, offenditur distractione voluntaria, quam in eis animaduertit. Et quemadmodum d *spiritus modestus*, & quietus (vt ait S. Petrus) *est in conspectu Dei locuples* valdeque illi placet: ita spiritus inquietus & immodestus, qui va-

2. 2. q. 83. a. 3.

1

a Isaiæ 29 13

Ibidem.

b Ioan. 4 23

2

3

Ser. de orãd. Deum, ex S. Thom. iuc Iere. 48. 1) Serm. 47. in Cantica. Lib. de Orat

4

d 1. Petr. 3 4

gatut per terram, nec vult se continere, pauper est, & miserabilis, Deo ualde displicet: quia non concordat cum ijs, quæ lingua loquitur. Ideo S. Augustinus monet, vt dicant labia quod habet cor; cor autem attendat ad ea quæ labia proferunt; & e *clament* cum Dauide *in toto corde suo*, non permittendo in res varias distrahi. Ex quo intelligitur recitantem Horas Canonicas cum distractione voluntaria, non implere præceptum Ecclesiæ: quæ verè non iubet dici aut legi Psalmos vocaliter quomodocumque, sed orare & laudare Deum: vult enim Ecclesia satisfacere obligationi suæ per suos ministros tanquam delegatos & destinatos ad orandum ipsius nomine. Quod si illi orent: quomodo potest ipsa per eos orare? Et quemadmodum illi, si non habeant debitam intentionem, non satisfaciunt suæ obligationi, nec iure possunt distributiones acquirere: ita nec satisfacient, neque ius habebunt ad distributiones, si desit illis attentio: quia vtraque est necessaria, vt oratio sit vera, ac proinde tenentur iterum dicere officium cum debita attentione, antequam Præcepti tempus elabatur: siquidem distractè orantes illud non impleuerunt.

In Psal 39.

c Psal. 118. 145.

Suarez. hæc latè probat lib. 4. de Horis. c. 26.

§. I.

ALIÆ MVLTÆ rationes ad nos inducendos ad hanc attentionem positæ fuerunt Tomo præcedenti ad finem: quarum hoc est compendium & summa. Quia ad id nos obligat magna nostra vilitas, collata cum magnitudine Domini, cum quo loquimur. Deinde ob nostrum proprium commodum. vt possimus malorum nostrorum remedium & bona, quæ petimus, impetrare; nec laborare in vanum & sine fructu. Item ne culpam contrahamus ex eo, quod ad culpas delendas est destinatum; & accipiamus detrimentum ex eo, quod ad vtilitatem erat ordinatum. Et ne defraudemur fructu refectionis, & robore spirituali, quod per orationem possumus obtinere, si simus Fideles Ecclesiæ, & populo Christiano, quorum Ministi sumus. Et propter excellentiam ipsius operis, quod est dignum, vt summâ diligentiâ peragatur. Et ne contemptui simus hostibus nostris conantibus nostras orationes maculare. Propter exemplum etiam Sanctorum Sacerdotum & Ministrorum, qui nos præcesserunt, & suum studium adhibuerunt, vt attenderent quid orarent: nec nũ desunt multi in Ecclesia eis similes. Cumque nos eiusdem simus Congregationis: pudor est, si tam procul ab eorum imitatione recedamus. Ac deniq; propter assistentiam Sanctorum Angelorum, nos comitantium, qui pudore quodam suffunduntur, videntes nos adeò distractos & aridos ob tepiditatem nostram: sicut plurimum lætantur, cùm alios vident valde attentos, & feruenter deuotos. His itaq; rationibus permotus, ac persuasus, quòd plurimum referat hanc habere attentionem, adhibere debes media practica ad eã obtinẽdã; & remouere oẽs occasiones distractionis externe & inter-

& interna; & diligentem operam dare, vt cor liberum sit à curis & negotijs, quæ priùs agebas: hoc enim est a *ire* priùs *ad montem myrrhæ*, hoc est ad mortificationem; & postea *ad collem thuris*, hoc est ad orationem. Nec sine causa hæc exercitia appellantur nomine *montis* & *collis*, quæ sunt loca ab hominum strepitu separata: vt significent secessionem, & solitudinem internam, & quietem ac pacem externam: ad quas dirigitur efficacitas mortificationis; & easdem exigit oratio, vt sit perfecta. Sed nominatim vrget obligatio euitandi occasiones distractionis proximas, qualis esset Horas dicere in foro, aut in platea, aspiciendo quid geratur; aut easdem dicere, cùm externo alicui operi faciendo attenditur: quod ipsam attentionem facilè ad se trahit, quale esset scribere, aut pingere; & multò adhuc magis, si actio esset interior mentis: quale esset studere, cogitando, ac discurrendo circa aliqua puncta alicuius scientiæ; & multò adhuc peius esset, si opus ipsum aut cogitatio profana esset, & planè indigna officio, quod peragitur. idem etiam detrimentū adfert anxietas & solicitudo citò se expediendi ab officio, vt ad res alias agendas eatur. Quare mortificatio semper adhibenda est, tranquillando cor, iuxta illud quod ait S. Hieronymus: melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, ac spirituali hilaritate: quàm totius Psalterij modulatio cum anxietate cordis & tristitia.

a *Cant. 4. 6.*

In res Monarchæ. c. de contempl. & Orat. refertur De Consecr. D. 5. c. non mediocriter.

Vt Avtem intelligatur quænam attentio sit de præcepto necessaria, & quænam ex consilio: aduertendum est, non esse necessarium vt attentio ad officium, quod legitur, vel canitur duret semper actu, & re ipsa quādiu totum officium peragitur; sed sufficere, vt officium inchoetur eâ voluntate & animi decreto, quòd velit orans esse attentus: nam tale propositum, etiamsi postea interrumpatur, te inuito, aut non aduertente, & propterea attentio non sit semper actualis: manebit tamen propter prius decretum attentio virtualis. Distractio enim inuoluntaria non est culpabilis in oculis Dei: modò curæ sit, statim atque aduertitur eam reparare; & occasio eius, cum præueniri potest, remoueatur. Ac proinde Ecclesiæ præceptum non tam est de ipsa attentione ad officium dicendum, quàm de voluntate & firmo animi decreto eam adhibendi & procurandi: ita vt ex parte nostra nihil, ad eam adhibendam, negligatur. Et hanc voluntatem Innocentius Pontifex appellauit *deuotionem*, cum iussit omnes studiosè ac *deuotè* quantum Deus eis dederit, officium orare. Ex quo, fit vt, teste S. Thoma, nec meritum, nec satisfactio, nec impetratio orationis pereat propter distractionē inuolūtariā. Cū enim Oratio sit sancta, & laudabilis, nō debet suis fructib⁹ defraudari propter aliquid, quod euenit absq; culpa orātis. Quānis negādū nō sit distractionē, etiā inuoluntariā, duplex magnū incommodū adferre: Alterū est, quòd quādiu illa durat, non crescat meritū,

c *Dolentes de celebrat. Missarum. 2. 2. q. 83. a. 13.*

1 *Suarez lib. 3. de Horis. c. 5.*

quod

quod, durante attentione, crescere potuisset. Qui enim orat aliquem Psalmum, semper attentus spiritu ad id quod orat, sensim cum ipsis verbis, & affectibus, quos eos dicens excitat, meritum auget. Qui autem primum tantùm verbum attentè dixit, & sic aliquod gratiæ & gloriæ augmentum est promeritus, si in reliquis cum distractione progrediatur, non auget hoc meritum nouo alio gratiæ & gloriæ augmento. Externum enim opus totum suum meritum accipit ab actu interno: quo cessante, etiam nouum cessat meritum. Quamuis totum opus dicatur esse bonum & meritorium propter meritum, quod in primo interno actu habuit. Volui autem hoc monere, non, vt, qui huiusmodi distractionibus vexantur, animum abijciant; sed, vt ex hoc ad eas præueniendas exstimulentur, & augmentur: ne filum augmenti suorum meritorum abscindatur, dum orant. Quamuis non abscindant augmentum satisfactionum pro pœnis peccatorum. Satisfactio enim ex eo præcipuè crescit, quòd opus ipsum sit grauius, & maiorem inferat pœnam, vt alibi dictũ est. Cùm igitur, quamdiu lectio vel cantus durat, etiam cum distractione inuoluntaria, duret quoq; pœna, & labor ipsius operis: ideò etiam crescit satisfactio.

Tomo 1. tract. 3.

2 ALTERVM nocumentum, quod infert distractio, est, quod (vt S. Thomas dicit) amittitur spiritualis refectio animæ: quæ consistit in deuotione interna, aut in bono aliquo cordis affectu, aut in cogitatione aliqua sancta, quæ & illustrat intellectum, & animum addit ad laborandum. Quod totum nec sentitur, nec aduertitur, nisi attendatur ad id, quod ore fit. Ac propterea dixit Apostolus: b *si orem lingua, mens mea sine fructu est.* Ex quo fit, vt non quilibet attentio sufficiat ad hunc fructum hauriendum, nisi talis aliqua procuretur, quæ non solùm ad verba attendat.

Supra.

b 1. Cor. 14. 14.

§. II.

3 AD CVIVS REI maiorem explicationem est aduertendum, quod (vt idem S. docet, & S. Bonauentura, & nos fusiùs explicuimus in libro Ducis Spiritualis) tres fiat modi attentionis. *Quædam* est superficialis, vt dicitur, ad verba quæ leguntur, aut canuntur: vt benè & integrè proferantur. *Altera* est ad litteralem eorum sensum: attendendo sollicitè & diligenter obseruando quid in orationibus petatur, aut dicatur in Psalmis, & Lectionibus. *Tertia* est spiritualis, quia attenditur ad vnum extremorum vel (vt S. Bonauent. ait) ad sensum mysticum magisque eleuatum ipsorum verborum; aut (vt ait S. Thomas) ad præsentiam Dei, cum quo loquimur; aut denique ad necessitatem, cuius causà oratio instituitur; etiamsi verba non videantur eò spectare. Harum trium attentionum prima est omnibus necessaria; nam sine ea non potest impleri benè præceptum de eis proferendis, & integrè pronuntiandis: & illa sola sufficit pro ignaris sermonis Latini, & qui non possunt alias considerationes, & excellentiores con-

De Processu Religios. Proces. 7. c. 3. Tract. 1. c. 18. Suarez lib. 3 de horis c. 4.

contemplationes habere, aut inuiti ad alia distrahuntur. Qui autem sola hac attentione contentus esset, & simul imaginationem & intellectum applicaret ad res alias prauas,,aut nihil ad rem facientes,& remotas ab eo, quod fit : is inquam non implerer præceptum. Cùm enim,vt præcepto satisfaciat, debeat habere intentionem orandi, & cum Deo colloquendi: tenetur procul dubio ita ipsa verba proferre, vt sciens & volens non vagetur; nec locum det cogitationibus indignis, quæ coram ipso Domino proponantur. Et quamuis orans non teneatur optimam, quæ esse potest, attentionem habere: tenetur tamen non ponere obicem adeò indignum, & velle verba illa proferre,quasi homo loquens cum Deo. Quare ignarus Latinæ linguæ curare debet aliquid de tertia attentione; attendendo saltem, quòd oret & laudet Deum; & quòd illa verba offerat, vt concedat Deus quod in eis petitur;aut illa approbet, & eis glorificetur : etiamsi ipse ea non intelligat. Et hoc sufficiet, vt sui desiderij ac voti fiat compos : eum in modum quo legendi & scribendi ignarus offert Pontifici aut Regi aliquod Memoriale ab alio sibi scriptum:quod sufficit, vt ipse quod desiderat consequatur. Et hac via Latinæ linguæ ignari obtinere possunt spiritûs refectionem,quæ est Orationis propria : largiente eis Domino nostro spiritualem dulcedinem, & cordis anhelationem, quam possent ex verborum intelligentia haurire.

Qvi Avtem cum maiori perfectione cupiunt Horas Canonicas orare, contendere debent ad tertium genus attentionis in aliquo ex tribus eius gradibus, & præcipuè, qui respiciunt ipsum Deum : ita tamen, vt nihil detrahatur primæ attentioni, quæ est ad ipsa verba, nec in ea vllus fiat defectus. Quod intelligemus,si attendamus intellectum nostrum duobus modis posse in Diuino officio, siue legatur, siue cantetur, eleuare sese ad præsentiam Diuinam, & ad meditationem, aut contemplationem rerum cœlestium,aut nostrarum miseriarum. *Alter* modus est, cum ipse non ex propria electione ad eas se applicat; sed ex inspiratione Dei, vi aliqua tunc ad id impellentis; aut quòd ipsamet vocalis Oratio, & Psalmorum lectio cor emolliuit, & suspendit spiritum; aut ex bona consuetudine & facilitate,quam habet in exercitijs internis. Et tunc dubium nullum est, quin satisfaciat valde benè præcepto Diuinum Officium dicendi. Esto enim non habeat tunc actualem ad ipsa verba attentionem : quia tamen virtualem habet, ea ad id sufficit: sicut etiam fuisset satis, si nolens fuisset ad alia distractus. Qui tamen aduerteret,se ita trahi ad sublimes adeò meditationes,debet eas interdum interrumpere, renouando attentionem ad verba, quantùm scilicet opus erit,vt sit certus & tutus,quòd omnia dixerit. Nam si suspensio spiritus tanta esset,vt re ipsa lingua non fungeretur officio suo, non impleretur præceptum : quòd nõ est latum de oratione tantùm mentali,

tali, sed etiam de vocali. Quod tamen incommodum euadet, si oret simul cum alio, aut saltem legat in libro.

ALTER orandi modus est cùm sponte sese applicat orans ad cogitandum de Deo, aut aliquo mysteriorum eius. Et tunc etiam mihi certè persuadeo (quod & S. Thomas, & alij graues Doctores dicunt) hanc attentionem sufficere: modò sufficiens cura adhibeatur, ne sit defectus in prolatione verborum. Nam ad veritatem & perfectionem orationis vocalis non opus est, cùm reflexione quadam cogitare, quòd loquaris, aut aliqua verba proferas: sed satis est, quòd re ipsa ea proferas, & dirigas ad Deum, qui illa intelligit; & vt internè cum eo loquaris, ac de eo cogites. oratio enim (vt ait SANCTVS IOANNES Damascenus) est eleuatio quædam Spiritûs in Deum: in hoc autem casu, Spiritus est eleuatus & cum Deo vnitus: quia simul offers cor tuum & Sacrificium illud labiorum tuorum, verba scilicet illius orationis. Non tamen sufficeret ad hoc, quòd meditatio esset de rebus bonis ac Diuinis, si esset tantùm speculatiua, qualem habent, qui student Theologiæ; aut de eisdem rebus cogitant, vt concionentur, aut doceant, aut aliquid de eis scribant. Hic enim meditandi modus non est orare, nec cum Deo loqui; neque ad id dirigitur, sed ad sciendum, aut studendum: & hoc nomine improbat S. Bernardus modum hunc cogitationum, dum in Choro cantatur. Quamuis enim ex se sint sanctæ cogitationes: tunc tamen non sanctè agitantur in corde, nec placent Spiritui Sancto, vt orationi aliquid admisceatur, quod eidem non sit accommodatum. Si tamen meditatio sit practica, & afficiens; ac dirigatur ad accendendum in anima ignem Diuinorum affectuum, qui prodeunt ex consideratione Diuinarum amplitudinum, aut beneficiorum, aut mysteriorum nostræ Redemptionis, aut nostrarum miseriarum: non est talis meditatio ab oratione vocali aliena; sed potiùs ad eam dirigitur, eamque excitat, & accendit. Erit tamen tutior, si erit conformis argumento, quod in ipsa orane vocali proponitur: accepta scilicet ex eo occasione meditandi, & cum Deo interiùs agendi: sic enim minùs erit periculi deficiendi in prolatione verborum: quia meditatio cohæret illis. Et vniuersim, quomodocumque ores, siue memoriter, siue ex libro: is modus attentionis adeò moderandè ad verba est seruandus: vt neque negligatur cura ea proferendi; neque relinquatur attentio ad cogitationes rerum excelsiorum: vt fugiatur extremum in quod scrupulosi impingunt, quorum anxietas in proferendis omnibus verbis, ita eorum iudicium perturbat: vt non attendant ad sensum & Spiritum eorum. De quibus dicere licet illud Apostoli: a *Deus fecit nos idoneos ministros Noui Testamenti: non littera*, scilicet sola, *sed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem viuificat.*

Art. 13. citato Suarez. c. 4.

Lib. 2 Fidei. c. 14.

Serm. 47. in Cant. ad f.

2. Cor. 3. 6.

CAPVT

CAPVT VII.

DEVOTIO IN HORIS CANONICIS persoluendis.



EX dictis in proximo capite de perfecta attentione in dicendo Officio Diuino procuranda, intelligi potest quod spectat ad tertium illum orandi actum, quem vocauimus Deuotionem, adeò commendatam à Pontificibus & Conciliis in dicendo Officio Diuino. Quæ Deuotio etsi sit donum Spiritus S. qui Diuinis suis inspirationibus mittere solet in voluntatem bonos aliquos & pios affectus; & in intellectum aliquas illustrationes, quæ sunt eorum causæ: & ex vtrisq; accenditur ignis amoris, ac deuotionis copiosioris: Ex parte tamen nostra (vt ait S. Thomas) eadem deuotio oriri solet ex duabus perfectis cognitionibus: Dei scilicet, & nostri ipsorum. Cognitio Dei complectitur omnes considerationes eius magnitudinum, & perfectiones eiusdem operum & Beneficia naturalia & supernaturalia; præterita, præsentia, & futura; generalia, & cuiusque specialia. Cognitio nostri ipsorum complectitur considerationes nostrarum miseriarum, quas habemus ex nobis ipsis in corpore & anima; nostratum culparum & pœnarum, temporalium & æternarum. 2.2.q.82.a.3.

ET vtraq; consideratio mutuò se iuuat ad producendos affectus amoris, laudis, gratitudinis, humilitatis, doloris de peccatis, & alios multos, quibus Diuinum officium est plenum. Quod est quasi fodina quædam cœlestium meditationum, & affectionũ: modò adsit peritia ac dexteritas ad eas eruẽdas: estque magni momenti eam habere. Hæ enim duæ res, quasi duæ sunt alæ, quas Dauid appellat a *pennas columbæ*, mansuetæ quidem, sed velocis ad volandum, quibus orantis cor *fugit* strepitum & tumultum internum, quem adferunt distractiones, curæ, & passiones inordinatæ: seque *elongat* à rebus omnibus, quæ interiùs ipsum turbant, & inquietum reddunt; & recipit se ad quietem & *solitudinem* spiritus: vbi possit orare, legendo vel cantando cum pace, tranquillitate, & lætitia: quia Deus illud b *abscondit in abscondito faciei suæ à conturbatione hominum*, quæ non potest eò accedere. Et sic perfectè adimplet, cùm orat, quod Psalmista adeò seriò commendat dicens: Introite in conspectum Domini cum lætitia, & psallite ei cum exultatione; c *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Non dicit: dabit tibi petitiones oris tui; sed cordis: in quo vtique est deuotio, quæ causa est lætitiæ; & orare nos facit, vt oportet. a Psal.54.7. b Psal.30.21 c Psal.36.4.

HÆc deuotio est duplex: quædam appellatur substantialis, & consistit in promptitudine voluntatis, ad peragendum hoc opus, quo Deus honorerur:

d Cor. 9. 7. retur: ex quo procedit vt non oretur cum repugnantia, auersione, aut tædio: quasi res sit grauis: prolixa, ac tædiosa: sed cum voluptate, & lætitia, iuxta illud quod S. Apostolus dixit de eleemosyna, vt d *non fieret ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Parum certè deuotus censetur esse, qui orat cum tristitia; & ex mera necessitate, qui videt se teneri sub præcepto obligante ad culpam lethalem. Qui enim perfectè deuotus est, adeò generosa & ingenuâ orat voluntate, vt etiamsi seuera adeò necessitas eum non premeret, oraret tamen: vt tali oblatione honor & gloria Deo deferretur. Nec afficitur tædio quòd officium sit prolixum: quia id totum reputat modicum, comparatum cum eo, quo tantus Dominus est dignus. Quo tamen non obstante, euenit aliquando, quod ipse Christus Dominus dixit jis, qui tempore orationis dormiebant: e *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* non enim repugnat; quòd voluntas sit prompta, corpus autem defatigetur, aut torpeat; & stulta vagaque imaginatio diffluat; & rebelles appetitus suas proferant passiones ac turbationes: quibus tamen omnibus sese voluntas opponit, & resistit, quomodo potest: quod si faciat, non læditur ab eis.

e Mat. 26. 41.

2. ALTERA deuotio est sensibilis, tenera valdeque affectuosa: quæ consistit in affectibus dulcibus & iucundis, quos tribuit Deus, cum lachrymis ac sensibus teneris, de mysterijs Diuinis, aut proprijs nostris miseriis. Quæ sensim deducitur ex profunda huiusmodi rerum consideratione; earum præcipuè quas ipsamet continet oratio. Et hæc est magni momenti, magnique fieri debet, ad persoluendum Officium cum suauitate & vtilitate: quam proinde omnes deberent procurare: vt insigne hoc opus maiori cum perfectione facerent. Ita suadet S. Gregorius, explicans moraliter oblationem f *Annæ matris Samuelis*, cùm *obtulit filium suum Deo, & simul tulit tres vitulos*, quorum vnum immolauit: & *tres modios farinæ, & amphoram vini.* Vituli, ait hic Sanctus, sunt laudes Dei, quas canimus, aut ore oramus: de quibus dixit Oseas Propheta: g *Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum: & dicite ei: omnem aufer iniquitatem, accipe bonum* quod tibi adferemus: *& reddemus vitulos labiorum nostrorum*, hoc est Diuinas laudes, quod Sacrificium magis Deo placet, quàm vitulorum. Dicit autem, fuisse tres vitulos, ad significandum, eos offerri tribus Diuinis Personis, reddendo eis gloriam pro infinita cuiusque illarum excellentia. Addit tamen: *vnum* tantùm *vitulum fuisse immolatum*: ad significandum, tres Personas esse vnum Deum; cui propter vnicam Diuinitatem & infinitam eius excellentiam Sacrificium offertur. Sed qualis, inquit, & quanta erit laus: si deuota non sit? & quantum valebit verbum exterius, si deuotio desit interior? Propterea inquit, cum tribus vitulis obtulit etiam Anna *tres modios farinæ*, ad significandum, debere

f 1. Reg. 1. 24 in eum locum.

g Oseæ 14. 3 Idem S. Hierony.

cum

cum laudibus linguæ coniungi deuotionem, quæ est spiritûs refectio. Nã sine farina vitulum offert, qui in Dei laudibus verba quidem edit, sed mente vaga, quæ loquitur, non intendit. Feruens autem iustus sicut tres offert vitulos, ita etiam tres offert modios farinæ: nam quantum offert de exteriori, tantum offerre debet de spiritu interiori.

Cvm autem Canonica Horarum recitacio tres habeat præcipuas partes Psalmos scil. Hymnos, Cantica cum suis antiphonis, Lectiones longiores & breuiores cum Responsoriis; & Collectas siue Orationes cũ varijs versiculis: ideò qui hæc orat, audit ve, debet internè offerre Deo tres præcipuos actus, quos S Bernardus tres panes appellat: panem scilicet veritatis, Charitatis, & Fortitudinis. Panis veritatis sunt Meditationes, & considerationes mysteriorum diuinorum, quæ intellectum illustrant, & alunt. Panis Charitatis sunt affectus interni contritionis, & doloris peccatoris, amoris Dei & proximorum, cum omnium virtutum desiderijs, quæ sunt voluntatis alimentum. Panis Fortitudinis sunt affectus tolerandi aduersa ad imitationem Christi Domini N. ad obediendum sanctissimæ eius voluntati, & legem seruandam; & nominatim labores, ipsi Diuino officio annexos: his enim affectibus debilis caro corroboratur, vt obedire, & sequi possit spiritum. Hi omnes affectus, & pia proposita deduci debent ex prædictis tribus partibus ipsius officij: quas decet eosdem comitari. Quamuis Panis veritatis magis in particulari deducatur ex lectionibus; Charitatis, ex Psalmis; Fortitudinis, ex orationibus, quæ animum & vires impetrant ad bona opera præstanda. Et quemadmodum Anna cum tribus vitulis & tribus modijs farinæ obtulit etiam *ampheram vini*: ita Orationi Officij adiungi debet h *vinum* quod *lætificat cor hominis* vt sit gaudium, & lætitia spiritualis, & feruor spiritûs, qui est proprius inflammati amoris Dei effectus. Si verba Dei (inquit S. Gregor.) laudando vel orando proferentes, hilaresc imus, dum intelligentiæ miscemus gaudium illius vini quod lætificat cor hominis: amphoram farinæ sociamus: tunc enim cor redditur, etiam eloquens ad loquendum cum Deo, vt oportet. Nam vt S. Bernardus dixit: feruor deuotionis est animæ lingua, qua nouit aptè loqui cum verbo Diuino: si autem deuotio desit, manet amima quasi muta. Nam etsi externa verba ore proferat: cor tamen est quasi non loqueretur: neq; enim sentit neq; attendit, quid dicat; & ita orat nullo spirituali gustu percepto: Ac propterea Psalmista dixit: i *Psallite sapienter*, spiritu degustando dulcedinem in ipso Psalmo contentã. Nam cibus, inquit, in ore, & Psalmus in corde sapit. Et quemadmodum necesse est cibum dẽtibus conterere, vt sapor eius percipiatur: ita ruminandus & penetrandus est Psalmorũ, & orationum sensus, & non ita integræ deglutiendæ; vt spiritualis dulcedo, quæ in eis latet, percipiatur. Quemadmodum enim mel est intra ce-

Serm. 3. de Rogation.

h *Psalm.* 103.15.

i *Psal.* 46.8. *Serm.* 7. *in Cantic.*

ram in ipso fauo: ita deuotio est sub cortice litteræ, & externi verbi. Et qui
4 corticem absque spiritu deglutit, non gustum percipit, sed cruciatum
quasi solam ceram faui quis gustaret, expresso omnino melle, quod intus
fuerat. Denique non sine causa (ait S. Gregorius) fieri hìc mentionem mẽ-
3 suræ, qua farina & vinum offeruntur: significatur enim, intelligentiam,
deuotionem, ac dona Dei participari in pondere & mensura. Quare vnus-
quisque offerre debet Deo Domino nostro opera sua, & ea quæ orat cum
mensura spiritus quem habet: quamuis studere deberet, vt ea esset magna,
non oppositio impedimento vllo Diuinæ liberalitati: cùm ipse Dominus
k Psal. 80. 11. dicat: k *dilata os tuum & implebo illud*: quasi dicat: si os tuum dilataueris,
magna cum fide & fiducia desiderans ac petens; ego illud implebo, facien-
te votorum tuorum compotem. Cùm igitur muneris nostri sit Horas Ca-
nonicas orare: aperiamus ac dilatemus os nostri spiritus, feruentibus af-
fectibus optantes summâ nos deuotione & feruore repleri; vt nos Deus
adiuuet; quò possimus, quod optamus obtinere: implentes hoc orandi
præceptum maxima, qualicebit, perfectione. Praxis huius deuotionis &
modus hos effectus ex Diuino ipso officio deducendi, ponetur vltimo hu-
ius tractatus capite.

CAPVT VIII.

TEMPVS ET LOCVS AD SEPTEM HORAS CANONICAS legendas vel cantandas accommodatum, situs, corporis ac modestia in orando seruanda.

QVEMADMODVM virtutes vim suam & excellentiam eò magis ostendunt, quò materia circa quam versantur præstantior est aut difficilior; ita virtus obedientiæ, cuius est Prælatorum præceptis obtemperare, meritò debet amplius eminere in explendo Horarum Canonicarum præcepto; idque propter finis & materiæ in qua versatur præstantiam, & ob operis difficultatem: quod est maximum rerum omnium, quas Ecclesia suis Ministris vniuersim imponit & commendat. Nam præter difficultatem trium internorum actuum, quos indicauimus: multæ sunt aliæ conditiones ac circumstantiæ, quæ proprias habent difficultates, vt sensim explicabitur.

§. I. *Circumstantia temporis.*

1 PRIMVM itaque, præceptum hoc non est sicut cætera, quæ obligant tantùm certis anni temporibus, aut aliquo Hebdomadæ die, sed obligat quotidie, & perpetuò vsque ad ipsam mortem: nisi grauis aliquis morbus, aut legitima alia causa earum, quas Doctores

significant excuſet. Ita vt Officium Diuinum adeò debeat eſſe continuum vt ne quidem vnico die totius anni intermittatur: vt impleatur ad litteram quod dixit Dauid: a *Benedicam Dominum in omni tempore*; & S Ioannes de myſticis illis b *animalibus* quòd *requiem non habebant die ac nocte*; ſed ſemper Diuinas canebant laudes. Quamuis illud requiem non habete, ſit magnam habere quietem. Nam licèt caro recitandi & canendi labotem ſentiat; ſpiritus tamen valde requieſcit, Deum ſuum laudando. Ac propterea conſtituit Eccleſia, vt hebdomadæ dies excepto Dominico & Sabbato, qui ſignificant quietem, appellentur Feriæ. Nam ipſis Eccleſiaſticis debent eſſe dies quietis & ſolatij ſpiritualis; & feſti dies dedicati operibus ſpiritus in gloriã creatoris. Iuxta illud Leuitici: c *hæ ſunt Feriæ Domini quas vocabitis Sanctas*, ob ſanctitatem operum, quæ in illis facturi eſtis. Deinde præceptum hoc non quomodocunque obligat quotidie, ſed ſeptiesſingulis diebus, vt dicantur Septem Horæ Canonicæ, quæ diſtributæ ſunt per diuerſas diei & noctis partes, iuxta Hebræorum conſuetudinem; attributis vnicuique parti tribus horis; in cuius temporis decurſu orabatur Hora illa Canonica, quæ pro eo erat deſignata: conſumendo plus aut minus temporis pro ſolennitate Feſti, aut vnioſcuiuſque deuotione. Prima hora, qua orabatur PRIMA, incipiebat ab ortu Solis: qui in Æquinoctio fit hora ſexta communis noſtri Horologij; duratque vſque ad nonam horam: & tunc incipiebat TERTIA; SEXTA incipiebat hora duodecima; NONA, tertia poſt meridiem, & tunc etiam VESPERÆ dicebantur; & in ipſo crepuſculo noctis dicebatur COMPLETORIVM. Nox quoque in quatuor partes diuidebatur: iuxta morem militum, qui ſeruant ſuas vigilias, in quibus (vt ait S. Thomas) dicebantur NOCTVRNI Matutinarum, diebus ſaltem ſolennioribus. PRIMVS NOCTVRNVS initio noctis; SECVNDVS hora nona; TERTIVS, duodecima; LAVDES denique hora tertia prope diluculum. Quamuis in diebus Ferialibus vnicus tantùm dicebatur Nocturnus ipſa media nocte, ſimul cum laudibus. Quæ conſuetudo ſeruata eſt ſemper in Eccleſia Romana, quaſi tolerabilior & omnibus facilior ac ſuauior: vix enim ferri potuiſſet, quater ſomnum interrumpere in nocte. Quare ex matutinis & laudibus conficitur vna Hora Canonica, vt ſic ſint tantùm ſeptem, iuxta illud Dauidis: d *ſepties in die laudem dixi tibi*, nam die & nocte, ex quibus fit dies natutalis, orabat ſepties. Quamuis aliàs dixerit: e *veſpere, & mane, & meridie ſe ad Deum clamaſſe*; quibus tribus temporibus, quatuor reliqua cõplectebatur; aut illa tempora erant celebriora, & inter reliqua frequentiora. In quibus etiam Daniel diligenter f *orabat, flectens genua ſua, adorans, & confitens coram Deo ſuo.*

a *Pſal.* 33. 1.

b *Apoc.* 4. 8

c *Leuit.* 23. 2

Lect. 6. *in* 1. *Cor.* 14.

Suarez lib. 4. *de Horis. c.* 4.

d *Pſal.* 118. 164.

e *Pſal.* 54. 18

f *Dan.* 6. 10.

Et quamuis Dauid in regni sui gubernatione, & Daniel in administrandâ parte imperij, quam habebat apud Persas valdè occuparentur: hanc tamen consuetudinem absque interruptione seruabant. Et quidem Daniel adeò fuit in ea re constans, vt exposuerit se periculo vitæ amittendæ, quàm piæ consuetudini deesset. Vt Christiani, (quòd perpēdit S. Chrysostom.) & præcipuè Ecclesiastici, discant ex his exemplis, esse constantes, & perseuerare in Officio Diuino dicendo, sepositis omnibus occupationibus, quæ non sunt adeò necessariæ, nec ita obligant: vt huic attendant, & satisfaciant, in qua tantus honor & gloria Deo defertur.

Homil. 79. ad Popul. & lib. 1. de oratio Deum.

3

QVARE multum refert, Diuinum officium præscripto pro quaque Hora tempore, persoluere, iuxta morem Ecclesiarum, in quibus peregrinor. Quamuis autem hoc præceptum eos tantùm obstringat, qui ex obligatione tenentur Choro assistere, & canere; eis enim tantùm dicitur, vt competenti tempore ad Horas debitas accedant: reliqui tamen, qui officiū tantum legunt; vt sint perfecti obedientes, deberent facere quicquid possent, vt eisdem temporibus sese in dicendis Horis occuparent'. g *Iustorum enim est* proprium, vt dixit Dauid, *fructum suum dare in tempore suo.* Cum igitur Officium recitare, sit fructus Ecclesiasticorum, quem Apostolus vocat *fructum labiorum confitentium nomini Domini*: æquum est, vt suo tempore dent illum, neque præueniendo, neque differendo diu. Magna enim esset inordinatio, si circa noctem PRIMA diceretur. in qua Hymnus est dicendus: *Iam lucis orto sidere*; aut matutino tempore COMPLETORIVM cum suo Hymno: *Te lucis ante terminum*. Id confirmatur exemplo quodam, quod refert S. Antonius de quodam Monacho in Eremo manente, cui Angelus adferre solebat botrum vuarum in cibum. Et quando ille Horas dicebat nimis citò, botrus erat immaturus, & acerbus; quando autem nimis tardè, botrus erat totus rugosus, & quasi siccus; quando autem officium dicebat congruo tempore, botrus erat bene maturus, & suauis: quarationē significare volebat Angelus Monacho, plurimùm placere Deo fructū orationis eius assignato & constituto tempore factæ, displicere verò, si fieret extra tempus. Quamuis si causa legitima adsit, vt quis tempus mutare cogatur, multò sit melius, illud præuenire, quàm differre; præstat enim citiùs debitum soluere, quàm solutionem differre, primum enim ostendit prudentem cautelam; alterum autem ignauiam & incuriam. SED quoniam occupationes ordinariè esse solent multæ, ac variæ, & interdum magni momenti: quisque deberet tria saltem illa tempora eligere, quæ Propheta Dauid insinuauit. Ita vt *Matutinum* cum *Laudibus* in nocte dicat; quatuor verò *Horas*, quæ appellantur *Minores*, manè ante prandium; *Vesperas* verò & *Completorium* post meridiem; excepto tamen tempore quadragesimali, quo vesperæ dici debent ante prandium. Hic ordo videtur

c 1. de Celeb. Missa. & Clem. eod. tit. Concil. Basil. Sess. 21. §. 2.

g Psal 1. 3.

h Heb. 13. 15

3. p. Tit. 17. c. 4. §. 4.

videtur satis conueniens, vt ita ordinatè fiat: ad quem amplectendum satis esse deberet memorabilis casus, quē refert Petrus Damianus de S. Seuerino Colon. Episcopo. Post cuius mortē, cùm quidam Clericus eius Ecclesiæ vellet transire cuiusdā fluminis vadum: repentè apparuit ei Episcopus, & subsistere fecit: obstupefactus Clericus, eum interrogauit: quî fieret, quòd vir adeò præclarus, tantæ q; sanctitatis, ibi maneret? Episcopus: porrige, inquit, mihi manū: vt quid geratur intelligas non ex sermone, sed ipsa experientia. Episcopus acceptam Clerici manū impositit in aquam fluminis: adeoq; horrendū sensit ardorem, atq; si in ardentissimū ignem eam immisisset. Ita vt tota caro fuerit consumpta, ossibus nudis relictis. Ex quo vehementius obstupefactus Clericus, secundò Episcopum interrogauit: quî fieret, vt cuius nomen adeò esset celebre apud omnes, is in huiusmodi flammis ita arderet; cui S. Episcopus respondit: nihil hoc ignis cruciatu dignum in me remansit, nisi hoc: quòd, vt quotidie ad Imperatoris aulam accederē; & expeditior ibi essem ad occurrentia negotia tractanda, ipso tēpore matutino omnes simul Horas Canonicas recitarim; neq; in assignata tēpora illas distribuerim: propter hanc igitur causam hoc incendio crucior; sed oremus vterque simul Dominum nostrum, vt manum tuam in pristinum restituat statum, quod cum factum esset, dixit ei Episcopus: redi, meisq, fratribus Clericis, alijsq; viris spiritualibus dicito; vt orationes & Sacrificia pro me offerant: nam statim atque hoc fecerint, expeditus ab his cruciatibus, ascendam ad fruendum Deo simul cum Sanctis; casum hunc voluit Dominus noster nobis reuelare, vt intelligeremus, quantum ei displiceat, quòd secularia negotia, operi ipsi dicato præferamus; facientes illud extra suum tempus sub prætextu & apparenti specie iuuandi proximos. *Epist. ad Desiderium c. 7. In Spec. Exempl. verb Hora Canonica.*

Denique pro Canonicis & Religiosis accedentibus ad Chorum præscriptis temporibus addiderim meritò ipsos seruare debere duo magni momenti & perfectionis monita. Primum, vt omnino ad punctum, statim atque vltimum signum datur, ita accedant, vt sint in ipso Choro, antequam Officium ipsum inchoetur: cogitantes, Deum ipsum esse qui signo illo, aut pulsu campanæ ipsos vocet, eiusq; voluntatem esse, vt sūma velocitate, & promptitudine obediant; non quærentes excusationes, vt hæreant. Nam Canonicus, qui garriendo, & exigua ua moratur; peccabit minimum venialiter; quòd si eius sit animi, vt in singulis Canonicis Horis ita faciat, peccabit grauius, vt q ii absit per notabilem partem officij. Et præterea totum illud tempus furatur Deo, & vt propriam sequatur voluntatem, conculcat Diuinam; & quantum in se est, perturbat ordinem & quietem ipsius Chori. Nam si quemadmodum vnus hæret, ita plures, aut omnes facerent; non esset, qui inciperet. Cum igitur apertè sit indecens post signum datum hærere, & multos tardè venire: vnusquisq; apud 5 *Suarez. lib. 1. c. 13.*

se reputet, se illius incommodi causam esse, nisi tempestiuè accedat, nec præbeat alijs, qui tempestiuè venerunt hoc malum exemplum, & occasionem cogitandi, ipsum tanquam mercenarium obedire & comparere propterea solùm, ne suo stipendio fraudetur. Alterum documentum est: vt continuè & constanter in ipso Choro permaneant, quamdiu durat officium: non quærentes excusationes, vt citiùs exeant, & ex parte aliqua Deum sancto illo cantu defraudent. Meminerint Dæmonis illius, qui in figura cuiusdam parui Æthiopis (vt refert S. Gregorius) educebat Monachum ex oratione & loco, in quo reliqui orantes manebant. Valde enim proprium est mali huiusmodi spiritus ita turbare existentes in Choro, vt distracti fiant & aridi; & præ tædio inde exeant, vt aliquod sibi quærant solatium. Quare cum S. Dominicus Dæmonem semel ad Chorum deduxisset, & interrogasset: circa quam rem Monachos ibi tentaret. Hoc, inquit, efficio, vt tardiùs veniant, & citiùs exeant. Ne igitur hoc gaudio hostem suum afficiant et stadio recedendo ante finitum certamen. Et si Christus Dñs noster pernoctabat in oratione; & positus in agonia, diutiùs eam producebat, idem iubebat i *semper orare & nunquam deficere*: orent saltem toto tempore præscripto; nec deficiant, etiamsi prolixius videatur. Et vnusquisque studeat primus venire, & vltimus discedere: & Deus erit remunerator liberalis.

Lib. 2. Dialog. c. 4.

i *Luca. 18. 1.*

§. II. *Circumstantiæ loci, & situs corporis.*

I

QVOD est dictum de tempore, intelligendũ etiã est de loco: hoc præmisso, quòd præceptum solùm obliget, vt Horæ in Ecclesia canantur, ad quas audiendas Christianus populus ad eam confluit. Quare omnes studere debent (vt S. Augustinus monet) vt non solùm corpore, sed mente etiam, & corde maneant in Ecclesia. Totus, inquit, qui orat intus esse debet. Nam si intus est, quod videt homo: quare foris est, quod videt Deus? Reliqui autem qui Horas priuatim legunt, implebunt procul dubio suam obedientiam meliùs, si eas in templo legant coram Sanctissimo Sacramento, ad cuius gloriam diriguntur: siquidem Christus ipse Dominus noster vult verè ac realiter ad nostra templa accedere, vt eius electi ipsum ibi laudent, & alloquantur, suasque necessitates reparari petant. Cùm etiam Diuinum officium ex seipso sit oratio publica, quæ fit nomine totius Ecclesiæ; vbi commodiùs legi poterit, quàm in ipsa domo orationis, & in eius Domini præsentia, à quo tanquam à fonte illa promanat? Nec dubium est (ait S. Chysostomus) quin multò meliùs possit in templo, quàm domi orari. Quamobrem primi Christiani, & ipsimet Apostoli frequentabant templum ad orandum, horis ad id constitutis. Quoniam autem non omnes id commodè facere possunt: sufficiet, vt in suo oratorio, aut habitatione cum quiete orent: implentes, quod Christus Dñs noster iuxta litteræ sensum dixit: a *cum oraueris: intra in cubiculum tuum, & clauso o-*

Serm. 6. de verbis Dom

Homil. 3. de incomp. Dei natura.

Act. 2. 46. & c. 3. 1.

a *Matt. 6. 6.*

stio,

stio, ora Patrem tuum in abscondito. Quamuis autē multi Sancti dicāt, hoc cubiculum absconditum iusti, esse cor eius, quod ingredi debet, & in eo se abscondere, vt cum attentione ac deuotione oret; multum tamen ad id iuuat si etiam corpus ad secretum, & ab omni strepitu expeditum locum ingrediatur. 2

CIRCVMSTANTIÆ loci coniungitur situs corporis. Qui in Choro ille esse debet, quem omnes seruant, iuxta Ecclesiæ cæremonias, quoad stationem, sessionem, genu flexionem, aut aliam corporum inclinationem, & cooperto aut aperto capite: hoc enim est, quod superiùs dicebamus, *seruire Deo* in Choro *humero vno*. Quod qui negligeret, non esset liber à culpa: vt qui ostenderet, se parui facere quod Ecclesia instituit; & quidem cum turbatione & scandalo circumstantium. S. Bonauentura refert: Sanctum quendam senem vidisse in medio Chori Virginem Sacratissimam, filiolum suum in vlnis tenentem: & profundè se inclinantibus, cùm cantaretur: *Gloria Patri*, offerentem ipsum infantulum; cuidam autem, qui non se inclinauerat, non exhibuisse hanc gratiam, tanquam eâ indigno. Idem autem seruare possunt seculares assistentes Horis Canonicis in Ecclesia: ita vt eundem seruent situm, quem sciunt ab ijs seruari, qui sunt in Choro. Eum in modum quo Propheta Ezechiel ait: b *cum ambularent animalia, ambulasse quoq; pariter & rotas iuxta ea; & cum eleuarentur animalia de terra eleuatas fuisse simul & rotas; & cum euntibus iuisse, & cum stantibus stetisse: quia spiritus*, inquit, *vitæ erat in rotis. Et sequebantur impetum spiritus*, quem ipsa animalia. Quo significabatur, quòd Seculares debeant sequi Ecclesiasticos; & minores eos qui sunt maiores: quia idem Christi spiritus omnes gubernat: quamuis aliquorum operâ ad alios gubernandos vtatur.

In Specul. discipl. c. 9.

b *Ezech. 1. 19.*

QVI autem Officium priuatim & seorsim dicunt, licèt possint se conformare consuetudini, quæ seruatur in Choro: vt in omni tempore, & loco spiritus Ecclesiæ seruetur: ordinariè tamen eum corporis situm eligere debent, qui, habita corporalis suæ dispositionis ratione, magis ipsos iuuet ad orandum cum spiritu & deuotione, vt fusè dictum est in Duce spirituali. Attendendum tamen est semper, vt eam exteriorem reuerentiam adhibeant, quæ interiorem conseruet. Quamuis enim soli sint qui orant; sunt tamen in præsentia Dei, & cum eo colloquuntur: æquum autem est vt ipso corpore reuerentiam illam ostendant, quam interiùs in anima habent. Flectentes genua aut stantes, & capite aperto: nisi infirmitas aut debilitas sedere cogat in demisso aliquo loco. Et tunc ait S. Bonauentura, expedire, vt incipiant cum reuerentia exteriori dicentes aliquid stando, aut flexis genibus; & petentes licentiam à Domino nostro, vt propter suam debilitatem pergere possint sedentes. Quod confirmat duplici exemplo, altero S. Hieron. qui, cum valde debilis iaceret in lecto, vt tamen officio di- 3

Tract. 1. c. 9.

In Spec. c. 16.

cendo satisfaceret, erigebat se nonnihil innitendo cuidam funiculo ex lecti tecto pendente; altero ei contrario cuiusdam, qui quòd lenta febricula laboraret, completorium dicebat iacens in lecto; quem Angelus quidam reprehendens dixit: *Completorium sub cotto nec fructus nec vtilitas.*

AD HVNC situm spectat decentia, quam seruare debent præcipuè in Choro & loco publico: seruantes (vt ait Concilium Basilienſe) in omnibus corporis motibus modestiam & grauitatem, quam exigit locus & officium, quo funguntur; memores illius Dauidis sententiæ; c *in populo graui laudabo te*: in populo scilicet composito & moderato in suis moribus. Quælibet enim leuitas, immodestia, aut indecentia, in quocunque fiat loco, est defectus reuerentiæ in Deum; & occasio turbationis & scandali aliorum: præcipuè si adsit strepitus aliquis nimius, quo cæteri turbentur.

Sess. 21. §. 2.
c *Psal.* 34. 18

Lib. 2. *c.* 10.

Refert Cassianus, quòd cum Monachi ad communem orationem conuenirent, etiamsi innumeri essent, adeò tamen erant quieti, & tantum seruabant silentium: vt, præter illum, qui Psalmum decantabat in medio, nullus hominum penitùs adesse crederetur: ita vt neque sputum emitteretur, neque excreatio obstreperet, neque tussis intersonaret, nulli gemitus, nulla suspiria astantes impeditura promerentur; nisi fortè vox aliqua per excessum mentis claustra oris effugeret, ob immoderatum scilicet & intolerabilem spiritûs feruorem, qui in corde succensus contineri non posset. Huius rei figura fuit, quod narrat scriptura sacra de templo Salomonis: quòd d *malleus, & securis, & omne ferramentum non fuissent audita in domo, cum ædificaretur.* Quo significabatur quies, & silentium, quæ in domo orationis meritò sunt seruanda.

d 3. *Reg.* 6. 7

Supra.

SANCTVS Bonauentura summatim colligit omnes immodestias & indecentias, quæ solent in Choro euenire: adeoque commendat quietem & silentium ibi seruandum: vt magnum reputet defectum, quòd vno Choro suum versum canente, aliquis in altero eundem legat, nam ille strepitus siue sibilus legentis non potest non turbare propè existentes. Et ita ait: *vitanda est in conuentu oratio sibilosa: inepta oratio, qua vna plures, & sæpè deterior impedit meliores.* Quòd si cum hoc strepitu aut sibilo orare imprecbeur, cum alios impedit: quid erit garrire, aut fabulari cum sibi assidente, aut ridere, aut irridere errantem; aut strepitum magnum excitare scamno, aut sede, aut similibus alijs rebus? Quod non essent facturi coram Rege terreno: non decet facere aspiciente & audiente Rege cœlesti.

CAPVT

CAPVT IX.

QVOD HORÆ CANONICÆ DICENDÆ SINT *distinctè, continuatè, integrè & ordinatè.*

RELIQVAS Constitutiones ad Officium Diuinum perfectè dicendum reuocat Sanctus Bonauentura ad quatuor illas, quas exprimit verbis illis *distinctè, continuè, integrè atq; ordinatè. Distinctè* orare in eo consistit, vt omnia verba clarè pronuntientur, ita vt intelligi possint; nec deglutiantur, aut balbutiendo aliquæ syllabæ omittantur. Ac propterea Concilium Basiliense iubet, tardè proferri, non cursim ac festinanter. Nam, vt inurbanitas magna esset cum magno aliquo Principe ita festinanter loqui, vt is non posset loquentis sententias intelligere: ita est valde indecorum, orare aut loqui cum Rege cœlesti festinatione adeò præcipiti: quia indicium est sic loquentem neq; attendere quid agat, neq; cum quo loquatur; aut certè velle se expedire citiùs, vt aliquid aliud agat, quod magis arridet. Nam, si libenter orares obediendi causâ, inuenires quietem in eo, quod agis, & solatium in Dei voluntate, quam exequeris; quod si opus, quod iam facis, præcipites, vt alteri attendas, signum est, te aliquid proprij quærere, & aliqua passione, aut inordinato affectu laborare: ex quo talis properatio proueniat: quam meritò debes strenuè mortificare, ita tardè & cum quiete orando, atq; si nihil aliud maioris momenti faciendũ haberes. Ideoq; meritò ad singulos versus morã aliquam facies; imò ad mediũ etiam, vbi duo puncta ponuntur; spiritus sit expeditior, & non obruatur. Hæc distinctio, & mora tenenda est perfectiùs in Choro, qui (vt Concilium Tridentinum ait) institutus est ad Psallendum, & laudandum Dei nomen *reuerenter, distinctè* ac *deuotè*. Et Basiliense commendat, vt fiant decentes pausæ in medio versuum Psalmorũ, seruato tamen in hoc aliquo discrimine inter dies feriales, & festa solennia. Et S. Bernardus addit, canendum esse cum reuerentia, grauitate, mora siue pausa, ac deuotione, quæ deceat verba Spiritûs sancti: quòd enim eius sint, satis esse debet ad hoc, vt dicantur & cantentur cum omni possibili reuerentia ac deuotione, sicut dicebat Dauid: a *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!*

SECVNDA conditio est, vt singulæ Horæ continuatè & absque vlla interruptione dicantur, nisi fortè ad breue tempus, aut ex causa valde necessaria, aut animo iterum inchoandi. Quæ interruptio esset magis pernicioſa, si sub ipsis Psalmis, aut versibus colloquia miscerentur, & verba aut res aliæ profanæ; idq; multò magis si fieret in Choro, quod est contra

Supra c. 20.

Sess. 22. § 2

Sess. 24. c. 12 de Reform. supra Serm. 47. in Cantica.

e Psalm. 108. 103.

a Dolentes de celeb. Missar. & Clement. 1. eod. tit.

seueram prohibitionem. Est enim magna irreuerentia, loquentem cum Deo, eo prætermisso, vertere se ad loquendum cum hominibus, & turbare reliquos cum eis orantes, aut cantantes. S. Bonauentura refert de quodam, qui grauissimas sustinuerit purgatorij pœnas ob huiusmodi interruptiones; & de altero, qui rem melius perpendebat, refert, quod cum ad orantem accessisset quidam Episcopus, cum eo colloquuturus: is facta Episcopo cum silentio reuerentia, prosecutus fuerit inchoatam Horam vsque ad finem; & postea excusauerit se apud eundem, dicens ignosce, quòd tibi non attenderim: quia tunc loquebar cum alio maiori Domino. Ex quo fit, vt non sit censenda interruptio, si inter orandum sentiens magnam aliquam illustrationem, aut inspirationem Dei, & extra ordinarium aliquem sensum, qui etiam diu te suspensum teneret, ruminátem & contemplantem veritatem, quam tibi tunc Dominus ostenderet. Cùm enim tunc ipsemet Deus te alloquatur; æquum est ipsum audire. Atque si te cum Rege loquentem, ipse in medio sermonis tua interrumperet verba, & loqui inciperet: esset tunc inurbanitas, si non taceres, nec velles eum audire. Si igitur Deus hanc tuam vocalem orationem vult mentali interrumpere, cur nolles eam cum humilitate & gratiarum actione acceptare, commutans colloquium tuum cum Deo, vt eundem loquentem audias? Eum in modum, quo Ezechiel de Sanctis quatuor animalibus ait: quòd cùm volarent, faciebant quasi a *musicam & sonum sublimis Dei: cum autem fieret vox super firmamentum, stabant, & submittebant alas suas*: vt intelligas quòd si ores, aut canas musicâ cordis adeò suaui, vt videatur sonus Dei, eiusque magnitudine dignus: statim atque aduerteris & senseris, quòd ipsemet Deus te alloquatur, cessare debeas & contrahere ac submittere te intra te ipsum, vt eum audias, quamdiu ipsi placebit loqui. Oportet tamen eam moderationem adhibere: vt qui officium canit, non multum suspendat canendi officium; etiamsi huiusmodi vocem audiat: potest enim cantum cum humilitate prosequi: nam hoc est Deum, propter ipsummet Deum, relinquere; & qui eum deserit, vt eidem obediat, mercedē suā non amittet.

a *Ezech.* 1. 24.

Ex DVABVS his cōditionibus tertia facilè deducitur, vt scilicet omnes & singulæ Horæ integrè dicantur: b *Dominus* enim (vt ait Isaias) *odio habet rapinam in holocausto*: cùm igitur vnaquæque Hora Canonica sit quoddam holocaustum, quod in eius gloriam offertur; non vult aliquam eius partem subtrahi, siue magnam, siue paruam: nam si erit magna, peccatum erit lethale; sin autem parua, veniale. Quare qui semiuerba proferunt, aut prætereunt: non carent graui culpa, si sæpiùs id faciant, nec attendant, vt se emendent, cùm possint. Circa hanc integritatem tria sunt aduertenda. *Primum*: quòd præceptum nunquam obliget, vt quis per seipsum integras recitet Horas, vt iam dictum est; nec etiam satisfacit, qui integras

b *Isai.* 61. 8

c. *Dolentes, & Clement.* 3. *supra.*

ab alio audit; sed necesse est aut per se integras dicere, aut cum alijs alternatim; ita vt ipse partē aliquam dicat, & quā alij dixerint, audiat; nec sufficit, quòd vnus integrum Psalmū dicat, & alter alterum; sicut sufficit legere vnam Lectionē in Matutinis integram, & aliam ab alio audire, sed necesse est, versus alternatim dicere. Hæc enim consuetudo introducta est, & vsu recepta: vt non omnes idem legat aut dicat versus, aut Lectiones: & ex eadem consuetudine non licet tres aut quatuor facere Choros: ita vt primus dicat vnū versum, secundus secundū tertius tertium, & quartus quartum: consuetudo enim introduxit, vt tantùm sint duo Chori, & quisq; mediam dicat partem Psalmorū; si autem tot essent Chori, quisq; tantū diceret quartam partē Psalmi. Quod si multi simul orent: non est necesse, vt vnusquisq; omnes audiat; sed satis est sibi proximum audire. *Secundò* est aduertendum: præceptum obligare ad integrè orandas Canonicas Horas iuxta præscriptum singulorū dierum: ita vt non liceat eas commutare in alias breuiores. Si enim graue peccatum esset prætermittere die Dominico nouem Psalmos primi Nocturni, quasi orans contentus esset tres tantū dicere: etiam erit graue peccatum integras Matutinas diei Dominici commutare cum alijs alicuius Festi, aut Feriæ breuioribus: etiamsi integrè dicantur: sic enim non soluitur integrum pensum, quod reddendū est illo die, sed media tantū eius pars. *Tertiò* est aduertendū: quòd quamuis sint causæ sufficiētes, quæ ab integro officio persoluēdo nos excusent: aliquando tamē etsi sufficiant ad nos ab aliqua parte dicenda excusandos; non tamen excusare ab alia, sicut cæcus, aut non habens Breuiarium: si benè tenet memoriter quatuor minores Horas, & Completorium, tenebitur eas orare; & qui ob suam debilitatem non posset matutinas orare, sed sine detrimento posset reliquas: ab eis persoluendis non esset excusatus.

Suarez. lib. 4. de Horis. c. 25. num. 3.

Idem. c. 23. nu. 12. refert plures Doctores.

Suarez. sup. c. 17.

Tandem in his omnib⁹ casibus & similibus, quos reijcio ad Doctores de hac materia scribentes, plurimum refert esse liberales erga Deū curandūq; vt nunquā desit volūtas explēdi hoc præceptum, etiamsi vires desint. Desides enim recitare Officiū reputant sibi, crucē quā inuiti tollūt; ac propterea excusationes quærūt, & fingunt, vt eā abijciant. Feruētes autē, iudicāt sibi iucundū, quia in eo dicendo inueniunt Dei voluntatē, ac proinde studēt, etiāsi debiles sint, animū resumere, vt eā expleant. Illi comedūt cū tædio quodam; ac propterea, aut aliquid omittūt, aut festinātēr totū deglutiūt: hi autē esurientes, comedūt: ideoq; nihil relinquūt; nec dolent fercula esse multa; neq; quòd multò tēpore sit opus, ad ea comedenda: quia valdè eis delectantur, dicentes cum ipso Saluatore: d *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius*, quod est laudis eius. Quemadmodum Moyses, cùm Canticum prolixissimum, quod est in tota Diuina

d *Ioan. 4. 34*

Scriptura

Scriptura confeciſſet; e *locutus eſt verba carminis illius audiente vniuerſo cœtu Iſrael, & ad finem vſque complenit*: ita vt nec verbum præteriret.

c Deut. 31.30. & c. 32.44.

SVPEREST quarta conditio dicendi Horas Canonicas, ſcilicet *ordinate* eo ſcilicet ordine, quo alia poſt aliam eſt dicenda; & quæuis earum cum partibus, exquibus conſtat: iuxta illud Apoſtoli: f *omnia veſtra honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant; & g omnia quæ ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Cum igitur ordo ab Eccleſia in dicendo officio Diuino præſcriptus, ſit Dei, eiusque authoritate conſtitutus: inordinatio erit, eum mutare, & præuertere abſque legitima cauſa: vt ſi quis priùs Veſperas diceret, quàm Primam; aut initio Horæ Hymnum diceret, qui iubetur ad finem dici; nec ſpiritûs feruor in cauſa eſſe debet, cur Diuinarum laudum ordo permutetur: ſi enim feruor eſt à Deo, ſequetur ordinem ab ipſo conſtitutum: nam h *cum ſponſus* cœleſtis *ſponſam ſuam* animam *introducit in cellam vinariam*, ibi *ordinat in ea charitatem*, & omnes eius affectus. Et, vt ait S Bonauentura, Religioſus benè moratus obſeruare debet decentem ordinem in rebus omnibus, in omni loco, & tempore: ordinis enim pulchritudo valde ipſi competit, eumque lætificat; & ipſe ordo, rerumque exterarum rectitudo, ipſum prouocat ad attentionem & deuotionem in eo. Propterea enim Sacerdotium & Religio vocantur Ordo, vt ſuperiùs prædiximus. Vterque enim Status eminere debet in ſeruando ordine ſuorum miniſteriorum. Et quemadmodum ordo eſt ita neceſſarius in Miſſa, vt non liceat priùs Euangelium, quàm Epiſtolam legere; nec Ordinem Canonis inuertere: ita etiam ſeruandus eſt ordo præſcriptus in Officio Diuino, ſeruandus etiam eſt debitus ordo inter Miſſam & Horas Canonicas, dando operam, vt ſemper Matutinæ & Laudes, quæ ſunt Horæ nocturnæ, præcedant Miſſam: quæ eſt proprium Officium diei. Eritque maioris perfectionis, ſi quiſque in particulari accommodet ſe ordini, quem Eccleſia in publico & ſolenni officio ſeruat: præmittendo ſcilicet Tertiam ſummæ Miſſæ. Sed quoniam huius rei certa regula dari non poteſt: illa optima cenſebitur, vt adſit Spiritus feruens & cupidus implendi voluntatem Dei eo modo & ordine, qui intelligatur eſſe illi magis conformis. Et quamuis Ordines Mendicantes habeant aliqua Priuilegia circa hoc, & alia quæ ſpectant ad Officium Diuinum: non decet tamen eis vti, ad fouendam ſegnitiem & ignauiam; ſed in caſu neceſſitatis, iuxta finem, cuius causà Summi Pontifices illa conceſſerunt.

f 1. Cor. 14. 40.

g Rom. 13. 1.

h Cant. 2. 4.

AD HAS omnes conditiones non parum confert, vt qui Officium dicere debent, aſſueſcant illud ex libro legere; etiam eam partem, quam benè memoriter tenent, præcipuè extra Chorum. Tunc enim certiores ac tutiores erunt, quòd nihil omiſerint, nec ordinem dicendorum inuerterint: & cor ipſum erit magis collectum & expeditum à ſolicitudine

rectène an secus orauerit. Neque est leue indicium, quod id sit melius: siquidem Summi Pontifices aliquas indulgentias concesserunt orantibus Officium Diuinum ex libro: nunquam autem huiusmodi gratiæ & fauores impertiuntur, nisi ad exhorrandum & exstimulandum ad id quod perfectius ac securius est. Quod si quis maiorem inueniret deuotionem dicens memoriter Psalmos, oculis clausis, & corde in Deum directo: id ei licebit, quia Deus non ducit omnes eadem viâ, nec perfectio alligata est vni soli medio. *In compendio verbo indulgentia §. 18.*

Prædictorum Confirmatio.

Quæ præcedentibus capitibus dicta sunt, duxi confirmanda quadã admiranda visione quã S. Bernard. habuit, cùm aliquando interesset nocturnis vigiliis ea puritate ac deuotione qua solebat, cui, cũ morosa Psalmodiæ modulatio vigilias protelaret, aperuit Dominus oculos eius. Et ecce respiciens, vidit singulos Angelos iuxta Monachos stantes, & quòd quisque eorum psallebat, in schedulis more notariorum tam diligenter excipientes, vt nec minimam syllabam, quanquam negligenter prolatam, omitterent. Scribebant verò diuerso modo: nam quidam eorum scribebant auro, alij argento, nonnulli atramento, aliqui etiam aqua, quidam verò penitus nihil scribebant. Spiritus autem, qui hæc reuelabat, intelligentiam diuersitatis scripturæ cordi eius inspirabat. Qui enim auro scribebant, feruentissimum in Dei seruitio studium, & absolutam cordis intentionem in his quæ Psallebant, significabant, neque syllabam vllam prætermittebant: quia omnia quæ cum Dei amore proferuntur, ita Deo ipsi placent, vt ea in libro suo scribat, remuneranda in cælo. Et quamuis ex aliquo linguæ lapsu aliquid non ita benè proferatur: (quod potest sine culpa euenire) amor, qui interna sua lingua melius loquitur, hunc exterioris defectum supplet. Qui autem argento, minorem quidem feruorem, puram tamen Psallentium deuotionem declarabant, nam inter feruentes sunt etiam gradus. Cùm autem Dei varba (vt dixit Dauid Psal. 7.) sint *sicut argentum igne examinatum, & purgatum septuplum*: placet ipsi valde, si cum summa puritate ac diligentia, & absque rei alicuius eis indignæ admixtione dicantur. Qui verò atramento, continuum quorundam bonæ voluntatis vsum in Psalmodia, licèt non cum multa deuotione notabant. Sed qui aqua scribebant, exprimebant eos, qui somnolentia seu pigritia pressi, vel vanis cogitationibus à se abducti, videntur quidem aliquid signare, sed cor eorum abstractum prorsus nõ concordat voci. Ná quemadmodum qui scribit aqua, etsi characteres pingat, nullus tamen reuera manet; ita qui hoc modo orant, exteriùs quidem orant, non tamen interiùs: & quia cor non respondet linguæ, eorum oratio in cospectu Dei nullius est momenti. Cæterũ illi, qui nil scribebant, lamentabilẽ quorundam cordis duritiam redarguebant, qui obliti Professionis suæ, timotis Dei immemores, aut lethali somno prona se voluntate immergunt, aut

Lib. de Viris Illustr. Ordo Cistercienſ. In Spec. Exempl. verb. Angelus. Exemp. 11.

« certè

certè vigilantes, clauso ore, vanis & noxijs cogitationibus non ex infirmitate, sed ex voluntaria intentione occupantur, in conspectu Domini contra legis præceptum, apparere vacui non pertimescunt. Pater itaque Sanctus, qui hæc videbat, recordatus sententiæ illius, quoniam b *omnes administratorij Spiritus sunt in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, sicut proficientium congratulabatur seruoti, sic paterno pietatis affectu, deficientium miserebatur tepiditatis. O si animæ oculos aperires, & Fidei lumine custodem tuum Angelum videres propè te existentem, cùm Diuinum porsoluis officium, & adiuuantem explere præceptum, & modum scribentem, quo illud exequeris: fortè animaduerteres, ipsum aliquando ociosum esse, nec scribentem quid ores aut si scribat, id fortè facere aquâ: eò quòd sponte diffluas, nec tibi sis præsens vt attendas quid agas, ita vt nunquam proficias: quia maledictio illa locum inter habet: c *effusus es sicut aqua, non erescas.* Quod si d *effunderes sicut aquam cor tuum*, vt ait Ieremias, *ante conspectum Domini*, dirigens ad eum intentiones tuas, cogitationes ac desideria; audiret ipse orationem tuam, & ea proficeres. Sed quoniam illud effundis in terram, in quam tuas conijcis cogitationes & curas, frustraris fructu tuæ orationis. quod si angelus custos otiatur, nihil scribens: non intermittet Satanas scribere, & notare verba malè prolata in tua recitatione, aut cantu; ita vt nec vnam prætereat syllabam, vt seuerius possit te indie vltimæ rationis de omnibus accusare. Et quamuis ipse id notare negligeret, Supremus Iudex non obluiscetur ea scribere in libro suæ memoriæ, vt suo tempore te propterea puniat. Stude igitur, ita orare & canere, vt custodem tuum Angelum exhilares; & vt lubens verba tua aureis vel argenteis literis scribat. Obserua quid idé hic Sanctus monachis suis dixerit in quodam sermone, fortè postquam prædictam habuit visionem. Satis puto vobis scripturæ testimonijs persuasum, quòd psallentibus dignanter admisceri S. Angeli soleant: cum dicat Psalmista: d *præuenerunt principes coniuncti psallentibus*, & collocarunt se *in medio iuuencularum tympanistriarum*. & iterum: e *in conspectu Angelorum psallam tibi.* Doleo proinde, aliquos vestrum in Sacris vigilijs deprimi somno, nec cœli ciues reuereri; sed in præsentia Principum tanquam mortuos apparere: cum vestra ipsi alacritate permoti, vestris interesse solennibus delectentur; vereor ne vestram desidiam quandoque abominantes, cum indignatione recedant; & incipiat vnusquisque vestrum ferò cum gemitu, dicere Deo: f *longè feciſti notos meos à me, posuerunt me tanquam abominationem sibi.* & iterum: g *qui iuxta me erant, de longè steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.* pro certo enim si se à nobis boni Spiritus elongauerint: impetus malignorum quis sustinebit? Ea propter attendite Principes vestros, cum stetis ad orandum

vel

c *Gen.* 49. 4
d *Thren.* 2. 19.

Serm. 7. *in Cant.*

d *Ps.* 67. 26.
e *Ps.* 137. 2

g *Psal.* 87. 9
f *Ps.* 37. 17

vel psallendum; & state cum reuerentia & disciplina coram eis; & gloriamini, quia h *Angeli vestri quotidie vident faciem Patris.* Vsurpemus officium quorum sortimur consortium, vt i *in ore infantium & lactantium perficiatur Deus laus*: Dicamus eis: k *Psallite Deo nostro, Psallite*; atque audiamus eos vicissim respondẽtes: *Psallite Regi nostro, Psallite*: laudem ergo cum cœli Cantoribus in commune ducentes, vtpote Ciues Sanctorum & Domestici Dei *Psallite sapienter*: implentes quidquid necessarium est, vt cantus vester Deo placeat. Vnde vos moneo dilectissimi, purè semper & strenuè Diuinis interesse laudibus, strenuè quidem, vt sicut reuerenter: ita & alacriter Domino assistatis. Non pigri; non somnolenti, non oscitantes; non parcentes vocibus; non præcidentes verba dimidia, non integra transilienter; non fractis & remissis vocibus, muliebre quiddam balba de nare sonantes: sed virili (vt dignum est) & sonitu & affectu voces Sancti Spiritus depromentes. Purè verò, vt nihil aliud, dum psallitis, quàm quod psallitis, cogitetis: aut affectum indignum admittatis. Hæc omnia S. Bernardus: quæ amplius explicabuntur proximo capite.

h. *Matth.* 18 10.
i. *Psal.* 8. 3.
k *Ps.* 46. 7.

CAPVT X.

PRAEPARATIO AD PERFECTÈ DICENDVM Officium Diuinum; & quo spiritu dicenda sint orationes secretæ, quæ præmittuntur.

EX OMNIBVS quæ præcedentibus capitibus diximus, deducemus in duobus his vltimis modum quendam practicum Horas Canonicas perfectè orandi: præmisso illo fundamento necessario, de quo monet Ecclesiasticus: a *ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum*, temerè sperans, te sine præparatione posse bene orare; aut quomodocunque oraueris, te exaudiendum. Sed vt rem paulo altiùs inchoemus, aduertendum est: quòd licèt Ecclesiastici non sint ex obligatione adstricti exercitio mentalis orationis, præter eam quæ vocalem debet comitari: si tamen velint vocalem habere cum ea perfectione, quam cupit Ecclesia: deberent quotidie aliquid temporis mentali orationi tribuere. Nec voco hic mentalem, eam tantùm, quæ solo spiritu percurrit orationes, petitiones, aut Psalmos, quos ore proferre solemus; sed ipsam etiam fixam & constantem memoriam præsentiæ Dei trini & vnius, cum quo est loquendum; & attenta profundaque Diuinorum mysteriorum meditatione, eò tendente, vt cor inflammet igne amoris Dei & affectuum cœlestium, hoc est actuum & exercitiorum virtutum omnium. Ex hac enim adeo recollecta oratione proueniet, vt tempore dicendi,

a *Eccl.* 18. 23

aut Psallendi officium Diuinum, valde facilè & suauiter habeant intentionem, attentionem, ac deuotionem, quam cupiunt; cæterasq; seruent circumstantias sibi commendatas. Nam si toto die diffluant variis negotiis, & extra seipsos, & præsentiã ipsam Dei maneãt: differant verò ad seipsos redire, & hunc Diuinum ignem accendere, vsque ad illud tempus, quo immineat necessitas orandi officium: nihil mirum erit, quod tunc distractos se, & aridos, adeoque frigidos inueniant, vt exiguum ex oratione fructum percipiant. Nec sine causa volebat Deus in antiqua lege, vt Sacerdotes non differrent accẽdere nouum ignem, quando esset ponendũ in thribulo; aut cremandum holocaustum, & Sacrificium: sed iubebat potiùs, vt b *ignis in altari semper arderet, quem nutriret Sacerdos, subijciens ligna mane per singulos dies:* & inde prunas postea acciperet necessarias, vt *imposito holocausto, desuper adoleret adipes pacificorum* in quacunq; hora diei. Hunc in modum Ecclesiastici, & præcipuè Sacerdotes, quibus ex officio incumbit non solùm Horas Canonicas dicere, sed etiam Sacrificium Missæ offerre: si cupiunt exactè & perfectè suis obligationibus satisfacere; studere debent, tria illa præstare, quæ in hac figura insinuantur.

b *Leuit. 6. 12.*

1

PRIMVM est, vt semper in Altari cordis eorum ardeat ignis Diuini amoris. Nec solùm dico, vt ardeat ignis Charitatis habitualis, qua seruetur amicitia, & pax cum Deo, ita vt nulla culpa mortali ab ea excidant: id enim ab omnibus Christianis iure exigitur. Qui autem in statu sunt perfectiori, conari debent, vt ignis amoris actualis Dei semper ardeat, quo modo in hac vitâ potest continuari: quemadmodum qui valde esurit, aut sitit; semper cogitat & appetit quo saturetur; & vulneratus, semper cogitat sentitque suum dolorem; sicut anima illa quæ dicebat: c *amore langueo*, & d *ego dormio & cor meum vigilat*: nam etiam dum dormio, cogito de domino & sponso, quem diligo; totumque diem expendo suspirans eius præsentiam, & sagittas orationum, desideriorum & sanctarum cogitationum in eum iaculans.

c *Cant. 2. 5.*
d *c. 5. 2.*

2

SED quoniam in hac vita multa occurrunt, qnæ hunc ignem debilitent: valde expedit, vt Sacerdos nutriat illum subiiciens ligna mane per singulos dies: expendendo scilicet vnam horam in meditationibus, & considerationibus, quæ accendant in corde affectus amoris Dei, & reliquos eius comites. Quod si antiqui Sacerdotes quotidie mane tantum temporis impendebant nutriendo materiali illi igni ad Sacrificia adolenda, vt neque die neque nocte extingueretur: quid mirum, quòd Sacerdotes Euangelicæ Legis expendant quotidie mane vnam horam in spirituali hoc igne nutriendo, ex quo tantum commodum ipsis prouenit? præcipuè cum ipse Christus Dominus valde libenter accurrat ad fauendum eis, cum ipse dixerit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur*

Luc. 12. 49.

cendatur? cum igitur ipse adeo desideret, vt ignis hic semper ardeat: non prætermittet auxilium præbere iis, qui ei fouendo & accendendo sese occupant. Ne autem excusationem prætendant, quasi desint ipsis ligna: facile ea, & quidem in copia inueniēt in libro, quē edidimus, Meditationum in sex partes distinctū pro omni hominum genere: in quibus possunt vesperi aliquam partem legere, quasi ligna colligentes, quæ in promptu habeant vt mane hunc ignem accendant. Sed seligenda est materia conformis fini particulari, quē intendent. Quamuis enim Diuini amoris spiritus sit vnus, varios tamen producit effectus: & aliquando facilius concipitur ignis cōpunctionis & doloris peccatorū; aliquando laudis & gratiarū actionis pro acceptis beneficiis; aliquando facilius concipitur ignis præseruationis ab aliquo lapsu, aut victoriæ in aliquibus tentationibus; aut actuum seu exercitiorum aliarum virtutum: in quibus omnibus deberet Ecclesiasticus esse bene exercitatus. 3

Tertium, quod Sacerdotibus incumbit, est: vt tempore celebrandi Missam, aut officium Diuinum dicendi accipiant ex igne, qui ardet in corde, quantum est necesse ad hæc opera magna cum perfectione præstanda, quo ad puritatem intentionis, attentionem ac deuotionem. Quemadmodum enim Deus seruerissimè olim prohibebat e *vllum incensum aut Sacrificium sibi offerri igne alieno*, sed eo tantùm, *qui ardebat in sanctuario: Et quoniam duo filij Aaron posuerunt in thuribulis ignem alienum: egressus ignis à Domino, deuorauit eos:* ita etiam vult Deus noster, suos ministos non offerre ipsi Sacrificia & orationes igne alieno, intentione scilicet & affectu aliquo terreno, & mundano: ne id cedat in ipsorum perniciem; sed solo igne amoris Dei, deuotionis, & intentionum, & affectuum mundorum ac sanctorum, quos huiusmodi opera exigunt. e Leuit 10.1

§. I.

Hac præparatione generali præmissa, est etiam aduertendum, quòd horæ Canonicæ, omnesque earum partes sint tanquam fomites ignis diuini, qui excussorio considerationis tacti, scintillas bonorum affectuum in corde excitant: quod si benè sit dispositum, tanquam fomes bene siccus, statim ignem concipit, & sensim exurgit ingens flamma. Deinde, cum homines valde delectentur varietate, quæ tædium pellat; ipsaque oratio condimento aliquo opus habeat, quod feruorem excitet, ac deuotionem, qua fieri debet: instituit Ecclesia Diuinum officium cum tanta varietate Psalmorum, Hymnorum, Canticorum Lectionum Antiphonarum, & Responsoriorum: quæ omnia ita sunt spiritu plena, vt qui eum nouit haurire eoque delectari, cùm orat; non aliis indigeat, vt cum magna oret perfectione, vt constabit ex dicendis de singulis hisce partibus, dum proferemus in lucem spiritum in eis latentem.

1

ANTE omnia autem renouanda est, & excitanda memoria præsentiæ Dei, & actuanda intentio eius Diuinæ gloriæ; & ponendæ ante oculos res illæ ac personæ, pro quibus Horas illas offerre intendit qui orat: tam quoad satisfactionem, quàm quoad impetrationem: vt si offerendæ sint pro nostris peccatis, aut pro defuncto aliquo in purgatorio existente, aut pro spiritualibus aliquibus necessitatibus nobis commendatis. Quòd si adhuc magis velis deuotionem tuam actuare, licebit singulas septem Canonicas Horas offerre, ad impetranda singula ex septem donis Spiritus Sancti; aut singulas ex septem virtutibus Theologicis, & Cardinalibus, aut singulas ex septem Petitionibus Dominicæ precationis; aut singulas ex octo Beatitudinibus: aut vt impetres à Deo liberari à septem capitalibus vitijs applicando singulas Horas ad singulas has res prædictas suo ordine, aut ad oēs simul. Et quoniã oblationes, & orationes nostrę per seipsas parui sunt, momenti: expedit illas offerre coniunctas cũ similibus, quas ipse Saluator quà homo, fecit: cùm constet, ipsum & Hymnos, & Psalmos obtulisse: quibus si nostros coniungamus, erunt magis accepti, dicentes ei: *Domine Iesu Christe, in vnione Diuinæ illius deuotionis quà ipse in terris Laudes Deo obtulisti, has tibi horas offero.* Scimus Christum Dñm nostrũ, in Cruce pendentem magno animi affectu, & voce elata cœpisse Psalmum 21. dicendo: a *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Et facilè credi potest, quòd progressus fuerit secretò vsque ad eius finem; quia totus ille est ex Historia Passionis eius. Et similiter, cùm in proximo esset, vt expiraret, verba illa protulit Psalmi 30: b *In manus tuas commendo Spiritum meum*: & verisimile est secretò ipsum dixisse versus præcedentes ab initio Psalmi. Et iuxta hoc est vsus in Ecclesia tam in Sacro quàm in officio Diuino, incipere orationem voce alta, progredi verò in eadem secretò; aut contrà secretò illam inchoare: finire verò elata voce: vt sic doceat nos vocalem orationem coniungere secretæ, quæ fit Spiritu inter nos, & Deum.

a Matt. 27. 46.

b Psal. 30.

2

EXPEDIT præterea, septẽ ipsas Canonicas Horas offerre in memoriã mysteriorum, quæ celebrata fuerunt in septem diei & noctis temporibus, in quibus illæ dicuntur, & superiùs insinuata fuerunt; & inuenientur in compendium quoddam redacta, in Horis S. Crucis, & Spiritus Sancti: quæ cùm sint breuissimæ, possent singulæ in singulis Horis Canonicis recitari. Quoniam autem & missa, & officij oratio conformes sunt omnibus anni temporibus: iuuaret proculdubio multum, si meditationes, in primo capite insinuatæ pro diuersis anni Ecclesiastici temporibus, recitationi officij præmitterentur. Sic enim meditatione accenderetur ignis affectuum, vt officium Diuinum maiori cum deuotione perageretur, & sic impleretur consilium illud Spiritûs Sancti, dicentis: c *ante orationem præpara animam tuam.* Ex quo fit, vt quemadmodum oratio adeò potens ef-

c Eccl. 18. 23.

ad omnia

ad omnia, quæ petimus, obtinenda: ita ipſamet ſit bona ad ſeipſam præparatio; vt vna oratione impetretur bona diſpoſitio ad aliam inchoandam. Et hæc cauſa eſt, cur Eccleſia inſtituerit, vt Canonicis ipſis Horis præmittatur ſecretò Precatio Dominica; Eò quòd in ea contineatur perfectiſſimus orandi modus, qui in hac vita inuenitur; & ea quæ petēda ſunt, & ad quem ipſæ Horæ ſunt dirigendæ; & fines, quos per eas intendimus.

Primvm, cùm Officium eſt inchoandum, dicis: d *Pater noſter qui es in cœlis*: vt ſic conſtituas te in conſpectu cœleſtis Patris, exiſtentis cum ſumma gloria in cœlis; tuumque eleues cor ad ipſum aſpiciendum, ſicut ipſe reſpicit, quid tu agas, & rationem orandi, quam tenes; & abſtrahas cor tuum à negotijs terrenis, illudque colloces in rebus ſolis cœleſtibus. Quoniam autem orationem comitari debent amor & reuerentia; fiducia, & ſimul ſanctus timor: vt cum amore & fiducia filij ores: iubet, vt ipſum appelles *Patrem*; ne autem reuerentiæ ac timoris obliuiſcaris: monet quòd ipſe ſit in cœlis tanquam Creator, Rex, ac Dominus infinitæ gloriæ, & maieſtatis; quamuis hoc non prohibeat, vt cùm ipſe vbique ſit præſens, illum reſpicias prope te exiſtentem, teque omni ex parte circumſtantem; imò etiã intra te ipſum habitantem in anima tua. Siquidem, S. auguſtino teſte, etiam cœli hic ſignificant animas iuſtas, in quibus Deus habitat per gratiam: talem autem decet eſſe tuam, cum ſis miniſter ad eius obſequium conſtitutus.

In ſeptem deinde petitionibus ponuntur ſeptem documenta, ſiue monita magni momenti, ad bene orandum; & ſeptem fines, ad quos eſt oratio dirigenda. *Primus* finis eſt, vt nomen Dei ſanctificetur, honoretur & glorificetur ab hominibus; & nominatim à te ipſo, cum oras: ac proinde moneris, vt ſanctè ores, & in oculis Dei ſis Sanctus, vt eum dignè ſanctifices. Cumque ſanctitas culpam excludat: ad id faciendum, oportet, cùm accedis ad orandum, eam contritione ac dolore eluere. *Secundus* finis eſt: vt regnum Dei ad nos adueniat, mediâ ipſâ oratione: ita vt oratio, quã inſtituis, aperiat tibi cœlũ, & efficiat, vt inde adueniat regnum illud, quod Apoſtolus appellat e *iuſtitiam & pacem & gaudium in Spiritu Sancto*. Et hoc inſinuat translatio quam S. Gregorius Niſsenus ſequitur, dicens: *aduenias Spiritus Sanctus & nos expurget*: Qua etiam ſententiâ inſinuatur diſpoſitio, cum qua accedere debes: vt capax ſis Diuini huius ſpiritus, eiusq; regni. Nõ. n. eſt abiecti alicuius animi; ſed valde generoſi, petere regnum adeò excelsũ, quale eſt regnum Dei. *Tertius* finis eſt, vt voluntatẽ Dei ita in terra faciamus, ſicut fit in cœlo: orantes cũ eo ſpiritu & feruor, quo Sãcti orãt in cælo, cũ aliquid à Deo petunt. Sed quoniã hic nõ petitur: faciã ego tuã voluntatem, ſed *fiat voluntas tua*: non ſolùm petere debes, vt S. Chryſoſtomus aduertit, vt tu facias voluntatem Dei, quemadmodum ipſe in ſuis præceptis

d. *Matth 6. 9.*

S. Chryſ. homil. 20. in Matth. Caſſi. Coll. 9. c. 28.

lib. 2. de ſerm. Dom. in mont. c. 9 S. Ambroſ. lib. 5. de Sacram. c. 4.

e *Rom. 14. 17. Orat. de Filij & Sp. S diuin. licet apud S. Lu. non habeatur, vt ipſe dicit. homil. 20. in Matth. & 24 imperfecti.*

& con-

consiliis eam manifestauit ; sed, vt fiat, & expleatur in te voluntas beneplaciti eius quacũque viâ ipse voluerit eam exequi : vt illi acquiescas, eamque amplectaris in tuis infirmitatibus, calamitatibus, & persecutionibus, quas tibi mittet: eius enim voluntatis est vt eas acceptes. *Quartus* finis est, vt det tibi panem quotidianum, hoc est, Spiritualem animæ refectionem, quam solet in oratione communicare, & quam optas tibi, in oratione, quam auspicari cogitas, dari. *Quintus* finis est, vt debita & peccata nostra nobis dimittat, & vt pro eis satisfaciamus. Qua sententiâ monet nos, vt ea detestemur : cùm non possit dimitti peccatum actuale nisi de admisso doleamus, illudque detestemur. *Sextus & Septimus* finis est, vt Deus præseruet nos à lapsu in tentationibus, & ab omnibus malis corporis & animæ. Ad omnes hos fines offerri possunt Horæ Canonicæ.

§. II.

EX HIS deducere licet tres modos breuis præparationis ad singulas Horas Canonicas: nunc vnum, nunc alterum adhibẽdo tædij vitandi causa. PRIMVS modus est, petendo à Deo speciale auxilium ad eam Horam ita orandam sicut ipse vult, pro ipsius gloria. Ad quod iuuerit breuis hæc oratio, accepta ex quadam Ecclesiæ COLLECTA : *Gratia tua, Domine, me præueniat & sequatur ; & orationi huic iugiter faciat esse intentum : per Christum Dominum nostrum.* Aut hæc: *Aperi, Domine os meum ad benedicendum nomen Sanctum tuum ; munda quoque cor meum ab omnibus vanis & peruersis cogitationibus, intellectum illumina, affectum inflamma vt digne, attente atque deuotè officium hoc celebrare valeam, Amen.* Alia etiam ponitur in officio paruo B. Virginis, hæc scilicet: *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur: per Christum,* &c. Quælibet harum orationum dici potest : sed attentendũ, vt eo interno sensu dicatur, quam ipsa verba significant.

SECVNDVS modus est, offerendo Deo Domino nostro Horam tunc
2 dicendam, ad eius gloriam, coniunctam cum laudibus, quas ipsemet Saluator in terra obtulit ; & omnib. quas omnes Spiritus Beati in cœlo ei decantant ; & ob reliquos nostræ spiritualis vtilitatis fines in quos illa Hora dirigitur. Et in hunc finem dici potest hæc oratio, desumpta ex alia quæ dicitur in ipsa missa: *Suscipe Sancte Pater, hoc Sacrificium laudis, quod tibi offerre intendo ad gloriam nominis tui, ad vtilitatem quoque meam, & totius Ecclesiæ tuæ Sanctæ. Amen.* Aut hæc: *Suscipe Sancta Trinitas preces, quas tibi offerre desidero propter magnam gloriam tuam, & ob memoriam Passionis*
3 *& Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & in honorem Beatæ Mariæ semper Virginis & omnium Sanctorum, vt illis proficiat ad laudem, mihi autem ad salutem : per Christum Dominum nostrum.* TERTIVS modus est per viam

modum

modum affectuum, cum breuibus iaculatorijs ad tres Diuinas Personas directis: nunc ad æternum Patrem, nunc ad Filium, & nunc ad spiritum Sanctum. In hunc modum: *Pater de cœlis Deus, fac me orare in hac Hora quomodo tibi placet, & mihi expedit ad maiorem tui gloriam. Fili Redemptor mundi Deus, fac me hac Hora orare cum clamore valido, & lacrymis, sicut tu orabas. Spiritus Sancte Deus fac me orare gemitibus inenarrabilibus, sicut postulas pro Sanctis.* Alij quoque affectus exerceri possunt per viam laudum: vt si quis collocet se in præsentia Dei, inter ciues & aulicos cœlestes; ac dicat, quod illi dicebant: f *dignus es Domine Deus noster, accipere laudem, & gloriam, & honorem & benedictionem in secula seculorum.* Potest & aliquando considerans se ipsum tanquam Ecclesiæ ministrum in medio omnium iustorum; & cum eis vnitum dicere illud Dauidis: g *magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in id ipsum.*

f Apoc. 4. 11

g Psal. 33. c.

In eundem finem præmittitur etiam Horis Canonicis Angelica Salutatio, qua virgo Sanctissima saluatur ob tres fines. *Primus* est, ad ostendendum amorem, reuerentiam & æstimationem nostram erga illam, tanquam matrem nostri Saluatoris, nostramque apud ipsum mediatricem. *Secundus* est, vt intercessione sua nos in hac oratione adiuuet, quod significatur verbo illo, Nvnc, quod respicit tempus præsens, quo ipsam Horam aggredimur. Cum enim illa intelligat & attendat, omnib. nostris orationibus potest facilè ita nos iuuare, vt illæ fiant eo Spiritu, quo desideramus, & quo vox illa Nvnc, est proferenda. *Tertius* est, vt eadem ipsa virgo Sanctissima particeps sit omnium nostrarũ laudum, quæ tot titulis, & nominibus est eis digna. Ac propterea sicut præmittitur ipsis Horis hæc salutatio; ita in fine addi solet Antiphona: *Salue Regina*, aut alia pro ratione temporis: vt & illa modo suo principium sit ac finis nostrarum orationum.

Denique initio *Matutinarum, & Prima*, quæ sunt primæ horæ noctis & diei, præmittitur etiam Symbolum Apostolorum, & repetitur interdum initio *Precum*, & semper ad finem *Completorij*, vt protestemur Fidem, non solùm lingua, sed etiam multò magis spiritu. Nam vt dixit Apost. h *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad Salutem*: & hoc modo i *iustus ex Fide viuit*, per eam orat, & operatur: quatenus ei innituntur affectus deuotionis, orationes & laudes Dei. Dicimus etiam *Credo*, vt hoc Symbolo, quasi scuto & galea protegamus nos, contra omnes hostium tentationes: vt primo Tomo est dictum.

h Rom. 10. 10.

i Gal. 3. 11. *Tract.* 1. c. 8. §. 2.

(..)

CAPVT XI.

QVO SPIRITV DICENDI SINT PSALMI, ET RELIquæ Officij Diuini Partes.

ADMIRANDA EST DIVINI OFFICII HARMONIA in ominibus septem Horis Canonicis, quarũ initium ordinariè sumitur ab illo versu Psalmi 69: *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina:* quo, nomine totius Ecclesiæ petitur speciale Dei auxilium ad illam orationem; & quidem, vt festinet Deus in præbendo suo auxilio, sine quo nihil possumus Ac propterea idem versus valde fuit celebris apud antiquos (vt refert Cassianus) eò quòd sit manifesta quædam protestatio imbecillitatis nostræ, & necessitatis ac dependentiæ ab auxilio Diuino; & confessio quædam gloriosa & solennis Omnipotentiæ Dei ad nos iuuandos. Et Abulensis aduertit: morem hunc traxisse originem ab illo Moysis, qui quoties Arca Testamenti eleuabatur, dicebat: a *surge Domine, & dissipentur inimici tui; & fugiant, qui oderunt te, à facie tua,* eum in modum, quoties spiritus eleuatur ad Horas Canonicas dicendas, petimus à Domino nostro vt auxilio nobis sit contra hostes conantes impedire nostram deuotionem & attentionem in eis. Simul etiam cùm hic versus dicitur, nos ipsos signo Crucis signamus: ad significandum, hoc auxilium venturum nobis à virtute Christi crucifixi, cuius Crux futura nobis est galeæ instar aduersus hostes, impugnantes nos, dum oramus. Præterea, vt ipsum Dominum nostrum alliciamus ad auxilium nobis præstandum, coniungimus eidem versui alterum celeberrimum, scilicet *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, &c.* quo confitemur, & glorificamus Trinitatem Sanctissimam, à qua omne nostrum bonum prouenit; iuxta quæ ex S. Dionysio superiùs retulimus: quòd omnia opera, in quibus de Deo agitur inchoari debeant ab inuocatione Sanctissimæ Trinitatis, quæ præsens est. Eundem etiam versum dicentes, inclinamus caput in signum humilitatis, reuerentiæ & adorationis; attendentes ad nostram vilitatem, & terram, ex qua facti sumus: indicantes nos quasi puluerem in conspectu tantæ Maiestatis. Et quoniam affectus hic glorificationis est maximè proprius & nobilissimus Sancti huius exercitij: repetitur in fine cuiusuis Psalmi, & aliàs sæpe in signum quòd semper, & in omnib. quæ dicimus, aut facimus, debeamus quærere gloriam & laudẽ Sãctissimæ Trinitatis. Et quoniã Deus noster delectatur si cũ cordis lætitia laudetur, adiũgitur sępe *Alleluia:* quod significat *laudate Deum cũ lætitia.* Quod Dauid dixit: b *Introite in cõspectu eius in exultatione.* Et quãuis à Septuagesima vsq; ad pascha vox illa omittatur, eò quòd tẽpus agatur luctûs & tristitię: nõ tñ omittitur laus Diuina:

Collat. 10. c. 10.

a In. c 10. Numer. 35.

a Psal. 67. 1.

vide Riberã in Apoc 9.

b Psal. 99. 2.

nam

nã eius loco ponũtur alia quæ etiam laudẽ significant, illa scilicet, *Laus tibi Domine, Rex aeterne gloriæ.* Est tamen aduertendum, quòd quamuis hoc initium sit omnibus Horis commune: Matutinæ tamen eò quòd sint primæ, incipiunt ab illo versu: c *Domine labia mea aperies: Et os meũ annuntiabit laudem tuam.* quo confitemur, Dei laudem & orationem esse eius donum: & ipsum aperturum os nostrum & labia, ad ipsum laudandum & orandum vt oportet: propterea enim de eo dicitur quòd d *Sapientia aperit os mutorum & linguas infantium facit disertas*; & : e *ex ore infantium & lactantium perficit laudem.* Signamus autem pollice tunc os signo Crucis, ad significandum, vt dicebamus, quòd per Crucem Christi Domini detur nobis donum orationis. Postea sequitur Invitatorium quo mutuò nos inuitamus ad laudes Dei Psalmo illo: f *Venite exultemus Domino &c.* Sed hoc ipsum inuitatorium magis extollentes inuitare debemus Sanctos cœlestes, vt nobiscum Deum laudent; & coniungere laudes nostras cum laudibus ipsorum, vt magis Deo placeant, & facilius excipiantur. Possumus autem omnes Sanctos reducere ad septem ordines pro septem Horis Canonicis. Primus est Angelorum cum nouem ipsorum Choris; Secundus Patriarcharum & Prophetarum; Tertius Apostolorum, Euangelistarum, ac Discipulorum Domini; Quartus Martyrum; Quintus Pontificum, Confessorum, & Doctorum; Sextus Sacerdotum, Leuitarum, Monachorum & Eremitarum; Septimus Virginum, & viduarum, Virgine Sacratissima super omnes posita. Et quoniam in *Inuitatorio* fit aliquando mentio aliquorum Sanctorum, dicitur enim *Regem Apostolorum*, aut *Regem Martyrum*, *Dominum venite adoremus*: hos in particulari inuitare oportet, cogitantes nos ab eis omnib. circumdari sicut: g, *Saul*, qui accedens ad *Cuneum Prophetarũ* propter merita bonorum sociorum, *cœpit & ipse cũ eis Prophetare.* Ac deniq; vnusquisq; debet omnes suas potentias inuitare, & ad earum actus excitare: vt omnes simul & cum tranquillitate Deum laudent: eum in modum, quo Sanctus quidam Monachus initio suæ orationis dicebat suis cogitationibus: *venite exultemus domino, venite & procidamus ante Deum; ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius & oues pascuæ eius.* quasi illis dixisset: vos cogitationes meæ estis populus Dei & oues pascuæ eius; venite igitur omnes simul, & prosternite vos ante eum plorantes vestra peccata; & petentes ab eo, vt vos pascat nunc pastu excelsorum suorum sensuum & affectuum,

Post Inuitatorium sequitur aliquis Hymnus, & alius ad finem laudum: nam in aliquibus Horis Hymni ponuntur in initio, in aliis autem ad finem. Qui quamuis ab aliquibus Sanctis, aut particularibus Doctoribus sint compositi: sunt tamen ab ipsa Ecclesia approbati; & valde conformes aliis, qui in sacra Scriptura inueniuntur: & ordinariè continent Historiam creationis mundi distributam per septem dies hebdo-

c *Psal.* 50.17

d *Sap.* 10 21. e *Psal.* 83

Inuitatorium. f *Psal.* 94.

g 1. *Regum.* 10. 10.

Hymni.

madæ; aut historiam Festorum, quæ celebrantur laudando Deum propter beneficia in huiusmodi diebus nobis collata. Et hoc spiritu sunt dicendine vllum Diuinum beneficium, siue magnum siue paruum, sine propriis laudibus prætereatur.

De Consec. D 1. c. de Hymnis. Ex Concil. Tolet. 4.

§. I.

PSALMI.

SED VENIAMVS ad *Psalmos*, qui sunt præcipua pars Officij Diuini, & optima fercula, quæ in hoc spirituali conuiuio propronuntur. Quos composuit Rex Dauid (qui propterea Psalmista appellatur) vt Sacerdotes & Leuitæ Deum in eis laudarent: quorum excellentias & præstantiam Sancti Patres nunquam satis extollere possunt, nec recedere desistit. S. Dionysius eos vocat essentiam Diuinarum laudum: cum quibus reliquæ collatæ, sunt quasi accidentia, quæ ipsos exornant: ac propterea (ait) Missa, quæ reliqua Mysteria in Sanctitate excellit, incipit à cantu Psalmorum. Et eloquentissimus S. Chrysostomus vehementer admiratur amorem, & affectum Christianorum ad hunc Dauidis librum, præ reliquis veteris Testamenti: nam semper in ore habent Psalmos, nocte, & die; mane, & meridie, & vesperi; in Festis lætitiæ, & in exequijs tristitiæ: semper enim primus, & medius & vltimus est Dauid. Neque id mirum est: in Psalmis enim resplendent omnes affectus feruentis orationis; & omne genus petitionum, tam pro peccatoribus, quàm pro iustis; incipientibus & proficientibus, ac perfectis; Dei laudes stupendæ, actiones gratiarum pro omnibus eius beneficiis, affectus amoris valde inflammati, cum excessu contemplationis & vnionis; sensa etiam miseriæ & imbecillitatis nostræ, feruentes Diuini subsidij petitiones, cum affectibus compunctionis, propter nostra peccata. Sunt etiam in eis altissima consilia perfectionis, & exhortationes teneræ ad eam procurandam. Denique (vt ait S. Basilius) vnicus Psalmorum Liber omnia complectitur; qui dum refert Historiam, corrigit ac dirigit vitam; estque quasi penu siue promptuarium refertissimum, ex quo accipere licet spirituale animarum nostrarum alimentum, necessitati & gustui nostro valde aptum, & accommodatū. Quare S. Ambrosius: *Quis* (inquit) *sensum hominis gerens non erubescat, sine Psalmorum celebritate diem claudere & adoriri?* laudando scilicet Creatorem, sicut ipsæ auiculæ modo suo eum laudant.

Homil. 6. de Sanctitate.

In prœm. Homil. in Psalmos.

Lib. 5. Examer. c. 14. & Serm. 43.

AD fruendum hoc thesauro, necesse est (vt aduertit Cassianus) eodem spiritu Psalmos dicere quo facti sunt compositi; & ita quoque sibi ipsi eos accommodare, atque si ipsemet eos componeret; aut ipse Psalmista ad ipsum solum eos dirigeret: ita vt eorum sententias non tunc tantùm per Prophetam, aut in Propheta factas esse completas; sed in se quotidie geri, implerique cognoscat: excitando in spiritu suo eosdem affectus quos Dauid experiebatur in se; aut in aliis fuisse, narrat. Amare igitur debes, quando

Collat. 10. c. 10. & 11.

Psalmista

Psalmista amat; timere, cum timet; sperare, cum sperat; laudare Deum, cùm ille laudat; flere propter tua peccata, aut aliena, quando ille flet; & petere ea quæ cupis, eo sensu, quo ille similia petit. Diligere debes inimicos, cùm eos ille diligit; orare pro eis, quando ille orat; zelare gloriam Dei, quando ille zelat; & hoc zelo teipsum consumere; quo ille se consumi ostendit. Humiliari debes, quando ille se humiliat; spiritum in cœlum eleuare cùm ipse eleuat suum; delectari pulchritudine Messiæ, & Ecclesiæ eius sponsæ, cùm ille delectatur & gaudet; gratias agere pro Diuinis Beneficiis, cùm ille eas agit. Et cum ille admirabilia refert de Deo in mundi creatione, aut in deductione sui populi ex AEgypto, admirari & tu debes, & glorificare Deum, sicut ipse obstupescit, & eum glorificat; & cum narrat supplicia rebellibus illata; & præmia fauoresque obedientibus exhibitos; & tu debes tremere, cum ille tremit; & exultare cùm exultat; deambulare etiam in aula cœlesti; sicut ille deambulat; & optare habitare in ea sicut ille optat. Denique cum ille tanquam Magister docet, exhortatur, reprehendit, ac dirigit iustum: cogita illum loqui tecum: & eo affectu ei responde, quem Magistri adeo sancti doctrina exigit. Ac propterea S. Augustinus, Psalmus (inquit) tranquillitas animarum est, perturbationes vel fluctus cogitationum cohibens, iracundiam reprimens, luxum repellens, sobrietatem suggerens, amicitiam congregans, adducens in concordiam discrepantes, reconcilians inimicos. Psalmus Dæmones fugat, Angelos ad adiutorium inuitat. Scutum enim in nocturnis terroribus, diurnorumque requies est laborum; tutela pueris, iuuenibus ornamentum, solamen senibus, mulieribus aptissimus decor, incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum; totius Ecclesiæ vox vna, quæ solennitates decorat; tristitiam, quæ propter Deum est, emollit. Psalmus etiam ex corde lapideo lacrymas mouet. Quid autem est, quòd non discatur in Psalmis? non omnis magnitudo virtutis, non norma iustitiæ, non pudicitiæ decor, non prudentiæ consummatio, nō patientiæ regula, nō omne, quidquid potest dici bonum, procedit ex ipsis? Dei scientia, perfecta prænuntiatio Christi in carne vēturi, & cōmunis resurrectionis spes, supplicorū metus, gloriæ pollicitatio, mysteriorum reuelatio. Omnia prorsus in his velut magno quodam & cōmuni thesauro recondita atq; conferta sunt bona. Hæc omnia S. Augustinus. Sed est aduertēdum, quòd interdum vnus & idē Psalmus refertus est harum rerū varietate, quæ varios excitāt affectus: cura aūt & studiū cōformādi se illis interne plurimū iuuat ad attētionē cōseruādā. Sed ita ab vno ad alterū est transeūdū, vt si vnus affectus valde penetret cor; aut Deus tenerū aliquem sēsū cōmunicauerit in aliquo verbo; illud ruminetur, & eo statim orans fruatur; aut si necesse est progredi, idem sensus

Prologo in Psalmos.

seruetur in scrinio memoriæ, vt postea diutiùs ruminetur. Aliquando tamen integer Psalmus prosequitur aliquam historiam, aut affectum: & tunc faciliùs est Spiritum ijs, quæ dicuntur, conformare & aptare; vt quando dicis Psalmum *Miserere mei Deus*: aut aliquem alium expœnitentialibus, induere debes Spiritum compunctionis, ac doloris de tuis peccatis; vt hic affectus adferat tenerum sensum dicenti versus; & ipsi versus augeant sensum interiorem, quo proferuntur. Et in eundem modum indues affectus laudis, aut gratitudinis, quando Psalmos dices, qui hoc continent argumentum. Hoc enim modo impletur quod dixit ipse Dauid: a *Psallite sapienter*. Ad id etiam iuuerit, petere à Deo initio Psalmi lumen, & affectum gustumque & saporem, quo Dauid afficiebatur, dum illum componeret; & cum affectu ac desiderio obtinendi, quod ille sentiebat. In fine denique Psalmi cum Spiritu gratitudinis dicendus est versus: *Gloria Patri*; & nonnihil subsistendum in *Antiphona*, quæ semper ei

a *Psal.* 46. 8.

aliquis bonus bolus Psalmi, aut historiæ alicuius: aut sententia aliqua Diuinarum laudum: vt facta quadam suspensione inter vnum & alterum Psalmum nouus Spiritus hauriatur, ad sequentem inchoandum. Quod si

ANTIPHONÆ

experieris te impugnari à cogitationibus; est bonum consilium, propositum renouate attentionis ad solum proximum Psalmum; quo absoluto eandem renouare pro altero: quasi solus ille esset dicendus. Est tamen bene perpendendus Ecclesiæ Spiritus in repetendis Antiphonis, & aliquorum Responsoriorum versibus; imo in prima etiam ter repetit versum *Deus in adiutorium meum intende*, ad significandum feruorem Spiritus, & internum cordis affectum, & perseuerantiam in petendo suarum necessitatum remedio, & laudando ipso Domino, ob ingentia eius beneficia. Cui tamen repetitioni non aduersatur, quod ait Ecclesiasticus; b *non sit verbum in oratione tua*: loquitur enim de repetitione orta ex aliquo scrupulo impertinenti; aut ex diffidentia quasi opus esset eam repetere vt illam Deus intelligeret. Non tamen intelligitur de repetitione feruenti, qua tota Scriptura Sacra est referta. Nam & ipse saluator noster in nocte suæ Passionis ter repetit eandem orationem, vt magis expresse dixit S. Matthæus: c *Orauit tertiò eundem sermonem dicens*.

b *Eccl.* 7. 15.

c *Matt.* 26. 44.

§. II.

LECTIONES quę in matutinis ponuntur, exceptę ex Scriptura Sacra, & Homilijs Sanctorum Patrum eam explicantium, aut ex ipsorum vitis docent nos vtilem & salutarem vsum exercitij quod appellamus Lectionem Spiritualem, quæ in primæua Ecclesia valde fuit frequens, & approbata, & in vsu apud Sanctos Patres, propter ingentes vtilitates quę ex ea prouenirent, vt in alio loco retulimus. Et speciatim (vt S. Isidorus perpendit) in Diuino officio quatuor adfert commoda. PRIMVM est, quod requietem

LECTIONES *Ducis Spiritus. Tract. 2. c. 2. lib. de Diuin. Officio. c. 2.*

E

anima ab exercitio orandi quod ex se est laborioſius, oratio enim maiorem petit attentionem, quàm lectio, in qua Deus quodammodo nobiſcum loquitur. Secvndvm est, quod moueat cor pijs affectibus: vt ſic poſſit in oratione vocali progredi. Tertivm est, quod argumentum etiam proſpiciat orationis mentalis: mens enim Eccleſiæ etiam est, vt eius miniſtri in ea ſe exerceant. Et ideo inſtituit, vt publicè Lectiones legerentur, vt Fideles fructum ex eis caperent. Qvartvm est ne exercitium adeò vtile ceſſet, ſed quotidie aliquid in promptu habeat, quo alatur, & cum fructu continuetur. Diſtributio Lectionum, quæ ſeruatur in matutinis, est quam oportet nos in hoc exercitio ſeruare, extra ipſam orationem. Nam primum, Lectio eſſe debet trium generum librorum: & in primis Sacrorum, & inter hos cum maiori æſtimatione & affectu Euangeliorum; deinde librorum à Sanctis viris editorum, qui Dei Spiritu Scripturas Sacras explicuerunt, & commentarios in Euangelia ediderunt: Tertiò hiſtoriarum de vitis eorundem Sanctorum: quorum exempla valde mouent eos, qui interſunt & audiunt. Adhaec, antequam Lectiones cuiusque Nocturni inchoentur, præmittitur breuis quædam oratio, valde pia ad Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt magiſter magiſtrorum; idque denotat, quòd meritò oratio præcedere debeat Lectionem. Statim etiam petitur quaſi facultas, & benedictio ad Lectionem legendam. Et prima datur in nomine Patris; ſecunda, in nomine Filij, tertia, in nomine Spiritus Sancti: vt intelligas, quòd cum librum accipis in manum, ad legendum, petenda ſit humillimè licentia à Sanctiſſima Trinitate: nunc ab vna Perſona, nunc ab alia: ſuppliciter orando copioſam tibi impertiri benedictionem, vt fructum ex illa lectione haurias. Cui Lectioni finis imponitur alia breui oratione: *Tu autem Domine miſerere nobis*: quæ inſeritur ad ſignificandam continuationem excelſi huius exercitij: quod eſſe debet principium & finis reliquorum. Dicimus autem ad finem, vt oſtendatur: quicquid lectum eſt, & legitur, non allaturum aliquam vtilitatem, niſi Deus noſtri miſereatur; illudque cordibus noſtris, infigat. Eius enim miſericordia efficacitatem dat ſementi verbi Dei, quod tunc in anima ſeminatur, vt ſuum copioſum proferat fructum. Diuidantur præterea tres cuiusque Nocturni Lectiones per Reſponſoria breuia: in quibus aut Laudes Diuinæ canuntur, aut inſignes aliquæ ſententiæ repetuntur, vt ſignificetur Lectionem non debere diu continuari: ſed interrumpi (vt ait S. Bernar.) inferendo aliquos affectus orationis, ac deuotionis. Ita vt aliquo tempore audiamus Deum nobis loquentem, cùm legimus; & alio temporis interuallo nos cum eo loquamur, dum oramus; repetentes eius verba iterum ac ſæpius vt noſtris cordibus altiùs infigantur.

2

3

4 Reſponſoria.

Ad Fratres de monte Dei.

Ex

Ex quo fit, vt singulæ Horæ breui aliqua piaque Oratione, teneris affectibus plena, finiatur: quibus insignes aliquas virtutes petimus: ita vt non opus habeamus re alia, quàm diligenter eis attendere: vt cor nostrum substantialem deuotionem, quam cupit, assequatur: collocatâ suâ fiducia non in propriis, sed in meritis Ecclesiæ, cuius nomine eas offert; & in meritis Christi Domini nostri, per quem petitur: vt constet ex omnium illarum conclusione, in qua dicitur, *per Dominum nostrum Iesum Christum* &c. Omnes præterea Horæ finiuntur breui illa sententia: DEO GRATIAS, quæ sæpius repetitur ad finem Capitulorum, & Lectionum tam breuium quàm longiorum. Nam (vt ait S. Augustinus) nullum est verbum magis excelsum, dulcius, ac vtilius, quàm hoc sit: in quo coniungunter Charitas humilitas, & animi gratitudo ad gratias Deo agendas pro omnibus, quæ in dicendo Officio bene successerunt siquidem quidquid bonum est, ab ipso est.

DEO GRATIAS. *Epist.* 77.

SOLET etiam vltimò addi breuissima illa pro defunctis deprecatio: *Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace Amen.* vt cuiusque Horæ Canonicæ sint aliquo modo participes animæ quæ sunt in purgatorio; & Ecclesiæ Ministri nunquam obliuiscantur aliquid pro illis orare, ac singulis horis memores, quòd ipsi sint sicut cæteri morituri; & opus habituri, vt alij etiam pro ipsis orent; & quòd fortè illa Hora erit vltima, qui recitabunt vt statim examinent, an bene illam persoluerint.

DENIQVE primis Horis Nocturnis, & vltimis diurnis finis imponitur quadam Antiphona, & oratione de Sanctissima Virgine, pro temporis varietate; imò in Choro semper additur eadem Antiphona, & oratio ad finem cuiusque vltimæ Horæ quæ cantatur: vt ostendat Ecclesia suum ingens desiderium, quo tenetur, vt omnes Sanctissimæ huius Dominæ sint memores, eamque venerentur, & tanquam Mediatricem & Aduocatam accipiant in suis omnibus necessitatibus. Certum est enim, nullam aliam esse magis misericordem, & potentem, quàm ipsa sit, ad omnia, quæ à Deo eiusque Vnigenito Filio Iesu Christo desiderare possimus. Ad ostendendum autem internum affectum nostrum erga illam attribuit ei Ecclesia in his Antiphonis, nominatim in *Salue Regina*, nomina propria ipsius Dei: qualia sunt quod sit Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra: non ob æqualitatem cum Deo; sed ob similitudinem magnam, quam cum illo habet; & quod hic loquendi modus valdè sit vsu receptus inter eos, qui vehementi amore mutuò se diligunt. Quòd si petimus ab ea, vt Iesum Filium suum nobis post hoc exilium ostendat, & nos ab hoste protegat: non id facimus, cogitantes ad ipsam spectare, vt id præstet; sed, vt à filio suo id nobis impetret; dicimus autem, vt ipsa id faciat, vt fateamur plurimum ipsam valere ad impetrandum quicquid

voluerit

voluerit. vt enim ait S. Augustinus: *quæ meruit pro liberandis offerre pretium: potest plus omnibus liberatis impendere suffragium.* Et Concilium Basilienſe exhortatur omnes, vt ad Sacratiſſimam hanc virginem accedant, quæ quantò altiùs exiſtit, tantò humiliùs ad nos reſpicit, omnes ad ſe trahere cupiens, pro quibus Saluatorem in vtero ſuo geſtauit. *Serm. 35. de Sanctis. Seſſ. 45.*

Finito officio Diuino, multum. refert examinare quæcunque acta ſunt: conſiderando attentionem, aut diſtractionem; deuotionem, aut ſpiritûs ariditatem; & reliqua, quæ inter orandum euenerunt: & petere à Deo veniam de admiſſis defectibus; gratias verò agere pro ijs, quæ bene ſucceſſerunt: hoc ſiquidem ab ipſo habuimus; defectus verò à nobis. Eſtque quædam conſuetudo valde laudabilis, orandi pſalmum aliquem in vtrumque finem: ad laudandum ſcilicet Deum, quòd hoc opus perfecerimus, in quo ipſe eſt laudatus; & ad ſatisfaciendum pro defectibus admiſſis. Et nominatim propter aliquam indulgentiam, quam Summi Pontifices Religioſis conceſſerunt, vt aliqua oratione aut Pſalmo, poſt officium dicto, ſuppleatur quicquid in ipſo officio Diuino defuerit: modò non ſponte, & ex malo animo fuerit omiſſum. Quam etiam gratiam conceſſerunt multis Roſarijs, aut granis, aut Nummis benedictis. Imponemus huic Tractatui finem monendo Sacerdotes, & Eccleſiaſticos, qui continuè occupantur in excelſis adeo & vtilibus exercitijs: vt interdum ſeuerius examen inſtituant, ad videndum profectum, quem ex eis habent: cogitantes dici ſibi à Deo illud Aggæi: *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras: Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis & non eſtis ſaturati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti: & qui mercedes congregauit* ac diuitias, *miſit eas in ſacculum pertuſum*; nam quotidie Sacrum miſſæ celebrare, ſeptemque Horas Canonicas legere, eſt ex ſe ſementis quædam valde fœcunda, cibuſque ac potus Spiritualis valde copioſus, & iucundus; & Spiritualis quædam negotiatio, qua magna lucra comparantur. Eſſetque valde dolendum: ſi meſſis eſſet valde ſterilis, cibuſque ac potus abſque vtilitate, & lucrum valde exiguum: iactura autem ingens. *Verbo Hora Canon. §. 4.* *Aggæi 1. 5.*

Quod enim in huiuſmodi tam amplo commercio lucrum ſit exiguum, indicium eſt, quòd iactura ſit ingens, ac ſimiliter non progredi, indicium eſt regreſſus. Applicent igitur Sacerdotes corda ſua, vt bene de vijs & exercitijs ſuis cogitent. Quòd ſi multa ſibi deeſſe deprehenderint, & ſe pauperes eſſe, fameque premi: defleant errores ſuos præteritos; & inchoent cum feruore nouam vitam: tanta adhibita in ſuis miniſterijs diligentia; vt qualis eſt ſementis: talis meſſis ſit; qualis cibus ac potus: talis refectio & ſaturitas, & qualis eſt officij magnitudo: tale ſit etiam lucrum, quo

ingentes diuitiæ & thesauri meritorum ac virtutum recondantur in sacco integri & sani cordis, cum tanta soliditate & constantia, vt perdurent vsque ad vitam æternam; vbi messis erit cum summo gaudio; & cibus vsque ad summam saturitatem absque vllo tædio, & lucrum immensum absque timore vllius iacturæ, & quidem in æternum.

AMEN.

(·)



(·)

TRACTATVS QVARTVS
DE OFFICIIS ET MINISTERIIS
IN GENERE, ADIVVANDI ANIMAS,
EORVMQVE PARTIBVS ET ORNAMENTIS,
vt exactè ac perfectè fiant.

CAPVT I.
VARIA AD IVVANDAS ANIMAS MINISTERIA ad quatuor potissima reducuntur.

QVAMVIS ministeria offerendi Deo Sacrificiũ Missæ, & orandi ac decantandi Diuinas laudes, de quibus hactenus egimus, adeò sint excellentia, vt per seipsa sola sufficiant ad auctoritatem Sacerdotibus & Ministris Ecclesiæ conciliandam: voluit tamen Christus Dominus noster, eorum auctoritatem & potestatem extendere se ad multa alia valde præclara, magnique momenti pro cæteris fidelibus: quemadmodum fuit reuelatum Sancto Ioanni in figura a *viginti quatuor seniorum*; *qui circumamicti erant vestimentis albis, & in capitibus eorum erant coronæ aureæ, & sedebant super viginti quatuor thronos in circuitu sedis, & throni ipsius Dei*, b *qui habebant singuli Cithoras & phialas aureas* in manibus suis. Hi enim senes significabant Sacerdotes Ecclesiæ: hoc enim nomine eos appellat; quamuis etiam attribuatur Episcopis. *Vestimenta alba* sunt vestes Sacerdotales, cum sanctitate & puritate animarum suarum. Calices siue *phialæ aureæ*, quas in manibus habebant *plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*, significant officium offerendi Sacrificium Missæ, nostræque salutis calicem; cum quibus coniunguntur orationes totius Ecclesiæ, vt suprà est dictum. *Cytharæ* quas pulsabant *cantantes canticum nouum*, significabant alterum ministerium canendi Diuinas laudes cũ ea lætitia & solẽnitate, quæ nũc est in vsu. Præter hęc autẽ ad nostrũ propositũ magis facit, quòd *fuerint sedentes*

a Apoc. 4. 4.
b c. 5. 8.

tes in suis *thronis in circuitu sedis, & throni ipsius Dei*: id enim significat authoritatem, quam habent in Diuina præsentia, ad exercenda sua munia. Sedent enim tanquam Iudices ad iudicandum de peccatis, & absoluendum ab eis; tanquam Magistri, ad docendam Fidei ac legis doctrinam; & tanquam Gubernatores, ad reliquos dirigendos in via cœlesti. Et quamuis sint in conspectu Supremi Regis Regũ; habent coronas aureas in capitibus suis ad ostendendam regiam suam dignitatem, & auctoritatem in spiritualibus, & victorias, quas suis ministeriis obtinent in virtute Agni Iesu Christi Domini nostri: c *ad cuius pedes mittunt coronas suas*, agnoscentes, ab eo se accipere quicquid boni habent. Hæc amplitudo est & auctoritas Sacerdotum & ministrorum Euangelicorum: in qua incomparabiliter superant viginti quatuor familias antiquorum Sacerdotum, quos appellabant d *Principes Sanctuarij & Principes Dei*; qui tituli multò excellentius competunt nostris Sacerdotibus.

c c. 4. 10.

d 1. Paral. 24. 4.

SED, quoniam varia sunt hæc ministeria, aduertendum est: Hierarchiam Ecclesiasticam (vt ait S. Dionys. & cœpimus dicere initio primi Tractatus) esse sacrum quendam ordinem multarum personarum in variis gradibus & officiis, quæ ministeriis suis aspirant & anhelant ad conformitatem & similitudinem cum Deo: cuius illa est proprietas, vt in seipso habeat maximam puritatem: & purificet, illuminet, ac perficiat Creaturas, huius beneficij capaces. Ex quo efficitur, vt, qui excelsiorem habent huius Hierarchiæ gradũ: debeant meritò esse valde similes Deo in eisdẽ tribus actibus; Dando inprimis operam, vt ipsimet valde sint puri à vitiis & passionibus; ab ignorantiis, errorib. & omnib. imperfectionibus: & valde illustres luce scientiarum, & virtutum splendoribus: ita vt in vtrisque sint valde perfecti. Et mox studere debent, vt alios etiam fideles purificent, illuminent, ac perficiant; reddantque valde similes Deo, vt sint Sancti & perfecti sicut ille est. Iuxta hos tres actus distinguit S. Dionysius officia Hierarchiarum cœlestium, & trium Chororum, quos singulæ habent: & quidquid Angeli erga homines faciunt, dirigitur ad hunc ipsum finem: in quem etiam tendũt varia Ecclesiæ ministeria. Quæ præter illa duo sacrificandi & orandi, de quibus iam est actum: possunt ad quatuor præcipua reuocari; *docendi* scilicet, *prædicandi excipiendi confessiones*, & *gubernandi*. Quæ omnia etsi præcipuè competant Pontificibus & Episcopis, vt in vltimo tractatu dicetur. Sed quoniam non possent per seipsos omnia illa præstare: necesse fuit, ea inter alios distribuere qui ipsos iuuarent: quod faciunt Doctores, Concionatores, & Confessarij ac reliqui Prælati. DOCERE (quod est Doctorum proprium) respicit tanquam finem, illustrare fidelium intellectum veritatibus Fidei Catholicæ, & reliquis spectantibus ad bonos mores, & bonum esse Ecclesiæ, ac Reipublicæ Christianæ in omnibus eiu-

c 1. de Angelic. Hiera & c. 2. de Ecclesiast.

ius ſtatibus,& officijs. Hoc autem miniſterium exercetur docendo in Cathedris: ſcribendo libros, diſputando contra Hæreticos, reſpondendo dubiis & caſibus occurrentibus; & proponendo doctrinam & verbum Dei plebi. Miniſterium Praedicandi eſt proprium Concionatorum, & Oratorum Euangelicorum: quod complectitur ipſum actum docendi proportionatum capacitati populi. Habet autem eum præcipuum finem, vt corda & voluntates hominum permoueat ad peccatorum deteſtationem, & amorem virtutum; ad imitationem Chriſti, & ad ſequendam perfectionem Chriſtianam: mandando executioni, quod intellectus faciendum iudicabit. Miniſterium Confessariorvm hocvtrumque complectitur; applicatum tamen in particulari ad vnumquemque pœnitentem. Reſpicit verò eum finem, vt pœnitentem abſoluat à peccatis, quæ confeſſus eſt: docendo eum, quæ ad eius informationem neceſſaria ſint; adductis rationibus ad perſuadendum & alliciendum vt ea libenter amplectatur, & mandet executioni. Gvbernandi miniſterium eſt duplex: alterum generale, quod pertinet ad Pontifices, & Epiſcopos, & cæteros Prælatos Eccleſiæ, & Religionum: quorum finis eſt ſubditos dirigere in rebus ad ſalutem & perfectionem pertinentibus: vt vitam ſuam iuxta leges Dei, & Eccleſiæ, ac Reipublicæ, & ſtatus Officijque ſui inſtituant; inducendo eos per actus prædictorum trium Miniſteriorum: & ſi opus erit, etiam minis eos compellendo; & pœnis illatis coercendo. Alterum munus gubernandi eſt magis particulare, quo dirigitur vnaquæque anima iuxta ſpecialem ſuam neceſſitatem, & capacitatem: vt ſeruiat Deo, & proficiat, ac iuxta ſuum ſtatum etiam perficiatur. Et hæc gubernatio incumbit Confeſſariis, Patribus ſpiritualibus, & reliquis, qui ſuſcipiunt in ſe curam dirigendi animas. S. Thom. 1. 2. q. 85. a. 3.

Qvatvor hæc miniſteria deſtinantur ad curanda quatuor vulnera ex originali peccato orta, quæ Theologi vocant *ignorantiam*, *malitiam*, *imbecillitatem*, & *concupiſcentiã*. Ignorantiae præcipuè ſubuenit doctrina Doctorum. Imbecillitati animus & feruor Concionatorum; Confeſſores applicant remedia contra Malitiam; Prælati autem, & qui gubernant, rectificant inordinatũ Concvpiscentiae & Paſſionis appetitum & affectum. Ac propterea quatuor hæc miniſteria ſunt inſtar quatuor fluminum ſtrentiam ex Paradiſo, ad rigandas varias terræ partes; & efficiendum, vt corda terrena fructum referant bonorum operum. Miniſterium Doctorvm eſt inſtar *fluuij Gehon irrigantis omnem terram Æthiopiæ*: hoc eſt ignorantes, quos liberant ab ignorantiis & erroribus; & inſtruunt in Fide, & bonis moribus: vt mutato colore nigro, albi fiant per Fidem & Gratiam. Officium Concionatorvm eſt quaſi fluuius *Tygris, qui vadit contra Aſſyrios*: ipſorum enim munus eſt excur- c Geneſ. 2. 13

rere velociter per mundum, impugnando omnes mundanos; & resistendo falsis eorum iudicijs; vt. eis abiectis, viliora sequantur. Ministerium CONFESSARIORVM est sicut fluuius *Physon, qui circuit omnem terram Hauilath*, hoc est pœnitentes: quibus hoc nomen competit, eò quòd *Hauilath* (teste S. Hieronymo) significet *dolentem vel parturientem*: quod proprium est pœnitentium, qui verè dolent de peccatis, & quasi parturiunt spiritum salutis. Et ait scriptura, quòd in ea terra *nascatur aurum optimum*, & alii pretiosi lapides. Irrigantibus enim Sacerdotibus pœnitentes formâ absolutionis, gignitur in eis aurum purissimum Gratiæ & charitatis, & alii pretiosi lapides virtutum supernaturalium; ac donorum, quæ gratiam comitantur. Munus autem PRAELATORVM est sicut fluuius *Euphrates*, quem scriptura, *fluuium magnum* appellat, & significat *frugiferum*: est enim maximum ministerium, & profert copiosos fructus: quia complectitur in se officia reliquorum. Nec exprimit scriptura Prouinciam, aut terram, quam hic fluuius irrigat: tum ad significandum, quòd Prælatorum irrigatio extendat se ad ignorantes, & sapientes; ad peccatores, & iustos, & ad omne genus hominum; tum quòd res esset notissima, quid irrigaret terram promissionis, quæ præcipua pars est mundi; referunt Ecclesiam Catholicam, in qua Prælati propria sua munera exercent, nam Ecclesiastica gubernatio non extendit se ad infideles, sed continet se intra fideles, qui iam sunt Ecclesiæ legibus subiecti.

lib. de nomi. Hebrai.

f. Gen. 15. 18

QVATVOR præterea illa mystica animalia, quæ viderunt Sanctus Ioannes & Ezechiel, quæ trahebant currum Gloriæ Dei ab vna parte in alteram; non solùm significabant quatuor Euangelistas scribentes quatuor Euangelia, eaque portantes per omnes mundi partes; sed etiam viros Apostolicos, & operarios Euãgelicos: qui in inchoato ab ipsis opere progrediuntur quatuor his ministeriis. *Doctores* sunt quasi *Aquila*, ob excellentiam sapientiæ suæ, & contemplationis rerum cœlestium. *Concionatores* iam quasi Leo, propter rugitum suæ Prædicationis, qua excitant dormientes terrent peccatores, & existimulãt tepidos. *Confessarij* sunt quasi Bos, qui terram colit, & segetes triturat: ipsi enim verè arant corda pœnitentium, & messem animarum, quas Concionatores messuerunt, triturant, separando in eis pretiosum à vili. *Prælati* sunt quasi facies hominis, propter suam prudentiã in gubernatione. Quãuis magis in particulari omnia quatuor inueniuntur in Episcopis, sicut vnumquodq; Sanctorum g *animalium habebat quatuor facies*; & Ezechiel Propheta omnia illa appellat g *Cherubin*: quod significat scientiæ plenitudinem, quæ valde magni est momenti ad omnia quatuor ministeria, & præcipuè ad docendum: quod etiam valde incumbit Prælatis, quorum munus expressit Apostolus, vocans eos h *Pastores ac Doctores*. Ac propterea Aquila faciem suam eleuabat super re-

Ezech. 1. 5. & 10. 11. Apoc. 4. 8.

g. Ezechiel. 10. 41 21.

h Ephe. 4. 11.

liqua

liqua. Et quemadmodum i *aspectus quatuor animalium erat quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarũ: & vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur & ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*: ita qui obeunt, quatuor hæc officia, debent (vt ait S Gregorius) esse carbones ignis ardentes, ob inflammatum Dei & proximi amorem. Sed quoniam carbo etiam ignitus non illuminat: debent simul esse lampades ardentes, vt alios illuminent: communicantes eis lumen bonæ doctrinæ, & Charitatis ardorem. Nec in suis ministeriis debent iudicij sui impetum sequi; sed inspirationem ac directionem Spiritûs Sancti, eundo & redeundo ab operibus vitæ actiuæ ad opera contemplatiuæ; & vicissim ab his ad illa: coruscantes in omnibus ad instar fulguris, hoc est, cum summa velocitate ac diligentia accedentes ad ea exercenda: non cessantes, nec reuertentes præ tædio aut torpore. In hoc enim tota eorum excellentia consistit; vt mox videbimus.

i Ezech 11.

Homil. 5 in Ezechiel.

CAPVT II.

PERFECTIONEM HORVM MINISTERIORVM INnitit tanquam fundamento operibus vitæ actiuæ & contemplatiuæ; eamq; esse valde præstantem.

PErfectio & excellentia quatuor horũ ministeriorum innitit ut simul operibus actiuæ & contemplatiuæ vitæ, in hunc modum. Contemplatiua enim (vt ait S. Thomas) tres habet actus. *Primus* est aliorum doctrinam recipere, audiendo eam in concionibus, & exhortationibus, aut legendo eam in libris Sacris ac piis. *Secundus* est, orare & meditari Diuina mysteria, accipiendo à Deo lucem in oratione, & studendo ex parte sua cognitionem & amorem veritatis per meditationem assequi. *Tertius* actus est contemplatio supremæ veritatis, qui Deus est, & eius perfectionum & operum mirabilium, aspiciendo ea suaui quadam, quieta, & amabili visione, cum magna admiratione & stupore eius excellentiæ. Vita etiam actiua tres alios modos habet operum: prima tendunt ad nostram propriam perfectionem, cum mortificantur vitia & passiones, & implentur Diuina præcepta: & hac ratione omnes virtutes morales sunt vitæ actiuæ opera: quamuis, quatenus ea disponunt ad contemplationem, pertineant aliquo modo ad contemplatiuam. Opera tamen vitæ actiuæ (vt ait S. Gregorius) magis propriè tendunt ad vtilitatem proximorum; & hoc nomine sunt duplicia eius opera insigniora: quædam exteriora, & merè corporalia:

2.2.q.181.a.3 ad 4.

2.2.q.181.a 1.& q.180.a 2. Homil.14 in Ezech. S. Bonau. Medit vitæ Christi. c.45

quaali

qualia sunt infirmos visitare; peregrinos hospitio suscipere; cibum dare esurientibus, &c. Alia sunt exteriora, sed Spiritualia: quia proficiscuntur ab interna plenitudine, quam adfert contemplatio, communicando proximis hæc bona Spiritualia, prædicta scilicet ministeria docendi, concionandi, & gubernandi: quæ continent supremum gradum perfectionis. Nam licèt Christus Dominus prætulerit Mariæ contemplationem operibus Marthæ, quæ occupabatur circa obsequium corporale ipsius & Apostolorum eius; & ex hac parte omnes Sancti præferant vitam contemplatiuam actiuæ, vt fusè probat Angelicus Doctor: idem tamen ait vltima vitæ actiuæ opera excellentiora esse ipsâ contemplatione solâ, eò quòd includant in se contemplationem & amorem Dei; addant verò amorem proximorum in gradu Heroico: quos iuuant non solùm in bonis corporis, sed etiam animæ: ac præterea hic vitæ modus appellatur mixtus ex vtraque: quia coniungit contemplationem & actionem; amorem & gaudium Dei cum amore & occupatione erga proximum. Ideoque Christus Dominus noster elegit sibi hunc vitæ modum, & rationem tanquam perfectiorem; expendens (vt ait S. Isidorus) noctes in orando, & dies in edendis miraculis; vt suos discipulos doceret, coniunctionem duorum horum operum esse magis gloriosam, & vtilem: ac propterea voluit eam commendare pastori, quem suo loco relinquebat: cùm ei dixit; *a si amas me plùs his: pasce oues meas.* qua sententia insinuauit: pascere oues Christi doctrina, prædicatione, & gubernatione, non solùm esse actum amoris proximi, sed multò etiam magis amoris ipsius Christi, cuius intuitu fit, estque certius testimonium maioris amoris, quàm alia exercitia, quæ quisque sui ipsius causâ facit. Nec sine causa (ait S. Chrysostomus) non dixit Christus Dñs N. si diligis me plus his: ieiunia exerce, supra nudam humum dormi, vigila continenter, & alia similia fac: sed, his prætermissis, quæ cedunt in propriam vtilitatem, ait illi: *pasce oues meas*, tanquam signum maioris amoris: eò quòd tendat in vtilitatem aliorum. Et in rebus illis multi, inquit, quærunt quod suũ est: at perfecta b *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Ac propterea monet, vt nemo satis sibi esse existimet, quòd c *suum quærat* commodum, nisi etiam quærat *alterius*; & d *vnusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed improperia sustinuit nostrorum peccatorum*: vt nos ab eis liberaret. & S. Chrysostomus addit: quòd etsi martyrium sit opus adeò heroicum ac præclarum: aliquando tamen erit magis gratum Deo illud differre, fugiendo occasionem illud subeundi, vt proximorum animabus commodum adferatur. Propterea enim dixit Apostolus, quòd quamuis e *desiderium haberet dissolui, & esse cum Christo: quia id sibi esset multò magis melius & iucundius: permanere autem in carne: vt* fideles adiuuare, & ad

Luc. 10. 42
2. 2. q. 182. a. 1.
q. 188. a. 6.
1.
2
S. Th. 3. p. q. 4. a. 1. ad 2. lib. Differẽtiarum c. 29
3
a Ioa. 21. 17.
Lib. 2 de Sacerd. & Ho. 34 ad popul.
b 1. Cor. 13. 5.
c c. 10. 24
d Rom. 15. 2
Supra.
e Phil. 1. 23

eorum

ouis profectum esse magis necessarium. Hoc enim (ait S. Chrysostomus) præcipuum est, esse cum Christo, ipsius voluntatem obire. Nihil verò tam est voluntas eius, quàm quòd proximo est vtile. Et tunc omnes suas vires Charitas exerit, & ad supremum culmen ascendit: cùm vitam exponit pro suis amicis; & offert se ad ipsum martyrium, vt eis benefaciat.

4

Quare cum Christus Dominus noster interrogabatur de præcepto Amoris, semper coniunxit amorem Proximi cũ amore Dei: cupiens ne vnquam separaret homo præcepta quæ Deus coniunxerat. Et interroganti cuidã legis Doctori: f *quod esset mandatum magnum in Lege?* quãuis interrogationi satis fuisset respondere *dilectionem Dei ex toto corde &c. esse maximum mandatum*, adiecit tamen: *secundum esse simile illi: diliges proximum tuum sicut teipsum*: vt intelligeret Doctor ille: Doctores meritò debere in vtroque eminere vtrumque alios simul docere & interroganti legisperito: quemnam censere deberet proximum suum? respondit; adferens parabolam de homine incidente in latrones, & ab eis semiuiuo relicto, quem Sacerdos & Leuita præterierunt: g *Samaritanus autem iter faciens, misericordia motus, alligauit vulnera eius, & infudit oleum & vinum; duxitque in stabulum, & dans stabulario duos denarios iussit curam illius habere*; promittens, se *redditurum quodcunque, supererogaret.* Qua parabola indicauit: non solùm ipsum proximum in necessitate constitutum; sed etiam opera, in quibus amor erga illum sit ostendendus. In curandis scilicet corporis eius vulneribus, & multò diligentius, animæ. Et, vt SS. Augustinus & Ambrosius dicunt: per Samaritanum voluit Christus Dominus significare seipsum: vt intelligeretur, nec Sacerdotes, nec Leuitas antiquos impleuisse præceptum dilectionis proximi: se autem venisse, vt illud impleret. Per stabularium autem intellexit Prælatos, ac Doctores Ecclesiæ: quos iubet curam gerere proximorum: quem in finem protulit duos denarios, qui (teste S. Augustino) significant duo præcepta, & actus Charitatis, quam Spiritus Sanctus tradidit Apostolis, vt prædicarent Euangelium: adiuuans illos duplici Spiritu, scientiisque ac virtutibus sufficientibus: vt docerent prædicarent, & gubernarent vtiliter. Addit præterea: *quodcunque supererogaueris, ego dum rediero, reddam tibi.* quod addidit, ne aut ipse negligeret implere, quod iubebat, sciens ipsum reuersurum vt videret, quo modo paruisset: nam qui se adeò pium ostenderat erga miserum illum hominem: futurus erat severus exactor in negligentem eius remedium: ex altera verò parte illum existimulauit, vt ex seipso aliquid boni adderet ex consilio, operi ipsi præcepto: exhibens multam misericordiam in egenum. nam omnium, quæ supererogaret, accepturum copiosum præmium Aduertit etiam Beda; Sanctum Lucam statim post parabolam narrare

Matth. 22. 6.

g *Luc. 10. 33.*

Serm. 37. d. verb. Dom Tom. 10. Lib. 7. in Lucam.

Lib. 1. qq. Euang. q. 19 tom. 4.

c. 45. inc. 10

Christi Domini nostri ingressum in Bethaniam, vbi fuit h *exceptus à Martha in domum suam, & Maria sedens secus pedes eius, audiebat verbum illius*: vt hoc exemplo confirmaret Charitatem erga proximum, quam verbo, &
5 & parabola illa docuerat. Martha enim exercebat opera Charitatis corporalia, ministrans cibum ipsi Christo, & eius Discipulis; & ipsemet Christus exercebat spiritualia, pascens Mariam & reliquos Doctrina sua. Aliam etiam rationem valde efficacem insinuauit ipse Saluator cùm Legis Doctori dixit: i *in his duobus mandatis vniuersam legem pendere & Prophetas.* Lex enim ea posuit in duabus tabulis; & prophetæ sese impenderunt in eis seruandis, ac prædicandis: accipientes Prophetiæ lucem: vt cum feruore legem docerent populum. Et ipsemet Moyses ascendens in montem, & manens in altissima cum Deo contemplatione, accepit legem ab eo in duabus tabulis, quas in manu portans descendit, vt omnibus legem promulgaret, eiusque obseruationem persuaderet. Hoc exemplo Innocentius Tertius cuidam Episcopo cupienti renuntiare Episcopatui, persuasit, ne id faceret, dicens: simul & contemplatiuus esse vales, & actiuus exemplo Legislatoris, qui nunc ascendebat in montem, vt Dei gloriam maiori cerneret cum libertate; nunc verò descendebat in castra: vt cum vtilitate maiori, necessitatibus populi prouideret. Idem fecerunt Elias, & Eliseus, & reliqui Prophetæ. Et cum ipse Christus Dominus noster k *ascendit in montem* Thabor, ad orandum, vbi *transfiguratus est* cum ingenti gloria, venerunt ad eum *Moyses & Elias*, qui etiam nouerunt vitam contemplatiuam cum actiua coniungere, qui in altissima contemplatione constituti, loquentes cum Iesu, l *dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Vt ex hoc intelligamus: non esse plenum excessum eum, qui in contemplatione percipitur ex actibus anagogicis amoris Dei, quibus contemplans rapitur extra se, & in suum Creatorem transformatur; nisi quia hic ipse excessus solet ad alium impellere, à quo ipse perficitur:
6 efficiens, vt contemplatiuus descendat è monte contemplationis ad agendum cum hominibus, & exeundum à se: vt animabus bene faciat, vitamque suam pro eis exponat. Et hoc est magnum indicium excellentiæ secundi huius excessus; quod primus hominem excitet ad eum, procurandum etiam interrumpendo voluptatem & oblectationem, quæ in ipso percipitur. Quod suauissimis hisce verbis Sanctus Bernardus explicauit. Hoc vera & casta contemplatio habet, vt mentem, quam diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant; vt otium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat: & rursum potita votis aliquatenus in hac parte, tantò ardentiùs redeat in idipsum; quantò se fructuosiùs intermisisse meminerit; & item sumpto contemplationis gustu valentius ad con-

Math 22.40.

c. Nisi cum pridem de Renunt.

k Matt. 17.

Luc. 9. 28.

Serm. 57. in Cantica. ad finem.

quirenda

quirenda lucra, solita alacritate recurrat. Et hoc modo iustus feruens est in continuo motu, sicut m *Angeli Dei ascendentes per scalam è terra ad cœlum, vbi Dominus erat innixus scalæ*; *& descendentes* è cœlo ad terram, vbi iacebat Iacob: nunc diuina Mysteria contemplantes, nunc proximorũ commodis attendentes. Et quãuis Christi Sponsa, anima scilicet perfecta, exultet, quòd eius dilectus ipsam n *introducat in cellaria sua, & in cellam vinariam*, & prohibeat ipsam o *excitari* à quieto somno contemplationis, *quoad vsque ipsa velit*, ipsa tamen vult opportuno tempore excitari, & tunc inuitat sponsum dicens: p *veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt si floruerunt mala punica.* Cupit enim occupari in conuertẽdis infidelibus, reformandis Christianis, & instruendis & ad maiorem feruorem excitandis Iustis. Cuius rei rationem reddit S. Thomas dicens: verum amicum potiùs debere quærere commodum & honorem amici sui, quàm delectari tantùm in eius aspectu & præsentia. Quare perfecta charitas libenter interdum relinquit Deum propter ipsum Deum: deserens contemplationis recollectæ delectationem, vt quærat maiorem Dei gloriam in procuranda salute animarum. Huc etiam accedit; quòd vicissitudo vtriusque huius vitæ, Actiuæ, & Contemplatiuæ, oriatur ex nostra imbecillitate; sentimus enim magnam difficultatem, cum volumus Liæ fœcunditatem cum Rachelis pulchritudine coniungere: eò quòd vita actiua, etsi sit fœcunda, & plures habeat proles: non est tamen elegans, sicut Rachel; sed q *lippis oculis*, sicut Lia; contemplatiua autem vita, quamuis sit elegans & iucunda, non est tamen fœcunda sicut Lia; sed sterilis, sicut Rachel. Christus autem Dominus noster in Euangelica lege, per gratiæ suæ abundantiam nouit hanc coniunctionem ita facere: vt in vno simul splendeat vtriusque vitæ excellentia. Propterea enim (ait Sanctus Gregorius) Christum Dominum nostrum vocari lapidem angularem, *qui fecit vtraque vnum*, duos scilicet populos coniungens; docens Dei amorem cum proximi amore coniungere; opera vitæ contemplatiuæ cum actiuæ; & fœcunditatem cum pulchritudine: quemadmodum fecit in Apostolis & Euangelistis, & in reliquis Prædicatoribus eorum successoribus: de quibus dixit Isaias: *Quam pulchri sunt montes & pedes annuntiantis* in eis; *& prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem.* Qui autem isti sunt pedes, nisi duo affectus amoris Dei & proximi; & gressus ipsorum prædicantium ad contemplationem & prædicationem? ascendunt enim montem ad contemplandum; descendunt verò ad planitiem, ad prædicandum. Nec sine causa laudat pulchritudinem pedum; non verò faciei, oris, aut manuum: ex his enim affectibus & gressibus prouenit pulchritudo in reliquis actionibus.

m *Genes.* 28.12.

n *Cant.* 1.4 & 2.4.7.

p c.7.11.

In 3. *Dist.* 35 *q.* 1. *a.* 4. *q.* 2

7

q *Gen.* 29.17.

Lib. 28. *Moral. c.* 6. *ad finem.*

11. *Petr.* 2.

Isaiæ 52. 7 *Rom.* 10. 15

t Cant.7.1. Quare Sponsus volens laudare Sponsam iam perfectam, incipit à laude pedum dicens: t *quàm pulchri sunt gressus tui, filia Principis, in calceamentis* quibus pedes tuos tegis! Quæ (teste S. Gregorio) significant exemplum Sanctorum, qui vitam exposuerunt ob Dei, & proximi amorem; quo anhelat, & spiritum resumit ad gressus suos continuandos.

Ibi. 8

Hoc ipsum confirmatur etiam ex eo, quòd imbecillis censeatur homo, qui frequentissimè manu dextrâ, sinistrâ rarissimè vtatur. Nam valdè strenui & exercitati esse solent, sicut insignis ille vir u *Aod*, qui saluauit Israel, *qui vtraque manu pro dextera vtebatur*: quia vtraque erat ei dextera. Ita etiam censetur imbecillis homo, qui se alicui tantùm actionum generi accommodat, & applicat. Aliqui solùm habent dexteritatem in rebus orationis & contemplationis; quas habent tanquam manum suam dexteram; habent verò paruam industriam, & vires in operibus & actionibus erga proximos; quas habent, tanquam manum sinistram. Alij contrà maiorem in secundis habent dexteritatem, in primis verò multò minorem. Alij verò (ait S. Bernardus) his omnibus sunt superiores, vtramque manū habentes dexteram, ita vt in vtraque vita sint eminentes. Quare loquens ad monachos solitarios, hæc eis dicit: Longè supra vos virtutem eorum suspicientes, & admirantes gloriam, qui ambi dextri fortissimi sicut Aod & quamdiu licet, deuotissimè intus vacare amant, Charitati contemplandæ veritatis; & cum necessitas vocat, vel officium trahit, promptissimè se foras mutant, non dant, pro veritate ad implendæ Charitatis.

u *Iudic.3.15*

De vita solitaria, seu ad Fratr. de monte Dei. paulo post principiū.

» » »

CAPVT III.

AMPLIVS DECLARATVR EXCELLENTIA OPERAriorum Euangelicorum, eorumq; dotes ac talenta ad sua ministeria rectè obeunda.

c.3. de Eccles. Hierar.

PRogredientibus in proximi capitis argumento tantam excellentiam operariorum Euangelicorum, eorumque ministeriorum quibus animarum messem colligunt, proponit Sanctus Dionysius Areopagita, vt assignet eis primum locum inter Diuinas res, quas Creaturæ participant, cum summa similitudine operum diuinitatis. *Omnium* (inquit) *diuinius, & eloquia sunt, Dei cooperatorè fieri, & ostendere Diuinam in seipso actionem secundùm quod possibile est, relucentem.*

Collat.19. c.9.

ET Commentator eius Dionysius Carthusianus ait: omnium Diuinorum Diuinissimum esse cooperari Deo in conuersione errantium & reductione peccatorum ad ipsum. Quod præcipuè fit ministeriis prædictis ortis à perfecta charitate, & vnione cum Deo, & zelo gloriæ eius: cuius excellentias postea explicabimus. Quamuis autem (vt ait Cassianus) rara sit perfectio, & paucorum, agendo cum proximis seruare illam quietem

qua

quæ inuenitur in solitudine: defectus tamen huius quietis sufficienter recompensatur ingenti lucro, & excellenti Charitate, quæ in huiusmodi opere exercetur. Et ipse Dominus, qui illius quietis est author, nouit efficere homines in terra similes Angelis custodibus, qui absque iactura contemplationis, claraque Dei visionis attendunt ad eorum custodiam; quod faciebat S. Raphael erga Tobiam; eum in modum quo dicebat Apostolus: a *sive mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus vobis. Charitas Christi urget nos.* Quod S. Thomas explicans, ait, sensum esse: si eleuamur ad excessum contemplationis, vt cum Deo vniamur; &, si ab hoc excessu descendimus, vt possimus cum hominibus agere, totum id in vestram cedit vtilitatem: charitas enim Christi ad id nos impellit: illa enim & nos erigit ad illum excessum; & ab eo nos deducit: vt bono proximi prospiciamus. Hac via progressi sunt multi insignes Sancti; qui hunc vitæ modum & amplexi sunt, & tanquam perfectiorem alios docuerunt. Et S. Augustinus vehementer eum commendat, dicens: ex tribus viuendi modis, quos ipse vocat: *otiosum actuosum, & ex vtroque compositum*: quamuis cuique sit liberum, quem maluerit, eligere in salutem: *non sic tamen* (inquit) *quisquam debet esse otiosus vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi; nec sic actuosus, vt contemplationem non requirat Dei*: ita vt in otio contemplationis quærat veritatem Dei vt ex ea proficiat; eamque proximo absque inuidia communicet; & in negotio siue exercitio occupationis non quærat honorem, aut potestatem, ac dignitatem; sed ipsius operis bonitatem; vt per eam bene proximo faciat. Propterea enim dixit Apostolus: b *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: significare enim voluit Episcopatum nomen esse operis, non honoris; laboris & oneris, non otij. Hoc Sanctus Augustinus, quod ipse præclarè in praxim deduxit. Et S. Gregorius Nazianzenus de Sancto Basilio ait, quod coniunxerit, bonum vtriusque vitæ, *vt nec contemplatio communicationis expers esset: nec actio contemplatione careret.*

Quemadmodum enim Deus coniunxit duo hæc elementa, terram & aquam; & alterum alteri sua commoda mutuò communicat: ita voluit vtramque hanc vitam simul in aliquibus inueniri, & alterum alterâ foueri. Et idem Nazianzenus refert; Hieronem Philosophum Christianum, vitam Eremiticam deseruisse: vt accederet ad proximos iuuandos. Nam (vt Plato aiebat) *non tantùm nobis ipsis nati sumus, sed etiam partem suam in nobis habere debent patria, cognati & amici.* Id quod multò erit verius ac certius inter Christianos: quando facultas adest, & Spiritus mutuò seipsos iuuandi. De Sancto quoque Athanasio refert idem Gregorius: quòd sic hæc duo, hoc est tranquillam actionem, & actuosam tranquillitatem sociauit: vt persuasum omnibus redderet monasticæ viæ professionem,

a 2. Corin. 5. 13. Ibi.

Lib. 9. de ciuit. c. 19.

b 1. Tim. 3. 1.

Orat. 20. de S. Basilio.

Oratio. in eius laudē apud Cicer. li 5. Officio.

Orat. 11. de S. Athanas.

Collat 19. c. 9.

morum potiùs grauitate & constantia, quàm corporis secessione eximi, atque insigniri. Idem ait Cassianus de duobus Macharijs, & alijs Patribus Eremitis: quorum sanctitas non minori fuit admirationi, cùm certis temporibus agerent cum plurimis, qui eos accedebant: quàm esset in recollectione, quam suis etiam temporibus seruabant. Et quid dicimus de stupendis, quæ in vtraque vita eluxerunt in glorioſis Patriarchis Religionum, SS. Benedicto, Bernardo, Fr̃ãciſco, Dominico, & P. N. S. Ignatio? Quorũ omniũ hic fuit Spiritus, vt ipſorum filij in hoc imitarẽtur Angelos Custodes; vt scilicet præcellerent in continua oratione & familiaritate cum Deo; & simul in ministerijs destinatis ad bonum proximorum. Imo dicere licet omnes hos Sanctos fuisse quasi Seraphinos, de quibus dixit
e *Isaiæ 6.3.* Isaias, quod licèt essent in conspectu Dei cantantes eius laudes, ac *dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus: vnus* tamen *de Seraphin volauit, & calculo tetigit os & labia ipsius Isaiæ, vt mundarentur à pollutione,* de qua ipse conquerebatur, vt postea videbimus. HINC deducere licet, quæ partes suæ deceat esse debeant in ministrijs & operarijs Euangelicis, quorum munus est lucere & ardere. Nam vt luceant, debent esse sicut Cherubini, ob scientiæ plenitudinem, qua alios docent ea, quæ eos scire expedit: vt ardeant, debent esse sicut Seraphini, ob inflammatum Dei & proximi amorem. Sed quemadmodum Seraphini cœlestes, etsi sapientiores sint Cherubinis, non tamen accipiunt suam denominationem à plenitudine scientiæ, sed ab ardore Charitatis; & cùm cantabant laudes Dei, non dicebant: Sapiens, Sapiens, Sapiens: sed, Sanctus, Sanctus, Sanctus: pluris facientes sanctitatem, quàm scientiam: ita operarij Euangelici gloriari potius debent, quòd ardeant amore Dei: quàm quòd multa polleant scientiâ; & potius contendere debent, proximos facere Sanctos, quàm sapientes; dirigentes scilicet sapientiam, quam infundunt, ad communicandam sanctitatem & charitatem. Quod vt præstent, oportet eos habere sicut
d *vers. 7.* *Seraphini*, quos Isaias vidit, *sex alas*, ita dispositas, vt tres habeant ad vtrumque latus, quæ sex alæ sunt quasi sex genera operum, quæ diximus: tria vita contemplatiuæ, & tria actiuæ: & in singulis valde sint dextri ac perfecti
c *Heb. 5. 14.* quia debent esse aliorum Magistri. Magistri autem) vt ait Apostolus) *per habere* debent *sensus pro consuetudine exercitatos ad discretionem boni ac mali.*

Hoc autem consequentur actionibus vitæ contemplatiuæ, Lectione scilicet, Oratione, Meditatione, & Contemplatione. Et quò ampliùs in his profecerint: eò erunt aptiores ad sua ministeria: vt apparebit ex iis, quæ de ipsis actionibus inferiùs dicemus. Debent etiam excellere in tribus alijs vitæ actiuæ actionibus, postquam se diu exercuerint in virtutibus moralibus, (vt mores habeant exutos valde & anulsos ab actionibus vitiosis; & passiones suas bene mortificatas; & carnem bene constrictam

& spiritui subiectam) & in operibus misericordiæ corporalibus: hæc enim valdè disponunt ad Spiritualia. Cum videamus, supremum Magistrum dignatum fuisse per seipsum lauare pedes Apostolorum; & subuenisse temporalibus etiam indigentium necessitatibus; & sic aperuisse viam, vt ipsius doctrinam reciperent. Adhuc tamen magis speciatim attendere debent Spiritualibus ministerijs, quæ sunt officiorum suorum propria: docendo, exhortando, prædicando corripiendo, & gubernando animas, vt seriò Deo seruiant. Sex hisce alis extollent se in altum, vt cum Deo agant; ac descendent inferiùs vt cum hominibus conuersentur: aliæ enim alias iuuant quemadmodum auium alæ. Eædem sex alæ significantur etiam per eas, quas habebant mystica f *animalia* quæ vidit S. Ioannes, quæ (vt superiùs diximus) figuræ erant Euangelistarum, & Prædicatorum Euangelicorum, qui eisdem virtutibus ornati esse debent. Nec vacat mysterio cùm hæc animalia dicantur habuisse sex alas; &, quæ Ezechiel vidit, tantùm quatuor. Operarij enim Euangelicæ Legis plurimum excedunt operarios antiquæ in sanctitate, scientia & prudentia: quam excellentiam indicat Sanctus Ioannes, cùm de his animalibus dicit, quòd essent plena oculis *ante retro, intus, & in circuitu*; vt hi operarij intelligant, quantum excellere debeant in actibus scientiæ & prudentiæ. quæ significatur hac multitudine oculorum, quibus vident & agnoscunt omnia Diuina mysteria; & quæcunque ad sua officia & ministeria pertinent. Oculi, qui sunt retro, sunt scientia & cognitio mysteriorum præteritorum, quæ antiqui & noui testamenti Scripturæ referunt. Oculi anteriores sunt scientia, & cognitio prophetiarum, & rerum futurarum; & quæ promittuntur in præmium, aut terrent in pœnam. Oculi interiores sunt scientia, & cognitio rerum occultarum, & profundarum Dei: quæ ipse in hominum cordibus operatur. Sed quoniam non sufficit speculatiua harum veritatum scientia, debent etiam habere oculos prudentiæ in omnes partes: vt intelligant, quid in officijs suis præstare debeant: & nominatim quatuor illas præcipuas huius virtutis partes; vt sci. memoriam habeant rerum præteritarum; prouidentiam futurarum; intelligentiam præsentium; & circumspectionem ad bene assequēda, & omni ex parte penetranda negotia. Quorum officia exposita fuerunt in secundo Tomo.

f *Abac. 4. 8.*

g *Ezech. 1 21.*

Tract. 4 c 8.

Cvm enim esse debeant Magistri ac Dvces animarum earumque protectores in certaminibus, quæ sustinent à Dæmonibus: necesse est, bene instructos esse experientia rerum præteritarum: vt præuenire ac prudenter euitare possint futuras; & lynceos oculos habere vt possint interna penetrare & internis oculis, quibus seipsos agnoscunt videre etiam quid interiùs apud alios geratur: ac propterea in Scriptura Sacra appellantur h *Speculatores*, quasi in

h *Ier 6. 17 Ezech. 3. 17*

loco

oco eminenti constituti, ex quo tum quæ in cælo, tum quæ in terra sunt melius perspiciuntur; & quasi in speculo Fidei aspicientes, quæ illa proponit: quæ propterea magna cum certitudine & claritate, quæ simul cum Fide esse potest, aliis proponunt; iuxta illud Apostoli. *nos reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem*: quasi dixerit: nos gloriam Dei non velo tectam, vt Moyses, contemplamur; sed aperta facie, transformantes nos ipsos per cognitionem & amorem in eas veritates quas credimus; transeuntes ab vna in alteram claritatem, proficientes in claritate scientiæ & sanctitatis.

2. Cor. 3. 18.

HÆ sunt summatim dotes & facultates virtutes ac scientiæ, sanctitatis & sapientiæ: quibus ornati esse debent, obituri quatuor prædicta ministeria: quæ tamen adhuc magis in particulari explicabuntur, cùm agemus de iis, quæ ad singula ministeria spectant

CAPVT IV.

DEI VOCATIONEM ESSE NECESSARIAM AD prædicta ministeria, animas iuuandi, rectè exercenda.

MVNIA PECCATORES CONVERTENDI, ET ANIMAS DEO lucrandi adeò sunt excelsa; vt nemo præsumere debeat sola sua voluntate, & arbitratu ad ea accedere, modò velit operam suam aliis esse vtilem, & sibimet nocere. Nam (vt ait Apostolus) a *neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Quare expedit, neminem se ad plantandum, aut rigandum intrudere, nisi voluntate & electione Domini, dantis interiùs augmentum, gratiam, & auxilium: vt prædicationis doctrinæque irriganem proferat. In cuius rei signum Saluator dixit suis Apostolis: b *non vos me elegistis, sed ego elegi vos; & posui vos, vt eatis* per mundum, *& fructum adferatis, & fructus vester maneat*, in conuertendis animabus, quæ in me permaneant obsequio.

a 1. Corinth. 3. 7.

b Ioan. 15. 16.

DEINDE ad dominum messis spectat seligere messores, qui eam metant; & ad dominum vineæ, vocare operarios, qui eam colant: nec vllus propria sua voluntate agrum ingreditur, vt metat alienam messem; aut alterius vineam colat. Cùm igitur Deus Dominus noster sit Dominus messis suæ, & vineæ Ecclesiæ suæ; ipsius est operarios vocare, qui subeant hos labores. Propterea suis Apostolis dixit: c *messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Nihil enim ipse eos vocet, ac mittat; nullus erit operarius, qui in ea messe diligenter versetur. Ipse enim d *exiit* in huius mundi forum, *primo mane, hora tertia, sexta, nona, & vndecima*, hoc est in omnibus ætatibus, & seculis præteritis, in lege naturali, & Scripta; & vltimò etiam in Euangelica, *conducere operarios in vineam suã*, hoc est, Ecclesiam; qui recentes adferant palmites,

c Matt. 9. 37. Luc. 10. 2.

d Matt. 20.

eadem plantandos, aut fodiant, putent, aut alias iam plantatis benefaciant; & omnibus promittit denarium diurnum: quem suo tempore plenissimè redder.

3

Similiter, qui magnam aliquam domum ædificat, in qua multi possint habitare; aut insigne instituit conuiuium, in quo multitudinem suarum diuitiarum, & humanitatem suam erga omnes inuitatos ostendat: ei inquam, tanquam Domino, tantique operis authori incumbit, nuntios mittere, qui vocent habitaturos domum illam, aut conuiuio illi assessuros: nam absque eius voluntate nullus audebit tale munus sibi vsurpare. Et ita Salomon dixit: e *Sapientiam, cùm ædificasset sibi domum & proposuisset mensam suam* valde copiosè instructam *misisse ancillas suas, vt vocarent ad arcem*: hoc est misisse Euãgelicos Prædicatores, qui inuitarent homines ad habitandum in arce Ecclesiæ suæ; & ad spirituales cibos, qui in ea sunt parati. Quemadmodum autem infideles non possunt in eam arcem ingredi, nisi vocati: ita ancillæ siue Prædicatores, nisi mittantur, non poterunt eos vocare & inuitare. Ac propterea dixit Apostolus: f *Quomodo audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* Doctores enim & Prædicatores sunt quasi legati, & Oratores à Christo Domino nostro missi: cuius nomine (vt ait Apostolus) g *legatione funguntur*: qua bonum Euangelij nuntium prædicant. Constat autem, ad Regem spectare Legatos & oratores mittere; contra cuius voluntatem nullus audebit tale munus obire. Diceret enim eis Dominus: h *falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos*, quæ dicturi essent populo meo tanquam Prophetæ & legati à me missi. Et ita dixit Ezechieli: i *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me*, tanquam legationem & nuntium, quem tibi commissi eis adferendum.

c Prouer. 5. 1.

f Rom. 10. 14.

g 2. Corin. 5. 20. Ephes 6. 20.

h Ierem. 14. 14.

i Ezech. 3. 17 & c. 33. 7.

Quod adeò verum est, vt ipsemet Christus Dominus noster, quà homo, glorietur, quòd hoc munus obeat tanquam Patris sui Legatus, missus ad bonum hunc nuntium adferendum. Ita enim per Isaiam dixit: k *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit Dominus me, euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem &c*: Et de eius præcursore dicit Euangelista, quòd l *fuerit homo missus a Deo, vt testimonium perhiberet de lumine*: hoc est de Christo. Qui etiam mittebat Apostolos ac Discipulos suos ad loca, quæ ipsi videbantur. Et ipse est qui aperit aut claudit portas prædicationis: designans, vt in tali loco prædicetur, & non in alio; aut cum maiori aut minori fructu: vt postea videbimus. Vt omnes Christi Discipuli intelligant: non debere se operariorum aut Legatorum Christi munus aggredi: nisi priùs conscij fiant voluntatis Diuinæ, ex aliquibus signis, quibus eos vocauerit; & ad huiusmodi ministeria elegerit.

4

k Isai. 6. 1. Luca 3. 18.

l Ioan. 1. 6.

AD cuius rei maiorem explicationem est aduertendum, duplicem esse vocationem; alteram interiorem, quam Deus facit per seipsum inspirationibus & illustrationibus Spiritus Sancti; alteram exteriorem, per alios scilicet homines. Et ipsa interior etiam est duplex: generalis, & specialis. *Generalis* est vehemens quædam inspiratio, quæ magnam infert solicitudinem ac vehementia desideria iuuandi salutem animarum, feruenti quodam zelo impediendi vitia, & promouendi virtutes. Non tamen descendit in particulari ad officia & media, quæ sunt adhibenda. *Specialis* verò est quoque vehemens inspiratio, inclinans & impellens vnumquemque ad officia & ministeria, capacitati & qualitati propriæ accommodata; vt magno affectu ea procuret, aut oblata acceptet in eum finem. Non enim omnibus eadem suggerit media; nam idiotis siue ignaris, infirmis, & fœminis quando hoc inspirat desiderium adiuuandi proximos: solùm inspirat media, omnibus iustis inquocunque sint statu proportionata. Quæ, teste S. Bernardo, sunt orare pro conuersione peccatorum, & pro iis qui in illo munus incumbunt; applicare pro eis suas pœnitentias; omnibus esse bono exemplo; colloquia inire de Deo; bona præbere consilia, & correptiones opportunè adhibere; & reliqua quæ inter duos bonos socios locum habere possunt. Ii enim (vt S. Gregorius ait) opportunè se mutuò inuitant ad actiones virtutum; ac denique, quod secundo Tomo diximus, incumbent Patribus familias, vt in suis domibus faciant.

Serm. 3. de Aduentu.

Homil. 6. in Euangelia Tract. 3. c. 9.

ALIIS verò inspirat Dominus noster ipsa ministeria, ad hoc præstandum instituta: præuenit enim eos ab infantia, dans eis propensionem ad scientias acquirendas, & opera apta exercenda. Et suo tempore inducit eos ad munus Magistrorum, aut Concionatorum, aut Confessariorum, aut Iudicum, & alia similia: inspirans eis tales impulsus & inspirationes, quæ sunt quasi internæ vocationes, & indicia: quòd eos eligat ad huiusmodi officia. Quamuis sit obseruandum: quòd cum aliqua ex iis officia annexam habeat authoritatem, honorem aut commoditatem siue lucrum, cum periculo vanitatis, & iactantiæ: sæpè iusti ex impulsu boni spiritus ea fugiant; sicut verè refugiunt dignitates & prælaturas, donec Dominus noster distinctiùs suam eis voluntatem aperiat: vt in vltimo Tractatu, qui erit de Prælatis, dicetur. In quo dicetur vniuersim quid ad honorata officia obeunda pertineat.

SED, vt ab huiusmodi dubitatione, & animi suspensione quis se expediat, multum iuuat externa vocatio, quæ fit per alios homines, quibus incumbit electio Personarum ad huiusmodi ministeria; aut eorum distributio inter eas facienda. Quemadmodum faciunt Prælati Religionum, & qui definitores vocantur, ad electiones faciendas constituti. Quare eorum electiones censendæ sunt vocationes Dei: si tamen, qui eligendus est, nõ eas

ambitiosè quærat; aut aliquo artificio obtinere nitatur, quòd à perfectione degeneret, quam profitetur. Si autem de sua sufficientia dubitaret, potest Prælatorum & electorum, qui ipsum benè nouerunt, & vt accepter statuunt, iudicio suum subiicere. Idem enim hoc est atque si ipse Dominus nosset iuberet: quemadmodum euenit S. Thomæ, valde anxio, eò quòd Prælati iubebant Magisterij gradum susciperere, cuius ipse indignum se iudicabat. Dormienti enim visio quædam apparuit, quæ iussit gradum accepta re, & sperare in Deum, quòd esset auxilium et præstiturus: quare etiam thema & argumentum suæ Repetitionis assignauit ei sententiam illam Psalmistæ: m *Rigans montes de superioribus suis.*

m *Psal.* 103.

Denique, vt quis Diuinam voluntatem distinctiùs cognoscat, tutiusque amplectatur: documenta illa sequi debet quæ in primo Tract. secundi Tomi fuerunt proposita: quæ maximè spectant ad electionem horum officiorum spiritualium; soletque Dominus voluntatem suam manifestare gratiis gratis datis, quas ad ea amplectenda communicat. Cùm enim gratiæ illæ ad aliorum vtilitatem dirigantur, nec velit Deus talenta sua sepeliri, aut otiosa esse; sed bonæ negotiationi exposita: cum ipse has gratias largitur, satis apertè significat: se eum ad illud officium eligere, in quod illæ diriguntur: concurrentibus etiam cæteris circumstantiis, quæ fuerunt ibi propositæ

Cap. 5. & 6.

CAPVT V.

DEVM DOMINVM NOSTRVM AD HÆC MINIsteria non vocare ignaros, nec vitiis deditos, nec in virtute Tyrones; sed eos, qui in ea profecerunt, aut iam sunt perfecti.



Vndamentis in præcedentibvs Capitibvs iactis innitetur doctrina de iis personis, quibus Diuina vocatio & electio ad hæc ministeria communicatur, aut denegatur. Incipiemus autem ab iis, qui per eam excluduntur: quæ minimum sunt duo genera personarum, ignorantium scilicet siue idiotarum, & imprudentum: qui neque scientiam & prudentiam ad ea necessariam habent; nec aptitudinem, vt ad eam perueniant. Et quamuis magnâ sint scientia præditi, etiam reiiciuntur, qui sunt in suis vitiis & passionibus effrænes, suisque peccatis valde addicti. Non inficiamur tamen improbos ministros administrare vera Sacramenta, & sufficientem habere authoritatem ad docendum, & gubernandum; ac proinde eis esse parendum iuxta dictum illud Saluatoris: a *super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere.*

a *Mat.* 23. 2.

ET boni Migistri à Deo vocati ad huiusmodi officia, si postea peruertantur non amittunt authoritatem & potestatem, quam priùs acceperunt.

Id tamen dicimus: Christum D. N. de Lege ordinaria, non eligere, neque specialibus suis inspirationibus vocare indignos talibus officiis: eò quòd cæci sint & priuati vtroque oculo scientiæ, ac prudentiæ; aut multitudine suorum peccatorum, ac passionum sint leprosi. Quod si qui tales sunt, quærunt, aut accipiunt huiusmodi officia & dignitates: id faciunt proprio spiritu superbo, ambitioso, aut cupido; inducti à Spiritu Dæmonis in proprium, & infelicium, qui illis commissi erunt, detrimentum: iuxta alterum illud eiusdem Saluatoris de Pharisæis dictum: b *Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos: cæci sunt & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent.* Quasi id dixerit: hypocritæ isti, ac duplices homines non sunt plantæ, quas Pater meus in his officiis plantauerit; sed ipsimet se in eis plantauerunt, aut à Dæmone fuerunt impositi, vtente ad id illorum auaritia & ambitione, qua sunt excæcati: & nihilominus esse volunt Dvces & MAGISTRI aliorum, æquè cæcorum, atque ipsi sunt. Cæci enim Magistri excæcant Discipulos, vt ipsos sequantur; & mutuò sese corrumpant, ac pereant. c *Speculatores, tui* (ait Isaias) *cæci omnes, nescierunt vniuersi*, quid facerent. Quid autem sperari potest à sequentibus eos, nisi vt impingant & aberrent sicut illi? sunt enim Legati & Nuntij infideles, qui cælestis Regis authoritatem & opinionem imminuunt; & in causa sunt, cur d *eius nomen inter gentes blasphemetur*; eò quòd cum tali officio vitam coniungant adeo peruersam: qua dant occasionem dicendi: qualis est nuntius, talem esse regem, qui illum misit; & potiùs vocari possunt legati & nuntij Sathanæ, quod ad mores attinet. De quibus explicat S. Gregorius prophetiam illam Isaiæ dicentis: e *væ terra Cymbalo alarum, quæ est trans flumina Aethiopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas*

ET quænam illa est terra, (ait S. Gregorius) nisi terra peccatorum, qui Æthiopum instar denigrati sunt atramento plurimorum suorum peccatorum: quorum caput est Dæmon, & Antichristus? qui vocatur *Cymbalum alarum*; quia præ nimia superbia volare, & in sublime ascendere nititur, cuius oēs sermones & colloquia sunt quasi sonus campanæ vacuus, & inanis: nihil proponens aut explicans, quod vtile sit. Hic inquam suos mittit legatos, & Prædicatores per mare huius mundi in vasis papyri, hoc est ornatos paucis aliquibus humanioribus literis, scientijsque secularibus: nam ex papyro, ait, charta est: quid itaque per papyrum, nisi secularis scientia designatur? Quæ nullam habet solidam sapientiam, nec virtutem, aut efficacitatem ad trahenda post se carnalium hominum corda.

b *Matth. 5. 13.*

c *Isai. 56. 10.*

d *Isaia 52. 5.*

e *Isai. 18. 1.*

Lib 3. moral. c. 5.

Huius

Huius generis (ait S,Hieronymus) esse hæresiarchas, quorum habitatio est trans flumina Æthiopiæ: sunt enim peiores cæteris peccatoribus; mittentes in mundum suos legatos, discipulos scilicet suos, falsosque Prædicatores: qui promulgent ac disseminent errores & fraudes ipsorum: Qui tamen nauigant in vasis siue nauiculis papyraceis super aquas frigidas: vt statim appareat, totam eorum doctrinam friuolam esse, breuique perituram: sicut ipsa papyrus, cùm in aqua manet. Eiusdem generis censentur etiam Magistri,& Prædicatores hyprocitæ ac ficti: qui suis officijs negotiantur lucra, & honores: & quamuis videantur naues ingentes preciosis valde mercibus oneratæ: id tamen totum sistit in externo apparatu & sonitu verborum: & propterea alia versio illa appellat *vmbram alarum*: nullas enim veras habent alas scientiarum,& virtutum,sed earum tantùm vmbram. Ad hoc denique genus pertinent omnes illi, qui non habentes dotes & qualitates Charitatis & Sanctitatis, quæ his ministeriis dant vitam: vsurpant sibi officium legatorum & Prædicatorum Christi,de quibus dixit Apostolus. *f si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens Et si habuero Prophetiam,& nouerim mysteria omnia,& omnem scientiam,Charitatem autem non habuero,nihil sum*: hæc enim omnia quasi tinnitus sunt campanæ, alarum vmbra,& nauicula chartacea,quæ nec solida est, neque durare potest Quare Deus neque eligit, neq; mittit similes legatos & operarios: quos potiùs asperè ac seuerè reprehendit (vt refert Dauid) g dicēs peccator: *Quare tu enarras iustitias meas,& assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam,& proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem,currebas cum eo:& cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitiâ,& lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris,& aduersus filium matris tuæ ponebas scandalū: hæc fecisti,& tacui. Existimasti iniquè quòd ero tui similis: arguam te,& statuam contra faciem tuam*,ostendens tibi, quis sis: vt agnoscas teipsum,cùm te ob scelera tua condemnabo. Hæ sunt improborum ministrorum proprietates, propter quas non sunt vocati à Deo ad huiusmodi ministeria obeunda, quibus omnino sunt indigni: quia improbâ suâ vitâ corrumpunt quicquid bonâ doctrinâ docent. Ac propterea S. Gregorius ait: huiusmodi ministros esse similes illi h *meretrici*, quæ infantulum suum in die lacte suo lactabat; *dormiens* autem *in nocte oppressit eum* ita, ait, hi lacte prædicationis nutriunt audientes: somno tamen vitæ suæ turpis, ociosæ, ac delicioſæ illos scandalizant & opprimunt. Et eò vsque eorum ambitio progreditur, vt quemadmodum meretrix illa tulit filium veræ matri dormienti, & mentita est esse suum; ita suæ prædicationi & meritis attribuunt conuersionem illorum, qui aliorum orationibus, bonisque exemplis fuerunt conuersi. Sed im-

In Isaiæ 18.

f 1. *Cor.* 13.3

g *Psal.* 49. 1. 6,

Lib. 21. *Moral.c.* 8. *h.* 3. *Reg.* 3. 19.

probi Ministri non euadent voti compotes : nam verus Salomon Christus Iudex iustissimus, veritatem rei aperiet, filiumque tribuet ei, cuius verè est & improbum Ministrum puniet pro meritis. Hoc idem confirmat S. Gregorius Nazianzenus, dicens: qui plus docet verbis, quàm exemplo & operibus: alterâ manu animas allicit; altera easdem fugat. Quibus etiam competit, quod Ecclesiasticus dixit: i *vnus ædificans, & vnus destruens, quid prodest illis, nisi labor?* hoc est, qui quod altera manu ædificat, destruit altera: frustra laborat. Cùm enim homines potius in malum propendeant, quàm in bonum; & exemplum sit efficatius ad mouendum, quàm verba: multò magis nocet malum exemplum Euangelicorum operariorum, quàm eorundem verba prosint.

In sentent. Num. 2.

i Eccl. 34. 28.

§. I.

Probatio Vocatorum & Electorum.

SED quoniam multi sunt; qui hæc ministeria varios ob fines appetant, audiamus experientiam & probationem, quam Dominus nostrer accipit ex eis, quos designare & eligere vult in suos Prædicatores; eum in modum, quo id explicat S. Gregorius in illa iucunda historia Gedeonis (cuius in alio loco fecimus mentionem) exituri ad pugnam contra Madianitas, dixit enim illi Deus: a *adhuc populus multus est tecum, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos:* cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeonem: vt quotquot *curuatis genibus aquas biberent*, eos remitteret, *vt reuerterentur in locum suum*; retineret autem apud se eos tantùm *qui stantes manu ad os proiciente, lamberent aquas, sicut canes*: qui *tantùm fuerunt trecenti viri*, quibus pro armis ad pugnam dedit tubas *in manibus eorum*, dextris, *lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum* in sinistris, & cum venerunt ad castra inimicorum media nocte, *cœperunt buccinis clangere, & complodere, ac frangere inter se lagenas*; *dicentes: gladius Domini & Gedeonis*: & ita insignem obtinuit de hostibus suis victoriam quia hostes *mutuâ se cæde truncabant*. Significabant, ait S. Gregorius, his milites eos, quos Deus eligere volebat adiuuandam hominum conuersionem, & bellum Dæmonibus inferendum. Sed quoniam non omnes ad hæc præstanda sunt apti, voluit experiri, qui inter eos apti essent, vt eos eligeret. Et quoniam experientiæ debent esse proportionatæ statui & officiis obeundis (quod fusiùs diximus cùm de statu Religioso egimus) ideo probat, quos vult eligere, an habeant scientiam simul & virtutem: quæ sunt duo maximè necessaria, ad facinus adeò arduum aggrediendum. Omnes illi milites biberunt ex aqua torrentis, quæ significat scientiam & doctrinam,

Lib. 3. Moral. c. 13. Tom. 1. Tract 2. c. 8. a Iudic. 7. 4.

Tom. 3. Tract. 4.

doctrinam, qua instructi esse debent; sed omnes illi reprobantur: qui ad bibendum curuant genua sua in terram ad quam flectunt suas intentiones. & opera sua: b *non enim auditores Legis iusti sunt apud Deum sed factores legis iustificabuntur*: c *neque est speciosa laus in ore peccatoris*. Sed illi eliguntur: qui genua non flectunt; sed cum scientia seruant etiam operũ rectitudinẽ. Hinc igitur Christo duce ad bellum procedunt, qui hoc, quod ore annuntiant, opere ostendunt; qui fluenta doctrinæ spiritualiter hauriunt, nec temen in prauis operibus carnaliter inflectuntur.

b *Rom.* 2. 13
c *Eccl.* 15. 9.

Melius hoc ipsum intelligetur ex tribus armis traditis à Gedeone his militibus. In dextrà manu tubam portabant, quæ est prædicatio Euangelica; in sinistra autem testaceam lagenam, quam confregerunt: quæ significat mortificationem corporum per ieiunia, cilicia, & externas alias pœnitentias; tolerantes etiam alios labores & persecutiones, quæ in Evangelii prædicatione eueniunt: quamuis opus sit, totum corpus frangere, & vitã amittere. Accensæ lampades sunt opera mirabilia, quæ ex huiusmodi mortificatione & patientia manifestantur: quę non sunt minùs efficaces, quàm ipsa prædicatio, ad conuertendos peccatores. Lampades quoque accensæ sunt opera misericordiæ erga indigentes; affectus amoris & compassionis erga afflictos; desideria zeli, qui ignis instar ardet in corde pro remedio peccatorum; opera etiam stupenda, quæ per huiusmodi iustos facit Deus ad confirmandam veritatem, quam aliis prædicant. Aduertit tamen Sanctus Gregorius: tubam ferre in manu dextra, quæ pluris sit; lagenam autem in sinistra: ad significandum, quòd pro magno habeant prædicationis gratiam: corporum verò vilitatem pro minimo: quod opere ipso ostendunt, cùm se promptè offerant ad occurrentia pericula sustinenda.

Deniqve etiam ipse Dux Gedeon habebat secum tubam & lagenam: dixitque ad suos milites: d *quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, & quod fecero sectamini*: vbi ego lagenam meam confregero, & vos vestras confringite; & *vbi personuerit tuba in manu mea: vos quoque clangite & clamate*. Quid autem hoc totum est aliud quàm exprimere formam vocationis, qua Christvs Dominvs Noster hos milites vocat, & exstimulat, ad bene obeunda sua ministeria; constituens seipsum in exemplar, quod debeant imitati. Quasi dicens: attendite: quo modo ego me mortificauerim, & laboraverim, & corporis mei lagenam obtulerim, vt confringeretur, & comminueretur flagellis, spinis, & clauis vsque ad vitæ iacturam; vt rectè munus meum perficerem. Attendite item: quomodo tubam prædicationis clanxerim per totam Ivdaeam & Gallilaeam, docens omnes legẽ perfectionis, & resplendens quasi lampas accensa in operibus Charitatis, misericordiæ,

d *Iud* 7. 17.

& zeli,

& zeli, quæ ergo omnes præstiti; & postquam hæc inspexeritis, ac diu fueritis meditati: facite quod vidistis; & imitamini, quod ego feci. Sequimini meam in pugnando rationem: & victoriam de vestris hostibus reportabitis.

HAEC est vocatio, quam Christus Dominus noster sæpiùs suis discipulis inculcauit; & quam illi, ducem suum imitantes, sunt secuti: e *semper* (vt ait Apostolus) *mortificationem Iesu in corpore suo circumferentes: et & vita Iesu manifestaretur in corporibus eorum*, prædicantibus eis magno cum feruore Christum crucifixum, Crucis virtutem, & Euangelij eius perfectionem, omniumque virtutum excellentiam, confirmantes doctrinam præstantia vitæ suæ; & ipsamet vocatio idem quotidie inculcat viris perfectis, quos hisce armis munitos habet, & similibus virtutibus bene præparatos: exhortans eos, vt ipsum imitentur, non solùm in virtutibus ad propriam salutem & perfectionem spectantibus; sed etiam in iis, quæ conferunt ad salutem & perfectionem proximorum

e2. Corin. 4.20.

SED neque vocat, neque impellit ad secundam hanc officij partem donec bene sint in prima instructi, & exercitati. Quamuis enim Christus Dñs noster aliquos Apostolos vocauerit illis verbis: f *venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*: quod officium est iuuandi animas: non tamen statim illud eis commisit; sed postquam diu illos in sua habuit schola docens eos viam perfectionis; & postea g *misit eos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus*: vt supleret defectum quo ipsi tunc laborabant. Et post resurrectionem suam iussit eos collectos h *manere in ciuitate*; nec exire ad prædicandum, *donec induerentur virtute ex alto*, per Spiritus sancti aduentum. Et eodem modo, quamuis idem dominus noster multos nunc vocet iuuenes ad religiones, quarum institutum est piscari homines, eorumque salutem iuuare: non tamen eos vocat speciali vocatione ad hæc ministeria statim obeunda, donec virtutes sibi comparauerint, & arma, ad illa bene præstanda, necessaria: & ita expendunt aliquot annos, ad propriam attendentes perfectionem: vt possint tutius in aliorum auxilium incumbere. Eum in modum, quo Deus primùm iussit: i *Abram exire de terra sua, & de domo Patris sui*; & vt k *ambularet coram ipso, & esset perfectus*; & nomini *Abram*, quod significat patrem excellentem, aut patrem rerum cœlestium, adiecit vnum characterem, & vocauit eum *Abraham* quod significat *Patrem multarum gentium*, & quidem valde præstantium; vt intelligeretur, quòd ministerium gignendi filios spirituales supponat excellentiam, virtutum, exercitijs mortificationis, & obedientiæ in schola Christianæ perfectionis comparatarum.

Matt. 4.19

g Luc. 10.1.

h c. 24.49.

i Genes. 12.1.

k c. 17.1.

§ II.

Ex his deducere licet illorum deceptionem, qui cùm sint Tytones, & imperfecti in virtute, spiritu quodam vanitatis nimiam aliorum curam suscipiunt, non tamen ad eam à Deo vocati: iacturam facientes virtutis, quam ipsi habebant; nec tamen alijs, quam volunt, communicantes. 1

Primvm enim nullus, habet ad vexillum aliquod accedere, inuito eius Duce; nec se offerre, vt sit miles, & statim certamen inchoet, non habens arma & industriam ad id sufficientem: nam aliàs manifesto se exponit periculo succumbendi, & alijs similiter fit causa ruinæ. Propterea enim iubebat Deus, ne admitteretur ad militiam, qui esset a *formidolosus, & corde pauidus, aut qui desponsasset sibi vxorem:* quia tales non essent apti ad pugnam aggrediendam, quæ requirit robustum cor, & ab alijs affectibus expeditum. Et eandem ob causam dixit Saluator noster: vt qui velit turrim ædificare, aut bellum committere cum potenti alio Rege: priùs sedens cogitet, an habeat ad perficiendum: quòd si defectum aliquem animaduertat; melius esse retrocedere, & rem non aggredi quàm non posse perficere; nec pugnam inchoare, in qua nouit se victoriam amissurum. a Deut. 28. 1 c. 24 5.

Deinde quæ vtilitas est, ad pugnam prodire cum tuba in altera manu, & lagena fictili in altera, si adeò es intricatus ac debilis, vt nec noueris, nec possis tubam inflare, nec animum habeas, vt lagenam cõfringas; aut lampadis lumen ita exiguum habeas, aut semiextinctum, vt statim atq; illud exposueris, omnino extinguatur; nec splendorem præbeat, quem par est? non dantur hæc arma, nisi trecentis illis viris valde strenuis: quorũ numerus (vt ait S. Greg.) initium sumit à Tau, hoc est à littera T. quæ figura est, Crucis Christi: quã decet magna cum voluptate priùs fuisse amplexos. Nec tantum tibi tribuere debes, vt velis in numero horum paucorum numerari, nisi priùs diligenter exercueris opera omnibus communia. 2 Supra.

Qvodsi necdum acquisiuisti alas, & oculos Euangelizantium proprios: quomodo audebis officium aggredi Euangelistæ? eueniet tibi (inquit idem Sanctus) quod pullis auicularum exeuntibus ex nidis suis antequam alæ creuerint. Qui cùm volare non possint, vt conantur; nec ad nidum redire, ex quo ceciderant: tandem sine remedio pereunt. Ita hi existimãtes, se habere alas, quas non habent, & prodeuntes ad volandum ante tempus: alijs non proficiunt, & sibiipsis nocent; facientes iacturam virtutis, quam antè habebant: eò quòd voluerint eam ante tempus manifestare operibus, quæ illorum facultatem excedunt. 3

Tales sunt similes arboribus proferentibus flores suos ante tempus: quæ quocunque æstu, pruina, aut nebula accedente, amittunt flores, & spem fructus, quem suo tempore fuissent allaturæ. Quibus commodè 4

1 Parte Past. c. 5. & admon. 1 c. 6. & lib. 8 Moral. c. 19.

aptatur quòd dixit quidam amicus Iob, de quodam genere Carduorum b *humectus videtur antequam veniat Sol, & in ortu suo germen eius egrediatur*, sed statim marcescit; nam vix nati in Religione, & in schola virtutis, volunt statim inaniter se ostentare, & quasi alijs sese cõmunicare: quorum, exorta aliqua cõtradictione aut tentatione omnes flores euanescũt, & profectus, quem præferebant frigescit, & congelatur: *citius namq; bona depereunt, quæ hominibus ante tempus innotescunt.* Sicut etiam teneræ plantæ, si, antequam profundas iaciant radices, multùm manibus contrectentur, citiùs arescunt; & murus recens structus, si graui pondere prematur, facilè dissolvitur, ac ruit. Ita, qui ante tempus, & priùs quàm in virtute sint solidi, prodeunt ad agendum cum proximis, & animarum curis sese onerant, facilè arescunt, & pondere pressi ruunt in terram. VIRO iusto tanquam 5 proprium tribuit, Dauid quòd sit d *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*: vt qui plantati sunt in Ecclesia & Religione, intelligant, se irrigatione viuentium aquarum gratiæ, sapientiæ ac scientiæ debere proferre fructum status & officij sui proprium in tempore suo. Nam neque Tyro velle debet eum fructum proferre, qui propriè pertinet ad perfectum; neque Secularis pertinentem ad Ecclesiasticum. Et quamuis fructus ille spectet vere ad suam vocationem; non tamen debet illum velle intempestiuè & importunè proferre: quia non erit vtilis. Ac propterea Deus iubebat filijs Israël vt ex d *lignis quæ in terra* promissionis *plantarent, non ederent fructum trium primis annis*; sed *aufferrentur præputia eorum & haberentur immunda*; eò quòd censerentur intempestiua, & ipsismet lignis noxia, donec profundas in terra iacerent radices. Quo præcepto significare volebat iustos in terra promissionis; hoc est in Ecclesia & Religione plantatos, non debere de alijs rebus initio agere, aut cogitare: nisi vt se ipsos, benè mortificent, & profundas iaciant radices humilitatis: immundos reputantes fructus exercitiorum ante tempus prodeuntium, & propriam internam virtutem effugentiũ ob in tempestiuam sui ad exteriora effusionem. Ex quo fit, vt ordinariè Dominus noster non vocet ad hæc ministeria iuuenes, in quibus virtus esse solet valde infantilis, & sine prudentia, & experientia; sed maturæ ætatis homines, varia exercitia expertos, quibus prudentes & experti sunt redditi: & quamuis interdum eos vocet à tenera ætate, vt vocauit Samuelem, & Ieremiam, quorum ætatis defectum ipse suppleuit abundantiâ luminis & gratiæ. Ordinarium tamen est, non eos tunc vocare, aut si eligat ac designet ad hoc munus, executionem differre in tẽpus magis aptum. Quemadmodum vocauit sanctum Ioannem Baptistam ex vtero matris suæ; vt ipsius esset Præcursor ac Prædicator. Cui Ecclesia applicat Isaiæ Prophetiam dicentis: e *posuit me sicut sagittam electam*, cuius lingua

& præ-

b *Iob* 8. 16.

S. Gregorius c. 19. supra

d *Psal.* 1. 3.

d *Leu.* 19. 23.

S. Gregor. ibid.

S. Bonauen. de inform. Nouitiorũ c. 6.

6

e *Isaiæ* 49. 2.

& prædicatione vulneraret ac penetraret corda peccatorum. Addit tamen *in pharetra sua abscondit me*; in qua mansit per triginta annos, degens f *in deserto*, exercens se pœnitentiæ & contemplationis exercitiis, & *confortabatur Spiritu vsque in diem ostensionis suæ ad Israel*, quo illum vocauit, & prodire iussit ad exercendum suum officium. Et idem præstare voluit Iesus Christus Dominus noster, de quo eadem loquitur Prophetia. Quamuis enim plenus esset Sapientia & gratia immensa: noluit tamen ad prædicandum prodire vsque ad g *trigesimum* ætatis suæ *annum*. Et quamuis, h *cùm esset annorum duodecim: fuerit in medio Doctorum*; non tamen eos docebat, sed *audiebat & interrogabat*: vt suis discipulis exemplum præberet eius, quod facere deberent in sua iuuentute: attendentes potius, vt discant, quàm vt prædicent, donec perueniant ad ætatem maiorem. Ac propterea ait S. Gregorius Ezechielem Prophetam dixisse: Prophetiæ Spiritum sibi communicatum, i *cùm esset triginta annorum*, cùm scilicet iam esset vir perfectus, & vires ac talenta haberet ad excelsa ministeria, quæ Deus ipsi committebat. Neque est extra propositum significatio nominum, quibus initio vtitur, dicens: factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem *Ezechiel* enim significat *fortitudinem Dei*; *Buzi* autem *contemptum* vel *despectum*; ministri enim Euangelij debent esse fortes fortitudine Dei: quæ oritur ex contemptu suiipsorum, quo in oculis suis viles se iudicant, & abiectos: ac propterea nihili faciunt, quòd ab hominibus contemnantur. Cum itaque dicitur Deus elegisse in prophetam suum Ezechielem filium Buzi, significat, se eligere & vocare eos, qui præditi sunt fortitudine, orta ex humilitate, eique intenti, iactis profundis radicibus spatio triginta annorum, quæ ætas ad huiusmodi ministeria est aptissima.

f *Luc.* 2. 80.

g *Luc.* 3. a. 3.

h *c.* 2. 46.

Homil. 2. *in Ezech. c.* 6. 1. 3.

(*)

CAPVT VI.

SPECIALIS ALIQVORVM PERFECTORVM AD animas iuuandas vocatio, & timores eorundem timoresque excusationes, earumque pœnæ; obedientia item talis vocationi adhibenda.

SPECIALIS vocatio, qua Dominus noster vitos iam valde perfectos vocat, & eos præcipuè, qui valde fuer exercitati in operibus vitæ contemplatiuæ: vt prodeant ad exercenda vitæ actiuæ opera erga proximos, mirifice est delineata in libro Canticorum, postquam sponsa ad excelsum adeò perfectionis culmen peruenerat, vt diceret a *ego dormio, & cor meum vigilat* absorpta enim contemplatione Dei: ad omnia, quæ mundi essent dormiebat; ad ea tantùm vigilans, quæ sui erant dilecti: in quo totum cor suum, & cogitationes omnes, ac desideria collocauerat amore valde accensa. Ad cuius ita constitutæ aures vox insonuit cœlestis eius sponsi, tenerrimè dicentis: *aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Sed priusquam profundum hoc amoris pelagus ingrediamur; videamus, quomodo sit possibile quòd cùm anima adeo sit iusta, & perfecta: quemadmodum prima huius colloquij verba significant: Deus tamen extra eius domum esse dicatur, & ostium pulsare, ac petere sibi aperiri vt ingredi possit: cum Deus semper sit intra ipsos iustos, per gratiam, & Charitatem eis vnitus: vtrumque tamen horum & verum est, & certum. Cùm enim Dominus noster sit in animabus iustis per effectus iustitiæ, quos in eis efficit: postquam eas per iustificationem est ingressus, sæpe pulsat, sibique aperiri petit: vt ingressus per earum consensum & voluntatem, reliqua faciat, quæ ad eorum profectum & perfectionem propriam spectant; & postquam id obtinuit, pulsat etiam nocte, desiderans adhuc intrare ad earum corda: vt effectus excitet amoris proximorum, ac zeli exeundi ad laborandum pro eorum salute ac perfectione. Et quamdiu hos effectus non efficit; nec anima ipsa ad eos suscipiendos se disponit: censetur ille extra eam manere, pulsans inspirationibus suis, vt sibi aditus pateat, remotis impedimentis, quæ in ea sunt ad tantam gratiam & fauorem suscipiendum.

a Cant. 5. 2

§ I.

I. SED quis porrò explicare nouerit causas, & titulos, quibus vtitur sponsus, dum ita pulsat, vt sibi aperiatur? *Primum* enim reuocat animæ in memoriam beneficia ipsi collata in die iustificationis, ac ceteris diebus, quibus de ipsius profectu egit. Quasi diceret: memento quòd fece-

rim

rim te sororem meam per Esse gratiæ; amicam, per charitatem; columbam, per vnionem cum Spiritu Sancto; immaculatam meam propter cordis puritatem. Cur ergo non aperies ei, qui tot beneficijs te affecit; & cupit intrare, vt alijs non minoribus te afficiat? Noli saris tibi esse existimate, quod hæc bona tibi soli habeas; aperi mihi vt prodeamus ad lucrandos alios fratres, alios amicos, alias columbas, & alias animas formosas: vt mea Patrisque mei gloria dilatetur. Cùm igitur columba sit auis fœcunda: veni, columba mea, vt mecum gignas filios gratiæ, meæque gloriæ hæredes.

Statim etiam subiicit titulos charitatis, assumptos ex necessitate, qua proximi laborant; ideoque dicit ei: attende *quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* a *Caput Christi* quà homo est (vt ait Apostolus) est *Deus*. Et hoc (ait S. Gregorius) esse plenum rore aut pruina, cùm sanctum eius nomen ab infidelibus blasphematur; à peccatoribus contemnitur; & à tepidis irreuerenter tractatur. Cincinni huius capitis sunt Christiani, coniuncti cum eo per fidem: qui tamen pleni sunt guttis noctium, cùm in eis deficit charitas; suntque oppressi glacie multorum peccatorum, ac tenebris ignorantiæ, & valde errantibus iudiciis. Et quamuis ipsi sint iusti, sunt tamen afflicti persecutionibus, calumniis, & calamitatibus. Si itaque Christum diligis, habesque talentum, & facultates ad ipsum in hac necessitate iuuandum, cur eius pulsum non audis? Offerens teipsum ad remouendas pro viribus blasphemias, iniurias, & peccata, quæ in eius caput, cincinnosque decidunt? propugnans eius honorem & remouens à fidelibus tot culparum guttas; & afflictis subsidium in eorum miseriis ferens.

2 ad. Corin 11. 3. *In Cant. 5.*

Sed audi tertium, titulum quem proponit, ob vtilitatem, & mercedem quam pro hoc seruitio tibi offert. Qui titulus (vt ait S. Paulinus) etiam continetur in eo, cùm dicitur: *caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*: intelligit enim per rorem, abundantiam gratiarum, donorumque cœlestium; quibus illud est plenum, ob infinitam Diuinitatis Christi eminentiam; ac similiter intelligit partem superiorem spiritus sui in quo reconditi sunt oēs thesauri sapientiæ & scientiæ Dei: ex quo fluunt ad cincinnos, hoc est ad electos, quibus has gratias cōmunicat instar guttarū: nam collatæ cum immēso eius rore, valde sunt paruæ; etiam cùm in seipsis sunt valde magnæ. Sunt tamē guttæ noctu decidentes etiā cū ipsa serena est, & clara: quia cōmunicantur cum magna cōscientiæ quiete, & serenitate, & cum claritate maioris cognitionis, quàm antiquis: licèt in ipso fundamēto adsit etiam fidei obscuritas. Si igitur cupis benedictionibus cœlestibus locupletari: aperi mihi (ait Saluator, (& annue petitioni meæ. Tunc enim ingrediar ego in cor tuum cum Diuinitate mea, & cum spiritu meo cælesti

3 *Epist. 4. vi de Martin. del. Rig.*

Ita Titel. manus.

rore pleno, ad temperandum ardorem concupiscentiarum & cupiditatum tuarum; ad corroborandam animam tuam exercitiis sanctorum operum, variasque cœlestium gratiarum guttas communicandas. Quemadmodum enim b *vos totius terræ* receptus *fuit in vellere Gedeonis* & ipse *de nocte consurgens expresso vellere, concham rore impleuit*: ita c *gratiæ* omnes *donaque cœlestia* collecta sunt *in spiritu meo* absque mensura: quæ tamen dona non mihi soli reseruo; sed electos meos facit eorum participes; replens fictilia hæc vasa, vt gratiæ meæ efficacitas magis eluceat. Quod si tu cum Gedeone nocte consurgas, ostiumque aperias, vt ad te aditus pateat; replebo te tantâ copiâ guttarum roris mei, vt quemuis laborem tibi reddant facilem ac iucundum.

b *Iud. 6. 37.*

c *Ioan. 3. 34.*

4 QVOD SI quattū alium titulum ab exemplo meo desumptum habere velis; attende quid ego fecerim, dum inter vos agerem in mortali & passibili corpore: & agnosces me ab ipso vitæ exordio, vsque ad eius exitum, plenum semper fuisse rore & pruina, congelatisque guttis noctium sustinendo innumeros labores, vt efficaciùs peccatores vocarem, & conuerterem, & omnibus hominibus benefacerem. Propterea natus sum in media hyeme, noctu, & in tugurio, incommodis temporis valde expositio; noctu enim fugiens in Ægyptum; & per multas noctes ambulans per desertum tanquam fugitiuus. In alio deserto mansi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus nihil comedens, dormiens super paulmentum, expositus vento; quamdiu prædicaui, noctes expendebam in montibus, orans pro vestro remedio; tollerans noctis rorem, vt vobis rorem gratiæ compararem: Denique in nocte meæ Passionis cecidit super caput meum magno impetu gelu peccatorum hominum, & inundationes iniuriarum, & contemptuum; sudaui sanguinem guttatim, quem tamen postea magno impetu per flagella ex toto corpore, & per vulnera pedum ac manuum, ac per

5 foramina, quæ spinæ aperuerunt in capite meo effudi. Quæ omnia cum ego fecerim ob vtilitatem animarum: cur non aperies mihi, & teipsum offeres ad aliquid pro eisdem faciēdum? *Denique* omnes vires intendit, addito quinto titulo interni amoris, quem erga suam sponsam Ecclesiam gerit; cum insinuat, se caput habere apertum absque pileo, aut alio tegumento. Quod signum erat captiuorum & victorum, in signum suæ traditionis ac subiectionis; iuxta illud Moysis dicentis, quod d *inimici* ituri essent *captiui nudato capite*. Venit itaque hic Dominus, vt pulset ad ostia sponsæ suæ, quasi captiuus & victus amore eius, & omnium animarum & optans, vt & illæ ipsi se tradant, & quasi eodem amore captiuæ ei le dedant. Quod sufficere debet cuiuis amanti, vt studeat animas aliquas lucrari, quæ Dominum ipsum diligant. O Saluator dulcissime: quis adeò erit durus ac pertinax, vt aures suas occludat benevolæ adeò vocationi; si

Deu. 32. 42.

nouerit: te esse vocantem, & quanto afficiaris gaudio, si tuis pareat dictis.

§. II.

Sed audiamus, quid sponsa iucundæ adeò vocationi respondeat. *Expoliaui*, inquit, *me tunica mea quomodo induar illa?* Atque si diceret: graue mihi est è lectulo surgere, vt ianuam ei aperiam: ne iterum cogat vestem induere, quam exui. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* si enim terram calcauero, maculabuntur. In hac sponsæ sententia duo excusationum genera intelligi possunt, quas homines habent, ne statim Dei vocationi pareant. Aliæ sunt propriæ otiosorum, pigrorum, ac deliciis deditorum, qui sunt hostes crucis ac laboris: ac propterea refugiunt officium ac ministerium onerosum, & curam animarum, præcipuè si non adeò sit honorificum, nec lucrum adferat, quale ipsa caro desiderat. Et hoc significat (vt inquit Theodoretus) quod dicit: *expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Quemadmodum enim homines, qui modicum, & quasi obiter dormire volunt, vt suæ necessitati satisfaciant, vt fieri solet circa meridiem, non se omnino exuunt; sed sedent in aliqua sede, aut vestibus induti iacent in lecto: & statim atque vocantur, festinanter surgunt: quando autem maiori cum quiete noctu dormire volunt, exuunt se, & iacent in lecto: quod si è somno excitentur, torpescunt ad surgendum; & respondent: extra tempus, & opportunitatem se vocari: sicut a *respondit amico* ille amico suo *pulsanti media nocte ad ianuam, ac petenti tres panes: excusauit enim se dicens: se iam in cubili esse nec posse surgere*: ita etiam viri valde feruentes ac perfecti somnum & delicias huius vitæ valde obiter admittunt, & solùm, vt suæ necessitati satisfaciant: b vtentes (vt ait Apostolus) *hoc mundo quasi non vtantur*: Ideoque vocati à Deo ad res obsequij eius, quale est Confessiones audire, cõcionari, & proximos morituros adiuuare: statim, valdeque facilè surgunt; & ad id, quod iniungitur, accurrunt, dicentes cũ Samuele, cùm media nocte à Domino vocaretur: c *Ecce ego: vocasti enim me.* Tepidi autem & imperfecti maiori cũ mora, & quasi permanenter suscipiunt carnis delicias, quibus ex corde adhæresunt. Ideoque grauiter ferunt è *lecto* surgere, in quo *vertunt se tanquã ostiũ in cardine suo*: & quando Deus eos vocat ad res alicuius laboris, adinueniunt excusationes, ne eas aggrediantur; aut in aliud tempus reijciunt, dicentes: *expoliaui me tunica mea: quomodo* statim *induar illa?* redeat postea: quia nunc non est opportunum. O execrandam pigritiam, quæ talem excogitas excusationem, ne facias, quod Deus iubet? Et quodnam, quæso, tempus aptius ad laborem erit, quũ, quo te vocat, qui est temporũ Dñs totq; beneficijs obstrictũ te habet, vt ei prõptè obedias? Propterea enim dixit Salomõ: e *ne dicas amico tuo: vade, & reuertere: cras dabo tibi; cum statim possis dare.* Cùm igitur Deus non requirat à te, nisi quod potes facere: cur eum in aliud reijcis tempus?

Vide. Titul.

a *Luca. 11. 5.*

b *1. Corin. 7. 11.*

c *1. Reg. 3. 5.*

d *Prou. 26. 14.*

e *Prouer. 3. 28.*

Alias

ALIAS excusationes adhibent homines Deum timentes, proprijque profectûs cupidi: sub prætextu scilicet, ac zelo non deficiendi in rebus suæ perfectionis; & ob timorem non reddendi bonam rationem officij, quod sibi iniungitur. Et hoc Spiritu respondent (vt explicat Sanctus Gregorius) Domino ipsos vocanti: *expoliauisme tunica mea*, bonis scilicet temporalibus, rerumque temporalium curas deposui, *quomodo* ergo *induam illa*, vt officium suscipiam Prælati plenum terrenis curis? *Laui pedes meos* ab affectibus terrenis, purificans me pro viribus à culpis etiam leuibus, quomodo ergo officium acceptabo alios iuuandi, in quo illos inquinabo? & quidem cum periculo grauiores culpas contrahendi? Non satis est, quòd qui me vocat, sit Deus: quia imbecillitas mea est magna. Nam etiam vocauit & elegit f *Moysen & Aaron & Heli* in Lege veteri; & Iudam aliosque multos in Lege Noua: quorum quidam in re aliqua grauiter impegerunt: alij verò & impegerunt, & suâ culpâ perierunt: nollem ego in huiusmodi infelicitatem incidere. Hæc excusatio est eorum, qui maximè sunt Spirituales. Quæ aliquando prouenit ex eo, quòd plus quàm par est, interioris collectioni adhæreant: ne voluptate illa priuentur, qua ibi afficiuntur. Interdum etiam prouenit ex solo timore suæ perditionis; & ne eum offendant, cui maximè placere intendũt. Nam reuera est difficile (vt prædictum est) versari inter spinas, & ab eis non pungi; & calcare (vt ait S. Hyeronimus) terram pedibus ita, vt nec puluis nec lutum eis adhæreat. Et propter huiusmodi timorem proponunt Domino nostro difficultatem; non vt laborem officij, sed vt periculum, quod in eo timent effugiant.

f *Exod.* 3. 10. c. 4. 15

Epist. ad Damasum de 1. Isaiæ visione. S. *Aug. Tract.* 56. & 57. *in Ioan.*

3

AVDIENS Sponsus responsum Sponsæ suæ, & causas quibus illa intrebatur: voluit, efficaciori vocatione eam vocare, ne torpesceret, aut timeret: ideoque illa addit: g *dilectus meus misit manum suam per foramen*, vt pessulum ostij mei remoueret; & *venter meus intremuit ad tactum eius*. Habens enim dilectissimus hic Dominus manum omnipotentiæ suæ, penetrat per foramen luminis naturalis, & fidei; & illustrat intellectũ maioris cælestis lucis abundantia, vt sentiat anima vim & efficacitatem quatuor titulorum, quos Sponsus, dum eam vocat, proponit; & ita Spiritum accipiat, vt excusationum pessulum, & impedimenta remoueat, quæ habet, aut habere se fingit: ne suam deserat recollectionem, & obediat ijs quæ ipse iubet. Quæ videns hac luce extremam fidelium necessitatem, & auxilia, quæ Deus ipsi ad eos iuuandos offert; & iucundam adeo instantiam, qua Sponsus id petit: totum eius cor ac viscera contremiscunt; & affectib. amoris & compassionis ita emolliuntur, vt statim *surgat vt aperiat dilecto suo*, excutiendo omnem torporem, & ostendendo verum ac solidum erga ipsum amorem. Sed quomodo surrexit? *Manus mea* inquit,

g *Cant.* 5. 4.

stillauc-

stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. Auxilio enim quod ei potens manus Dei præſtitit: manus eius, hoc eſt animæ facultates, producere cœperunt myrrham excellentis mortificationis, qua repleuit omnes digitos affectuum ſuorum, & opera ipſa particularia in magna copia, ſed cum magna prudentia: vt quæcunque haberet impedimenta, remouerer. Idcc que ait: *peſſulum oſtii mei aperui dilecto meo* Poruiſſet procul dubio Dominus noſter manu ſuæ omnipotentiæ ſolus remouere peſſulũ totumque opus perficere: non tamen id vult; ſed vt etiam ipſa anima ſurgat, ſuasque manus coniungat manibus Dei, vt ſimul oſtium aperiant. Deus eam præuenit gratia excitante, & continuo ſuo auxilio eam iuuat, ac fouet iuxta illud Apoſtoli: h *laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum*: gratia enim eius præcipuè totum hoc opus perficit. Illa enim efficit, vt manus repleantur myrrha, non quacunque, ſed probatiſſima, & puriſſima; talis enim eſſe debet mortificatio Prælatorum, & operariorum Euangelicorum: vt mortificent torporem, delicias, & honorem, propriamque voluntatem ac iudicium; &, quod amplius eſt, etiam nimium affectum ad ſuam recollectionem, & ſpirituales delicias: cum etiam his amor proprius fouere ſoleat, quin retrahunt hominem, ne accedat ad ea, quæ iubet Deus. Nec dixit os ſtillaſſe myrrham, ſed manus; præcedere enim debet operum mortificatio eiuſdem prædicationem; immò in ipſamet eius prædicatione debet eius opus exerceri, ſtudendo in omnibus placere Deo, & non hominibus, niſi ob ſolum eius amorem. Hæc etiam gratia eſt, quæ præcipuè aperit oſtium cordis, & fidei, ac obedientiæ aures: peſſulum remouens, quo occluſo aditum Deo prohibebant, magnos adferenti theſauros in auxilium aperientis. Quamuis autem multi ſint obices hunc Dei ingreſſum prohibentes: ſolius tamen peſſuli meminit: quia omnes vt plurimum vno præcipuè detinentur, qui cæterorum ſit radix. In aliis enim peſſulus eſt ſuperbia, & honoris ambitio; in aliis ignauia, & affectus ad delicias: vnuſquiſque autem illum obicem auferre debet, qui maximè ipſi eſt impedimento; neque eſt melior ratio illum remouendi, quàm incipere ſtatim exercere officium, & miniſteria, quæ Deus iniungit, obediendo ei in exacta fidelique executione. Et hoc, ait Rupertus ſignificare etiam ſponſam, cùm dixit: *peſſulum oſtii mei aperui*, hoc eſt ſilentium, quo eius os erat occluſum. Nam prius ob contemplationis amorem firmiter decreuerat ſilentij virtutem amplecti; & ita ſuum os claudere, vt non ſe immiſceret colloquiis proximorum. Cùm autem voluntatem Dei agnouit ipſam vocantis ad hoc munus, remouit peſſulum, & rumpens ſilentium, cœpit prædicare, & cum omnibus agere, vt illos lucraretur, & ad gloriam dilecti ſui ædificaret.

ht. Corin. 15. 10.

Ita Guilhelmus.

Vide Marti. Del. Rup.

§ III.

VT autem appareat, quàm sit iustus Deus noster; & quòd nullam culpam etiam leuem relinquat impunitam; & quòd hæc resistentia & mora in obediendo sibi displiceat si nimia sit, etiam cum speciem præfert maioris boni: addit statim sponsa, quòd cùm illa pessulum aperuisset dilecto suo, *ille declinauerat atque transierat*: quia subtraxit ei sensibiles consolationes ac delicias, quibus eam solebat emollire; vt ex hac pœna & culpam suam cognosceret, & cautior redderetur, ne in posterum auderet resistere. Vt ex hoc, qui valde sunt addicti contemplationi, & quieti suæ, timeant, cùm hanc ob causam Diuinæ vocationi resistunt. Si enim in hac sua repugnantia persistant, amittent bonum, quod habent, & cuius iacturam timebant, si exirent ad agendum cum alijs, eam facient eò quòd non obediant: non enim angulus & solitudo corporalis est, quæ delectationem & feruorem in oratione adfert; sed prouidentia & liberalitas Dei: qui etiam in angulo feruorem negabit, cùm ex propria voluntate in eo quis velit hærere; dabit verò illum exeunti in publicum, vt pareat Diuinæ. Et hic nouus quidam est titulus, eos obligans ad audiendam Diuinam vocationem; vt conseruetur & augeatur bonum, quod acceperunt. Meritò enim sibi debent persuadere, omnes fauores & consolationes à Deo sibi communicatas, dirigi ad ipsos magis disponendos, ac perficiendos, vt possint tutò a *alios iuuare*. Cui decreto si se opponant: indignos se reddunt, quibus dona priùs data conseruentur. Id confirmat S. Gregorius, dicens de huiusmodi: Qui culmen regiminum vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro alijs, acceperunt; cumq; sua & non aliorum lucra cogitant, ipsi se, quæ priuata habere appetunt, bonis priuant. Quod etiam confirmat ac declarat ex consuetudine Legis Antiquæ: quæ habebat, vt si frater vnus absque liberis moreretur, alter defuncti vxorem acciperet, & suscitaret semen fratris sui. Quod si facere recusaret: vidua illa b *spueret in faciem illius* publicè, *tolleretque calceamentum de pede eius, dicens sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui*: & in posterum *vocabitur domus discalceati*. Is (ait) per excellentiam frater vocatur, qui post resurrectionem suam c *Apostolos* suos ac discipulos *fratres* vocauit: & mortuus est sine liberis in eo sensu, quòd non impleuit numerum electorum. Ac propterea post eius mortem Ecclesia mansit quasi vidua; iubetque fratrem superstitem eam ducere, cùm ipse inspirat, & committit munus Prælati, & gubernationis animarum habenti talenta ad illud obeundum: vt resuscitet nomen & familiam Christi, genrando filios in Esse gratiæ, qui promoueant fidem & Religionem Christianam. Quod si ex ignauia, aut priuatis commodis id facere recusat: spuitur in faciem eius. Ecclesia enim Christi sponsa eum

contemnit,

a 2. Corint. 1. 4. 1. P. Pastor. c. 5.

b Deu. 25. 5.

c Matt. 28. 10.

contemnit, eiusque dona parui facit: siquidem expressa dat indicia exigui sui amoris erga fratrem suum natu maiorem, & æterni Patris primogenitum. Et statim accipit calceamentum vnius pedis: qui enim priùs signa dabat, quòd vtrumque pedem calceis indutum haberet, duos, scilicet, affectus amoris Dei & proximi, de quibus Apostolus dixit d *calceate pedes in præparatione Euangelij pacis.* Hac sua resistentia amittit cum pudore calceamẽtum vnius pedis: quia deficit in amore proximi, factus reus tot animarum, quot iuuare potuisset, si officium acceptasset, quod ei committebatur. Hæc omnia summatim S. Gregorius. Possuntque amplius confirmari moralisensu eius, quod refert historia Ruth. Quæ (vt supra dictum fuit) cum esset Moabitis, mortuo viro, qui fuerat filius Elimelech, nulla prole relicta, mansit vidua: cumque proximus cognatus inuitaretur, vt eam duceret, ac defuncti hæreditatem acciperet: ille e *cessit iuri propinquitatis, dicens se nolle posteritatem familiæ sua delere*, vt alienam suscitaret: in cuius rei signum soluit calceamentum suum, & dedit Booz viro prædiuiti ac potenti, qui voluit illam ducere, vt legi satisfaceret; & gratiam hanc defuncto, eiusque viduæ alienigenæ præstaret. Hunc in modum cum Christus Dominus noster, eiusque Apostoli ac discipuli per Elimelech, eiusque filios significati (vt primo Tomo dictum est) Ecclesiam plantassent in gentilitate, per Ruth significata, mortui essent absque filiis, qui necessarij erant ad familiæ suæ nomen conseruandum; necesse fuit, viros aliquos Apostolicos desponsare sibi Ecclesiam, & succedere in officium, quod illi in ea gesserunt; vt ita per mundum vniuersum dilataretur. Quam ob causam ipse Dominus noster sensim inspirat, & vocat eos, qui talenta ac dotes ad illud obeundum habent. Quorum tamẽ aliqui sunt sicut proximus ille cognatus Elimelech, qui hæc sponsalia refugiunt, ne suæ domûs commoditate frustrentur; suæque conscientiæ quietem amittant, si curis aliorum se implicent; existimantes sufficere sibi proprias, ideoque renuntiant hæreditati & præmio, quod illis ex hoc coniugio proueniret: ne laborem subeant, seque periculo exponant. Non tamen deerit Deo feruens aliquis & fortis animo, qui locum segnis & pauidi, aut pusillanimis occupet: prospicietque de aliquo Booz, quod significat fortitudinem, virum diuitem virtutibus, verbisque & operibus potentem, qui coniugium hoc accepter, & alterius calceamentum accipiat: quod feruenti quodam amore zeloque animas iuuandi induat, comparans sibi cælestem hæreditatem; magnamque gloriam filijs, quos gignit, ad suscitandum nomen & familiam fratris sui natu maximi, qui est Christus: cuius exemplum debet nos etiam ad id permouere.

Nam, si huius historiæ spiritum altiùs repetamus, deprehendemus primum Adamum mortuum esse absque filiis in statu Innocen-

d Ephes. 6. 15.

Tom. 2 Tr. 5. c. 3 §. 1. Ruth 4. 6.

Tract. 1. c. 4. §. 1.

tiæ: nam statim atque peccauit, mortuus fuit in anima; & ita statum innocentiæ corrupit: vt quamuis plurimos filios haberet secundùm naturam, omnes tamen mortui nascerentur in Esse gratiæ: & natura ipsa humana vidua erat & impotens ad tales filios procreandos, nisi ex ipso cœlo remedium descendisset. Ad quod præstandum ipsemet filius Dei vioi decreuit fieri homo, & frater noster secundùm naturam: vt ipse tanquam secundus Adam cœlestis suscitaret familiam Adami terreni. Et quamuis ipsum præcessissent multi Patriarchæ, & prophetæ cum lege in tabulis scripta, quam ipse eis dederat, vt animarum salutem promoueret: omnes tamen potuerunt parum; nec ipsa lex ad id sufficiebat. In cuius testimonium (vt ait Origenes) cùm Deus apparuit Moysi in rubo, iussit f *soluere calceamentum de pedibus suis*; quo voluit significare, futurum tempus, in quo appareret ipsum non esse satis sufficientem, vt esset Sponsus & gubernator Ecclesiæ; sed eam relinqueret ipsi Domino, qui in rubo loquebatur, quando postea fieret pro nobis homo mortalis, qui illam sibi desponsaret, filiosque procrearet viuentes in Esse gratiæ; & qui Legem esset constituturus cum Sacramentis, & Sacrificijs, virtutis adeò efficacis, vt per eis eius successores possent similes filios gignere, suamque Ecclesiam per vniuersum orbem dilatare, & ciuitatem cœlestem copiosiùs condere. Hic verus est Booz fortitudo Patris æterni, homo ditissimus, & potentissimus in verbo & in opere. Qui non est dedignatus ducere viduam Ruth, prius idololatram ac gentilem: vt Ecclesiam suam educeret ex gentilitate. Quamuis coniugium illud adeò illi carò stetit, vt grauissimis toleratis cruciatibus in cruce expirauerit, ad ipsum matrimonium consummandum, vt ex hoc intelligant discipuli supremi huius Booz, quanta promptitudine & affectu debeant seipsos offerre, ad ipsum imitandum; & progredi in opere ab ipso inchoato; etiamsi multi sint labores subeundi, & commoditates deserendæ. Propterea enim dixit Apostolus (vt perpendit S. Gregorius): g *si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus: vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & surrexit.* quasi dixerit: cùm Christus mortuus sit, vt te mortuum suscitaret: æquum est, ne, postquam surrexisti, tibi soli viuere velis; sed ipsi Domino, qui pro te mortuus est: vt iuues ad resuscitandos alios filios mortuos, maximæ tuæ felicitati tribuens, quòd velit opera tua vti, & quasi instrumentum adhibere vt in cœptis progrediatur. DENIQVE quemadmodum Booz non cœpit ex propria voluntate nuptias illas, sed id petente ipsa Ruth ex directione Noemi, quæ illam instruxit: postquam tamen obtulit se ad acceptandum matrimonium, explanauit omnes difficultates occurrentes, vt quod promiserat, implere. Ita qui boni Prælati & Euangelici ministri esse volunt, non debent in his nuptijs Spiritua-

f *Exodi.3.5 Hom.in eũ locum.*

g *2. Corin.5. 14. Supra.*

Spiritualibus progredi, sicut qui agunt de carnalibus, in quibus, vt plurimum vir petit vxorem, non vxor virum. Hic verò contra iustus non debet petere, aut vrgere Ecclesiam, vt se Prælatum constituat: id enim præsefert aliquam ambitionem, aut cupiditatem, sed Ecclesia particularis ex consilio supremi sui capitis petere debet & vrgere, vt Prælatus sibi esse velit. Et similiter non debet ambitiosè alia officia quærere; sed necessitas proximorum impellere ipsum debet, vt ea oblata admittat. Cùm autem ea admittit ob causas prædictas, expedit omnes difficultates vincere, & impedimenta remouere, vt officium suum quietè ac tranquillè obire possit, & cum vtilitate, & præstantia, quam optat.

CAPVT VII.

ZELVS IVVANDI SALVTEM ANIMARVM, eius excellentia, & fauores Dei erga Zelosos.

QVM ZELVS SALVTIS ET PERFECTIONIS PROXIMORVM (cuius actus & effectus Tomo secundo retulimus) sit primus effectus, & signum Diuinæ vocationis ad eos iuuandos: operæpretium erit ab eo nunc inchoare: cùm ille meritò debeat in omnibus Prælatis, & operarijs Euangelicis singulariter eminere: vt officia & ministeria sua exactè faciant, vt oportet: gubernandi scilicet, docendi, prædicandi, & confessiones audiendi; & reliqua opera præstandi, quæ cũ ipsis sunt coniuncta: conando, vt zelus hic valde sit purus, ob duos præcipuè titulos. Alter est, vt gloriam Dei propugnet, præueniendo eius iniurias; & operam dando, vt peccatores conuertantur, ipsumque glorificent, & vt par est, ei seruiant: & ita omnes sese impendant in eius laudes, obedientiam & obsequia: eò quòd dignissimus sit cui Creaturæ hæc cõtinuè præstẽt. Alter titulus est, propter bonum ipsorum proximorum, vt à tanto malo, quantum est peccatum, & infernus, liberentur; obtineant verò finem, in quem fuerunt creati: fruitionem scilicet Dei in cœlo. Primus titulus oritur ex primo Charitatis actu, amore scilicet Dei; secundus ex amore proximi: & vterque debent ipsos in se transformare, iuxta illud quod de Saluatore dicitur: a *zelus domus tuæ comedit me*: ita vt non solùm feruens operarius comedat, & ad sua interiora transmittat zelum, eiusque omnia opera; sed ipse zelus eum comedat, omnesque eius potentias: sicut ignis deuorat, & in se transformat materiam ad quam accedit: vt quicquid loquetur, & faciet, hoc zelo tegatur, & hoc igne inflammetur. Hic consumere debet omnes carnis &

Tract. 4. c. 6.

a *Ioan. 2. 17. Psal. 68. 10.*

sanguinis conatus; omniaque desideria, & affectus terrenos; & omnes rei mundi, fortunæ bona, honorem ac delicias, quæ impedire possunt exactam officij sui executionem. Nam (vt ait S. Gregor.) mens exterioribus

Lib. 8. Mor. c. 26. concupiscentijs occupata, igne Diuini amoris non calet; & idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur: neque enim res, quæ in se ipsa non arserit, aliud accendit. Necesse itaque est te ardere igne amoris, & zeli; vt facias alios ardere. Et nisi concupiscentias mortifices, non ardebis igne Charitatis; tuaque verba ita frigida prodibunt vt audientium corda æquè frigida maneant atque antea erant.

§. I.

1 NEQVE existimare debes hunc zelum, eò quòd tendat in bonum proximorum, non esse tibi ipsi vtilissimum. Quemadmodum enim Rex preciosis escis indulget nutrici filij sui, etiamsi illa per se talibus dignanon sit: ita Rex cœlestis duplicatâ & suauem Spiritualem portionem dare solet, cum magna illustrationum, & consolationum internarum abundantia ijs, qui occupantur, & sese impendunt in filiorum eius nutritionem, & auxilium animarum. Ac propterea dixit Apostolus

2. Cor. 8. 6. 2 *siue consolamur, siue exhortamur à Deo, vtrumque fit pro vestra consolatione & salute.* Et quoniam Deus Dominus noster liberalis est in liberales; ideo larga manu dona sua effundit in eos, qui liberaliter animas iuuant. Hoc inquit S. Gregorius, voluisse Spiritum Sanctum, cum dixit

3. P. Pastor. Admoni. 26 b Prouer. 11. 25. b *anima quæ benedicit, impinguabitur tenera deuotione: & qui inebriat igne charitatis, eadē ipse quoq; inebriabitur:* c *introducet enim Deus eum in cellam vinariam*, vbi ita copiosè preciosa Charitatis vina ei propinabit, vt cum alijs etiam ea diuidere possit. Hinc etiam implet Saluator, quod promisit, cum

c Cantic. 2. 4 3 q Matt. 5. 7. dixit: d *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quod si exhibentes opera misericordiæ Corporalia tantam à Deo obtinent misericordiam, vt centuplum ab eo recipiant; eorumque necessitates reparet, sicut illi reparant alienas: quantò maiorem consequentur exercentes opera misericordiæ Spiritualia; quæ eò sunt præstantiora, quò anima est

Lib. 7. Mor. c. 6. corpore præstantior? Et ita idem S. Gregorius dixit: quod compati Spiritualibus proximorum debilitatibus, sit medium aptum ad propriarum reparationem; & curare alios esse motiuum Deo, vt ille nos curet. Et sæpe qui sibi tantùm attendit, non potest passionem aliquam superare; quam tamen postea vincit, cum alijs attendit. Et qui priùs non inueniebat aditum ad contemplationem: postea eleuatur ad eam. Vult enim Deus hac erga ipsum vti misericordia propter eam, quam ipse alijs exhibet. Sed

q ui

quid mirum, quod Deus tot dona det offerenti ipſi Sacrificium & oblationem, quam maximi facit? Nullum enim eſt Sacrificium, ait idem Sanctus, ita Deo acceptum, atque eſt zelus animarum; & quo paſſu ille creſcit, creſcit & amor Dei ac proximi, ex quo zelus procedit. Qui autem donum adeò inſigne à Deo accepit: quid mirum ſi alia minora à Deo accipiat? Quantum autem donum hoc ſit, exprimit Richardus de Sancto Victore his verbis: Neſcio ſi poteſt homo aliquid à Deo in hâc vita maius accipere, ignoro an poſſit hac gratia interim maiorem aliquam Deus homini conferre, quàm vt eius miniſterio peruerſi, homines in melius mutentur, vt de filiis diaboli filii Dei efficiantur. An fortè cuiquam maius videbitur eſſe, mortuos ſuſcitare? Ergone maius erit ſuſcitare carnem, iterum morituram, quàm animam in æternum victuram? Ergone maius erit, carnem reuocare ad gaudia mundi, quàm animæ reſtituere gaudia cœli? Ergone maius erit reſtituere carni bona tranſeuntia, iterum peritura; quàm animæ reddere bona æterna in æternum manſura? O qualis dos, quanta dignitas talem gratiam à Deo accipere! non debuit Dei Spõſa à Sponſo ſuo dotem aliam accipere; non decuit cœleſtem Sponſum, Sponſæ ſuæ dotem aliam donare: quàm vt per adoptionis gratiam poſſit multos Deo filios gignere, & de filiis iræ, filiisque gehennæ, regni cœleſtis hæredes adſcribere.

4

Homil. 12. in Ezech. prope finem.

Et quoniam omne precioſum eſt rarum; inueniemus multos in variis virtutibus eminentes, Spiritu pauperes, ſpe gaudentes, charitate feruentes, multùm abſtinentes, admodum patientes: ad zelum tamen animatum nimis repidos, multumque torpentes, mille excuſationes adinuenientes, & rationes ad ſuam ignauiam tegendam. Hæc omnia Richardus. Nec poteſt negari zelum hunc eſſe gemmam precioſiſſimam, & ſingulare Dei donum, quod ordinariè non datur imperfectis; eò quòd tantopere indigeant zelo, proprii profectus cauſa; vt non attendant ad zelum profectus alieni. Datur tamen perfectis, talentum ad id habentibus: vt zelus eos impellat ad ſua talenta negotiationi exponenda. Eſt etiam tanta huius doni æſtimatio, vt ſufficiat ad illud habentes conſolandos in huius vitæ exilio; in quo Dominum non vident, quem ita diligunt, vt dicant cum Sponſa: e *vulnerata charitate ego ſum.* Quorum vulnerum, ait S. Gregorius, ſolatium eſſe, lucrari interim aliquot animas ſua prædicatione; vt tardè eum cum multis videat, quem ſola citiùs videre volebat: & hoc eſt quod ipſa Sponſa dicebat: f *ſuſcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* nam in hac infirmitate orta ex amore ac deſiderio videndi meum dilectum, non aliud habeo ſolatium, quàm quòd me videam ſtipatam animabus incipientibus, & aliis benè proficientibus; quæ verbo & exemplo meo deſeruiunt.

6

e *Cant. 2. 5 Homil. 15. in Z. lib.*

f *Cant. 2. 5*

De-

Matt. 5.

Denique in hoc zelo simul conueniunt octo beatitudines, quas Christus Dominus noster prædicauit, suisque discipulis commendauit; & in eis, omnibus etiam operariis Euangelicis. Quarum Beatitudinum tres disponunt ad perfectum zelum; ceterę quinque sunt earum actus & effectus quæ intense ideò inter se ruuntur, quòd alij alios iuuent. Nam *paupertas spiritus* disponit mortificando cupiditatem bonorum temporalium, & inanem superbię & ambitionis tumorem, qui lędit puritatem zeli: *Mansuetudo* mortificat iras, & asperitates, quæ ipsius actus maculant: *Cordis mundi* libertatem tribuit spiritus, ad docendum, & agendum de aliis mundandis. Cum quibus dispositionibus aptè conueniunt quinque heroici actus zelantium. Quorũ *primus* est *lugere* cum amaritudine cordis ob peccata huius mundi: tam quòd sint Dei iniuriæ, quàm quòd plurimum noceant proximis: in quo luctu & lachrymis perseuerant zelantes, donec Deus solatium aliquod eis mittat: Filii enim spiritus, filii sunt lachrymarum, doloris & pœnæ. *Secundus* actus est *esurire & sitire* semper, & amplius iustitiam: desiderant enim zelantes omnes homines huius mundi esse iustos, & amplius iustificari, adhibitis omnibus possibilibus mediis ad obtinendam aliquam saturitatem ex conuersione aliquorum peccatorum. *Tertius* actus est magna commiseratione & *misericordia* moueri miseriarum spiritualium proximorum, optantes seipsos eis onerari, vt eas optimo, quo possint, modo reparent. *Quartus* actus est esse *Pacificos*, hoc est, qui pacem faciant & reconcilient animas cum suo Creatore per pœnitentiam; & curando, vt etiam in seipsis pacem habeant per mortificationem suarum passionum; & similiter mutuam inter se pacem colant per voluntatum conformitatem. Et hic proprius est finis ministeriorum feruentium Prædicatorum, Confessariorum, Prælatorum, & Pastorum spiritualium. Quorum laudes refert Ecclesiasticus eos appellans g *homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, Pacificantes in domibus suis* omnes suæ curę commissos. Sed quoniam in his actibus multæ sunt difficultates, *quintus* zeli actus est, magnam habere constantiam & firmitatem in *Persecutionibus* contra se insurgentes, eò quòd iustitiam tueantur: nec propterea, quod officium eorum postulat, intermittentes. Quòd si zelantes in his octo virtutibus emineant: certum est, Deum seruatorum cum illis, quod promisit, faciens eos participes præmiorum, vt beati sint in hac, & in futura vita.

g Eccle. 44.

§ II.

Tom. 2. Tra. 4. c. 6.

EX His deducere licet, quàm singularibus fauoribus prosequatur Dominus noster viros feruentes ac zelosos; tam remunerãdo eorum labores, quos in suis ministeriis subeunt; quàm magnum animum eis addendo ad felicem executionem ac progressum: semper enim experti sunt dilectissimæ ipsius prouidentiæ studium & propensionem vt

alibi exemplis clarissimorum quorundam virorum ostendimus, quos Mathatias peter Machabæorum filiis suis retulit. Nunc autem id confirmabimus solo exemplo feruentissimi zeli, qui præluxit in Elia Prophera, de quo ait Ecclesiasticus a *surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi faicula ardebat*: tanta erat eius efficacitas in omnibus quæ agebat. Cui Dominus noster quinque singulares exhibuit fauores, quasi in præmium suizeli. *Primus* fauor fuit, quod eum fecerit valde potentem in oratione, quares adeò prodigiosas impetrabat, vt S. Iacobus Apostolus eum tanquam exemplar orationis efficacis nobis ob oculos posuerit, dicens: b *Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terram: & non pluit annos tres & menses sex.* Et rursum *orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.* Tantum verò fauorem ac zelum in dicendo ostendit Elias, vt quasi esset ipse Dominus cælorum & pluuiarum, solenni quodam iuramento vsus fuerit, dicens: c *viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Et iterum inijt pactum cum Sacerdotibus Baal, vt omnes orarent, quisque ad Deum suum; & d *Deus, qui exaudiret per ignem, ille esset Deus*, ac proinde vt talis adoraretur. Cumque ipse Deum verum oraret, *cecidit ignis super sacrificium, & vorauit holocaustum &c.* Et iterum e *orans Deum, vt pueri defuncti anima reuerteretur in viscera eius*, & resurgeret, *Dominus exaudiuit vocem Eliæ, & puer reuixit.* Si enim zelantes viri semper attendunt & vigilant, vt honorem Dei tueantur: æquum est, vt Deus eorum etiam honori consulat, exaudiendo ipsorum orationes: præcipuè cum eodem zelo orant, petentes quod in ipsius Domini gloriam cedit. Secvndvs fauor & gratia fuit, quòd Angelus eum deduxerit ad montem Dei Horeb, vbi ipsemet Dominus ei apparuit, præmisso f *sibilo auræ tenuis*: & interrogatus ab eo: *quid hic agis Elia? ille respondit*: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* Cui Dominum magna statim arcana reuelasse circa suæ plebis gubernationem insinuat Ecclesiasticus, (c. 48 7.) dicens de eo: *qui audis in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defensionis*, vt, qui verè sunt zelantes, intelligant se non facturos iacturâ contemplationis propter zelum, quo Dei causam & proximorum salutem promouent. Nam potiùs deducet eos ad montis culmé, in quo Spiritûs Sancti audiant inspirationes, & familiariter cum ipso Domino agant: à quo instruantur de ijs, quæ ad ipsorum officium pertinent. Imò etiam eis conceditur, sicut h *Eliæ ascendere ad montem Thabor, & Christo transfigurato* assistere, & cum eo colloqui de *excessu*, quem zelus facit in gratiam & bonum proximi.

Tertivs fauor fuit, quòd eum elegerit Deus ob insignem eius zelum ad opera, & cœpta adeo glorioſa, vt Ecclesiasticus dixerit: i *sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi?*

a Ecc. 48. 1.

b Iacob. 5. 17.

c. 3. Reg. 17. 1.

dc. 18. 24. 38.

e c. 17. 21.

fc. 19 12.

h Matt. 7. 13.

i Eccl. 48. 4.

Etsi enim Moyses tot fecit stupenda : nunquam tamen mortuum aliquem suscitauit : Elias autem fuit primus, qui hoc fecit prodigium. Elegit etiam eum Deus, vt opponeret se Regi Achab; & vt eius Sacerdotes idololatras perderet; vt nouos Reges nominaret, & Prophetas. Ac demum igneo curru sublatus est in paradisum, vbi custoditur, vt in mundi fine, zelo suo aciem contra Antichristum ostendat, propugnans honorem ipsius Dei & iuuans ac promouens salutem electorum. Quæ omnia sunt indicia fauoris Dei erga zelantes: quorũ operâ vtitur in rebus maximis, quemadmodũ est vsus Moyse, Sanctis Petro & Paulo, alijsque Noui Testamenti viris Sanctissimis : eò quòd zelus eos redderet valde strenuos, & expeditos, vt aptissimi essent ad grandia quæque aggredienda. Ne autem cura rerum temporalium ipsos occupet, quantum fauorem Deus exhibuit Eliæ, prospiciendo ei singulari suâ prouidentiâ in omnibus eius necessitatibus & periculis occurentibus : nam cùm fames totam terram vexaret, k *præcepit Deus coruis, vt ipsum pascerent*, ita vt quotidie *deferrent ei panem & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi.* Et postea iussit ire in *Sarepta Sidoniorum, vbi præcepit mulieri viduæ vt ipsum pasceret.* quod fecit vidua multiplicatis per miraculum, oleo & farina, quibus sustentaretur ipse Elias & vidua, eiusque filius toto tempore, quo fames durauit. Et in alia necessitate constituto Angelus Domini dedit ei bis panem & aquam, quo sumpto cibo, recepit vires, & l *ambulauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus* absque alio cibo *vsque ad montem Dei Horeb.* Ac denique eruit eum ab omnibus persecutionibus Regis Achab, & impiæ Iezabel : donec eum curru igneo sublatum in tuto collocauit. Qui tanto zelo honorem Dei, Regnique & iustitiæ eius incrementum quærit, dignus est, cui adijciantur hæc temporalia, quibus opus habet ad vitam sustentandam, seque in operibus sui status occupandum. Quoniam autem zelantes grauiter ferunt, ac dolent, cum ex hac vita decedentes vident, se deesse auxilio animarum: *quintam* etiam gratiam & fauorem exhibuit Deus Eliæ, quem Ecclesiasticus extollit dicens: *Qui Prophetas facis successores post te:* elegit enim Elisæum in successorem suum, relinquens ei pallium suum, & spiritum duplicem. m *Beati*, inquit, *sunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt. Nam nos vita viuimus tantùm : post mortem autem non erit tale nomen nostrum:* quia non relinquimus alios, qui nostri memoriam suo labore & zelo promoueant. Eundem fauorem exhibuit Deus Apostolis, & Sacrarum Religionum Fundatoribus : qui zelo Diuini obsequij inflammati non satis habuerunt, quòd ipsi probi essent, & alij vtcunque, sed instituerunt Religiones perpetuas, relinquentes in eis Successores eiusdem Habitus, & Professionis : qui opus ipsorum promouerent, zelumque continuarent, quem ipsi ostendissent. Quapropter etsi mortui fuerint, & in cœlum translati, zelus

4

k. 3. Reg. 16. 4. 6.

l 3 Reg. 19. 6.

5

m Eccl. 4. 11.

tamen

tamen illorum non desijt: n *mortui sunt* enim, sed *quasi non morerētur: similes enim reliquerunt sibi post se.* His addamus *vltimum* fauorem singularis pignoris & cautionis, quam zelantes habent æternæ suæ salutis. Qui enim desiderat, tantoque studio contendit, vt alij saluentur, tantumque zelum & studium eius rei præbet: dignus est, quem Deus iuuet vt & ipse saluetur. Nam o *si quis* (ait S. Iacobus Apostolus) couerterit peccatorem, saluabit animam eius, & suam, conuersi scilicet & conuertentis.

n Eccl. 30. 4.

o. Iacob. 5. 20. vtraq; lect. habetur in variis Cod.

Haec omnia facilè explicat insignis illa Patris Machabæorum sententia p *Elias, dum zelat zelum legis receptus est in cœlum.* Qui enim magnum zelum habet obseruantiæ legis Dei, vt omnes illam custodiant: recipietur in cœlo: quò priùs peruenit Spiritu per contemplationem, quia eius q *conuersatio est*, sicut ait Apostolus, *in cœlis*; & suo tempore etiam anima peruenier ad cœlum empyreum: vbi laborum suorum fructu æternùm fruatur. Nec caret Mysterio, quòd currus & equi, quibus Elias subuectus est, essent ignei: & cum Elisæus eum ascendentem videret, eum appellauit, *currum Israel*: vt intelligamus Spiritum feruentis & zelosi totum esse igneum; & ipsos equos, cogitationes scilicet & affectus omnes esse igneos: hi enim ipsum eleuant in altum, & transferunt in paradisum.

p. 1. Mach. 1. 58.

q. Phil. 3. 20.

Denique quemadmodum mercenarius laborans, & colens vineam alienam, multum proficit: quia & cibum, & mercedem labori suo debitam acquirit: ita (ait S. Gregorius) qui laborat in cultu animarum aliorum, lucratur mercedem æternæ vitæ in magna copia: & per hoc, inquit, peruenimus ad propria: quòd purè ministramus aliena.

lib. Moral. c. 13.

CAPVT VIII.

SINGVLARI CORONA ORNANTVR ADIVTORES animarum ob ingentes suos labores; & quibus medijs hic zelus obtineatur.

ADHVC superest nobis aliquid explicandum de præmio, quod tribuitur bene obeuntibus hæc ministeria: quemadmodum ipse Christus Dominus noster insinuauit, cùm dixit suis discipulis: a *qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Nam vt quis ad regnum illud perueniat, satis est si faciat, quod Deus iubet: dicente eodem ipso Domino: b *si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Qui autem his non contentus, docet alios & inuitat vt seruent mandata, & sic saluentur; consequetur in cœlo magnitudinem quandam specialem, qua sit cæteris eminentior. Duplex enim ei corona dabitur: altera essentialis præmij, quod consistit in clara Dei visione, quo remunerantur bona opera, quæ fecit, & merita quæ habuit: & hæc vocatur *aurea*, quæ est magna corona; altera corona est quam Theologi *aureolam* vocant, paruam scilicet coronam quæ est speciale quoddam præmium, gaudium; & particularis honor ob labores in officio suo susceptos. hoc insinuauit Angelus, qui loquebatur Danieli: nam cùm ei dixisset: omnes homines resurrecturos, alios in opprobrium, alios in vitam æternam, adiecit: c *qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* In quibus verbis S. Hieronymus duplicem agnoscit sensum; alterum, quòd iusti docti docentes alios sanctitatem sint sicut cœli, iusti autem non docti sint sicut stellæ. Et quantum cœlum ipsum excedit stellas in magnitudine; tantum excedit Doctorum sanctitas sanctitatem ignorantium: hæc enim vsui tantùm est eam habenti; illa verò & habenti, & multis aliis prodest: ac proinde maior ei debetur gloria. vides inquit S. Hieron. quantum inter se distent iusta rusticitas, & docta iustitia; alij stellis, alij cœlo comparantur. Sãcta rusticitas, sibi tantùm prodest, & quantũ ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi; tantum nocet, si eam destruentibus non resistat. Alter tamen sensus est magis legitimus, & ab eodem Sancto approbatus: vt intelligantur hæc verba de singulari tantùm præmio, quod in cœlo reddetur doctis, docentibus alios viam iustitiæ. Non enim solùm resurgent sicut cæteri iusti ad vitam æternam possidendam; sed etiam vt in ipsa gloria splendeant, sicut cœlum stellis exornatum spendet in mundo ob singularem sanctitatem & laborem quem subierunt, ducentes vitam cœlestem, seleque exornantes splendentibus astris admirabilium scientiarum

a *Matt. 5. 19.*
b *Matt. 19. 17.*
R. The. in 4. d. 49 q. 5. a. 5. q. 1. & seq.
c *Dan. 12.*
Ibi Glossa interlin. & Lyranus. vide Pieri. lib. 15. in Daniel.
Epist. 103. ad Paul. & lib. aduer. vig.

arum, ac virtutum, influentes in alios doctrinam & sanctitatem. Aduertit tamen idem S. Hieronymus, non promitti hanc gloriam iis, qui quomodocunque sunt docti; sed iis doctis, vt multos doceant iustitiam: doctrina enim inclusa, quæ aliis non communicatur, non consequitur præmium illud speciale. Et propterea dixit Ecclesiasticus: d *sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* vtitur etiam Angelus verbo *docti*, quod significat eos, qui docti sunt vnctione Spiritus S. iuxta illud Isaiæ, quod e *filii* Ecclesiæ essēt futuri *docti* & f *docibiles Dei*: vt sic intelligatur, non satis esse doctrinam scientiarum, nec docere multos iustitiam: nisi præcedat vnctio Spiritus sancti, sanctificantis animam, eamque charitate ac deuotione replentis, quæ ipsi scientiæ dat vitam.

d Eccl. 41.

e Isai. 54. 13.
f Ioan. 6. 45.

Continet etiam mysterium verbum illud *multos*, quod denotat coronam illam non dari docenti vnum aut alterum, etiam pio affectu, sed obeunti officium docendi multos; & quantum in se est ad id addicto, & mancipato: quales sunt *Prælati*, qui vt plurimùm habent multos subditos; *Magistri*, qui multos habent discipulos; *Concionatores*, qui multis concionantur auditoribus; *Confessarii*, qui multis Pœnitentibus audiendis occupātur. Nec tanta ratio habenda est, quòd re ipsa multos aut paucos doceāt; quanta quòd ex officio addictus sit procurandæ multorū vtilitati, & saluti. *Denique* hæc corona, quæ etiā potest *laurea* siue *laureola* appellari, datur eis ob insignes, quas de hostibus referunt victorias: qui conantur ipsos ab animarum conuersione, & exacta officiorum suorum executione retardare. Quemadmodum enim duæ aliæ *laureolæ* assignantur Martyribus, & Virginibus, in præmium grauium certaminum, quæ sustinuerunt pugnantes & vincentes mundum eiusque Tyrannos, carnemque & eius tentationes: ita æquum est, vt specialis corona Doctoribus detur, ob certamina, quæ habent. Quæ) vt S. Thomas ait) certo quodam modo grauiora sunt, quàm Martyrum & Virginum: non enim pugnant contra carnem & sanguinem tantùm; sed contra potestates inuisibiles inferni; & contra Draconem septem capitum, eiusque feros ministros circa peccatorum conuersionem. Et necesse est ipsos esse paratos ad vitam suam hanc ob causam exponendam. Sæpè enim Reges, & principes, populique multitudo insurgunt aduersus dicentem eis veritatem, & reprehendentem vitia. Suntque innumeræ persecutiones, & calumniæ, quas hoc nomine in eos excitant. Cuius rei bonus testis est zelosus Elias, qui ob zelum suum semper passus est persecutionem ab impiis Rege Achab & Regina Iezabel, & Sacerdotibus Baal: & ipse populus Israel, cum eis aliquando coniurabat contra ipsum Eliam. Et quamuis Deus nunc illum teneat in paradiso voluptatum: quando tamen in fine mundi reuertetur ad prædicandum, eum per sequetur Antichristus, & crudeliter g *interficiet*. Sed re-

Supra.

g Apoc. 11. g. 11.

munerabit Deus feruentem eius zelum præmio extraordinario, *respicitans eum tertia die, & dicens ei, ascende huc*, ad cœlum scilicet Empyreum: non iam in curru igneo, nec solùm coram vno discipulo Elisæo; sed in nube splendida in conspectu totius mundi, vt ita zelosi animentur spe extraordinarios accipiendi fauores, si ipsorum labores & curæ erunt extraordinariæ.

Qvis præterea numerare poterit zelantium labores, ac difficultates in filiis spiritualibus generandis, enutriendis, protegendis, & ad culmen perfectionis dirigendis? Quis dicere poterit, quantis partus doloribus premantur non semel tantùm, sed sæpius? nam quoties illi per peccatum aliquod moriuntur, toties eos recentibus doloribus h *parturiunt*, (vt ait Apostolus, *donec formetur Christus in eis*. Et incõstantiæ ac mutationes, quæ in eis sæpè eueniunt, penetrant corda zelantium operariorum, dicentium, vtidem Apostolus: i *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Hi sunt clamores mysticæ illius mulieris, quam vidit S. Ioannes, quæ repræsentabat Ecclesiam, & k *clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret filium*: *Rufus* autem *Draco* horrendas in eam excitauit persecutiones: sed bene ait S. Ioannes, illam *mulierem habuisse in capite coronam stellarum duodecim*, qua Deus eius remunerabat labores. Quæ autem sunt duodecim illæ stellæ, nisi Apostolicorum virorum multitudo? de quibus caput ipsum Ecclesiæ, qui est Christus Dominus noster, ita gloriatur, vt ex iis coronam sibi conficiat, & accipiat honorem. Quos tamen adeò exaltat, vt tanquam magni splendoris coronam eos constituat in altissimo loco cœli Empyrei. Et hoc est, quod prædixit Zacharias: l *Sumes aurum, & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filii Iosedech Sacerdotis magni.*

Qvae autem sunt hæ coronæ, ait Rupertus, nisi Sancti clarissimi, in quibus splendet argentum Sapientiæ, & aurum Charitatis; & vtraque iuuant proximos. Quamobrem magnus noster Sacerdos Iesus eos ponit super caput suum, & gloriatur se tales habere Discipulos, & ministros. O igitur felices, qui pro bono animarum laborant; qui tot coronas promerentur! Quamuis maxima, quam habere possint, corona illa sit: quòd sint corona Iesu Christi. Quemadmodum enim boni m *Discipuli* (vt ait Apostolus) *sunt gaudium & corona Magistri*: ita boni operarij & Magistri, sunt gaudium & corona ipsius Christi. Qui gaudium hoc, quod illi adferunt, remunerat speciali etiam gaudio & coronâ, quam illis reddit pro singulari hoc seruitio.

Ex his licet aliam deducere excellentiam zeli, & magnum eius momentum. Illo enim alacritatem confert & fortitudinem ad omnes

h. *Gal.* 4. 19.

i. 2. *Corint.* 11. 29.

k. *Apoc.* 12. 2

l. *Zach.* 6. 11 *Ibidem.*

m. *Philip.* 4. 1.

labores

labores in conuersione & expugnatione animarum occurrentes, sustinendos. Qui non potuissent tolerari, nisi amor & zelus ad id vires contulissent: *fortis enim est, vt mors dilectio; dura sicut infernus æmulatio.* Nec vnquam defatigatur laborando, & sustinendo, vt suo dilecto placeat, & quidquid ad eius honorem pertinet, tueatur & perficiat. Et sola ipsa dilectio sufficit, vt leue reddat, quod alias esset graue; & vt quodcunque etiam periculum aggrediatur. Et ipse zelus est, de quo dixit Saluator, quòd cum circumspexisset, & non esset qui adiuuaret: o *indignatio*, inquit, *mea ipsa auxiliata est mihi*: indignatio scilicet & zelus, quem contra vitia & peccata habebat. Hic enim zelus effecit, vt p *acciperem flagellum, & omnes eiucerem è templo*, qui illud profanabant, iste mihi adfuit in Passione, vt vuam calcarem in torculari crucis, ingentes sustinens dolores pro salute hominum. Induant igitur ministri Euangelici hæc arma, & q *operiant se quasi pallio Zeli*, quo se protegant quasi thorace quodam non laneo, aut sericeo; sed cœlesti, & igneo: hoc est ardenti Sole, qui pallij instar Ecclesiam cooperiebat: quo muniti securè poterunt in certamen descendere: quia ipsemet Soliustitiæ adiuuat hoc zeli pallio indutos.

Cant. 8.6.

o *Isaiæ 63.5.*

p *Ioan 2.15*

q *Isa. 69.17.*

Septem Zeli Actus.

EX omnibus prædictis rebus deducenda sunt media ad cœlestem hunc zelum comparandum, cuius tot magnalia retulimus. Qui cùm sit dos, gemma, ac donum sponsi cœlestis, ab eo importunis ac feruentibus orationibus est petendus, supplices eum orantes, vt huius amoris ac zeli igne nos accendat; vt nos alios possimus inflammare. Vt autem oratio hæc maiori cum facilitate & fructu peragatur, conijciamus oculos in Dominicam Prædicationem, septemq; eius petitiones, quæ amplectuntur septem feruentes actus ac desideria ipsius zeli: quæ omnia petenda sunt à cœlesti nostro Patre, qui est in cœlis: vt nos veros eius filios ostendamus, zelantes omnia illa quæ ad ipsius spectant gloriam. Et quoniam in eis excellentissimi continentur thesauri bonorum, quæ obtinere desideramus, & abyssi profundissimæ malorum, quæ cupimus euadere: omnium horum consideratio erit medium valde efficax, ad accendendum & fouendum ipsum zelum: qui (vt alibi diximus) verè excitatur & accenditur exercitiis contemplationis, & meditationis. Et Quemadmodum omnes virtutes augentur actibus suis internis, exercendo tamen suo tempore etiam externos: ita zelus augbitur, si actus & affectibus in septem hisce petitionibus contenti, exerceantur.

In duce Spi Tract. 4. c. 20

1 PRIMVS actus est internum quoddam cordis desiderium, vt *Sanctificetur Dei nomen*, agnoscatur, adoretur, & glorificetur ab omnibus hominibus, & totius orbis nationibus cum magno etiam dolore, quòd in tot orbis partibus non agnoscatur, & blasphemetur. Ad hunc affectum concipiendum iuuerit considerare plures titulos & causas, quæ nos obligent ad ipsum sanctificandum, & optandum, vt ab omnibus sanctificetur; quia scilicet hic Dominus habet in seipso infinitam sanctitatem, & excellentiam: propter quam est infinitè dignus summo honore & laudibus; & qui innumera in nos contulit, & quotidie confert beneficia, quæ nos obligant ad ipsum sanctificandum & glorificandum tanquam nostrum creatorem, conseruatorem, Saluatorum & glorificatorem. Estque ex animo dolendum, quòd Deus adeò infinitus, & benefactor adeò immensus offendatur à suis creaturis. Cuius indignitatis *zelus* deberet *facere nos tabescere* sicut fecit Dauidem: *quia obliti sunt*, inquit, *verba tua inimici mei*. Psal. 118. 39.

2 SECVNDVS actus est feruentissimum aliud desiderium, quo optamus *aduenire ad nos regnum Dei*: hoc est, vt Deus in omnibus hominibus regnet per fidem, gratiam, & charitatem; & regnum Ecclesiæ dilatetur per vniuersum orbem, & omnes sint huius Domini subditi, & regni cœlestis hæredes: ita vt suo tempore eò perueniant, & fruantur beatitudine, ad quam fuerunt conditi. Cui affectui addendus est magnus dolor, eò quòd homines tam parui faciant regnum adeò immensum; velintque spoliare seipsum illud obtinendi, & fraudari fine vltimo in quo ipsorum felicitas est sita. Quem affectum adeo sentiebat Apostolus, vt diceret: *tristitiam sibi magnam* esse, & continuum dolorem cordi suo, eò quòd videret Israelitas perire: & *optabat, anathema esse à Christo* ad tempus *pro fratribus suis*. † Rom. 9. 2.

3 HINC tertius oritur actus, desiderium scilicet, vt omnes, qui in terra versantur *faciant voluntatem Dei* cum ea excellentia, & perfectione, qua fit *in cœlo*: eò quòd dignissima sit, quæ ita expleatur: tùm quòd suprema sit Regula omnis bonitatis & perfectionis; tùm quòd eidem tota vita nostra & spes nostra innitatur. Simul autem tenerè sentiendum, ac dolendum, quòd talis voluntas ab hominibus conculcetur, vt propriam exequantur, quæ omnium scelerum est fons, & causa, cur tam multi descendant in infernum. Hi tres affectus sunt valde proprij bonorum filiorum erga suos parentes: bonus enim filius, tanquam proprium reputare debet parentis honorem & voluntatem, & grauissimè ferre, quòd aliquis audeat ab ea recedere.

4 QVARTVS zeli actus est desiderium, vt omnes seriò studeant *sumere quotidianum Spiritus panem*, doctrinam scilicet Euangelicam, & Sacramenta, præcipuè verò Sanctissimam Eucharistiam, orationem & meditationem, & reliqua pietatis exercitia. Simul etiam grauiter dolendum, quòd ho-

mines

mines tanto tædio Sanctissimi huius panis afficiantur; contemnant cum tanta iniuria Domini, ipsos inuitantis; & cum tanto proprio detrimento, vt *tarescat cor eorum, eò quòd obliuiscantur comedere panem suum.* QVINTVS actus est, vehementer dolere de peccatis hominum, & obliuione, qua negligunt *veniam eorum* petere. & simul optare ex corde, vt Dominus noster hunc eis affectum inspiret, & auxilium præbeat ad veram pœnitentiam concipiendam; vt à tanto malo, quantum est peccatum mortale, liberentur. Huic actui sextus est adiunctus, quo magno feruore desideratur vt homines in pugna *tentationum*, quam habent cum Dæmone, mundo, & carne *non cadant. sed victores* euadant, seque præseruent à lapsibus, & culpis simul verò deflendum est, quod tot manus tradant, & tanquam mancipia subdant se Sathanæ, recedentes à Christo Duce suo: quòd nolint vel ad modicum hosti suo resistere. t *Psal.* 101. 5. 5 6

DENIQVE zelus optat, vt omnes *liberentur à malo* maximo, hoc est inferno; & tam bonam habeant mortem temporalem, vt euadant æternã: quæ vltima est, omnium miseriarum maxima. Eò quòd in inferno innumera & æterna culpæ & pœnæ mala simul inueniantur. Hi tres affectus sunt maximè proprij Charitatis fraternæ, quam nostris proximis exhibere debemus, vt liberos & expeditos videamus á miserijs adeo horrendis. Quamuis etiam in omnibus septem affectibus eluceat vterque titulus, delectionis Dei, proximi. E hoc spiritu instituendæ sunt hæ petitiones, vt eas Dominus nobis largiatur cum omni latitudine & perfectione. Eodem etiam Spiritu Euangelici operarij exercere debent sua ministeria gubernandi, prædicandi, Confessiones audiendi, & docendi: ea scilicet intentione & fine, vt omnes septem has gratias obtineãt. DENIQVE ex septem his zeli actibus simul cũ quinque initio positis, conficitur corona pulcherrimarũ duodecim stellarum: quibus Apostolici viri coronantur: quibus respondet in cœlo alia corona duodecim ingentium gaudiorum, ob feruorem, quo hos actus in hac Vita exercuerunt. 7

(·.·)

CAPVT IX.

ZELVS IVVANDI ANIMAS SIMVL HABERE debet zelum propriæ salutis ac perfectionis; & prudenter mortificandi excessus nimium zelantium.

AD HOC VT ZELVS SALVTIS ANIMARVM habeat prædictas omnes excellentias & perfectiones: necesse est, habere simul tanquam optimum comitem zelum propriæ salutis: in hac enim multò maiorem locum habent rationes & motiua, quæ ad zelum habendum impellunt. Qui enim detestatur ac deflet aliena peccata; multò magis debet detestari ac deflere propria; & qui grauiter fert iniurias, quas alij Deo inferunt; cupitq; eas auertere & impedire: multò grauius ferre debet quas ipsemet infert; & operam dare, vt ab eis abstineat. Quòd si ipse tristatur videns tot hominum damnationem: multò magis premere ipsũ debet periculum damnationis propriæ. Quare nullus debet ita laxare habenas zelo alios iuuandi: vt aliquo modo ipse detrimentum inde accipiat. Semper enim locum habet, & verissimũ est dictum Saluatoris: a *Quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quare omnes zelantes plurimum studere debent, vt excessus nimios contineant, in quos facile solet zeli feruor declinare; & meminisse sententiæ Sancti Bernardi dicẽtis: vehementi feruorem sine discretione, præcipitare; & zelum absque scientia esse intollerabilem: & quò ille est vehementior, eò magis opus habet discretione, qua inter suos limites contineatur. Et hoc voluit insinuare sponsa, cùm dixit, quòd cùm sponsus cælestis ipsam b *introduxisset in cellam vinariam*, statim *ordinasset in ipsa charitatem*: constituendo scilicet ordinem & modum in huius virtutis actibus, & præcipuè in zelo: qui cùm nimius est, inebriat, & hominem extra se esse facit; & causam præbet pernicioſorum excessuum: vt propterea opus habeat prudentia gubernante, & moderante ipsum, sicut reliquas virtutes dirigit, ac moderatur.

PRIMVM igitur documentũ esto prudentiæ: ne quis adeò sit zelosus, vt quòd sibi est necessarium ad obtinendam vel assecurandam suam salutem, sibi subtrahat, vt alijs tradat. Sed memor sit responsionis virginũ prudentum stultis datæ, cùm oleum peterent ad suas lampades fouendas. Dixerunt enim: c *ne fortè non sufficiat nobis & vobis: ite potius ad vendentes, & emite vobis*. Insinuarunt enim neminem, vt alios doceat, aut

oleum

a *Matth. 16. 26.*

Serm. 23 in 49. in Cãt.

b *Cant. 2. 4*

c *Matth. 25. 9.*

oleum communicet doctrinę & charitatis, debere gratiæ & charitatis, quam in se habet, iacturam facere; nec deuotionis substantialis nec humilitatis, aut patientiæ; nec alterius virtutis ad ipsius salutem necessariæ; nec peccatum aliquod contra eas admittere. Quare qui non videt in se facultatē ad id cauendum, melius faciet, si oleum ab ipso petentē remittat ad eos, quibus ex officio incumbit, & sufficientem habent facultatem; vt, quæ habent distribuant.

HANC prudentiam docet ipsamet Natura, quæ cibo, quem nutrices sumunt, prius ipsas alit; & ex residuo, quod supereſt in vberibus, conficit lac, quo infantes nutriant. Ita igitur, quibus ex officio incumbit tanquam d *nutricibus* (vt ait Apostolus) *fouere filios* Spirituales: ex omnibus Spiritualibus cibis quos sumunt debēt sibiipsis retinere, quantū ad ipsorū profectum & perfectionem sufficiat; &, absq; huius detrimento, reliquis communicare lac doctrinæ, & instructionis. Non debes esse (ait S. Bernardus) quasi canalis, aut aquæ ductus, qui omnem aquam ex fonte acceptam, statim effundit; sed sicut lacus, qui priùs aqua repletur, & quod supereſt effundit, nihil amittēs de sua plenitudine. propterea enim Salomon dixit: e *totum spiritum suum profert stultus: Sapiens differt, & reseruat in posterum*; & iterum: fili, noli te nimium effundere. Et Apostolus dixit: f *oportet obseruare nos ea quæ audiuimus ne fortè pereffluamus*, & eorum faciamus iacturam. Num tu sancto Paulo sanctior es, aut Salomone sapientior? Si tibi es nequam, cui eris bonus? Imitare primum fontem omnium bonorum Deum, & Christum Saluatorem nostrum, g *de cuius plenitudine nos omnes accipimus*: cum ipsi pleni semper remaneant: & disce etiam tu effundere postquam eris plenus; nec sis tu profusior in dando, quàm sit Deus, si plus des quàm oporteat. Si *corporalis eleemosyna* (vt ait Apostol.) *ita* moderatè *est tribuenda, vt tu non remaneas in egestatem*: multo magis id est intelligendum de eleemosyna Spirituali. Si vis misereri Spiritualium necessitatum aliorum: priùs (ait Ecclesiasticus) h *miserere animæ tuæ placens* Deo in omnibus quæ agis: *& congrega cor tuum in sanctitate eius*, hoc est congrega in corde tuo sanctitatē Dei, & virtutis: vt possis tutò eas in praxim adhibere. Sufficiat tibi, quod proximum ames sicut teipsum non verò illum diligas plus quàm te, perdendo animam tuam, vt illius lucreris. Charitas enim (ait S. Thomas) nunquam approbat talem amorem in bonis spiritūs; quamuis admittat eum in bonis corporis.

d *Thes.* 27. *Serm.* 18 *in Cantic.*

e *Prou.* 29. 11.

f *Heb.* 2. 1.

g *Ioan.* 1. 16.

1. *Cor.* 8. 13.

h *Eccl.* 30. 24

2. 2. *q.* 26. *a.* 4 *& so*

§ I.

EX prædictis intelligitur, prudentiā debere moderari occupationes, ad quas Zelus se extēdit, tot sibi assumēdo ad alios iuuādos, vt turbēt

& effundant ſpiritum, ſicut euenit S. Marthæ: cuius zelus hoſpitandi Chriſtum Dominum noſtrum adeò reddebat inquietam, vt ipſemet Chriſtus ei dixerit: a *Martha Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima.* Quamuis enim & opus quod præſtas, ſit bonũ; & zelus qui te impellit, ſit ex ſe præſtantiſsimus: nimia tamen ſollicitudo ac turbatio iſta mihi non placet, quia effundis ad multa, non reducens illa ad *vnum* illud *quod eſt neceſſarium*, ad exequendum ſcilicet in omnibus voluntatem meam. Eidem etiam ſpectat conſilium Eccleſiaſtici dicentis: b *Fili, ne in multis ſint actus tui.* hoc eſt ne multis rebus impliceris. multa autem vocantur, quæ vires excedunt, & nimia anxietate ac ſolicitudine arripiuntur. Illa enim ineptum hominem reddunt ad percipiendam ſapientiam Diuinam, quæ non obtinetur niſi, (vt ait idem Eccleſiaſticus) c *in tempore vacuitatis & qui minoratur actu ſapientiam percipiet.* Non debes ita ſoli tibi attendere, vt negligas eos qui ſunt tuæ curæ commiſsi; nec ita debes illis attendere, vt obliuiſcaris tuipſius: ſed ita medium tenere, vt exceſſum occupationis, & curarum mortificatione præſcindas. Hoc ait S. Gregorius ſignificaſſe, quòd Deus noſter iuberet antiquos Sacerdotes *caput ſuum non radere, neque comam nutrire, ſed tondentes attondere capita ſua.* Capilli, qui in capite naſcuntur, ſunt cogitationes & curæ eorum, qui ſunt Eccleſiæ capita, & quibus aliorum incumbit gubernatio. Quos non expedit omnino radere, quia eſſet in detrimentum officij ipſorum; neque tamen permittendi ſunt nimium excreſcere: quia onerarent & impedirent quietem, & aſpectum animæ: ſed quemadmodũ faciunt, qui tõdent, partes ſuperfluas abſcindũt relictis tamen neceſſarijs. Et quemadmodum capilli creſcunt inſenſibiliter, & neceſſe eſt certis temporibus eos abſcindere: ita ijs, qui nimium ſunt zelantes, non percipientibus excreſcunt nimiæ curæ & negotia cum proximis: vt opus ſit frequenter ſuperflua mortificare. Præterea magna illa videtur charitas, cùm zelus eouſq; progreditur; vt nulli ſe denegem: ſed tunc verè erit charitas magna, cum ſe ipſum non negauerit ſibi: magis enim debitores ſumus nobis ipſis, quàm aljs. Eugenio Papæ adeò abſtricto curæ totius Eccleſiæ gerendæ, hæc Sanctus Bernardus ſcripſit: Si totus vis eſſe omnium inſtar illius, qui e *omnibus omnia factus eſt.* laudo humanitatem: ſed ſi plena ſit. Quomodo autem plena, te excluſo? Nã & tu homo es. Ergo vt integra ſit, & plena humanitas: colligat & te intra ſe ſinus, qui omnes recipit. Alioquin, f *quid tibi prodeſt,* iuxta verbum Domini *ſi vniuerſos lucreris, te vnum perdens?* Sapientibus & inſipientibus debitores: & ſoli negas te tibi? omnes de fonte publico bibunt pectore tuo; & tu ſeorſum ſitiens ſtabis, g *Bibe aquam de ciſterna tua* (ait Salomon) *deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas ſolus, nec ſint alieni particeps tui:* Nunquid tu alienus? Cui non alienus, ſi tibi ex

a *Luc.* 10. 41

b *Eccl.* 11. 10.

c. 38. 25.

2. *P. Paſtor. cap.* 7.

d *Ezech.* 44. 20.

Lib. de Cõſiderat.

" e 1. *Cor.* 9. 21.

" *Matt.* 16. 26.

" g *Prou.* 5. "

h Deniq; qui sibi nequam, cui bonus? Accedit: quod feruor non tam in eo est, vt multa complectatur; quàm vt officium & ministerium exactè fiat. Quò si fuerit nimius, erit etiam implicatus, & intricatus, ac proinde minus vtilis. Ideoque S Gregorius ait: *Impar inuenitur ad singula, qui confusa mente diuiditur ad multa.* Et ipsummet opus (ait S. Bernardus) præcedere debet aliqua consideratio, quæ illud dirigat: qui autem ad multa sese effundit, non potest bene ea considerare. Denique ne sanitas frangatur, cuius defectu ministeria suspendantur aut cessent: necesse est ad tempus subtrahere sese occupationibus, & quietem aliquam assumere, quæ simul Spiritum leuet: eum in modum, quo Christus Dominus noster, cũ conuenirent ad ipsum Apostoli, & renuntiarent ei omnia, quæ egerant & docuerant, dixit eis: i *venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi & nec spatium manducandi habebant,* vt ex eo intelligeretur: non esse contra charitatem & zelum, subducere se interdum à ministerijs erga proximos: vt quies aliqua corpori & spiritui detur, præcipuè cum prolixa aliqua occupatio, & labor præcessit, vt postea videbimus. Et quemadmodum, qui aluearia castrant non accipiunt totum mel; sed partem relinquunt pro apum nutrimento, donec aliud conficiant; & opiliones, cùm oues mulgent, non totum lac auferunt, sed aliquid relinquunt, quod fugant agnelli: ita Christus D.N. non vult laborantes in iuuandis proximis, & filijs Spiritualibus educandis ita premi, & exhauriri, vt non eis supersit tantum lactis & mellis, quãtum ad suam sustentationem opus habent. Etiamsi Moyses alioqui valde esset sapiens: zelus tamen fecit eum in hac re impingere: cùm totius populi curam & gubernationem solus in se susceperit, ita vt totam diem absque vlla requie consumeret audiendis & iudicãdis omnium causis & negotijs. Quem cum Ietro socer eius videret ita grauiter occupari, fecit officium boni Consiliarij erga suũ generũ, dicens ei: k *Non bonam rem facis: stulto labore consumeris:* quia vltra vires tuas te oneras, & periculo exponis, totum onus à te abijciendi; aut ei succumbendo, vitam amittendi: Quare expedit prouidere viros, qui te subleuent. *Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat,* Cuius errorem permisit Deus, & veram emendationem, ad monendos valde zelantes. qui volentes omnia præstare, incidunt in nimiam anxitatem; & nec officium ita benè peragitur: neque est ita diuturnum. Quod si zelus est Dei, qualis fuit Moysis, fiet docilis ad amplectendũ consiliũ, quod in maiorem cedat eius vtilitatem. Hoc ipsum docuerunt etiam Apostoli, cùm crescente numero discipulorum statuerunt distribuere onus gubernationis, dantes septem viris siue Diaconis curam rerum temporalium: l *nos autem,* inquiunt, *orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Nec dixerunt se ministerio tantum verbi

h *Eccl.*14 5.

i *Pastor. c.4. Supra.*

i *Marc.*6,30

*Tract.5. cap.*14.

k *Exod.*10 18.

l *Act.*6.4.

inuigilaturos; sed etiam *orationi*. Qua sententia docuerunt: Euangelicos operarios non debere omnino occupari ministerijs erga proximos, sed partem aliquam temporis tribuere orationi, & familiaritati cum Deo quæ debet esse prima & præcipua eorum occupatio, nam propterea primo loco fuit posita.

Hinc prudentia sua deducit consilia ad vtriusque zeli actiones disponendas, applicans quotidie partem temporis sufficientem ad satisfaciendum vtrique. vt quemadmodum Christus Dominus noster in die laborabat cum proximis, nocte autem orabat in montibus: ita ipsi quasdam horas accipiant, vt sibi quotidie vacent; & alias, vt attendant proximis, succedentibus semper hic occupationibus alijs, quemadmodũ dies & noctes mutuò sibi succedunt, in labore, & quiete corporis. Et quemadmodum non debent tantùm temporis rebus proprijs tribuere, vt non superfit etiam tempus pro rebus aliorum, qui ipsorum curæ subsunt: ita non debent tantum tribuere curæ aliorum, vt propriam negligant: sunt magis obstricti. Ac propterea Apostolus dixit Episcopis: m *attendite vobis & vniuerso gregi*. Et Timotheo scripsit: n *attende tibi, & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & te ipsum saluũ facies, & eos qui te audiunt*, Iubet itaque primum attendere profectui proprio; & postea prædicationi & doctrinæ, & in vtroque esse feruentem, instantem, ac solicitum: tunc enim se & alios saluos facturum. quod si alteri parti deesset: nec seipsum saluaret, nec alijs sufficiens præberet auxilium vt saluarentur. Et hic esto *duplex Spiritus*, quem Elisæus petit ab Elia: vt illum imitaretur in omnibus, quæ faciebat in bonũ proprium & proximorũ. In signum autẽ, quòd Deus duplicẽ illum Spiritũ ipsi daret, reliquit ei pallium, quo ipse tegebatur: quod significabat zelum, de quo dixit Isaias: p *opertus est quasi pallio Zeli*: vbi enim hic est perfectus, adfert secum spiritum duplicem, qui & sibi & proximis consulit.

m *Act.* 20. 28.
n 1. *Timot.* 4. 16.
04. *Reg.* 2. 9
p *Isai.* 59. 17

§. II.

Aliis periculis non paruis expositus est zelus Euangelicorum operariorum, propter aliquos actus præbentes occasionem amittendæ charitatis, & vnionis fraternæ, veræq; humilitatis, & mansuetudinis Christianæ zelus enim Doctorum in disputationibus, & Prædicatorũ in reprehendendis vitijs, & Prælatorum in puniendis delictis solet facilè excedere limites rationis: ita vt incidat in peccata iræ, rancoris & vindictæ; in discordias, schismata, & tumultus; & in alias culpas & imperfectiones. Et ferè omnia hæc ministeria oppugnantur â ventis contrarijs nunc superbiæ, & inanis gloriæ, arrogantiæ & iactantiæ cùm prosperos habent

exitus;

exitus; nunc pusillanimitatis, tristitiæ, abiectionis animi, ac tædij: cum habent aduersos. ita vt vtriq; venti aliquas adferãt culpas: nisi prudẽtia mille oculos apertos habens, semper vigilet; & amor Dei ac zelus ei placendi, valde prædominetur amori & zelo boni proximi. Ne tamen lusti zelantes, & bonam habentes intentionem, propter has culpas nimium tristentur: operæ pretium est eos diligẽter attendere: huiusmodi culpas vt plurimum esse leues; neq; ex malitia, sed ex aliqua inaduertentia, aut humana imbecillitate euenire. Ac proinde ipsum zelũ, bonamq; intentionem, quam habent, ipsos apud Deum valde excusare: qui etiam facilè eas remittit. Nam (vt dixit Ezechias Rex) a *Dominus bonus propitiabitur cuncto, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum suorũ, & non imputabit eis quod minùs sanctificati sunt.* hoc est, non magnam reputabit culpam aut inciuilitatem, si minùs puri & Sancti erunt, quàm eorum Professio exigebat. Nouit enim ipse ex qua massa conditi, & conflati simus; & cõmiseretur imbecilitati nostrę. Et quamuis omnium pœnitentiam admittat, quomodocunque peccent: multo tamen facilius eam admittit in huiusmodi culpis. Quod etiam perpendit S. Gregorius dicens: *apud misericordem iudicem nequaquam sine venia relinquitur, cùm per feruorem Zeli ex eius amore peccatur:* si tamen peccatum suum qui peccauit agnoscat, & culpam deprecetur. In cuius figurã, ait, iubebat Deus, vt b *si quis simpliciter cum proximo in syluam abiret ad ligna cedenda, & in succisione lignorum securim fugeret ex manu, & amicum percusserit & occiderit. is ad vnam designatarum ciuitatum confugeret*, vbi securus viueret *ne forsitan proximus eius, cuius effusus esset sanguis, dolore stimulatus eum persequeretur, & percuteret animã eius, qui non esset reus mortis:* ita etiam, qui falce correctionis & reprehensionis aut punitionis attẽdit, vt ligna vitiorum proximorum succidat: si mente simplici, sanaque intentione verbum aliquod ipsi elabatur ita asperum, vt pungat amicum; & ita sit illi occasioni amicitiam lædendi, & vitam gratiæ, charitatisque amittendi, propter odium quod inde ille accipit. Talis inquam non abijciat animũ; sed recipiat se ad aliquam ex tribus ciuitatibus refugij, hoc est ad Sacramentum Pœnitentiæ, cuius tres sunt actus Contritionis, Confessionis, & Satisfactionis: quibus inest vis trium virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis, vt vbi securus maneat & saluetur. Quod si defuncti cognatus, Christus scilicet Iesus Iudex viuorum & mortuorum, qui per Incarnationem effectus est noster cognatus, persequi voluerit & iniuriam sibi illatam vlcisci: inueniat verò occisorem in ea Ciuitate absconditum, non sumet de eo vindictam, sed ignoscet iniuriam.

a 2 *Paral.* 30. 19.

Lib. 10. *Moral c.* 5.

b *Deut.* 19. 4.

Hinc etiam licet zelantibus operariis aliam solatij sui rationem deducere: eò quòd corã Deo multa plura promereantur & sibi comparent, quàm amittant; & pluris fiant, maiorque honor exhibendus sit eis propter bonum, quod suis ministeriis faciunt: quàm contemptui sint, aut contra eos murmuretur, ob aliquos defectus, quos inter agendum admittunt. Vt enim S Bernadus Monachis suis dixit: Inhumanè redarguis opera, quorum onera refugis; temerarè obiurgat virum de prælio reuertentem, mulier manens in domo. Quia etsi miles aliquod vulnus in bello acceperit: cũ tamen victoriam obtinuerit, & Patriam propugnauerit, temerè obiurgatur ab eo, qui domi manens, nihil tale præstitit. Huiusmodi zelantibus competit illud Ecclesiastici: c *melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens:* nam tu quidem (ait S. Bernardus) in tui custodia vigilans benefacis: sed qui iuuat multos, & meliùs facit, & virilius: quamuis defectus aliquis adsit in eo quod facit, quia & hic locum habet illud S. Iacobi dictum: d *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Sermon. 12. in Cantica.

Suprà.

d *Iacobi 4.*

Qvae licet dicta sint ad solatium zelantium, qui bonæ sunt intentionis: necesse tamen est, eos valde serio procurare, vt omnes zeli excessus, & inordinationes præscindunt: apponentes remedia eorum radicibus, quales sunt ignorantia, aut imprudentia, & inordinata aliqua Passio superbię, cupiditatis, aut irę quæ etiã iudicium rationis excæcat, & gubernaculum aufert scientiæ, ac prudentiæ: sine quo feruor vertitur in furiã: & existimaus se rectè agere, maiori percutit furiã. Sed quoniam in singulis officiis, & ministeriis proprij sunt defectus: dicemus in singulis, quod pertinet ad eorum remedium: & simul de reliquis scientiæ, ac virtutis specialis partibus, quę necessarię sunt ad illud vtiliter exercendum.

(·.·)

TRACTATVS QVINTVS

DE PERFECTIONE CONFESSARIORVM IN SVIS MINISTERIIS.

CAPVT I.

EXCELLENTIA OFFICII CONFESSARIORVM, & quæ opera misericordiæ illud obeundo exerceant.

ACturi de Qvatvor Ecclesiasticis ministeriis, initivm svmemvs ab officio Confessariorũ: tum quod sit proprium Sacerdotum, de quorum ministeriis hactenus egimus; tum quod latissime pateat, sitque ita necessarium in Ecclesia, atq; est ipsum Pœnitentię Sacramentum. Cuius partes & actus cedunt in vtilitatem Pœnitentium, cum quibus tantam habet hoc munus connexionem: vt quemadmodum quæcunque de eis dicta sunt in primo Tom. in tractatu de Cõfessione iuuant ipsos Cõfessarios, ita quæ hîc dicentur pro ipsis Confessariis, multum iuuerint pœnitentes ad suum munus exequendum. Munus igitur Confessariorũ tantas in se continet excellentias, vt solus ipse Dominus possit eas æstimare, ac declarare: qui illud in noua sua lege Euangelica instituit, & adstrinxit Sacramento Ordinis; & non cuiuis eius gradui, sed tantum Sacerdotali: & in vtraq; re, excedit reliqua officia Doctorum, Prædicatorum, & Prælatorum: quæ non sunt adeò propria legis Euangelicæ, quin etiam eluxerint ante illam; neq; ita sunt Sacerdotio annexa, excepto eo, quod est Episcoporum proprium, quorum consecratio est pars ipsius Sacramenti. Ex quo prouenit quòd licèt Dominus noster ad ea exercẽda gratiam suam communicet liberaliter: non tamen constituta sit specialis gratia iustificans, & sanctificans, quæ eis detur ex opere operato, vt Theologi loquuntur. At officiũ Confessarij, cùm ei datur potestas absoluendi à peccais, datur specialis hæc gratia per verba illa iucundissima; quæ dixit Saluator suis Apostolis

post suam Resurrectionem, cùm eos creauit Confessarios, & instituit Sacramentum Confessionis dicens: a *acipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis*: In quibus verbis insinuantur maximè huius officij excellentiæ. Cuius rei indicium est, quod cum eo detur persona Spiritus Sancti, eiusq; gratia & charitas in magna abundantia. Neq; est indicium exiguæ excellentiæ: quòd cùm in Sacramento Ordinis detur Spiritus Sanctus ad consecrandum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & ad remittenda peccata: huius tamen doni non fiat mentio, cùm detur prima potestas; sed cùm hæc secunda exprimitur. vt ex hoc intelligatur insignis sanctitas, quę ad opus adeò excelsum requiritur: eò quòd sit proprium Spiritus Sancti opus peccata remittere, in cuius nomine remissio fit: & quia per ipsam absolutionem communicatur Spirit. Sanctus: æquum est, vt Confessarius eundem Spiritum Sanctum in se habeat, quem alijs est daturus. Et quemadmodum Diuinus hic spiritus septem habet dona, quibus excellentias suas manifestat: ita largitur Confessarijs septem præeminentias & priuilegia in eo officio, quæ magni sunt valoris & solum omnibus.

a *Ioan. 20. 22.*

I

PRIMVM: quis non obstupescat potestatem adeò glorioſam, qualis est peccata dimittere? Potestas hæc propria est solius Dei: eò quòd peccata sint iniuriæ in maiestatem eius infinitam; adeoque graues, vt nulla sit potestas ad eas remittendas, nisi ipsemet Dominus, in quem fiunt, illas remittat. Ac propterea Saluatoris nostri hostes, qui eum purum hominem reputabant, iudicabant blasphemare, cùm dicebat Paralytico: b *dimittuntur tibi peccata tua*. Tanta fuit tamen eius liberalitas & magnificentia, vt eandem potestatem voluerit suis sacerdotibus ita communicare, vt ipsius nomine & authoritate ipsi ea dimitterent: non rogantes Deum vt ipse dimittat, neque dicentes: Christus te absoluit, sed magna cum authoritate dicentes: ego te absoluo. Quod si quis incredulus dixerit: spectare ad honorē Dei, quòd soli ipsi hæc potestas deferatur ac reseruetur, inferri verò iniuriā eidem, si alteri communicetur. Respondet S. Ambrosius: multò maiori ignominia Deum affici à negāte, quod ipse palam dixit: & volente potestatem eius coarctare: ita vt idem facere non possit per alium: Cùm igitur ipse dixerit: *accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Graui eum afficit iniuria, qui id neget. Et qui hāc potestatem Apostolis & Sacerdotibus deneget: etiam eisdem auferet Spiritum Sanctum, datum ipsis, vt ea potestate vterentur: *Munus enim Spiritus Sancti est officium Sacerdotis*. quod potest ipse concedere: nam, c *quod apud homines impossibile est, apud Deum est possibile*. Impossibile videbatur d *Naaman* Syro, vt *mundaretur à lepra si lauaret in Iordane* ex mandato Elisæi Prophetæ: cum tamen ille Elisæo paruisset, expertus est id esse possi-

b *Marc. 2. 5. Luc. 5. 20.*

Lib 1. de Pœnit. c. 18.

lib. 2. c. 2.

c *Mat. 19. 20*

d *4. Reg. 5. 11*

bile

bile; & Prophetam potuisse iubere vt lauaret, & mundaretur. Magna est nostrorum Sacerdotum gloria: quòd eos Christvs ad tantam excellentiam exaltauerit; vt (quod ait Sanctvs Gregorivs) gerant Dei vices in terra, eiusque nomine peccata dimittant. Nam per talem potestatem dat etiam eis speciale pignus, quòd ipsis etiam propria demittet: quibus dat potestatem aliena dimittendi. Et hoc (ait) significare voluit Dominus noster, dicens illa verba Apostolis die resurrectionis, cùm dolerent & pudore suffunderẽtur quòd ipsum Saluatorem tempore Passionis deseruissent *Sic, sic eos à Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo consenserant humiliari, & qui Dei iudicium propter sua peccata timebant facti sunt iudices ad absoluendum, & condemnandum alios.* *Hom. 26 in Euangelia.*

Et hæc est excelsa alia Confessariorum excellentia. Cùm enim essent varij modi remittendi peccata: nobilissimum & maximæ authoritatis illis contulit Christus, faciens eos peccatorum iudices; & assigans eis tribunal quoddam in terra adeò glorioſum: vt eorum sententia rata sit in cœlo, asque vlla appellatione ab ipsorum Tribunali ad aliud tribunal: eò quod illorum sit supremum. Nam e *quod donant* (ait Apstolus) *in persona Christi donant.* Thronus Regius, (ait S. Chrysostomus) etsi aurea tela gẽmisque pretiosis sit exornatus, non habet potestatem iudicandi nisi de rebus terrenis: at Sacerdori constituit Deus thronum in cœlo, cum authoritate de rebus cœlestibus iudicandi. Quid cum hoc honore conferri potest? A terra iudicandi principalem authoritatem sumit cœlum. Nam iudex sedet in terra; Dominus sequitur seruum; & quidquid hic in inferioribus iudicat, hoc ille in supernis comprobat. Et S. Hieronymus ait. quodãmodo ante iudicij diẽ iudicant. Et quod ipsi hic iudicauerint in suo Tribunali, approbabitur in vltimo iudicio. Et S. Augustinus: eadem, inquit, visione refert S. Ioannes in Apocalypsi vtrumque iudicium, & quod iudices in suis sedibus f *iudicant ex iis, quæ scripta sunt in libris.* Idem enim quod Confessarij hic iudicauerint, iudicabunt Assessores iudicij extremi. Et quid (ait S. Bernardus) potentius est Sancto Petro: cuius sententia præcedit sententiam cœli. Non enim pœnitenti attrito remittit Deus peccata prius, quàm Confessarius verba proferat & sententiam absolutionis. Quamuis, cùm omnia à Deo præcipuè procedant, ipse sit in omnibus primus & præcipuus. 2 *Trid. sess. 14. c. 6. de Sacr. Pœnit.* e 2. *Cor. 3. 10 Homil. 5 de verb. Isaiæ vidi Dom.* *Epist. 1. ad Heliodorũ. lib. 9 de Ciu c. 9.* f *Apocal. 20 21. Serm. 1. de Sanctis Pet. & Paulo Ioan 22. in Extra quia quorumdã de verbo signif.*

Hoc ipsum adhuc melius intelligetur ex tertia Confessariorum excellentia, qua sunt Ianitores, aut clauigeri cœli: habent enim in manibus suis g *claues* illas *quas Saluator promisit Sancto Petro*; & per eum (vt ait Sanctus Augustinus) eas tradidit Ecclesiæ & reliquis Sacerdotibus. Clauis, inquit, est potestas, qua iudex Ecclesiasticus dignos admittere valet ad Regnũ cœlorũ & repellere indignos: his enim clauibus 3 *Matt. 16. 19 Tract 50 in Ioan.*

per absolutionem aperiunt Sacerdotes portas cæli pœnitentibus: quibus propter eorum peccata erant occlusæ. Vocantur autem claues: quia sunt diæ, & vocari solēt scientiæ, ac potestatis: eò quòd vtraque sit iudicibus necessaria. Alterà vtuntur ad examinandam, & cognoscendam causam, de qua sententia est ferenda, & ad aperiendam portā cordis humani, quæ solet esse fortiter occlusa, ad aperiendam veritatem. Quamuis enim pœnitentes sponte sua cor suum aperiant, suasque culpas fateantur: Confessarius tamē potestatem habet eos examinandi, & interrogandi quicquid opus est, quod ipsi non exprimunt; & ipsi tenentur id manifestare. Et in hunc sensum ait S. Ambrosius: *Clauis dicenda est qua peccatorum corda reserantur, mentis secreta panduntur, & quicquid intrinsecus clausum tenetur in palam rationabili manifestatione producitur. clauis* (inquam) *est, qua, & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris includit.*

Serm. 66. D. August. Serm. 27 de Sanctis.

Altera clauis est potestatis, ad proferēdam sententiam absolutionis & aperiendos Diuinæ misericordiæ thesauros, eorumque partem largiendā pœnitenti, communicando ei gratiam & charitatem, donaque Spiritus Sancti; & virtutes infusas quæ illa comitantur: & sic etiam aperiunt ei Paradisi portas, vt suo tempore ad eum perueniat, modò perseueret. Quis igitur maior honor esse potest: quàm tales claues, & ad effectus adeò excelsos, in manibus tenere? Non negamus summū Pontificem, S. Petri successorem easdem habere cum summa potestate ad omnia quæ pertinent ad Ecclesiæ gubernationem; & Episcopos ad alios effectus ad suum statū pertinentes: at Confessarij easdem habent ad effectus qui nobis magis conducunt; quia remouent supremum omnium malorum, quod est peccatum; largiuntur verò supremum bonorum quod est cælum. Stanti in mundo sit clauem inauratam gestare, & esse Regum Cubicularios: quantò erit maior gloria has inauratas claues habere, quas ipsemet CHRISTVS Seruator noster secum habuit, & de quibus multum gloriabatur? quia (vt ait SANCTVS IOANNES) *g ipse aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Nam (vt S. Ambrosius ait *valt Dominus plurimum posse discipulos suos; vult à seruulis suis ea fieri in nomine suo, quæ faciebat ipse positus in terris.*

g Apoc. 3. 7. Isai 22 22. lib. 1. de Pœn. c. 7.

4 HINC oritur quarta excellentia Confessariorum, quod sint Spirituales animarum medici, quas restituunt sanitati ab horrēdis morbis culparum & passionum, quibus vehementer affliguntur: idq; modo quodam adeo excellenti, qualis nunquam in mundo fuit. Sacerdotibus antiquæ Legis (ait S. Chrysostomus, nec quidem concessum erat vt vel corporis lepram purgarent: sed solum potestas iudicandi, an quis leprā infectus esset, aut etiam ab ea mundatus. & similiter nullum poterant peccatū di-

mittere

mittere; sed solum Sacrificia offerre pro ijs, qui cupiebant sibi à Deo illa remitti. Nostri autem Sacerdotes & Confessarij potestatem habent in animę lepras, non ad iudicandum quod sint mundatæ; sed ad eas verè mundandas. Promissio enim illa Saluatoris: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* intelligenda est cum omni plenitudine, quam ipsa verba sonant, ad remittendas scilicet ipsas culpas, & pœnas æternas inferni; imò & temporales purgatorij. Si igitur Sacerdotium antiquum, (ait hic Sanctus) cùm tam parum posset, tanti fiebat: quantò gloriosius nostrum Sacerdotium erit, & pluris æstimandum: cùm possit tam multa, idque adeò suauiter? Nam vnico tantum verbo sanitatem restituit; & vox illa: *absolno te:* ita penetrat animæ interiora; vt gratiam illi communicet, quâ sanitatie restituatur. h *Sacerdotes & Leuitæ antiqui transibant prope hominem vulneratum qui inciderat in latrones,* illumque in suis vulneribus deserebant, non adhibitis efficacibus contra ea remedijs: quia lex illa talia remedia non habebat. h *Lu.* 10.31

At nostri sacerdotes sunt veri medici, sicut pius ille Samaritanus; qui animę *vulnera alligant,* & adhibentes *oleũ & vinũ* eam curant: adhibitis scilicet Sacramentis & remedijs valde efficacibus ad sanitatem perfectè restituendam. Sunt etiam sicut stabularius siue domûs hospes in ipsa scilicet Ecclesia, quibus Saluator noster, per Samaritanum significatus, curã commisit infirmi, tribuens eis *duos denarios,* duas scilicet potestates necessarias ad remittenda peccata, alteram Ordinis, alteram iurisdictionis. illa datur eis, cùm consecrantur Sacerdotes; hæc plenè conceditur, cùm Superiores aut Pastores constituuntur aliquorum pœnitentium, qui in foro cõscientiæ sint ipsis subiecti. Et hęc est quinta illorum excellentia, quod 5
sint ouium Christi Pastores: attendentes singulari quodam modo ad eas pascendas pastu vitæ æternæ; ad curandas à scabie, quâ sunt infectæ; & gubernandas ac dirigendas in ijs, quæ agere debent. Et quoniam Dominus noster gratiam suam & sufficientem facultatem dat omnibus, vt recto officio suo fungantur: ideo hę potestates vocantur denarij: quibus & pastus & medicamenta, escæque necessariæ pro infirmis comparantur. Prima enim potestate possunt corpus Christi consecrare, quod est animarum antidotum; eadem verò simul cum secunda potestatem habet 6
iudicandi, sanandi & gubernandi sibi subiectos. Habent etiam potestatem aliam valde excellentem cum claue scientiæ; sunt enim Magistri Pœnitentium, quos docent ac dirigunt in via ad cœlum: licèt alio modo & magis vtili, quàm reliqui Doctores, & Prædicatores. Hi enim sunt Magistri multorum discipulorum simul: ac propterea non possunt ita in particulari docere, quod spectat ad singulos: Confessarij autem sunt Magistri cuiusuis pœnitentis seorsim docentes, quod singulis expedit Ec-

quod nouerunt in particulari eius necessitates ignorantias & errores, quibus tenentur circa FIDEM aut mores, aut negotia quæ agunt.

PRAEDICATORES quidem excitare solent leporé, permouentes corda peccatorum: confessarij autem eum insequuntur, & comprehendunt: mactantes in eis peccatum, vt CHRISTO viuant. Prædicatores sunt quasi *iseminatores* sementem in varias terras proijcientes, cuius ex quatuor partibus tres interdum pereunt: at CONFESSARII sunt illi cut messores metentes spiritualem messem, quam DEVS ad ipsorum pedes adducit. Quamuis & ipsi sint seminatores Sanctorum consiliorum ac monitorum: quæ quòd incidant in terram per contritionem iam cultam, ac doloris lacrymis irigatam, solent copiosiores fructus proferre.

i *Mat.* 13. 4. *Luc.* 8. 4.

7 QVAMOBREM iure optimo eisdem cõpetit excellẽtia illa, qua sunt Spirituales pœnitentiũ patres. Si enim censetur eorum Pater, qui eos per baptismũ in Esse gratiæ generat: cur nõ erit etiam pater, qui ipsos reuiuificat per pœnitentiam, & restituit ad vitam, quam iam perdiderant? Si si Prædicatores censentur patres, eò quòd sua prædicatione animas conuertant: põtiori iure censebuntur Confessarij patres, qui illorum conuersionem perficiunt, iustificantes eos per pœnitentiam, & nutrientes infirmum lacte bonorum consiliorum, quæ illis præbent. Ex quibus colligere licet: Confessarium hoc vno officio complecti septem valde excellentia: simul enim est IVDEX, MEDICVS, MAGISTER, PASTOR, PATER, COELI IANITOR, & MINISTER ac INSTRVMENTVM DEI ad redemptionem & salutem animarum: quod est omnium officiorum supremum. O munus felicissimũ, septem his excellentijs quasi septem pretiosissimis gemmis inæstimabilis pretij exornatum! ô excellẽs ministerium septem his admirandi splendoris oculis illustratum, ad præstandam lucem & misericordiam gratiæ peccatoribus huius exilij! Si beati censentur misericordes, quoniam ipsi à Deo misericordiam consequentur infinitam: cur non beatos prædicemus bonos Confessarios, quorum munus est septem Spiritualia misericordiæ opera, quæ sunt excellentiora corporalibus exercere? ipsi enim dum Confessiones excipiunt, bonum pœnitentibus ignorantibus consilium præbent; errantes corrigunt; reprehendũt & castigant tali charitate indigente; remittunt iniurias Deo illatas, quas proprias reputant; sustinent patienter multas molestias officij sui, Deumque pro suis pœnitentibus orant.

SED quiũ de septem corporalibus misericordiæ operibus dicemus,

mus, si Spiritum in eis latentem inspiciamus? nam Confessarii tanquam Medici visitant ęgrotos; cibant pane Sacramentorum animas esurientes; easque sitientes pia & sancta Doctrina potant; nudas induunt veste charitatis, captiuas redimunt educentes eas à Dæmonis tyrannide; soluunt vinculis detentas, dissolutis vinculis & catenis peccatorum earum: hospitio excipiunt peregrinas, protectione & cura, quã suscipiunt earum; sepeliunt defunctas, peccato iam mortuas, vt sint absconditæ in Deo & Christo per donum orationis, & contemplationis: quod est instorum sepulchrum.

Qvi igitur adeò est liberalis in misericordiæ operibus erga proximos: quæ bona non obtinebit à nostro liberalissimo, & infinitè misericordi Domino? Qui promisit fore sè misericordem in misericordes, & liberalem in liberales; & k *qua mensura nos mensi fuerimus* fratribus nostris, *ipsum nobis remensurum*? ô millies felix officium, fons tot tamque præclarorum operum! quid de te dicam? nisi quòd sis quasi l *granum sinapis*, cui Saluator noster dixit *esse simile regnum cœlorum*; nam cũ sit *minimum omnibus seminibus, crescit & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius*! ita & tu in specie quidè minimũ videris omniũ ministeriorũ, quæ sunt magis speciosa, & splendida: qualia sunt Magistrorum, Prędica, torũ, ac Prędatorũ: in ipsa tamen tua paruitate latet ingens valde virtus: nã superbi & magnates huius mundi se tuis pedibus subiiciunt: tu verò caput tuum erigis super omnes: omnes ad ramos tuos aduolant: vt in eis quiescant; quibus tuis operibus solatium ac leuamen præbes. Veniunt, vt tuorum foliorum, hoc est verborum tuorum salutem quærant: quibus eos facis voti compotes. ô Sacra Confessariorum potestas! quis stupenda, tua magnalia recensere poterit? Tu instar es m *virgæ Moysis qua diuiditur mare rubrum*, in quo Aegyptij omnes, hoc est peccata submerguntur, & euanescunt: peccatores autem sine vllo periculo, & siccis pedibus ad promissionis æternæ terram perueniunt. Tu n *percutis* duram cordis humani petram; efficisque vt ex eo fluat fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Tues o *aurea virga* Regis cælestis, multo speciosior, gloriosiorque, quam fuerit illa *Regis Assueri*, qua tangit peccatores ad ipsius præsentiam accedentes, in *signum* benignitatis & *clementiæ*; eruitque eos à morte culpæ, & æternæ pœnæ. Efficacior es ac potentior quàm fuerit p *baculus Elisæi*, hic enim non potuit infantè defunctum ad vitam reuocare: Tu verò vitam peccatori mortuo tribuis: & si millies Spiritualem gratiæ vitam amittat: toties poteris illam reparare ac restituere, si velit pœnitentiam agere,

k *Matt.* 7.2 *Luc.* 6.4.28.

l *Mat.* 13.31.

m *Exodi* 14.16.

n c 17.6.

o *Ester* 4.11

p 4 *Reg.* 4.31

Hae

HÆ sunt pars aliqua excellentiarum sacri officij Confessariorũ, præter alias multas allatas dum egimus de Sacramento Confessionis, cuius illi sunt Ministri; & præter eas, quas diximus superiùs de Sacerdotibus: ad quos solos & ad nullos alios munus hoc pertinet. Idem enim signũ interiùs, quod characterem perpetuum appellant, nec deleri vnquam potest. Est potestas ad vtrumque officium, consecrandi scilicet & absoluendi. Et quemadmodum nõ potest prima deleri; sic nec secunda: licet hęc requirat iurisdictionem ad suum opus præstandum, quæ & dari illis potest, & auferri ab Ecclesia.

Tomo 1. Tract 3.

Trid. Sess. 14 c 6. & Can. 10. vid. Suarez. Tomo 4 in 3. p. Disp. 16

CAPVT II.

QVOMODO CONFESSARII MVNVS SIT ACceptandum, & qui tituli causæque illud cum alacritate exequendi præcipuè à Parochis, & Religiosis ad id destinatis.

OMNES IN PROXIMO CAPITE INSINVATAE excellentiæ officij Confessariorum sunt tituli quidam, & nomina, propter quæ tenentur valde gratos se exhibere Domino nostro, ob insigne beneficium sibi absque ipsorum meritis collatum in excelsa hac dignitate: ad quod etiam meritò iuuare debent omnes fideles, eodem nomine. Si enim benè res perpendatur, non sunt huiusmodi excellentiæ Confessarijs propter seipsos collatæ, sed propter nos. Cuius apertum signum est, quòd Confessarius non possit seipsum à suis peccatis absoluere: nec suis clauibus cœlum sibi aperire; neque esse potest iudex, aut medicus suiipsius: sed in his omnibus subijcere se debet alteri Confessario, à quo hoc bonum accipiat. Ipse tamen ex officio habet, vt absoluere possit, iudicare, & curare reliquos, & cœli portas eis pandere, & gratiâ sanctificare. Cùm igitur tanta bona ab eis accipiamus: æquũ est, valde gratos nos esse Domino, qui tantam eis dignitatem in commodum nostrum largitus est; & simul eos diligere, magnificere, & honorare pro meritis dignitatis, quam habent, ob septem titulos in ipsa contentos. Si iubet Deus a *honorare Parentes* carnales, & b *senes & iudices populi* ac c *medicos* & corporales propter necessitatẽ, quâ illorum operâ indigemus: quanto magis volet, vt honorem iis deferamus, quos ipse tanto afficit honore: vt Angeli ipsi sanctam quandam habere possint æmulationem ob talem honorem hominibus collatum? illis enim, etsi sint hominum custodes constituti: non tamen data est potestas remittendi eorum peccata, sicut Confessariis. Ac propterea S. Chrysostomus ait: eũ qui hoc officium contem-

a *Exo.* 20. 12
b *Levit.* 19. 32.
c *Eccl.* 38. 1.

temnit, peiorem esse, ac dignum maiore pœna, quàm qui contempserũt Aronem: sub d *quorum pedibus dirupta fuit terra: & aperiens os suũ deuorauit illos, descenderuntq; viui in infernum.* At Confessarij speciali tenentur obligatione gratitudinem animi Domino exhibendi, qui tale illis officium contulit: Idque in tribus rebus: æstimando scilicet illud, vt par est: non solum propterea quod, qui illud contulit, sit Deus; sed propter præstantiam, quam in se habet. Deinde honorando illud vitæ Sanctitate, quam illud exiget: ne tanta dignitas aliqua ignominiâ afficiatur; & ne indignos sereddant honore, quo propter officium digni erant. Ac tertiò piè illud exercendo iuxta mentem & voluntatem Domini, qui illud instituit; & eum in finem, eoque modo & ratione, qua ipse præscripsit

d *Num.* 16. 31.

1

Ex eisdem excellentijs oritur, quòd nullus debeat tantum sibi assumere, vt hoc officium aggrediatur non habens sufficientes dotes & facultates ad illud, vt oportet, exercendum. Quæ (vt S. Thomas ait) sunt *virtus, scientia & prudentia.* Nam si esset temerarium aggredi officium Iudicis Ecclesiastici, aut secularis aut medici, aut magistri absque talento & iudicio ad id necessario: multò magis temerarium esset officium obire Cõfessarij absque sufficiente virtute, scientia, & prudentia: nam error aut rectitudo in eo non est de rebus corporis, sed animæ: in quibus agitur de vita æterna consequenda aut amittenda. Ac propterea Concilium Tridentinum statuit: *nullum posse Confessiones audire secularium, nec ad id idoneum reputari, nisi aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur & approbetur; aut Parochiale beneficium habeat.* qui enim illum ad tale Beneficium iudicauit idoneum: etiam approbauit ad officium Confessarij, quod est illi coniunctum. Ex quo fit vt Episcopi teneantur nõ approbare, nisi quos prædicto modo idoneos iudicauerint. Et ipsi Sacerdotes etiam tenentur eam approbationem nõ petere, nisi intelligant, se idoneos esse, & sufficientes habere ad illud exercendum facultates. Præterea non debent ad hoc officiũ accedere ex suo iudicio aut arbitratu, & affectu carnis & sanguinis: graue enim esset peccatũ, illud obire ob fines inanes ac terrenos; aut vanæ gloriæ, & honoris: quasi existimantes rem esse abiectam, quòd quis sit Sacerdos, & nõ possit Confessiones audire; aut propter aliquod temporale lucrum, quod est mercenariorum proprium; aut luporum non intrantium per portam in ouile Christi; sed per ambitionem, aut cupiditatem propriam: quæ valdè degenerant ab officij sanctitate, & excellentia. Qui autem desiderant esse veri Pastores, & Confessarij perfecti: intrant per portam Diuinæ vocationis, existimantes id esse iuxta Diuinam vocationem; & in eos fines tendentes, in quos officium ipsum dirigitur. Quamuis autem non sit adeò malum quærere secundo loco, & minus principali

Opusc. 65. de Offi. Sacerd. c. de Cautela in Confessione.

Sess. 23. c. 15.

3

ter aliquos humanos fines bonos, & commoda aliqua temporalia: quò tamen minus ad hæc respicietur. eò erit prima intentio purior & præstantior, & officium fiet exactiùs ac perfectiùs; magisque iuxta voluntatem Domini, qui dignus est, vt gratis sibi seruiatur, & quia talis ipse est; & præcipue in actionibus adeò spiritualibus & excellentibus. Nam si olim conquerebatur, quòd non esset qui e *clauderet ostia templi gratuitò*; & eo c *Mal.1.10.* solo nomine, vt obsequium ipsi præstaretur: sed propter terrena cõmoda & vtilitates: quando magis conqueretur, quòd quis non aperiat eis portas gratuitò, sed propter lucra & commoda terrena.

4 DENIQVE postquam officium hoc susceperis: omnes prædictæ excellentiæ esse tibi debent magnum incitamentum, ad illud cũ magna animi delectatione, & in rem ipsam propensione obeundum: vt reputes summã felicitatem, quod habeas occasionẽ obeundi in terra officium ipsiusmet Dei: cuius est, vt ait Dauid, f *dare gratiam & gloriam*; nam f *Psal.83.12* cũ pœnitentem absoluis, gratiam ei largiris, & ius ad consequendã gloriam. cũ igitur ipse Saluator dicat: g *beatius esse dare quàm accipere*: quanta e- g *Act.20.35* rit beatitudo habere in manibus claues thesaurorum cœlestium, & posse alijs dare ingentia adeò dona? *Magnum* quoque est motiuum ac delectabile, quòd talem actionem scriptura appellet misericordem, copiosam, ingentem ac diuina magnificentia dignam. Nam, vt diximus, in hoc ministerio compendio quodam continentur quatuordecim opera misericordiæ, cũ quadã excellentia digna ipsomet Deo, præbẽte ad ea auxilium & gratiam. Hoc est opus, de quo cùm Pharisæi contra Christum murmurarent, quod Publicanis versaretur, respondit: h *discite quid est, misericordiam volo, & non Sacrificium*: illa enim & magis ad rem est, & pluris eam h *Matt.9.13* facio. *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores*; & inducere illos *ad Pœnitentiam*.

AEQVVM igitur est, vt serio magnaque cum animi voluptate illud secteris, quod tantoperè Deo placuit: vt eius causa perficiendi è cœlo descenderit. *Tertium* quoque motiuum est, vt hoc munus fiat in despectum Dæmonum, & in gaudiũ Angelorum. Nam absolutione data, Dæmones remanent victi, & spoliati præda, quam habebant, Angeli autem remanent victores, & valdè læti. Propterea enim dicitur: i *gaudium esse in* i *Luc.15.7* *cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente; quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentiâ*. Ad hæc, vt suo loco diximus, Christum Dominum nostrum instituisse ipsam confessionem, vt pœnitentes gloriosas sui ipsorum victorias obtinerent; & virtutibus, quas ibi exercerent, ex ipsis peccatis magna educerent emolumenta. vt valdè fierent perfecti: ita etiam statuit Confessariorum munus ita cedere in vtilitatem proxi-

Tom.1. Tract 3.c.1

morum,

morum, vt ipsimet proficere possent, & plurimum in perfectione crescert: vincentes scilicet difficultates, & molestias, quæ ibi occurrunt; & heroicas valdè virtutes exercentes, propter multas occasiones, quas ad id præbet, vt mox videbimus.

Praeter hæc generalia motiua, quæ ad hoc officium impellunt: sunt alia in diuersis Personis specialia, quę ad illud accedũt per aliquã ex tribus ianuis aut vijs. vna est *iustitiæ*, alia *obedientiæ*, tertia *charitatis*. Per Ivstitiae portam intrant proprij Pastores, quibus animarum incumbit cura; per viam Obedientiae illi ingrediuntur, quibus Prælati hoc officiũ committunt, vt moris est in Religione; per viam Charitatis ingrediuntur, qui ex commiseratione animarum ad id officium obeundum permouentur. Ex quibus tribus virtutibus, & causas & rationes accipere debent, ad suum munus libenter & magna cum animi oblectatione obeundũ; & nominatim ipsi Parochi, qui arctè ac seuerè obligantur ad hoc Sacramentum subditis suis administrandum; aut de alio prospiciendum, qui id præstet. quod si ad officium suum præstandum nõ propendeant, excusationes quærent, ne illud faciant: damnum autem, quod inde proueniet, recidet in illorũ caput. Ita enim Apostolus dixit: k *Væ mihi est si non Euangelizauero*, & ita possunt ipsi dicere: væ mihi est, si non excepero Confessiones: nam incident in illa horrenda supplicia, quæ minatur Deus per Ezechielem Pastoribus, qui pascunt semetipsos, comedentes lac ouium, & operientes se earum lanis: quas tamen penitè sinunt. ait enim: l *Quod infirmum erat non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis.* Defeciſtis in proprio boni Pastoris officio, ad quem spectat debilem corroborare, infirmum curare, inordinatum continere, reiectum reuocare, & ouem perditam quærere: quæ omnia sunt Pastoris propria quatenus Confessarij munus sustinet. quare ex obligatione iustitiæ tenetur gregi suo in tribus temporibus & occasionibus subuenire.

Primvm tempus est cùm ipsius oues tenentur antidotum hoc sumere siue propter Ecclesiæ præceptum, siue propter imminens mortis periculum, quomodocunque illa immineat. Et væ medico, si infirmus moriatur, eò quod ipse eum nõ accesserit tẽpestiuè! Si enim sanguis Abel, etsi iusti, & cuius anima erat in requie, clamabat contra occisorem: quantò magis clamabit sanguis, aut peccatum animę quæ in eo moritur, ob Confessarij culpam, nolentis eius confessionem excipere? m *Sanguinẽ eius* (ait Deus per Ezechielem) *de manu tua requiram.* audiam enim eius

k 1. *Cor.* 9. 16.

l *Ezech.* 34. 2.

m *Exech.* 3. 18. *&c.* 33. 6

clamorem contra te in inferno: quia ob tuam negligentiam in tuo officio ille damnatus est: ideoque vltionem sumam de te ob irreparabile, quod illi intulisti, damnum. *Alterum*, tempus est, quo Pastores tenentur ouibus suis in hoc munere subuenire: quando scilicet illæ id prudenter petunt, ob aliquam necessitatem, etiam non extremam: qualis esset, quando sentiunt se valdè premi & affligi, videntes se in aliquod mortale lapsos, quæ suprema est omnium miseriarum; aut premuntur & vexantur grauibus tentationibus, cum periculo labendi in grauia peccata, nisi pœnitentiâ se muniant. Tunc enim iure suo recurrunt ad suũ Pastorem & medicum: qui sine graui valdeque vrgente causa non potest remediũ eis negare, aut differre. Nam fortè dilatio esset causa ruinę aut difficilioris curationis. Estque contra omnem rationem, nõ subuenire statim infirmo, eum, qui medici & infirmarij fungitur officio: si absque graui causa, vt diximus, auxilium differatur. *Tertium* tempus est, cum id prudenter petunt, ob suum maiorem profectum & perfectionem: qualis esset occasio iubileum aliquod obtinendi, aut maiori aliqua deuotione festum aliquod solenne celebrandi, aut commoda & vtilitas ex Sacra Confessione & Communione hauriendi: quia sic prę seruantur á grauibus culpis, crescunt verò in exercitio virtutum. Nam & in his casibus est aliqua cõfessarij obligatio ad eos audiendos. Non enim solùm spectat ad Pastorẽ oues suas eruere à morte culpę, in quam inciderunt; sed etiam illa, abea præseruare, & in obsequio Diuino promouere per ea media, quæ Deus ad id constituit; & ratione officij Pastori incumbunt. Alioquin conquerentur n *paruuli* apud Patrem suum cœlestem (vt Ieremias ait) eò quòd *petierint panem*, & aliud conueniens alimentum, *& non fuerit qui frangeret eis*. Quod si duris visceribus tanquam struthionis illud eis negauerimus, quasi reijcientes rem totam in Dei prouidẽtiam, vt eis prospiciat: & ille alia via eis prospexit, non prętermittet tamẽ Pastoris duritiem punire. Præterea æquũ est, vt Confessarij (quocunq; tandem modo munus hoc obeant) coniungant sese cum Deo in causa salutis animarum, nam cùm Dominus noster laboret, vt ita dicamus in eis vocãdis per suas inspirationes; nec parui illi stet persuadere aliquibus, vt ad Confessionẽ faciendã accedant: consonũ est rationi, vt Confessarius eas nõ repellat, Deiq; consilia dissoluat: sed reuocet sibi in memoriam illud Saluatoris o *omne quod dat mihi Pater, ad me venit. Et eum, qui venit ad me, non eiciam foras: quia descendit de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Cùm enim Pater suis inspirationibus peccatores vocet, iubeatq; vt ad meam Scholam venientes in meo se conspectu constituat: non illum à me repellam, sed iuxta voluntatem Patris mei omnes tales recipiam, vt desideria, quæ de cœlo habent, opere impleant, & saluentur. Quomodo igitur

n *Hier.* 44.

o *Ioan.* 6.37

audebit

audebit Confessarius reijcere ad se venientẽ vocatum á Deo; & resistere voluntati Diuinę, vt propriam opere compleat? Sed vlteriùs vult Dominus noster progredi Pastorum curã cùm dixit: b *quod periat nõ quæsijstis*, quando enim pœnitentes ad ipsos non accedunt, cum eos præceptum obligat, aut alio tempore superiùs notato: & sic ostendunt, se aberrare, & perire; aut certè id, ad quod tenentur, negligere: debẽt ipsi Cõfessarij eos quærere, & ad confessionem deducere: vt illud damnum reparẽt, imitantes bonum Pastorẽ, qui descendit de cœlo p *vt perditam ouem requireret*; necà quærendo destitit, *donec inuenit*. Omnes hæ rationes ferè locum habent in Religiosis, qui hoc munus ex obedientia suorum Prælatorum obeunt, quæ obedientia tantum apud ipsos valere debet; vt magnos addat animos, ac desideria excitet exactè tale munus obeundi: memor eius, quod ipse Christus Dominus noster dixit: r *meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me: vt perficiam opus eius*. Et quemadmodum magno affectu ipse Dominus egit cum Samaritana de eius conuersione; & expectauit diu, donec reliqui Samaritani venirent, vt eos conuerteret. Et cum esset valdè tarde, nihil curabat cibum corporis, vt obedientiæ cibum, hoc est animarum lucrum comederet, qui cibus est Spiritus valdè gratus: ita ipsi sese applicent seriò ad suum munus exequendum: siquidẽ ipse Dominus, qui ad Religionem eos adduxit, id eis commisit: iudicentq; hunc cibum valde esse suo palato gratum. Sed simul tamen attendant, vocationem suam etiam hoc ab ipsis requirere, vt propriam perfectionem, & proximorum, per designata ab obedientia media, quęrant; sibique munus hoc fuisse assignatum, tanquam medium valdè efficax ad vtramque perfectionem obtinendam. In eo enim multo inueniuntur exercitia abnegationis propriæ, charitatis, & misericordiæ in omnibus quatuordecim eius operibus: & quidẽ cum ea excellentia, quam diximus. Et vnaquæque Confessio, quam excipiunt, est instar mali punici: cuius quidem cortex durus & asper est, intus tamen multa sunt grana dulcissima: nam species huius exercitij exterior insipida quidem est, & humilis: intus tamen abundat varijs affectibus insignis charitatis. Aequum denique est, vt quod apud alios efficit obligatio iustitiæ, in ipsis perficiat charitatis obedientia: præcipuè cùm (vt ait Bouauentura) Romana Ecclesia hoc munus commiserit Religiosis: vt quos pisces Parochi ob multitudinẽ nõ possunt in sua naui excipere, ipsi reciperent. Nam (vt S. Lucas ait) *piscatores annuunt socijs, vt veniant & ipsos adiuuent*. qui autem adeos iuuandos sunt constituti, meritò id facere debent magna animi alacritate, respicientes ac promouentes honorem Dei, & vniuersale Ecclesiæ bonum, ex hocipsorum munere & labore proueniens.

p *Ezech.* 34.

q *Luc.* 15. 4.

r *Ioan.* 4. 34.

q. 2. *super Reg. Tom.* 1.

s *Luc.* 5. 7.

CAPVT III.

PVRITAS, CASTITAS, PATIENTIA ET ALIAE Virtutes Confessarijs necessariæ, vt aptè & absque proprio detrimento suo munere fungantur.

TRIVM QVALITATVM, QVAE IN CONFESSARIIS ESSE debent ad munus suum rectè obeundum. Prima, quæ est vitæ Sanctitas, cæteris est gloriosior; cuius necessitatem licet declarate ex ordine ad quatuor fines. Quorum *Primus* est, vt absolutio ipsa vim suã habeat, & pœnitentibus sit vtilis: efficiendo verum Sacramentum. *Secundus*, vt dignè & absque culpa administretur; Tertius, vt securè tutoque fiat, & absque periculo in ipsa administratione aliquod peccatũ admittendi; *Vltimus* & præstantissimus est, vt cum ea perfectione administretur quam exigunt excellentiæ eius prædictæ.

1 *Trid. Sess. 14 c. 6 & Can 10. c si Ecclesiæ D. 19. c. non nocet.. 1. q 3.*

A D ipsius absolutionis vim & valorem, res est certa, & per sacra Concilia ita constituta: quòd non sit necessaria virtus aut Sanctitas ipsius Confessarij: nam quamuis magnus ille sit peccator: si tamen reliqua habet conditiones necessarias, potest à peccatis absoluere; omnesq; Sacramenti pœnitentiæ proprios effectus efficere. Cum enim hæc potestas non ei conferatur, propter ipsummet, sed propter bonum Ecclesiæ: non priuatur eâ propter sua delicta. hoc enim in graue damnum Ecclesiæ caderet; omnesque essemus dubij, ac perplexi; nescientes, quisnam haberet veram potestatem: eò quod nobis non constaret, quis iustus esset, aut peccator. Et propter eandem rationem regula est generalis: omnium Sacramentorum valorem non dependere à bonitate Ministri; neque solam eius malitiam in causa esse, vt illa effectum suum non sortiantur, modò ipse reliqua faciat, quæ ad id sunt necessaria. CERTVM item est, ad idem officium dignè, & absque peccato obeundum, eam vitæ sanctitatem esse necessariam: quæ consistit in gratia & charitate: ita vt grauissimè peccet Confessarius, qui conscius sibi alicuius mortalis peccati, confessiones excipit: nisi studeat, contritionem veram habere; & facere quod potest, vt prius in Dei gratiam redeat. In cuius rei signum, ante illa verba: a *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, dixit Christus Apostolis: *accipite Spiritum Sanctum*. vt illi intelligerent, prius in seipsis Spititum Sanctum habere debere; quàm accederent ad remittenda in hoc Sacramento aliorum peccata. Quare qui manens in peccato, hoc munus obit, ipsi Spiritui Sancto infert iniuriam: quia hoc

S. Tho. 3. p. q 94. a. 5.

2

a Ioa, 20, 23.

est

est officium eius; & Sanctitatis Sacramenti, quod est res sacra. Et meritò dicet ei posset Dñs: b *in excusabilis es* iudex improbe. *in quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas. eadem enim agis* de quibus illi te accusant & *eos iudicas.* Cùm igitur sis c *medicus, cura teipsum*; nec adeò stultè agas, vt alios sanitati restituens, tu incidas in morbum, & vitam mortuis reddens, magis tu moriaris propter tua Sacrilegia. Non attendis, miser, quòd clauibus quibus alijs cœlum aperis, ampliùs tibi illud occludas ob vsum earum peruersum; & soluens alios ab eorum vinculis: tu vinctus remaneas, & duplicatis vinculis alligatus? Et quomodo corripere audebis pœnitentem ob peccatum, in quo tu prostratus iaces? aut quomodo poteris eum excitare & animare, vt surgat: cum tu magis, quàm ille iaceas? Quomodo es misericors erga alias animas, eruens illas ex earum miserijs: & in tuam es adeò crudelis, imponens ei alias maiores? Attende quod potestas ipsa, quam habes, dimittendi peccata clamat contra te: eò quòd non procures priùs tibi dimitti tua. Et quando descenderis in infernum: comitabitur te character ipse indelebilis, vt tibi sit perpetuus carnifex, obijciens tibi: ô stulte, qui potestatem habens, vt alios ab inferno eriperes, dimittens eis eorum peccata: tamen huc venisti, eò quòd non curaueris, tua tibi dimitti. Hæ & similes aliæ rationes permouere debent Confessarios: ne hoc munus cum conscientia peccati mortalis obeant. Cuius tamen si conscij sibi sint, conentur illud actibus contritionis delere: neque expectent ipsum tempus, quo dicturi sunt verba absolutionis; sed vel antequam ad confessionem audiendam accedant; vel statim atque pœnitens suam incipit Confessionem: quæ etiam est pars ipsius Sacramenti, eamque tanquam iudices audiunt: ac proinde etiam illam dignè audire oportet.

b *Rom.* 2. 1.

b *Luc.* 4. 23.

Hvc accedit quòd malæ famæ Confessarius ob improbam suam vitam, præter Sacrilegium, quod confessionem audiendo admittit, aliud quoque committat ordinariè peccatum scandali: nullus enim non offenditur, qui eum videt tale munus obire.

Suarez. To. 4. in 3. Dis. 18. Sect. 1.

& ipsemet Deus ei dicet d *existimasti inique, quòd ero tui similis? arguam te, & statuam contra faciem tuam.*

d *Psal.* 49. 12.

§. I.

MAIOR sanctitas requiritur ad hoc officium tutò & sine propriæ conscientiæ detrimento obeundũ, eò quòd fortia sint certamina, & magnæ impingẽdi occasiones, & aliqua peccata admittendi: nisi insignis adsit virtus ad fortiter eis resistendum. Certamina magis consueta sunt quatuor. *Primum* est contra castitatem. Cùm enim Confessarij sæpè in confessionibus audiant aliqua peccata inhonesta; cum autem ipsa sit ex se ad malũ propensa: facilè tentatur & impugnatur. Et nisi castitas adsit valdè fortis & strenua, succumbet. Debet igitur Confessarius similis esse iusto Loth, de quo S. Petrus Apostolus dixit: quod habitans in Sodomis vbi tot carnales sordes videbat, & audiebat: ipse tamen a *aspectu & auditu iustus erat*. adeoque procul aberat à voluptate aliqua ex ijs suscipienda, vt ingenti potius afflictione & cruciatu ob eadem afficeretur. Qui enim rebus huiusmodi audiendis delectatur, in periculo versatur contrahendi aliquas maculas. Ac propterea iure optimo Ecclesia (vt supra diximus) constituit, vt Sacerdotes voto se Castitatis obstringerẽt, non solum ob summam, quam primum eorum officium offerendi Sacrificium carnis & sanguinis purissimi ipsius Saluatoris exigit, sed etiam ob secundum, audiendi Confessiones & dandi operam, vt ab illij etiam purificentur. Iuxta illud S. Dionysij: *purgatores oportet magnitudinem purgationis alijs tradere propria castitate*: præcedente scilicet eos propria virtutis exemplo. Qui autem adeo sunt debiles, vt hoc votum non custodiant: non sunt apti vt confessarij fiant; neq; ob suarum conscientiarum securitatem neque propter bonum pœnitentium, si essent fœminæ: cum quibus nominatim Confessarij debent esse valde cauti ita vt neverbo vllo, nec opere, aut motu vllam ostendant leuitatem; & multo minus solicitationem, quę esset grauissimum Sacrilegium. *Primum*, propterea quod esset contra reuerentiam Sancto huic Sacramento debitã, quod adeo immundo delicto prophanaretur. *Deinde*, quod recta tenderet contra muneris sui finem: qui est, esse medicamentum aduersus peccata: estque grauissima iniuria, illud accipere tanquam occasionem & operculum eorum. *Tertiò*, est contra fidelitatem Christo Domino nostro Sacramenti huius authori debitam, propter modum, quo illud fit secretissim, & occultè. Confidit enim ipse Confessarijs, quòd tales essent futuri, vt possent tutò solus cũ sola versari in cõfessione absq; periculo. *Quarto*, grauissimum præbetur scandalum fœminæ venienti, vt suorum malorum remedium quærat, si foueam inueniat, in quam per noua peccata incidat. *Quintò*, graue est damnũ contra frequentationem Sacramenti; quia redderetur suspecta talis frequentatio: ideoq; ab ea deterrerentur. Nã enim securitas in hoc esset, neque viri, neque parentes libenter videret

1

a 2. *Pet.* 2. 8.

c. 3. *de cœlest Hierarchia*

vxores

vxores, & filias suas ad hoc Sacramẽtum accedere. *Sexto*, etiã est suspectus cõtra fidẽ huius Sacramẽti, qui adeò indigne in eius administratione versatur. Si enim adeò graue est malum *sanctum dare canibus*, aut *margaritas proijcere ante porcos*: quàm erit detestandum, quod Confessarius sit tãquã canis, aut porcus mordens & calcans rem adeò sanctam, & pretiosam? Quamobrem execrandum hoc sacrilegiũ cũ admittitur in ipsa Confessione aut prope illam: reseruatur sancto Inquisitionis Tribunali, vt ibi pro meritis puniatur. Denique in decretis antiquis ita prohibitum est inhonestum cum filiabus Confessionis peccatum: vt grauissimæ contra reos pœnæ constitutæ sint. Nam *omnes* (ait Symmachus Papa) *quos in Pœnitentiam accipimus, ita filij nostri sunt, vt in baptismate susceptι. Quapropter hoc scelus si quis perpetrauerit, non solum dignitatis honorem amittat: verùm etiã vsq; ad exitum vitæ suæ iugi pœnitentia se subdat.* Ex quo fit, vt hæc turpis peccati circumstantia adeò sit grauis: vt pœnitens teneatur illam exprimere in Confessione, sicut reliqua Sacrilegia. Quæ omnia diximus ad excitandũ horrorem aduersus hoc peccatum, & omnes possibiles diligentias adhibendas, ad omnes occasiones cuiusuis lapsus, etiam minimi remouendas. Quamobrem in multis Diœcesibus, & Religionibus optimè est constitutum, ne fœminarum confessionem excipiant, qui ad quadragesimum annum non peruenerunt. nam in iunioribus carnis lasciuia est vehementior, duo autem hostes potentiores sunt, quam vnus. Quare si non possũt euitare certamen, quod oritur ex auditu: meritò fugient quod oritur ex aspectu: & ita illas audient in confessionali, in quo eas videre nõ possent. Et neque ibi se tutos existiment, nec solos esse cogitent; sed quasi testes adesse existiment duos castissimos custodes Angelos: Confessariorũ scilicet vnum, & pœnitentium alterum. Et quod amplius & efficacius est, aspiciant seipsos in conspectu Dei Trini & vnius, & Iesu Christi Seruatoris nostri, maximi zelatoris castitatis & puritatis in hoc Sacramento. Nec solum non debent esse sicut execrabiles illi iudices, qui etsi essent b *Senes* solicitarunt tamen castam *Susannam*; sed potius sicut castissimus c *Ioseph*, qui inuitatus à fœmina, strenuè ei restitit, & festinanter ab ea *fugit, & egressus ab ea est.* quod si contingeret: impudentem fœminam contra fidelem Confessarium falsum aliquod testimonium dicere: quamuis ipse summum silentium seruare debeat, non solum sicut Ioseph seruauit, ne suam Dominam infamaret; & quia timuit ne sibi fides non adhiberetur; sed etiam ob secretum, quod seruare tenetur eorum omnium, quæ in illo foro aguntur: fidat tamen Deo, qui ipsum proteget, sicut protexit ipsum Ioseph: manifestans eius innocentiam cum magno eius honore. Denique omnia documenta tradita in tractatu de continentia, sunt exactè seruanda. Et qui

30. *q.* 1. *cap. omnes & sequent. vid. Thom. Sanch. To.* 2. *lib.* 7. *disp.* 25.

b *Daniel.* 13. 20.

c *Genes.* 39. 8. 12.

Tom. 3. *Tract.* 1 *& 6. cap.* 10.

in se non sentit vires & facultates ad ea seruanda: non reputet se idoneum, qui in huiusmodi occasionem & pericula se conijciat. Quodsi hoc munus ipsum scandalizat: etiamsi sit d *oculus dexter; eruat eum, & proijciat à se expedit enim* absque eo *in vitam intrare,* quam propter illud mitti *in gehennam.* Nec tamen ita timido & abiecto animo esse debet: vt ipsi nimia timiditas noceat; nec adeò pusillanimis, vt excelsum adeo ministerium effugiat: eò quòd tentationibus oppugnetur. Si enim illis non succumbat, certamen ipsum auget coronam: siquidem non sponte sua illud ingreditur; sed voluntate Dei id munus ei committentis; qui & suo tempore tranquillitatem dabit, saltem cùm illud exercet. Thomas Cantipratanus de seipso refert in vita S. Lutgardis, quòd grauissimas soleret pati tentationes cùm Confessiones audiret; & quod per huius Sanctæ orationes obtinuerit liberationem ab eis per sexdecim annos, tempore quo ipsas Confessiones audiebat: quamuis extra illud tempus non cessarent ipsi esse molestæ.

d *Matth.5. 29.*

Lib. 2. c. 13. Surii. 16. Iuly.

§. II

SECVNDA pugna siue conflictus est contra impatientiam: eo quòd innumeræ sint molestiæ, quas adferre solent aliquorum pœnitentium ingenia: eò quòd valde sint importuni, aut scrupulosi, melancholici, non confidentes, rudes, aut pertinaces, aut duri corde. Quod si huc accedat, quòd ipse Confessarius sit ex se Cholericus, aut valde zelosus aut anguisti cordis, aut morosus in iis quæ agit; & quod corpus valde sentiat defatigationem, quæ non solet esse leuis, si diu duret: hæc omnia, inquam, simul facilè incitant ad iram, impatientiam, tædium, & ad cordis acediam; vt etiam verbis, & correptionibus aliquod horum indicium detur, contegendo iram pallio zeli.

QVARE necesse est, Confessarios magna patientia & mansuetudine sese munire: vt licet oppugnentur, non tamen succumbant. Et cum ibi debeãt alienos errores reparare, & pacificare animas: ne ipsi pacem amittant, ne eor suum turbent, ne ira sua aliquem scandalizent: vt dum monent & corripiunt, fructum adferant, meminerint eius quod S. Ioannes Baptista dixit de Christo Seruatore nostro: a *Ecce agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi.* Nam qui peccata aliorum vult tollere, mitis esse debet, sicut agnus, vt lupos patientiâ suâ superet. Intelligant: claues, quas habent non esse sibi datas, vt ad cingulum eas appendant; sed vt b *super humerum* eas portent, vt dixit Isaias de ipso Saluatore: sunt enim graues, & indigent robustis humeris, patientia & mansuetudine munitis: vt onera gestent eis annexa. Meminerint etiam Pastorem, qui c *perditam ouem quærebat, cum eam inuenit,* non eam paculo percussisse, quasi contra eam indignabundum ob laborem ei quærendæ impensum; sed *gaudentem,*

a *Ioan. 1. 26*

b *Isaiæ 22. 22.*

c *Luc. 15. 5*

quod

quod inuenisset, *imposuisse in humeros suos*: vt intelligeremus: quod onera d *peccatorum* sint patienter ferenda: de quibus dixit Dauid, quod *supra dorsum nostrũ fabricent*: quia oportet nos illorũ peccata & excessus tolerare cũ magna patientia; eosq; exhortari, & (vt ait Apost.) e *increpare in omni patientia*. Et vt Psalmista: esse f *bene Patientes*, vt eis dicamus, quod expedit, ita vt monita nostra sint illis vtilia. Ad eandem patientiam spectat tranquillitas & conueniens mora pro iudicio ferendo, ita vt sufficiens tẽpus ei tribuatur; nec festinetur nimium, vt citò se expediat; nec ipsos pœnitentes vrgeat nimiũ, vt se expediant: quia id valde omnibus nocet. Nã pœnitentes turbantur, & anguntur; cum ita coguntur festinare; & aliqua omittunt, quæ dicere cogitauerãt: & inde oriuntur scrupuli; nec manẽt pacati; nec satis attendunt ad sensum & dolorem, quem habere deberent: vt sic se expediant, & Confessario festinanti non sint molesti. Et ipse Cõfessarius cũ tanta festinatione multa confundit, & præterit: quę deberet interrogare. docere, aut monere. Nec aduertit, quamuis multi expectent, melius esse (vt ait Gerson) paucas confessiones audire bene, quàm multas male. Nec multitudo negotiorum debet iudicis tranquillitatem turbare: vt imitetur supremum gubernatorem, de quo dicitur, quòd cùm habeat innumera ordinanda ac disponenda: g *cum tranquillitate* tamen *iudicat, & cum magna reuerentia disponit nos*. cùm enim sit absolutus creaturarum suarum Dominus: cum magna reuerentia eas tractare dicitur, quòd eis compatiatur; & ita earum propensionibus sese accommodet: vt sua opera facere permittat. Et cùm idem Dominus accederet ad excipiendam Confessionem Adami, & Euæ, ait Scriptura quod venerit h *deambulans*, & audiuit quidquid illi dicere voluerunt. Et cum Iudæi i *adduxerunt ad Christum mulierem deprehensam in adulterio*, vt sententiam contra illam ferret: etiamsi illi, vt eam citò ferret vrgerent: ipse tamen tardiùs progrediebatur, nec in re tam graui voluit festinare. Debet itaque Confessarius adeò alienus esse ab vrgendo Pœnitente, vt se expediat; vt potiùs, quando ipse pœnitens festinaret, vt se expediret: debeat cum illo ita agere, vt opus suum tardius & perfectiùs perficiat.

Tertivm certamen, siue conflictus est superbiæ contra humilitatem: quia superbia vbique se insinuat, & inserit. Et cùm aliorum peccata recensentur, solet duos detestandos affectus producere: contemptûs scilicet in corde contra ipsum pœnitentem; aut inanis gloriæ de seipso, quòd non in talia inciderit, sicut k *Pharisæus*. qui contempsit *Publicanum* quasi magnum peccatorem, seipsum verò laudauit & iactauit, quasi nõ esset illi similis. Ad hæc certamina munit se bonus Cõfessarius virtute humilitatis: cogitans, quodcunque peccatum aliquis ho-

d *Psal.* 128.3

e 2 *Timot.* 4.2.

f *Psal.* 91.15

p 2. *Tit. de arte audiẽdi Confessiones Considerct.* 5.

g *Sapien.* 12.18.

h *Genes* 3.8.

i *Ioan.* 8.6.

3

k *Luci* 8.11.

mo faciat, posse alterum facere; & quæcunque ipse peccata audit, posse ipsi euenire: si Deus ipsum deseruerit: & forte adeò infeliciter, vt ea nec satis agnoscat, nec confiteatur quemadmodum pœnitens, quem ad suos pedes habet: ex cuius humilitate in suis manifestandis, deberet potius ipse Confessarius pudore suffundi: nam pœnitens ob suam humilitatem potiùs est magni faciendus, quàm quòd in ea peccata inciderit, contemnendus; adeò est insignis virtutis seipsum vincere in suis culpis manifestandis, vt suo loco diximus. Et in huiusmodi occurrentibus casibus nuocet sibi in memoriam illud Apostoli: l *qui se existimat stare, videat ne cadat*; & qui sedet in Tribunali tanquam iudex, attendat: si superbiat, ipsius ruinam fore maiorem: nec certum esse, quòd ab ea resurget,

Tom. 1. Tract. 3. c. 5.

1. Cor. 10. 12.

4 ALIVS est conflictus curiositatis: vt si velit Confessarius plura scire, quàm sit opus ad finem absolutionis: vt si quærat à pœnitente nomen complicis; aut aliquid occulti, ad quod interrogandum nec ipse ius habet neque expedit ipsi manifestari: ne alienus defectus ipsi aperiatur; aut ipse imaginationi suæ laxans habenas, ex ijs quæ pœnitens insinuat, alia inquirere velit, incidendo in iudicia temeraria; aut suspiciones nihil ad rem facientes, quæ omnia sunt vitanda, dicendo sibi ipsi illud Apostoli: m *non plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem*: ne mihi ipsi noceat, & illud n: *quid mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit*. hoc est: cur ego me extendam ad iudicandum de ijs, quæ ad meum Tribunal non spectant? Non deerit alius Confessarius, qui id iudicet. quod si Confessarius non erit: Deus iudicabit: cuius ego iudicio rem hãc emitto. Quemadmodum enim nemo potest audire Confessionem pœnitentis, suæ iurisdictioni non subiecti: ita neque inquirere potest de culpis ad ipsius forum non spectantibus. ALIVS conflictus valde fortis ac pernicioſus solet euenire, pusillanimitatis scilicet, & timiditatis ad faciendum quod oportet, quando necesse est negare, aut differre absolutionem; asperius reprehendendo aliquod vitium; cogendo ad remouendam aliquam peccandi occasionem, aut restitutionem faciendam; & alia similia, ad quæ vt opus est præstanda, necessariæ sunt aliæ virtutes magis propriæ iudicum: de quibus in proximo capite est agendum

m *Rom. 12. 3.*

n *1. Cor. 5. 12.*

5

(..)

CAPVT

CAPVT IV.

CHARITAS ET COMMISERATIO, ZELVS, & Oratio Confessariorum.

ACCEDAMVS NVNC AD VIRTVTES EXCELSIORES, quæ conferunt ad hoc munus cum summa perfectione obeundum : quarum dux est CHARITAS valde accensa & fundata in quatuor illis proprietatibus quas Apostolus vocat a *latitudinem, longitudinem, sublimitatem, & profundum.* Debet itaque confessarij Charitas adeo esse lata, vt ipsius sinus capiat omnes totius mundi peccatores, nullo excluso, qui velit agere pœnitentiam ; sed expansis vlnis ad eos excipiendos offerre se debet, sicut b *Pater filij prodigi accurrit ad filium domum redeuntem.* Eadem charitas debet esse adeò longa, vt non defatigetur ; etiamsi per multos dies peccatores expectet: sed cum longanimitate eorum recidiuas ferat, etiamsi c *septuagies septies* eueniant: modò compuncti redeant. Debet esse adeo excelsa & sublimis : vt pœnitentes animet ac prouocet ad magnam in obsequio Diuino perfectionem. procurando, vt eis detur *annulus, stola, & calceamentum* omnium virtutum & *vitulus saginatus* Sanctissimi Sacramenti, vt nutriantur & crescant in Sanctitate. Debet esse adeò profunda eius charitas, vt humiliet se se ad manum porrigendam cuiuis peccatori, etiam abiectissimo & subulco ; & quamuis ob peccatorum multitudinem ad eorum profundum peruenisset. Hoc significabat visio, quæ ostensa est S. Petro, in qua d *vidit vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cœlo in terram: in quo erant omnia quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eum: surge Petre, occide & manduca:* & cum Petrus diceret: *absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum. vox* iterum dixit ad eum: *Quod Deus purificauit tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter : & statim receptum est vas in cœlum.* Hoc vas siue linteum, ait S. Augustinus, significasse Ecclesiam Catholicam; & Cassianus, Sanctum Euangelium: ad quod vocat Dominus noster (vt primo tomo est dictũ) omnes peccatores terræ, quantumuis detestandos in omni genere peccatorum, significatos per animantia, quæ erant in linteo, aut tantum depicta (vt ait S. Cyrillus Alexandrinus) qui per Baptismum moriuntur peccatis, & dealbantur, purificantur, & incorporantur Ecclesię tanquam viua eius membra. Sed quoniam eorum multi recidunt in horrenda peccata, fiuntque similes animantibus, iubet Dominus noster: Pastorem habentem claues cœli, mactare & comedere peccata, aut ipsos peccatores, quà tales gladio

a *Ephes* 3.18

b *Luc.*15.20

c *Mat.*18.22

d *Act* 10.11

Lib 10. *Hom.* 45. *& Serm.* 26 *de diuersis Lib.* 3. *de instit. Monach.* 103 *Tract.* 1 *c.*3. *Lib* 4 *de adorat. in Spirit & contr. Iulian.*

absolutionis Sacramentalis: præmissis ex parte ipsorum dolore, & Confessione peccatorum. Et tunc eos comedunt, & mystico Christi corpori inserunt tanquam viua eius Ecclesiæ membra.

SED quoniam aliqui sunt angusti cordis, horrentque agere cum peccatoribus valde detestandis, ne quid sibi mali adhæreat: aut stomachum ipsis moueat, cùm tot cernunt abominationes. hos inquam iubet Dominus dilatare cor, & os aperire, omnesque huiusmodi peccatores comedere: etiamsi animantia sint, terræque serpentia: nam ipse Dominus gratiâ suâ eos iam tetigit, & ad Confessarij pedes adduxit, elegitque vt puri sint ac Sancti. Non decet autem, vt ipsi horreant comedere cibum, quem Deus coram ipsis statuit. Attendent tamen meritò, interesse inter Dæmonem & Christum, & vtriusque ministros. Nam de Dæmone dicitur, quod e *eius cibus* sit *electus*. quia scilicet esurit mortem iustorum, quam vult deuorare, sibique incorporare. ac propterea eos persequitur, & continuè pertentat. f *Cibus* autem *Christi Domini est facere voluntatem Patris* in conuersione peccatorum *mactando & comedendo animantia, serpentia, & aues cæli* vt per gratiam & charitatem suam eos inserat in seipsum, Hic igitur esse debet cibus Confessariorum, quem comedant, non viuum sed mortuum. Quia non debent eum absoluere, qui velit in suis peccatis permanere; sed volentem, & optantem eis mori. Quare si pœnitens finat se ita mactari: non est, cur eius scelera nauseam Confessario adferant. Cum enim talis sit cibus Christi palato gratus: meritò etiam debet esse talis ipsi Ministri.

e *Habacuc* 1.16. *vide Lorinum.*

f *Ioan.* 4. 34.

SED quoniam aliqui non habent patientiam & longanimitatem ad repetendum hoc exercitium mactãdi, & comedendi eosdem peccatores offensi & commoti quod videãt, eos ex bona morte redire ad malã viã quam antea habebant; & recedere à charitate, Christi, cum quo per primã absolutionem fuerant cõiuncti: propter huiusmodi inquam impatientes Ministros, voluit Dominus noster ter Sancto Petro ostendi, & eandem vocem ter etiam repeti. Vt ex hoc intelligerent Ministri: non debere fatigari repetitione eiusdem officij, etiam sæpiùs facienda: nam peccatores modò cadentes, modo surgentes, ad æternam vitam perueniunt. Et hoc quod significatur, cùm dicitur: *vas illud linteum*, quod duabus primis vicibus occultabatur, tertio tandem *receptum esse in cælum*. Etsi enim prima Confessio, & absolutio non semper deducat peccatorem ad cœlum, cò accidentes reciduas si tamen perseuerent in frequentatione Sacramenti: tandem aperientur portæ Paradisi vt pateat peccatoribus: qui aliquando vere moriuntur suis peccatis. Additur quoq; *linteum fuisse receptum in cælum* vt Confessarij intelligant: finem sui ministerij esse eos qui fuerunt feræ & serpentes, exaltare, vt vitam ducant excelsam, cœlestem ac diuinam.

Siquidem

Siquidem Dominus Deus omnes ad eam vocat; & ex magnis peccatoribus solet magnos efficere Sanctos. Propter has omnes causas dicimus. Confessarios debere habere charitatem latam, longam, sublimem, valdeque profundam; & ex ea conficere vas linteum illi simile, quod S. Petrus vidit: quod capiat omnes peccatores terræ, eorumque curam gerant, & iuuent: vt tandem perueniant in cœlum.

§. I.

EX hac charitate, duobusq; eius actibus, amoris Dei & proximi educere debent Confessarij duos teneros affectus, qui ipsis in munere suo obeundo plurimum conducent. Magnum scil. sensum & dolorem ob peccata, quæ audiunt: quatenus illa Deum offenderunt; magnam quoq; misericordiam, & eorum miserationem, quatenus detrimentum sunt, & miseria ipsorum pœnitentium. Et hic dare debent operam, vt talis sensus & dolor adeò sit accensus, ac tener: vt suo igne frigidum pœnitentem calefaciant; & sua teneritudine durum emolliant; & suis lacrymis ad fletum impellant aridum: sicut de Sancto Ambrosio scribitur: quod audiens Confessiones adeo fleret, vt etiam qui confitebatur ad flendum, impelleretur. Ac fortè propterea, cùm Christus Dominus noster voluit Lazarum resuscitare, ait Euangelista: a *infremuit spiritu & lacrymatus est Iesus.* Repetit autem secundò, quod *in semetipso fremuerit*: vt intelligeretur, quod resuscitaturus peccatores mortuos, debeat flere & gemere bis propter peccata: quatenus scilicet sunt iniuriæ Dei, & quatenus sunt miseriæ ipsorum peccatorum. Qui autem bene nouit propria peccata bene sentire, ac flere: etiam nouerit sentire, & flere peccata proximorum: quia in omnibus adest motiuum illud, quod peccata sint iniuriæ Dei & animarum detrimentum. Et propter eandem causam fortè, cùm Christus D. N. statuisset dare S. Petro claues regni cœlorum, largitus est etiam ei donum lacrymarum ob sua peccata: quod perdurauit in eo per totam vitam, quando gallum cantantem audiebat: qui recordabatur triũ suarũ negationum. Sic enim erat ei facilè flere propter peccata eorum, qui ad ipsum subsidij causa accedebant. Præterea amor bona & mala inuicem amantium facit ipsis communia: & amor Dei facit nos flere, ob iniurias ipsi illatas, plusquam si nobis ipsis fierent; & amor proximi facit nos flere miserias eius, sicut nostras. Si pœnitens accedat flens: fleat etiam ipse Confessarius in signum amoris erga ipsum. charitas enim flet cum flentibus; quod si pœnitens accedat aridus, fleat Confessarius, vt & ille fleat. eò quod maior sit eius miseria: sicut Saluator ipse noster b *ingemuit* cùm voluit sanare *surdum & mutum.*

Ex eodem amore ac sensu prouenire debet alius affectus Confessarijs valde necessarius, feruens scilicet zelus contra peccata, vt ea conentur ex-

a *Ioan.* 11. 33. 38.

Ioan. 11 36. *Ecce quomodo amabat eum.*

b *Mar.* 7. 32.

tirpare

tirpare,& in nihilum redigere ob duplicem prædictum titulum: hoc est, quòd sint iniuriæ in Deum, & causa perditionis animarum. Cum enim fungantur Officio iudicum, nomine ipsiusmet Dei: debent etiam partes suas agere, Deique causam tanquam propriam accipere: zelando ipsius honorem,& contendendo: vt talis iniuria cesset. Hoc zelo debent reprehendere peccata; & pœnitentias ac satisfactionem in pœnam pro eis imponere, & remedia adhibere ad illa euitanda: munientes & induentes se sicut ipsorum Redemptor. de quo dixit Isaias: c *indutus est iustitia vt lorica & galea salutis in capite eius: indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio Zeli.* Sacerdos vt Sacrum Missæ decenter celebret, induit vestes Sacras. quæ referunt Sanctitatem, quam meritò habere debet; & quam Sanctum illud Sacrificiũ in se continet: quod pro nostra salute offertur, vt superius est dictum: ad audiendas autem Confessiones, tanquam Iudex in suo Tribunali, non habet externas vestes præscriptas: sed induere debet se que munire virtutibus internis, & speciatim quatuor illis à Propheta hîc expressis, quasi iudicum propriis, vt alibi exposuimus. Pro *lorica* accipienda est iustitia; quã plenè ibi exerceat, ferẽs sententiã absolutionis in eum, qui dignus est; negando autem indigno: si quidem claues seruit ad aperiendum & claudendum; soluendum & ligandum; remittendum & retinendum. Iustitia quoque vsui esse ei debet ad cogendum pœnitentem, vt faciat quod tenetur, & debet: soluendo debita, quæ habet, ignoscendo inimicis, condonando iniurias acceptas, euitãdo occasiones peccato proximas, & alia similia facienda, ad quæ tenetur. Pro *galea* ponere debet super caput suum spem salutis: quicquid enim fecerit dirigere debet ad salutem pœnitentis, quam tanquam rem maximè sibi dilectam & charam super caput suum ponere debet, nullo dato indicio diffidentiæ, aut animi abiectionis circa illam. Et in hunc finem induere se debet *vestimentũ vltionis*, & sancta quãdam ira; non in ipsum peccatorem, sed in peccata: incitando etiam ipsum, vt & ipse vltionem de eis sumat præscribendo ei pœnitentias, quibus id faciat. Et vt omnibus satisfaciat, tãquam *pallio induere* se debet feruenti *Zelo*, qui ipsius viscera comedat, ipsumque vegeat ad media adhibenda, quibus Dei hostes intereant, & peccata destruantur Sed non caret mysterio, quod iustitia appelletur *lorica*, quæ esse solet ferrea; indignatio verò & *Zelus* vocantur vestimentum & pallium, quod ex lana confici solet. Vt intelligatur: quod in officij rectitudine firmus esse debeat. & stabilis, non deflectendo in eo, neque ad vnum punctum propter vllum respectum; sed ostendendo in hoc magnam animi fortitudinem & constantiam, sine qua nullus debet Confessarij & Iudicis officium in his causis adire: memor illius Ecclesiastici sententiæ: d *noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescat*

faciem

c *Isa.59.17.*

Tom.2. Tract 4 c.6

d *Eccl.7.6.*

faciem potentis, & ponas scandalum in aequitate tua. Ac propterea periculosius est Confessiones audire potentium & magnatum: respectus enim & reuerentia erga eos solet scandalum aliquod debilibus adferre: ita vt vereantur facere in officio suo quod debent, ne illos contristentur, aut inclinare semper ad sentiendum & sequendum quod illis magis placet. Attendat itaque Confessarius vt loricam iustitiæ ita fortem & solidam induat, vt nullus humanus respectus eam flectat. Sed simul indignatio & zelus sit vestimentum laneum: debet enim misericordiæ & clementiæ coniungi: ita has virtutes accomodando, vt altera alterius effectum non impediat: vt postea dicetur,

§. II.

ALIO clypeo magni momenti munire se debent Confessarij, vt omnia quæ officij sui sunt, rectè præstent: de quo dixit sapiens, loquens de summo Sacerdote Aaron: a *proferens seruitutis suæ scutum, orationem*: significauit enim orationem quasi scutum esse, quo muniendi sint Sacerdotes, vt omnia sua ministeria ritè obeant, & maximè Confessarij: qui semper pugnant contra peccata, & contra Dæmones: qui pœnitentes quasi vinctos tenent. Et quamuis Apostolus b *fidem* appellet *scutum*: id tamen non prohibet, quin & oratio sit scutum: cuius vis & efficacitas ad obtinendum, quod petit, præcipuè innititur fidei & fiduciæ de omnipotentia & misericordia Dei. Quemadmodum autem scutum ex parte superiori latius est, ex inferiori autem angustius: ita oratio & fiducia, qua parte respicit Deum, summam habet latitudinem: quia de immensa eius bonitate sperat, quæcunque ad ipsius gloriam & nostrum bonum petit: qua parte verò respicit terram nostræ vilitatis, valde est angusta: quia orans diffidit sibi ipsi, proprijsque meritis. vtrumque tamen est ad ipsam orationem necessarium, nec minus iuuat humilis de se ipso diffidentia, quàm magna in Deum fiducia. Quæ tamen oratio in Confessarijs non debet angustari, vt pro seipsis tantum petant, & orent; sed latiùs se extendere ad suos pœnitentes. Quare suæ orationis scutum vtrumq; protegere debet orando scilicet suppliciter Dominum nostrum, vt vtrumque dignetur protegere; & auxilio suo adesse, vt vterque faciat exactè officium suum. Boni enim Confessarij oratio plurimum confert ad hoc, vt Dominus noster pœnitentem adiuuet. Scimus enim (vt aduertit S. Ambrosius) solere Christum Dominum nostrum propter orationes vnius remittere peccata alterius; præbendo ei auxilium, vt faciat quod in se est, vt ab eis liberetur, iuxta id, quod refert S. Lucas in miraculo illius paralytici, cùm enim Christus videret fidem eorum, qui paralyticum ipsi offerebant, eiusque sanitatem petebant: dixit paralytico: c *homo remittuntur tibi peccata tua.* Et quando voluit sanare d *surdum & mutum, apprehendit eum de*

a *Sap.* 18. 21.

b *Eph.* 6. 16.

Lib. 5. *in c.* 5 *S. Luc.*

c *Luc.* 5. 20.
d *Mar.* 7. 33.

turba seorsum, & suspexit in cœlum: vt ex eo intelligerent Confessarij, quorum munus seorsim exercetur, quòd oculos suos eleuare debeant in cœlum: vnde venturum est remedium; & orationibus petere lucem, & prudentiam, rectitudinem, & efficacitatem ad ea, quæ dicturi & facturi sunt, ad vitam & salutem pœnitenti obtinendam. Præclara huius rei imago

e 3. Reg. 17. 20. præcessit in eo modo, quo e *Elias resuscitauit infantem* quendam defuncti, & f *Elisæus alterum*: nam vterque seorsim receperunt se ad conclaue; vterque instanter orauit Dominum pro vita infantis; & vterque infantis se commensurauit; & Elisæus proprium *os coniunxit infantis ori, & oculos oculis, & manus manibus*: vt *calorem toti corpori* adferret: & cum oratione suam repeteret: tandem resuscitauit defunctum. Hunc in modum Confessarius, recipiens se ad confessionale, vt pœnitentis animam resuscitet: intelligat, debere se frequentare orationem ad minimum bis; initio scilicet Confessionis, & in fine. Et initio quidem petere à Deo auxilium, vt vterque exactè præstet officium suum, in qua oratione posset occupari, dum pœnitens generalem Confessionem præmittit; aut cùm ei impertit benedictionem, quam aliqui initio petere solent, dicentes: *Iube Domine benedicere*: Et Confessarius respondet: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis: vt rectè confitearis omnia peccata tua.* Amen. Ad finem etiam moris est, aliquas orationes ipsi absolutioni præmittere: qualis illa est: *Misereatur tui omnipotens Deus*, &c. vt bonum ipsius absolutionis effectum iuuent. Sed præter hæc quòd Prophetæ illi coniunxerint oculos, os, & manus cum oculis, ore, & manibus infantis suumq; corpus multò maius, quàm infantis ei commensurauerint, significat quod Confessarius debeat se accommodare pœnitenti, vt spiritualis vitæ calorem ei impertiat, iuxta illud Apostoli: g *omnibus omnia factus sum, vt omnes saluos facerem.* Cum pueris igitur faciat se puerum; cum sapientibus agat sapienter; & cum simplicibus etiam eorum simplicitati se accommodet. Elias ter hoc fecit, Elisæus bis: in omnibus enim oportet Confessarium accommodare se tribus pœnitentiæ partibus, Contritioni, Confessioni, & Satisfactioni; & considerare sententias, verba, exhortationes, pœnitentias; & reliqua omnia, quæ ad hoc Sacramentum pertinent iuxta pœnitentis capacitatem, & ingenium: vt sic amore illo Dei accendatur; oculos aperiat ad culpas suas agnoscendas, ac deflendas; os verò ad ritè confitendas. Manus quoque applicet ad opera satisfactoria: repetendo semel, iterum, aut sæpius, quod necesse erit ad hunc finem obtinendum. Attendat etiam diligenter, quòd Prophetæ corpus erat calidum, vt corpus defuncti calefaceret: nam frigidus Confessarius non calefaciet frigidum peccatorem, vt dictum est.

g 1. Cor. 9. 22.

Neque caret mysterio quòd Scriptura dicat: *Elisæum; cùm se incurua-*

sset

set super puerum, ambulasse in domo semel huc atque illuc: insinuat enim expedire aliquando, vt Confessarius, audita Confessione, antequam absolutionem impendat, recedat aliquantulum à Pœnitente: & quisq; ab altero separatus maneat, vt consideret, & perpendat aliquid, quod ad se spectet: pœnitens quidem, vt maiorem faciat circa sua peccata reflexionem; & circa ea quæ Confessarius ipsi dixerit: & sese excitet ad maiorem dolorem, & contritionem; & seipsum stimulet ad concipienda seria emendationis proposita; & cogitet, qua ratione exequi poterit Confessarij iussa, & monita. Confessarius autem in hac ipsa secessione instantiùs orare debet pro Pœnitente ipso; & attentiùs considerare reliqua remedia; & quæ facienda supersunt, ad integram vitam & sanitatem infirmo restituendam. Et quamuis non semper possit nec debeat huiusmodi separatio fieri ab inuicem; in prolixis tamen Confessionibus, & cùm res sunt confusæ, & intricatæ, plurimum refert id facere. Denique quòd Propheta secundò se coniunxerit puero, confirmat, quod diximus: Confessarium scilicet progredi debere cum spiritu amoris, & blandè, ac tenerè: quasi cupientem ipsum peccatorem in sua viscera inducere; eumque resuscitare, etiã exposita propria vita: eò quod illum diligat, sicut seipsum: cupiatque ipsum Deum imitari, qui sese humiliauit, vt formam hominis, & pueri susciperet; fiereréque vnum quid cum hominibus, vt eos ab eorũ miserijs eriperet, & eos, qui ob sua peccata mortui essent, resuscitaret.

Ex omnibus dictis in hoc capite deducere licet, quid Confessarius ad Confessiones excipiendas iturus facere debeat: induere scilicet arma virtutum, quas insinuauimus. Et *primum* quidem collocare se in Dei præsentia, & Christi Domini nostri obseruantis, quid ipse Confessarius agat, & quomodo iudicet: vt si Prætor aspiceret quid eius locum tenens faciat; aut ipse Rex, quid Prætor. Tunc enim iudex cum rectitudine iudicat, cùm cogitat, se coram ipso Deo iudicare. Aspicit enim seipsum in terreno Tribunali sedentem, atque si esset coram Tribunali cœlesti: *Deinde* intentionem suam in hoc iudicio dirigere debet ad solius Dei gloriam, eiusq; honorem tuendum; & animam illam reducendam: & ob reliquos fines muneris sui proprios; exuẽdo se intentionibus terrenis, & humanis respectibus, & omni genere acceptionis personarum: iuxta illud, quod S. Petrus Apostolus ad hoc propositum dixit, postquam viderat superiùs positam visionem: h *in veritate* inquit, *comperi: quia non est personarum acceptor Deus*; & quod dixit Deus in lege antiqua: i *Ita paruum sicut magnum audietis* aspicientes animas eorum, quasi iam exutas corporibus, & externis ornamentis: ita vt non propendeatis ad diuites aut nobiles, quà tales sunt; nec repellatis pauperes aut viles, ob eorum vilitatem: cùm Deus omnes magni faciat, & Christus sit pro omnibus mortuus; &

Iob 35. 13. iudicare coram illo.

h *Act.* 10. 34.

i *Deut.* 17.

sæpè quod in oculis hominum est vilius, in oculis Dei sit pretiosius; & quod in mundo excelsum habetur, coram Deo vili æstimetur. Rectificata intentione accedit *oratio* pro se & pro pœnitente, suppliciter orando Dominum nostrum, vt qui huic iudicio & curationi huius infirmi est præsens: velit tanquam supremus iudex & medicus supplere ministri sui defectus. Simul quoque orandus est vterque Angelus custos, qui etiam adsunt, vt Dæmones ligent: ne huc accedant, & feruentibus suis inspirationibus feruorem vtrique necessarium adferant.

CAPVT V.

SCIENTIA ET PRVDENTIA CONFESSARII necessariæ.

SCIENTIA ET PRVDENTIA SVNT DVO oculi Confessariorum ad videnda, & agnoscenda quæcunque ad proprium ipsorum officium spectant. Scientia dat cognitionem eorum, quæ sunt necessaria ad recte obeunda officia Iudicis, Medici, ac magistri; & ipsum Sacramentum Pœnitentiæ ritè administrandum: ita vt nihil desit eorum, quæ tres eius partes, Contritio, Confessio & Satisfactio, quibus accedit sententia Absolutionis, exigunt. *Prudentia* applicat generales scientiæ Regulas ad cuiusque pœnitentis particularia, iuxta rationis dictamen, perfectis omnibus Circumstantiis occurrentibus. *Scientia* varios habet gradus, quorum etsi maximus, & præstantissimus, qui pertinet ad Doctores, & Prælatos, (de quibus dicemus postea) sit etiam optimus, ad hoc ministerium tutiùs ac perfectiùs obeundum: minimè verò sufficit ad satisfaciendum obligationi ipsius muneris, quæ valde arcta est. Quia nemo Iudicis, aut Medici munus in se suscipere potest, nisi necessariam habeat ad iudicandum, & curandum peritiam: & qui sine ea officium tale admittit, grauiter peccabit, propter periculū, cui se exponit, non satisfaciendi veritati & integritati Sacramenti; etiam cum graui detrimento proximi. Neq; excusatus censebitur, eò quòd habeat ab Episcopo facultatē; aut Prælati mandatum; nec titulo Charitatis: Nullus enim prætextus virtutis licitum facere potest, quod est ex se illicitum; neque licet Episcopo indignum approbare; neque Prælato id alicui imponere: nec ipsemet, cui imponitur, potest acceptare: ne audiat

Vide Suarez Tom. 4. Disput. 28. Sect. 2.,

è Deo illud Prophetæ : a *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Et propter eandem causam non licebit pœnitenti eum sibi eligere in Confessarium, quem certò nouit esse idiotam, nec habere peritiam sufficientem ad tale munus bene obeundum: qui non prospicit animæ suæ de medico sufficienter perito; ideoque se exponit periculo notabilis alicuius erroris; & prouocat indignum ad faciendum, quod non potest absque peccato præstare. Et tunc locum haberet, quod Christus dixit suis discipulis, loquens de Pharisæis: *sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Ad remouendos autem scrupulos ex prædictis facilè prodituros, est aduertendum: quòd in dubio possit ac debeat Confessarius conformare se, ac cedere iudicio ipsum examinantis, & approbantis; & superioris iubentis: & ipse Pœnitens talem potest sibi eligere: si, attenta qualitate, & conditione suæ Personæ, illum iudicat sufficientem. Pœnitens enim doctus non ita multum indiget erudito Confessario; & qui conscientiam habet non implicatam, non indiget Confessario adeo industrio: atque is, qui intricatam habet.

a Osee 4. 9.

§. I.

Confessarij Scientia.

In Genere autem loquendo triplex scientia est Confessario necessaria ad dignè iudicandum: *Potestatis* scilicet, *Iuris*, ac *Facti*. Ad primam scientiam spectat, nosse: quousque sua iurisdictio se extendat: nullus enim potest absoluere non subditum sibi, siue ex iure, siue ex Priuilegio; nec; absoluere potest à casibus Prælato, qui ipsi iurisdictionem dedit, reseruatis; ac proinde tenetur, omnes tales casus distinctè nosse; & similiter Excommunicationes, ac Censuras impedientes absolutionem, & superiori reseruatas: siquidem Pœnitens aliqua tali ligatus, priùs ab ea est absoluendus, quàm à peccatis. Ad secundam scientiam spectat, nosse ordinatios modos peccandi contra leges Dei, & Ecclesiæ, & contra speciales status officij ipsius Pœnitentis; & discernere inter lepram; & leprã; & inter peccatum lethale ac veniale; & circumstantias mutantes species peccatorum, aut eadem notabiliter aggrauantes; & obligationes ex eis ortas restituendi, aut condonandi, aut remouendi occasionem; & reliqua omnia, quæ necessaria sunt ad integritatem Confessionis. Et quoniam Confessarius ex officio potestatem habet soluendi & ligandi; absoluendi & damnandi; & cùm absoluit à peccatis, simul obligandi ad certas aliquas pœnas temporales subeundas, quas appellamus pœnitentias, siue satisfactiones: necesse etiam est, eum scire, quas præscribere debeat, tam in satisfactionem præteritorum peccatorum, quàm vt à futuris præseruetur

1

2

Et quoniam etiam est medicus spiritualis, habere debet sufficientem scientiam & peritiam communium animæ morborum, eorumq; radicum, damnorum, & eorũ remediorũ: vt nouerit ea adhibere ad animas curandas, legendo (vt ait S. Thomas) hęc omnia in libris Scripturę sacrę, & doctorum Sanctorũ: Si videmus (inquit) medicos corporũ reuoluere quotidie, & legere libros medicinales corporũ, in quib. docẽtur curare corpora moritura: magna stultitia est non legere libros Sanctorũ, medicinales animarum, in quibus docemur curare animas in æternum victuras. Posterea confessarij iudicium (vt alibi diximus) est simile iudicio vitæ, in quo duplex liber aperitur: a *liber* scilicet *vitæ* hoc est notitię & cognitionis, quam Deus habet de rebus omnibus; siue liber Legis, in quo continetur ius, iuxta quod homines sunt iudicãdi: alter liber est conscientiarum, quo notatę sunt omnes actiones bonæ & malæ, quas quisque facit. Ineiam in iudicio Confessionis Confessarius aperire debet librũ scientiæ & cognitionis suæ, renouando memoriam legum & iurium, quæ ad suum Tribunal pertinent: & simul aperiendus est liber conscientiæ pœnitentis, qui est iudicandus. Et quamuis librum hunc aperire spectet præcipuè ad ipsum pœnitentẽ, à quo Confessarius debet accipere notitiã & informationem materiæ, de qua ferendum est iudicium: quæ est tertia scientia quã appellamus *Facti*: pertinet tamen etiam ad ipsum Cõfessarium, vt suis interrogationibus iuuet pœnitentem: ex cuius responsis plenã acquirat notitiam factorum eius omnium: peccatorum scilicet cogitatione, verbo & opere admissorum: quibus eius conscientia maculata est, & onerata. Hæc scientia est difficillima omnium, quæ sunt in terra. Ex vna enim parte cõscientiæ sunt adeò varię ac diuersæ, atq; sũt naturales vultus hominum: imò adhuc in his est maior varietas: nam vultus raro mutãtur, nisi post multos annos, aut ex morbis extraordinarijs. In conscientijs autem magnæ solent esse mutationes: eò quòd oppugnẽtur à varijs spiritibus & à multis passionibus, quæ fluctuũ instar varias efficiũt alterationes. Et altera verò parte, conscientię sunt libri clausi & obsignati; dispositio autem intetior pœnitentis, à quo plurimũ dependet rectitudo sententiæ & curationis, difficillimè cognoscitur. vt enim per Ierem. dixit Deus: b *cor hominis est inscrutabile*, & solus ipse *Deus* eius creator potest *illud scrutari*. Quare ipsemet homo sæpè nõ satis nouit opera sua c *ponẽs tenebras lucẽ, & lucem tenebras*. Et quãuis aliquę cõscientię sint satis clarę, serenę, trãquillæ, & faciles quæ cognoscãtur, sicut cęlũ clarũ ac serenũ, & in medio diei serenæ & sine nubibus: aliæ tamen sunt obscuræ, nebulosæ, ac turbatæ sicut dies in hyeme turbidę, adeoq; intricatę, vt vix agnosci possint: nã vt dicitur apud Iob: d *immiserunt in rete pedes suos, & in maculis eius ambulabãt*, inuoluentes sese laqueis p̃eccatorũ, passionum, & curarum & mille aliarum tricarum.

Opusc. 65. Citato.

Tom. 1. Tract. 3 c. 6. Apoc. 25. 12.

b. *Iere. 17. 9.*

c. *Isa. 5. 20.*

d. *Iob. 18. 8.*

§ II.

Implicatæ conſcientiæ.

CONSCIENTIAS implicatas, maioris claritatis cauſa reducere licet ad ſeptem differentias. *Prima* & quidem rudiſſima, eſt *ignorans*, hoc 1
eſt neſciens id quod poteſt & tenetur ſcire, tam in rebus fidei, quã in obligationibus legis, & ſtatus ſui: hæc habet tricas non paruas: eò quòd non ſemper ſit certum, & manifeſtũ, quod potuerit nouiſſe, quòd ignorat; aut an ſufficientem poſuerit diligentiam, ad id cognoſcendum, an non? Ex quo oritur, quòd ignorantia, aut ſit inuincibilis, aut vincibilis, abſque culpa, aut cum illa. Huic affinis eſt conſcientia *erronea*, quæ 2
in particularibus caſibus iudicat eſſe peccatum, quod eſt aliàs licitum: & nihilominus illud facit: ac proinde in eo peccat: quia quod in ſe fuit, voluit tranſgredi quod putabat eſſe præceptũ. *Tertia* eſt conſciẽtia *illuſa* ac 3
decepta à Sathana in Angelum lucis transfigurato; aut à proprio ſuo iudicio ſub ſpecie virtutis quæ iudicat, licitum eſſe & ſanctum, quod reuera malum eſt & noxium; & cum ea intentione illud facit: eſt tamen difficile dignoſcere, ad quemnam gradum peruenerit bona hæc fides, & intentio; & an fuerit ſufficiens ad excuſandum à culpa, aut eam imminuendã aut nullam habeat excuſationem: eò quòd ipſe illuſioni dederit occaſionem, & potuerit facilè aduertere fraudem ac deceptionem decipientis *Quarta* conſcientia eſt *obliuioſa*, immemor, & parum in ſe ipſam reflectẽs: 4
quæ dum opus facit, ſufficientem habet aduertentiam, & attentionem, vt tale opus ſit peccatum: ſed facilè obliuiſcitur, quid fecerit: quæ tamen obliuio non excuſat à peccato. Eſt etiam difficilè ſtatuere, quando fuerit culpabilis obliuio, aut ſine culpa: eò quod fecerit quantum ſatis erat ad remedium adhibendum. *Quinta* conſcientia eſt *timida* & *ſcrupuloſa*, quę timet, vbi nõ eſt quod timeat, & exiſtimat ſe paſſim impingere, 5
& peccare in omnibus, quę dicit & facit. Ex quo incidit in multas perplexitates ac dubia: interdum cum aliquo fundamento & cauſa; interdũ verò abſq; valla cauſa; & ſępè eſt difficile agnoſcere, & ſtatuere de eo quod in ea geritur. Sæpius tamen non tanta eſt difficultas in ea agnoſcenda, atque in curanda, & paci ac tranquillitati reſtituenda. *Alia* conſcientia eſt 6
in alio extremo *audax* & *temeraria*, quæ ſeſe effundit in negotia abſque cõſideratione & attẽtione, ex impetu paſſionis, ſiue illa ſit ira, ſiue cupiditas, aut ambitio. Paſſiones enim ſunt conſcientiarum retia, quæ illas mille modis & rebus implicant: vt, quod paſſio appetit, conſequantur. Et quoniam rationis oculum excæcant, voluntq; trahere poſt ſe intellectũ, vt iudicet, approbetq; quod propria deſiderat voluntas: eſt difficillimũ conſcientiã illa explicare & extricare, quæ talibus retibus eſt irretita.

Eſt

Est denique alia conscientia tota effusa & *anxia* ob nimiam solicitudinem & multitudinem negotiorum, in quibus ratione sui status & officij versatur. quales esse solent multorum, quibus incumbit munus gubernandi, aut alia officia publica; aut sunt mercatores, aut aliorum negotiorum actores: quorum multitudo consciẽtiam non laxam sed strictam & anxiam solet valde implicare, nec est facilè eam extricare. His accedit, quod sit tanta multitudo circumstantiarum, quæ solent cum ipsis operibus concurrere, vt valdè sit difficile, generales Regulas ad casus particulares applicare, & exactè cognoscere malitiam & grauitatem peccati: nam quædam illud aggrauãt, aliæ alleuiant, & aliæ excusant. Hęc omnia complectitur scientia Confessarij: quia eius officium exposcit, conscientias extricare; & aperire, quid in illis sit: vt sententiam absolutionis ferre aut negare possit, prout magis expediet. Nullus enim iudex potest aptè ferre sententiam in causa, cuius factum non satis intelligat. Sicut nec medicus potest bene mederi morbo, quem prius non bene cognouerit. Quia autẽ tot conscientias ex officio curare debet: magna scientia & prudẽtia opus habet, ad eas bene cognoscendas. Quoniam autem experientia ad id est summi momenti: multum refert, Confessarium esse senem, & bene expertum. Nam circa cognitionem operum internorum maximè locum habet, quod dixit Ecclesiasticus: *à qui non est tentatus, quid scit? Qui non est expertus, pauca recognoscit*: ex multa autẽ experientia magna oritur astutia & prudentia: quæ efficiet, vt Confessarius peritus sit, ad cognoscendam conscientiam Pœnitentis; & obseruet ad quem ex his septem gradibus illa spectet: & ita applicabit vnicuique aptum remedium. nam tanquam Magister tenetur docere ignorantem ea, quæ ille scire tenetur; & spectãt ad fidem Catholicam: & speciatim tria illa, quæ in ea sunt difficiliora: vt iuxta suam capacitatem ea intelligat: mysterium scilicet vnus Diuinitatis in tribus Diuinis personis; Incarnationis Christi veri Dei & hominis; & præsentiæ corporis & sanguinis Christi absque substantia panis in Sanctissimo Sacramento. Docere etiam illum debet, quod pertinet ad Dei & Ecclesiæ leges; & capacem reddere grauitatis peccati lethalis: vt illud euitet; & rigoris iustitiæ Dei & pœnarum inferni: vt eas timeat: dando operam vt harum rerum proprium faciat conceptum eo modo, quo tunc fieri potest; aut eum monere mediorum, quæ adhibere debet: vt eorum deponat ignorantiam. Ijs etiam, qui conscientiam habent erroneam, aut illusam, aut scrupulosam, debet errores & illusiones retegere: magna adhibita dexteritate: vt ita clarè rem totam explicet, tenebras illius dissoluat. Deniq; tanquam medicus omnes has infirmas conscientias curare debet, per varias interrogationes pœnitentibus propositas: vt eas bene cognoscat iuxta illud decretum Lugdunensis Concilij: *Sacerdos*

Experiẽtia.

a *Eccl.* 3. 49

sit discretus & cautus, vt more periti medici infundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere: diuersis experimentis vrendo, ad saluandum ægrotum. Ex quo fit, vt quemadmodum in causis grauioribus, & maioribus Tribunalibus necessarij sunt iudices doctiores; & medici peritiores magisque experti ad grauiores morbos curandos, & in personis altioris ordinis, & in ciuitatibus splendidioribus: ita etiam Confessariorum scientia maior aut minor requiratur iuxta qualitatem eorum, quorum confessiones excipiunt, & modum conscientiarū eorundem: nam qui sufficiens est ad excipiendas Cōfessiones plebis simplicis ac sincerę, & conscientię clarę ac expeditę: nō statim erit sufficiens ad eos audiendos, qui cōscientias habent implicatas Qui autem in cōmuni expositus est, vt omnes accedentes ad se audiat: is sufficientem scientiam habeat necesse est, ad satis faciendū omnibus. Et quamuis (vt Concilium loquitur) sufficiet, quod *in casibus dubiis possit requirere iudicium Sapientiorum: modo non prodat Pœnitentem, nec aliud præbeat iudicium ex quo possit cognosci*: hoc ipsum tamen rarò fieri debet: ideoque is ordinarius Confessarius esse debet sicut ille Samaritanus, qui occurrit ei, qui inciderat in latrones: qui tanquam peritus chirurgus, & suo officio attentus prospexerat sibi de omnibus ad curationem eius necessarijs: neque enim opus fuit curationem differre, & hærere in quærendis fascijs, quibus vulnera ligaret; nec vinum & oleum, quod in ea infunderet: nam omnia secum habebat; & vbi opus fuit, exposuit, & vsus est eis. Ita prudēs Confessarius & solicitus non debet expectare, vt studeat, & remedia quærat eo tempore, quo confessionē audit: sed semper memoria debet retinere scientiam, & cognitionē morborum omnium, ac vulnerum, & remediorum, quæ ad ea curanda sint apta: ita vt statim possit facere quod in se est ad præscribendum, quod expedit ægroto; & remedium applicare tanquam Chirurgus peritus. Quoniam autem hæc scientia valde latè patet, & ad multa se extendit: faciemus hic breuem quandam summam rationum & remediorum quæ nosse debēt Confessarij, vt suis obligationibus plenè satisfaciant.

c. Omnis vtriusq; sexus de Pœnit. & Remissionib.

(·.·)

CAPVT VI.

SECRETVM SERVARE DEBET CONFESSARIVS omnium, quæ in Confessione audiuit, propter septem causas siue titulos, qui sunt tanquam septem sigilla.

PRIVS QVAM AD VLTERIORA PROGREDIAMVR, opere pretium erit Confessarios hic monere seuerissimi summiq; Secreti, quod sigillum Confessionis appellatur, quo clausa & obsignata manere debet scientia peccatorum omnium, ac rerum, quas audiunt, & quæ in ipsa Confessione Sacramentali geruntur: adeò vt neque verbo, neque opere, neque vllo prorsus indicio aliquid aperiant, neq; magnum, neque paruum eorum, quę in cõfessione aguntur: sed omnia obsignare debent septẽ sigillis, hoc est septem titulis & causis efficacissimis, quæ eos obligant ad omnia secretò seruanda.

Vide Suarez Tomo. 4. in 3. P. Disp. 23. vbi probat verò omnia, quæ hic dicũtur.

1 PRIMVM sigillum est *Præcepti naturalis*, quod nos obligat, non manifestare quę alij nobis secretè dicunt, petentes consilium, aut auxilium aut propter finem alium bonum. Nam alioquin non posset communicatio inter homines & amicos cõseruari, nisi talis adesset obligatio secretò retinendi, quæ ita committuntur. Propterea enim Salomon dixit; a *qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.* Secundum sigillum est *speciale præceptum*, quod Christus D. N. proposuit, cùm Sacramentum hoc instituit, vt tutò possent pœnitentes confiteri, & accipere spirituale bonum absque alicuius boni temporalis iactura. Et hoc sigillum est incomparabiliter strictius priori. Nam secretum naturale non obligat cum detrimento boni communis Reipublicę, aut periculo vitę proprię, aut cum grauissimo damno honoris aut facultatum: at secretum confessionis adeò est seuerum, vt violari non possit, etiam propter bonum totius Ecclesiæ; neque si adsit periculum proprij honoris, & vitæ amittendæ.

a Prou. 11. 13

2

3 *Tertium* sigillũ est, *Præceptum Ecclesiæ*, quæ confirmat Diuinũ: vt adhuc securius reddat secretum: quia addit graues pœnas in transgredientes illud, quæ sunt depositio ab officio, & perpetua in aliquod Monasterium reclusio. Ad hæc tria præcepta multũ iuuant quatuor virtutes quasi quatuor alia eiusdem secreti sigilla. *Quartum* sigillũ, est virtus *iustitiæ*, quæ obligat ad seruandam proximi famam & non aperiendum occultum eius

De Pœnit. c. Sacerdos c. omnis vtriusq; Sexus de Pœniten & Remiss.

4

defi-

delictum, ne infametur. Et grauissima illi inferetur iniuria', si proferatur in publicum, quod ille dixit in illo foro adeò secreto. *Quintum* sigillum, est virtutis *Religionis*, ad quam spectat exhibere & cõseruare reuerentiam Sacris rebus debitam: & propter eam, quæ Sacramento huic debetur, seruandum est summum secretum, quasi sacrum & inuiolabile; ita vt illud frangere sit horrendum sacrilegium. *Sextum* sigillum est *charitatis*: est enim b *fortis vt mors, dilectio, & dura sicut infernus, æmulatio* in custodiẽdo firmissimè secreto quod semel accepit. Et hęc obligat ne scandalizentur fideles: qui ex nulla re adeò scandalizarentur, atque si audirent reuelari Confessiones: nam ex hoc magna illis daretur occasio ab eis abstinendi: ne famam suam periculo exponerent. Ex quo efficitur, vt de Secreto quidem naturali licitum sit loqui cum eo qui illud commisit, quandocunque occurrit occasio: at de hoc Sacramentali secreto non licet post Confessionem auditam, etiam cum ipso Pœnitente de ijs, quę confessus est, sermonem miscere; propter pudorem quo ille facilè efficeretur ex tali colloquio, & hoc esset sufficiens, vt Sacramentum ipsum fieret grauissimum, & intolerabile, ideoque magna ei infertur iniuria, si sermo misceatur de his, quæ in confessione sunt acta.

5

6

b *Cant.* 8.6.

Septimvm sigillũ est *fidelitas*, qua Confessarij, ipsemet Deo, quorũ sũt Ministri, sunt obstricti: qui ita seriò ac certo peccata remittit, vt dicat: c *omnium iniquitatũ eius nõ recordabor*, & ita p *deponit iniquitates nostras, vt proijciat in profundum maris*: vbi perpetuò latebunt, ita vt nunquam compareant. Quod cum faciat supremus Iudex: tenetur procul dubio eius Minister, qui Pœnitentis peccata audit, nunquam vices Dei gerens: illa occulta seruare; & eorum perpetuò obliuisci, ne vnquam sermonem de ijs misceat, ut aliquo insinuet indicio.

7

c *Ezechiel* 18.22.

d *Michæa.* 7.19.

Septem hæc sigilla Confessarium obligant ad secretum adeò seuerum seruandum, vt Christus Dominus noster nulli in terra potestatem, ut facultatem dederit circa illud dispensandi in vllo casu: solus ipse Pœnitens potest hęc sigilla ex parte aperire, faciens Confessario potestatem, vt peccata quæ confessus est, manifestet: qua tamen facultate vti non debet, nisi cum summa cautela, & prudentia. Etsi enim pœnitens possit proprio iuri cedere, præbens consensum, propriæ vtilitatis & commodi causa, vt manifestetur quod confessus est: non tamen potest cedere iuri ipsius Sacramenti, & ei debitæ reuerentię. Quare si aliqua irreuerentia, scandalum, aut incommodum aliud timeatur in detrimentum sacri huius Tribunalis; reticendum omnino est quidquid in eo est actum. Ideoq; vniuersim loquendo scientia confessionis debet esse quasi nõ esset, ad quęcũq; extra eã sunt faciẽda: siue agatur de gubernatione siue de

monendis alijs ad præcauenda quęcunq; incommoda. Minus enim malum est, permittere etiam multa mala eaque grauissima: quam ea præuenire ex hac scientia, & notitia, cum periculo manifestandi quod in ea est cognitum.

Ex his licet aliqua documenta magni momenti deducere. *Primum* est, 1
quod frangere aut manifestare hoc secretum Confessionis semper sit peccatum mortale, etiamsi materia sit leuissima, Etsi enim manifestare aliquod mendacium quod Pœnitens est confessus, nõ cedat in grauem eius infamiam: est tamen grauis iniuria Sacramenti, quæ semper erit mortalis: neque in hac materia vnquam erit culpa tantum venialis: nisi ex naturali aliqua inaduertẽtia contingat: sicut in alijs materijs etiam grauissimis
potest euenire. *Secundum* documentum est, quod etiã sint summo secre- 2
to seruandę circumstantię, & cõditiones Pœnitentis: cuius notitia facile oritur ex eius Confessione, & imminuit eius opinionem in re quacunq;. Vt si diceretur quod sit scrupulosus, timidus, pusillanimis, præceps, illiberalis, aut quod patiatur tẽtationes, quod laboret Zelotipia, aut quod sit illegitimus, aut ex infami familia, aut aliquid simile. Cum enim hæc non aliunde sciuntur, nisi ex ipsa confessione, cùm pœnitens suã aperit conscientiam, & timores, aut dubia circa sua peccata: nullo modo licet ea manifestare, quamuis illa nõ sint peccata. Idem sigillum Secreti obli- 3
gat ad secretò retinẽda peccata complicis, quẽ ipse Pœnitens manifestat, aut propter aliquẽ legitimum finem, aut ex aliqua imprudentia. Et similiter peccata, aut aliorum defectus, quos imprudenter pœnitens, dum sua confitetur, manifestat: etiamsi illi complices non sint. vt si pœnitens se accusaret, quod voluisset sororem suam occidere, eò quòd eam in stupro, aut adulterio deprehendisset. Quorum omniũ ratio est: quia omnia hæc seruare secreto expedit: ne confessio ipsa odiosa fiat, & fama pœnitentium tutius conseruetur; & similiter reuerentia huic Sacramento debita: ea simplices etiam, & litteris non eruditi securiùs possint suas conscientias manifestare. Et propter eandem causam abstinendum est à quibusdam 4
propositionibus generalibus, ex quibus deduci possint res aliæ magis particulares: præcipuè si tempus, aut locus, aut aliud simile exprimatur: vt si diceretur: in tali loco audiui multa sacrilegia, aut adulteria; aut in tali tempore, in tali loco audiui tot confessiones generales quæ necessario fuerunt repetendæ; aut primus pœnitens, quem audiui in confessione erat fur, aut adulter &c. Omnia inquam hæc sunt verba indiscreta, & quę facilè præbent occasionem grauissimorum incommodorũ, cum iniuria Sancti huius Sacramenti. Et vniuersim refert plurimum, vt Confessarius valde sit taciturnus in omnibus, quæ ad ipsius officium spectant: strenuè mortificans appetitum & propensionem ad aliqua dicenda, quæ illi in

confes-

cõfessione euenerint. Hæc enim vt plurimũ ab animo inaniter gloriãdi, aut iactandi se, aut ex animo leui & propenso ad garriendum, & inania solatia quęrenda proueniunt. Quemadmodum d *vas quod non habebat operculum, immundum censebatur, & ineptum ad vsum Sanctuarij:* ita Sacerdos, qui linguam suam non nouit refrenare, non est aptus, vt sit Confessarius. Quia facilè prophanabit secretum fori sui, quod est Sacrum. De quo intelligere licet, quod Sanctus Raphael Angelus dixit Tobiæ: e *Sacramentũ Regis abscondere bonum est*: hoc est secretũ, quod Rex commendat. Hoc enim nomine, quod ille id commendat, est secretum Sacrum: cum igitur secretum Confessionis sit secretũ á cælesti Rege commissum; & in hac debent ipsi cum summo rigore tãquam secretum Sacrum seruare timentes seueriſſimam Dei punitionem, in frangentẽ illud: quocunq; modo id faciat. Etiam refert multum aduertere, quòd cum Confessarius aliquid manifestat eorum, quæ in confessione audiuit; aut consilij accipiendi causa, aut ex inaduertentia, aut etiam ex malitia: quicunque illum audiunt, tenentur seruare idem Secretum & Sigillum cum eadem seueritate & rigore. Notitia enim quam Confessarius accipit in Sacramento: quomodocunque ad alios transeat, transit cum eodem onere & obligatione quam habuit primus, qui illud accepit. Quemadmodũ qui in potestate sua habet pignus aliquod, aut rem alienam: si is eam aliis tradat, res transit cum eodem onere, quo ipse illam habebat. Idq; totum est necessarium ad seruandam reuerentiam, & vsum Sacrosancti huius Sacramenti. Et propter eandem causam quicunq; Secularis accedens ad confiten. tem, & audiens aliquod eius peccatum: siue accesserit ex malitia, siue inaduertenter: tenetur ad idem sigillũ Secreti seruandum. Quemadmodum enim reuerentia ipsius Sacramenti illos obligat, ne audiant, quod ibi in secreto dicitur: ita obligat eos ad secretum seruandum: quocunque modo per ipsum Sacramentum id nouerint. Quare quicunque alijs manifestaret, quod tunc à pœnitente audiuit, aut postea à Confessario in casibus prædictis, admitteret grauissimum Sacrilegium seueriſſimo supplicio dignum.

d *Numer.* 19.15.

e *Thebia.* 12. 7.

(·.·)

CAPVT VII.

DEXTERITAS ET INDVSTRIA CONFESSARII in iuuando pœnitente ad confessionem integrè faciendam; & nominatim reticente studio aliquod peccatum; aut non habente propositum illud deserendi.

PRIMVM IN QVO DEBENT CONFESSARII prudentiam & industriam suam ostendere, est in adiuuandis Pœnitentibus in casibus necessarijs ad veritatem. *Primus* casus necessarius est Confessionis *integritas*: vt scilicet omnia peccata lethalia aperiant, nullo excepto, & quidem cum vero & firmo proposito ab eis in posterum abstinendi. PRO cuius rei fundamento est aduertendum, quod prudens Confessarius debeat primum generales interrogationes præmittere, quæ lucem adferant conscientię pœnitentis antea sibi ignoti: quæ ordinariè sunt quatuor.

PRIMA interrogatio est, à quo tempore ille nõ sit confessus: vt hinc nouerit, quo affectu ille ad Sacramentum accedat; & quia id iuuat ad faciliùs cognoscendum numerum peccatorum, qui sæpè mensuratur ex tempore. *Secunda*: an pœnitentiam sibi iniunctam expleuerit; & reliqua, quę in præcedenti confessione ei fuerunt iniuncta: vt ex obedientia aut inobedientia præcedente conijciat Cõfessarius, quid facturus sit penitẽs in hac confessione.

Tertia est: an examinauerit & cogitauerit benè de suis peccatis; & quantum temporis huic examini tribuerit: vt ex hoc intelligat ipse, quale auxilium ei possit impendere. Neq; nocebit interdum etiam interrogare, an sibi satisfecerit, & pacatâ sit conscientiâ ex præcedentibus confessionibus: quãuis hoc melius cognoscetur ex progressu ipsius Confessionis.

Quarta, est interrogatio de statu, & ratione eius viuẽdi: ex quo multę oriuntur peccatorum circumstantię. Hac generali inquisitione pręmissa, progressus fit ad particularem, attenta differentia inter Confessionem Sacramentalem, & eam, quam facit reus in foro exteriori; quæ non est voluntaria, sed coacta: vt quę non tam ad ipsius rei bonum proprium dirigatur; quàm ad ipsius pœnam, in bonũ commune. Quare ad iudicem rectà spectat, reũ de eius delicto interrogare; qui nisi interrogetur, non tenetur illud cõfiteri. At Sacramentalis confessio est spõtanea: quia dirigitur

gitur in bonum ipsius pœnitentis: vt scilicet ei peccata remittantur. Qvare ipsius est, etiam non interrogatum, omnia confiteri: ad Confessarium autem nō pertinet interrogare nisi in casu, quo prudenter iudicaret illum præterire aliquod peccatum, Hoc autem prouenire potest ex aliqua quatuor radicum siue causarum: ignorantia scilicet; aut quod non exactè fecerit conscientiæ examen; aut ex obliuione: aut denique ex malitia: quia pudore oppressus sponte reticet aliquid. Ad hoc autem exactiùs cognoscendum, solet esse aptum medium permittere pœnitentem dicere quicquid cogitauerit confiteri: & quo modo ipse dicere voluerit. Et inde aliquam notitiam accipere licebit eius, quod omittit; rerum, de quibus interroget: cum ea tamē cautela, ne aliquid interrogans, oculos aperiat ei, qui eos habebat benè clausos: hoc est, ne modos aliquos peccandi insinuet, non scienti aliquid de illis: ne forte occasionem inde sumat faciendi, quod antea nesciebat Quod (vt aduertit Gerson) cauendū est, maximè cum pœnitentibus iunioribus, sinceris, bonæque intentionis, & in materijs impuris, aut obseruationib. prognosticis, & superstitionibus. Quare primùm interrogandæ sunt res in genere; deinde sensim, & cautè ad magis particularia descendendum. Proposita autem interrogatione, si fateatur aliquod graue crimen, quod antea non erat confessus: interrogandus dexterè est, cur priùs illud non expresserit: vt intelligat Confessarius, an propterea non fuerit confessus, quod non sciret esse peccatum; an quòd esset oblitus; an quòd non satis diligenter suam conscientiam examinauerit; an denique propter pudorem reticuerit: & iuxta responsum applicanda est medicina, docendo illum, quod ignorabat; aut faciendo, vt se ipsum accuset de voluntate, qua voluit culpam reticere; aut aliquid temporis ei tribuendo, vt meliùs cogitet de suis peccatis, si ita negotiorum qualitas exegerit. Hoc totum S. Augustinus breui compendio dixit: *diligens inquisitor & subtilis inuestigator sapienter & quasi astutè interroget à peccatore quod forsitan ignorat, vel præ verecundia velit occultare.* In quo loco commendat sagacitatem in benè examinandis duabus magis ordinarijs radicibus, & causis reticendi in confessione peccata: ignorantiâ scilicet, & pudore: quas significabāt duo illi à Dæmone obsessi: alter a *cæcus & mutus, alter* b *surdus & mutus: quos* Christus Dominus noster ab omnibus simul morbis liberauit: vt intelligeremus omnia peccata simul remitti, vt dæmonium ab animabus, quas obsidet, omnino recedat.

Caiet. verbo Interrogationes. Confess. S. Antoni. 3 P Tit. 13. c. 37. 1. P. de arte bene audiendi Confes.

Lib. de vera & falsa Sapien. c. 20

a *Matt.* 12. 22.
b *Mar.* 7. 33.

§. I.

Sed difficilior curatio est, peccatorum mutorum, & malitiosorum qui

qui aliqua confitentur, vt ad oculum satisfaciant; tacent verò quod grauius est, & quod pudorẽ adfert: cũ quibus maiori prudentiâ opus est, ad cognoscẽda eorũ interiora; & ex eis, quę aperiũt, deducẽda quę occultãt. Hoc significat (vt aduertit S. Gregor.) quod fecit Ezechiel a *videns foramẽ quoddam in pariete templi: quem iussit Deus fodere parietem: & ingressus vidit abominationes pessimas* peccatorum latentium in tenebris, & *sacrificantium Idolis. Foramen* paruũ (ait) est culpa minor, quam sponte peccator manifestat. *Fodere* autem *parietem*, est, ex parua illa culpa maiorem, quę in eius corde occultabatur, deducere: ita agendo, vt ipse pœnitens eam aperiat, & ea omnino expulsa, sanitati restituatur. Quod si aduerterit, cor eius obduratum quasi parietem ex lapidibus & calce compactum, quia refugit omnino sese manifestare: adhibenda sunt ferrea instrumenta, graues scilicet reprehensiones, ac tremendæ Dei minæ, & horrenda exempla eorum, qui ob non manifestatum aliquod peccatum fuerunt damnati: Qui autem eam cordis duritiem non habent, rationibus mollioribus & suauioribus sunt inducendi. Eũ in modum, quo b *Christus* Dominus noster, sanauit *mutum, tangens digito suo* intincto in saliuam suam, *linguam* eius: quæ saliua significat Diuinam sapientiam cum discretione applicatam: vt facilè & iucundum illi esset loqui; suamque miseriam aperire. Sed quẽadmodum mutus ille non fuit locutus statim, atque Saluator ipse eius linguam saliuâ suâ tetigit; donec efficax illud, & potens verbum *Ephetæ* protulit, quod est: lingua aperi; & loquere; quod tamen verbum non priùs ipse Christus protulit, quám linguam digito & saliua sua tetigisset: ita etiã rationes siue molles siue fortes, quæ muto peccatori proponũtur, vt loqui & confiteri sua peccata velit: non conuincent ipsum, donec efficax Dei verbum, & potens eius inspiratio accedat: cuius vis & efficacitas valet aperire os mutorum, & soluere linguas eorum; & impedimenta remouere, quibus à confessione detinentur. ordinariè tamen hęc vox nõ percipitur, nisi rationes aliquæ & motiua præcedãt: quę sensim cor ad id faciendum disponant: aperiente ipso Domino priùs aures muti, qui simul est surdus: vt ad interiora perueniant, & fiat eorum capax. Et in hunc finem Confessarij rationes illas proponere debent, expectantes diuinæ misericordiæ, eiusque omnipotentię efficacitatem. Quarum rationum multæ positæ fuerunt in Tractatu de Pœnitentia, quæ summatim præcipuè sunt septem.

PRIMA ratio est, eò quòd Deus Dominus noster, qui præcipuus est huius Tribunalis Iudex, videt & optimè nouit omnia peccata, quæ ipse pœnitens studet in Confessione reticere: Christianus autem non est sicut Israelitę illi idololatrę, quos retulimus: Qui recipiebant se ad locum valde occultum, dicentes: c *non vidit nos Dominus.* Quamuis enim miserè

a Ezech 8.8 Lib.26 Moral. c.5 & 2. P. Pastor. c.16.

b Mar.2.33

Tomo 1. Tract.3.c.5.

c Ezech. 8. 12.

in hoc

hocerrabant: facto tamen suo insinuabant, se non esse adeò temerarios, & impudentes: vt, si existimarent, se à Domino videri in loco illo adeò occulto: ausi fuissent talia scelera perpetrare. Parũ enim refert, qnòd ea sint hominibus occulta: si Deo ipsi pateãt. Quod si hoc dicunt infideles: quomodo audebunt Christiani peccata sua abscondere, & occultare Confessario: credentes, sicut reuera credunt, Deum illa videre & nosse? Si certò crederes, Confessariũ aliâ viâ tua peccata nosse: non auderes ea in confessione reticere: id enim esset illum irridere, & velle decipere sine vllo tuo fructu. Cùm igitur credas: Deum illa exactè nosse: cur ea occultabis ei, qui vices eius agit, & eius nomine de eis te interrogat, vt illa aperias? Cum Iosue detexit occultum Achan peccatum, quod ille conatus fuerat occultare: dixit ei: d *da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi, quid feceris; & ne abscondas.* Quasi ei dixisset: si peccatum velis occultare aufers gloriam Deo: quia contemnis eius mandatum: quòd si confitearis, reddis ei magnam gloriam: quia vt ipsum glorifices eique obedias, manifestas quod erat nobis occultum. Et hæc est *secunda* magni momenti ratio: cùm enim Deus iusserit confessionem fieri integrè, vt pœnitens à peccatis sanetur: iustissimum est ei parere; & magna ignorantia, velle ei resistere: cùm non sit aliud remedium remissionem, & sanitatem recipiendi. Quando Elisæus iussit: Naaman leprosum lauare septies in Iordane, vt à lepra mundaretur: ipso verò nolente Elisęo parere; sed potius cum sua lepra abire, accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: e *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis, quia nunc dixit tibi: lauare, & mundaberis:* Hunc in modum si Christus Dominus noster iuberet rem aliquam valde difficilem, vt peccata tibi remitteret, deberes eam facere, etiam manifestando illa in medio foro. Adeò enim ingens malum est peccatum: vt omnis labor, pudor, & ignominia parui sint æstimanda, comparatione tanti boni, & gratiæ, quã obtines in remissione peccati; quantò igitur facilius ac prõptius id præstare debes. cũ non requirat á te, nisi vt omnia tua peccata Cõfessario manifestes; idq; sub adeò seuero secreto, vt in nullo casu qui possit in mundo occurrere, possit ipse illud frangere. Nisi autem omnia manifestes, nullius peccati remissionẽ obtinebis. Vt enim ait S. Augustinus: impium quid est, & genus infidelitatis, sperare ab eo, qui est iustus, imò ipsamet iustitia, remissionem peccatorum dimidiatam: & impium est ab eo petere gratiam & amicitiam, sine qua nec vnicum lethale peccatum remittitur; ũ tu velis adhuc aliquod retinere. Et hæc est *tertia* ratio valdè efficax: quia scilicet impossibile est alia ratione veniam & remissionem obtinere. Si septem habeas Dœmones: omnes septem simul exire debent, te confitente omnia tua peccata: quod si vel vnus Dœmon

d *Ios.* 7. 19.

2

c 4. *Regum* 5. 13.

Lib. de vera & falsa pœnit. c. 9.

3

in te remaneat, nullum est remedium reliquos sex expellendi. Qui enim decreuit peccatum aliquod reticere: nec potest veram habere contritionem, nec ei proderunt omnes asperitates, & pœnitentię homini possibiles. Et Sacramentum Confessionis, quod susciperе intendit, non est verum, neque ipsum abluit; sed potiùs nouo hoc Sacrilegio, quod admittit contra reuerentiam Sacramento ipsi debitam, turpior ac fœdior redditur: quia decipit Confessarium, vt formam absolutionis proferat super confessione dimidiata: quæ non est materia sufficiens ad eam obtinendam. Sicut grauissimè peccaret, qui Sacerdoti ad Missam celebrandam hostiam daret ex hordeaceo pane, simul dicens: esse ex triticeo; aut pro vino offerret acetum: nam esset causa, cur Sacerdos verè non consecraret, neque fieret Sacrificium.

4 *Quarta* ratio efficacissima est: Supremus enim iudex, qui huius Sacramenti honorem zelat, in nouissimo iudicij die tuum puniet pudorem manifestans toti mundo peccata, quæ nunc occultas: & causam, cur occultaueris: & cum magna tua confusione, & absque vlla tua vtilitate, videbit Confessarius fraudem tuam ac deceptionem, qua erga illum fruebis vsus. Et qui refugisti confusionem coram vno homine: sustinebis illam coram omnibus hominibus, & tunc implebit Dominus illud, quod dixit: *qui me erubuerit, & meos Sermones coram hominibus: hunc & ego erubescam coram Angelis Dei.*

5 Huc accedit, quòd peccatum occultatum in confessione, est futurum
f *Sap.* 11.17. quasi serpens aut vermis æternus, qui torquebit te in inferno cum quadam confusione irreparabili. Nam (vt ait Sapiens:) f *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* ac proinde qui Sacrilegium fecit, vt pudorem euitaret: ingenti pudore torquebitur. pudor enim æternus, carnifex erit pudoris temporalis; & vt dicitur in libro Iob: g *qui fugit arma ferrea: irruit in arcum æreum.* quod explicans Sanctus Gregorius, ait: sensum esse: quòd qui, vt fugiat imminentia sibi mala, deuorat peccata: non euitabit remotiora, quæ erunt æterna. Nam arcus Diuinæ iustitiæ iaculabitur in eum sagittas æternæ damnationis. Et cùm nullus sit terminus, ad quem tandem non perueniatur; etiam ad hunc pernenietur; & vulnus, quod adferet, nullum habebit terminum.
g *Iob* 20.24

6 Et quod amplius est: etiam in hac vita occultatum peccatum est vermis, & perpetuus conscientiæ carnifex; qui instar vlceris quamdiu non aperitur, semper pulsat; & cor affligit: & instar cancri, aut pestis venenatæ sensim inficit animam, deijcitque in alias innumeras miserias: eamque spoliat fructu bonorum operum. Hoc etiam significat solennis illa Zachariæ Prophetæ visio, qua vidit h *amphoram: in cuius medio sedebat quædam mulier, quæ appellabatur impietas:* & prope
h *Zach.* 5 7.

illam

illam erat *massa plumbea, vt clauderet os amphoræ*, & quamdiu os eius erat apertum, ita vt mulier, quæ in ea sedebat, exire posset: mansit amphora in loco suo: cum autem os amphoræ fuit, massa plumbi occlusũ: statim illam arripuerunt *duæ mulieres, habentes quasi alas milui: in quibus erant spiritus* maligni *& portarunt eam* in Babylonem, & collocarunt *in terra Senaar*, quę significat fœtorem. Quid autẽ hoc aliud est, nisi quod cum peccator scelus admittit in corde suo, & habet verò os apertum ad illud confitendum: quia statuit id præstare suo tempore, magna sit spes veniæ: nec locum amittendi, quem habet ad eam obtinendam. Cùm autem massa plumbi occludit eius os: quia statuit non emittere admissum scelus, nec confiteri: iam omnino perit, præcipitans se ab vno in alterum peccatum. Quia Dæmon omnes passiones excitat & vrget vt festinent, quasi volantes, deferantque ad profundum malorum, & in Babylonem confusionis æternæ: vbi æternũ habitet peccator confusus, & cruciatus horrendo fœtore peccatorum, quæ in corde clausa retinuit.

Denique proponenda sunt pœnitenti ingentia præmia, quæ consequitur, qui hunc pudorem vincit, suamq; fatetur culpam: Deus enim honore eum afficit, qui ipsius amore seipsum inhonorat: & se humiliantem exaltat, vincenti se dat manna absconditum: & summam gloriam victori, & triumphatori de humano pudore. Est enim res adeò ardua, atque difficilis hunc pudorem vincere: vt sæpè maior animi fortitudo sit necessaria ad eum vincendum, suamque culpam aperiendam; quàm ad eam non admittendam: vt suo loco perpendimus. Et Quemadmodum aperto vlcere, solet cessare cruciatus: & ejecto noxio & superfluo cibo, stomachus manet quietus: ita, ait Origenes, manifestato peccato, conscientia remanet quieta, hilaris, & pacifica: beneque collocatum reputat laborem quem in confitendo sustinuit.

7

Tomo 1. tract 3. c. 1. S. Greg. 21. Mar. c 6. Homil. 2. in Psal. 37.

§. II.

Hvnc in finẽ expedit adducere exempla aliqua memoranda eorum, qui peccata in Confessione reticuerunt, ac propterea damnati sunt, aut horrendas miserias perpessi. In Speculo magno exemplorum multa horrenda adferuntur: quorum vnum exemplum cuiusdam fœminæ coniugatæ, quæ adulterium commisit cum quodã suo cognato, & præ pudore reticuit illud in confessione per vndecim annos. Quæ videns quodam die in Ecclesia duos Religiosos externos, cõcepit voluntatẽ alteri eorum confitendi: cogitans, se non esse illis notã, eosq; se in alium locum discessuros. Qua incipiente suam confessionem, Socius eius qui confessionem audiebat (qui magnus erat Dei seruus) vidit: quoties illa peccatum aliquod fatebatur, exire per os eius bufonem quendam qui saliens hinc inde ex Ecclesia exibat.

Verbo Confessio. exemplo 22. ex Ioan. Iuniore. Dominicano lib. de Scala cœli. Bustos Franciscanus 1. p. Serm. 22.

Sed misera fœmina, cùm peruenirет ad aperiendum adulterium, tanto pudore affecta est, vt illud reticuerit. quando autem Confessarius eam absoluebat, vidit eius socius omnes bufones, qui exierant, redijsse cum quodam alio multò magis horrẽdo, & per eius os omnes fuisse ingressos. Cũ ergo Religiosi inde recederẽt, narrauit socius Cõfessario, quod viderat: qui suspicatus, quod erat: decreuit ad eundẽ locũ redire, vt miseram fœminiam iuuare posset: sed cùm ad locum peruenissent, inuenerunt eam fuisse submersam & suffocatã. Religiosi hoc euentu afflicti, dederũt se orationi, & per triduum ieiunarunt: vt Deus dignaretur ipsis aperire, quid visio illa significaret. Tertio autem die apparuit eis ipsa fœmina, insidens draconi cuidam, cum duobus serpentibus pectus eius sugentibus. Per os suũ eijciebat ipsa flammas cũ fœtore sulphuris; duę bufones comedebant eius oculos, & duo canes mordebant manus; duæ igneæ sagittæ intrabant per eius aures; & loco capillorum in capite habebat multas lacertas: quæ omnes bestiæ grauissimos ei adferebant cruciatus, in pœnam peccatorum impurorum, quæ per sensus admiserat. Cum Religiosi hac visione terrentur, illa eis dixit: nolite timere, amici Dei: ego sum maledicta illa mulier, quæ nuper fum confessa; & quia tale peccatum reticui, damnata sum ad infernum. Et statim explicauit eis, quòd figuræ illæ referrent horrendas, & æternas suas pœnas: & adiecit quòd mulieres, vt plurimum damnẽtur ob luxuriæ peccata, & vanitatem ornamentorum, & ob pudorem talia peccata cõfitendi. Quæ vbi illa est locuta, draco cui insidebat cum horrendo strepitu eã duxit ad infernum. Aliud exemplũ refert de quadam muliere coniugata, quæ tot faciebat eleemosynas, vt & ipsam & eius virum Patres pauperum vocarent. Sed illa à Sathana decepta, inordinatè affecta est ad quendam suũ famulum; à quo concepit filium, quem statim atque peperit, interfecit: & idem alias eieuenit: quę tamen in faciendis eleemosynis pro more progrediebatur. Nunquam tamen hæc peccata voluit confiteri, confidens, quod eleemosynę, quas faciebat, sufficerent, vt saluaretur, & sic infœlix mortua est. Et paulo post cùm quidam eius filius Religiosus feruẽtes pro illa orationes & pœnitẽtias offerret: apparuit ei mater cum horrendis duobus draconibus qui eius pectus, totumque corpus vehementer cruciabant, dixitque filio, se damnatam esse, eò quód reticuisset in confessione adulteria, quę fecisset: *quia nullum bonum proficit, vbi virtus Confessionis deficit.* Et quamuis omnia tua bona des pauperib', & asperrimas agas pœnitẽtias: si prę pudore peccatum aliquod mortale reticeas: damnaberis ad ignem æternum. Tres alios casus insignes refert de tribus Personis, quę per aliquot horas manserunt ita, vt viderentur mortuæ: quæ ad se reuersæ dixerunt: se fuisse iam ad ignem æternũ adiudicatus in societate Dæmonum: eò quòd pec-

Exemp. 32. ex eodem libro de Scala cœli.

Exemp. 24. aliud ponit de quadam Moniali, quæ, quod reticuisset peccatũ carnale cogitatione tantũ admissum, fuerit damnata. Exemplo 1. 5. & 32.

catum

catũ aliquod graue in cõfessione reticuissent. Quod cùm cõfessę fuisset cũ iudicijs ingentis doloris: paulo post in pace obierunt. Nunquã enim Dominus noster dispensabit: vt qui cũ ea dispositione moritur, sed liber ab inferno: nisi ad vitam rediens, culpam, quã præ pudore reticuit confiteatur. Alios duos casus refert de duobus hominibus, qui, cum reticuissent quoddã peccatum in confessione, accesserunt ad communionem; nec tamen consecratam hostiam potuerunt deglutire, donec reipsa illud fuissent cõfessi. Aliud exemplũ, quod nostris temporibus euenit, licebit videre apud Patrẽ Martinum Del-rio libro 2. de Magia p. 24. sect.

CAPVT VIII.

DEXTERITAS CONFESSARII IN EVELLENDIS peccatis ex corde pœnitentis, & proponenda seria vitæ emendatione

ETIAM EST VALDE NECESSARIA DEXTERITAS ET, PRVDENTIA Confessarij, cùm pœnitens non est omnino cœcus, neque mutus: quia agnoscit sua peccata & confitetur: deest tamen illi verum & efficax ea deserendi propositum: quamuis lingua dicat: se id propositum habere. vt enim dixit Dauid: a *iniquitas mentitur sibiipsi.* Et cùm dicit, se eam velle deserere, arctius illi adhæret: non enim reipsa id præstat, quod verbis dicit, siquidem non constituit facere statim, quod potest, ac debet, vt euitet peccata. Quod euenire solet, quando inueterarunt in ipsis peccatis, quæ propter frequentiam & quasi consuetudinem profundas in anima iecêre radices. In huiusmodi igitur casibus, necesse est adhibere fortiora remedia, vt peccatores sese tradãt, ac dedant. Quare monẽdi sunt serio de ingenti periculo, in quo versantur; nisi semel culparum suarum radicem euellant. nam (vt alio nomine dixit Isaias) b *de radice colubri egredietur Regulus, & semen eius absorbebit volucrem.* ita dicere licet, quòd cùm coluber peccati mortalis radices suas egit in corde, generat verè basiliscum magis venenatum: propositum scilicet viuendi instar Reguli alicuius cum laxitate & libertate carnis, & absque subiectione ad legem; deposito timore Dei, & pudore apud homines. Ex quo basiliſco siue regulo orientur *Serpentes alati*, inumera scilicet vitia quæ deuorabunt & absorbebunt pauperem ipsam animam, conuertentes omnino eam in execran-

a *Psal.* 26. 12.

1

b *Isai.* 14. 29.

Basiliscus est Regulus ita Lxx Interpretes.

das suas abominationes. De peccatoribus enim dicitur, quòd c *fiant abominabiles sicut ea quæ dilexerunt*; & d *fiant similes iumentis insipientibus*, propter eorũ mores, quos imitantur. Et tandem euadunt sicut illi, de quibus dixit Deus per Ieremiam: e *si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum*, eique assueueritis. Non quòd talis mutatio sit impossibilis, quamdiu hæc vita durat; sed quòd difficillimè ad eam faciendam permoueantur.

c *Osee* 9.10.
d *Psal.* 48. 13.
e *Iere.* 13.23

2

PRAETEREA, qui decreuit in malo suo proposito persistere: ipsemet etiam dum viuit, se collocat in inferno, factus Dœmoni similis. vt enim ait S. Augustinus: *Humanum est peccare; Diabolicum autem perseuerare.* si enim vsque ad mortem velis in eo perseuerare: id iam est velle damnari.

Lib. 2. de visitat. infirmorum c. 5. Tom. 9.

3

Quod si dicas te ante mortem velle mutare propositum: melius est illud statim mutare: quò enim diutiùs in eo hæseris: mutatio erit difficilior, eò quòd peccatum profundiores iaciat radices; & cùm eo etiam addatur Sacrilegium. Nam cum tali proposito confiteri, est ipsum Sacramentum irridere.

4

Accedit, quod qui medicamento adeò vtili & salutari abutitur, eo se reddit indignum: eritque iusta pœna; vt quando in hora mortis illud quæsieris, non inuenias. Et quemadmodum dum f *fatuæ illæ virgines irent emere oleum*, iudicata est earum causa, & *clausâ cœli ianua*, exclusæ sunt æternùm ab eo: ita poterit tibi euenire, cum ægrotaueris: vt petas quidem Confessarium; sed dum ille quæritur, aut venit in domum tuam, tu exspires, aut mutus fias, nec loqui possis; & ita neque inuenies pretiosissimum gratiæ Diuinæ oleum: sine quo non patet aditus in gloriam. Cùm igitur nunc habeas vendentem hoc cœleste oleum, & pretium pro eo petatur integra tuorum peccatorum confessio, cum vero & firmo proposito ea deserendi ne negligas illud nunc emere; sed fac, quod fecerunt virgines prudentes: & da precium, quod petitur; est enim adeò exiguum, si cum gratia quam optas, conferatur: vt non sit dignum nomine pretij. Et ideò dicitur dari gratis: & propterea appellatur gratia.

f *Matt.* 25.

HAEC diligentia benè cognoscendi propositum, quod adferunt pœnitentes, exactiùs adhibenda est circa tria capita siue materias, in quibus damnum hoc solet frequentius euenire.

1

Primum. est in materia iræ, auersionum, siue inimicitiarum: quando in pœnitente manet propositum, iniuriam sibi illatam vlciscendi, aut non colloquendi cum ijs, qui eam intulerunt; sed dantur indicia rancoris, & odij: tunc enim non est pœnitens absoluendus. Nam iuxta sententiam

Salua-

Saluatoris g *non est sanctum dandũ canibus:* quo nomine dignos se reddunt, qui volunt vlcisci; & indigni sunt veniâ, qui alijs nolũt ignoscere: quẽadmodum euenit h *seruo illi nequam,* qui cùm noluisset *dimittere debitum conseruo suo, Dominus eius noluit ipsi debitum dimittere.*

g *Matt.* 7.6

h *Matt.* 18. 32.

2

Idem euenire solet in materia luxurię, cùm occasio eius durat; nec pœnitens habet pectus, & robur animi ad eam vitandam. Nam talem absoluere, esset *mittere margaritas ante porcos,* & Sacramentũ offerre indignis. Nam qui potius vult retinere oculum, aut pedem, aut manum, quæ ipsum scandalizat: quàm eam abscindere & à se abijcere: potius vult ad infernum cum tali socio descendere, quàm sine eo ad cœlum peruenire. Quare indignus est, cui peccata remittantur, qui non vult pericula & occasiones eadem repetendi deserere.

3

Idem etiam est faciendum circa debita: cùm pœnitens non statuit restituere, quod ipsius non est; & soluere quod debet: sed illud absque legitima causa facere differt. Nam & hoc est iudicium, quòd non deseratur peccatum. Et i *nemo potest* (vt dixit Saluator) *duobus Dominis seruire,* ac proinde *neque Deo simul & mammonæ*: neque k *diues transire poterit per foramen acus,* hoc est per veram pœnitentiam, si est sicut *camelus,* siue nauticus funis debitis alienis oneratus; nisi, restituendo quę debet, subtilior reddatur: iuxta sententiam S. Augustini dicentis: *si res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* Quod si in his casibus pœnitens traxerit moras: respondendum ei est: si nunc cùm bonum habet propositum, & exequi illud potest, id non facit: minus postea facturum, cùm pręsens feruor refrigescet. Quare præstat, vt ipsa realis restitutio præcedat absolutionem, tanquam bona dispositio ad eam cum fructu & vtilitate suscipiendam: quam eam postponere, cum periculo alicuius impedimenti: eueniet enim illi quod scriptum est in Iob: l *Erit quasi Oliua projiciens florem suum,* antequam fructus prodeat. Nam statim atque à cõspectu Confessarii recesserit, abijciet bonum desiderium, vt illud non exequatur, Quare præstat sequi Salomonis consilium, dicentis: m *Ne dicas amico tuo: vade & reuertere: cras dabo tibi: cum statim possis dare.* Vult Deus habere te amicum: ac propterea petit vt reddas proximo, quod ei debes: ne igitur dicas ei: vade & redi, sine causa; sed statim redde, quod ei debes.

i *Mat.* 6. 24.

k c. 19. 24.

Epist. 54.

Habetur 14 q. 6. *cap.* 1.

l *Iob* 15. 31.

m *Prouerb.* 2, 28.

Dicen-

DICENTI autem se in suo testamento constituturum, vt omnia sua debita soluantur: respondeat Confessarius: si tu non studes animam tuam exonerare, cum possis: quomodo Testamentarij curabunt alienã exonerare? Quodsi in vita sua nõ reddat, sed differat post mortẽ: signũ est, quod nolit inordinatum affectũ exuere: neq; ipse aliena bona deseret; sed ipsa bona illum: quia illa nõ potest secũ auferre. Peccata autem, quæ possint ipsum comitari, non deserent: sed ibunt cum ipso in infernum, vbi erit paupertas & gemitus æternus: eò quòd non impleuerit, quod tenebatur. Quod si dicat: se non posse filios pauperes relinquere: respondeat Confessarius: deterius fore si propriam ipse animam pauperem ac desertam relinquat per totam æternitatem. Nam filij nõ poterunt ipsi subuenire in mortis angustijs. Quemadmodum euenit infœlici cuidam Chrysorio, qui (vt refert S. Gregorius) horrendis visionibus territus, & anxius auxilium petebat à filio suo Maximo, qui nesciebat, quo modo illum iuuare. Deinde filij non educent ipsum ex inferno: nec dabunt aquæ guttam, vt eius pœna relaxetur. Et quid est filijs relinquere aliena, nisi etiam relinquere occasionem, qua ipsi eant ad infernum, vbi etiam augeant ipsius cruciatus & tormenta? Expedit igitur hominem fieri cautum ex diuitis epulonis exemplo: qui bona sua reliquit quinque fratribus in mundo manentibus: & timens, ne & illi sicut ipse damnarentur, cupiebat illos moneri, vt tempestiuè suam vitam componerent: ne post eam ad pœnas adeò horrendas descenderent. Qui autem in talibus pœnis constitutus tale dabat consilium: optasset procul dubio illud pro seipso accepisse antequam ad eas descenderet. Quod cùm non fecerit: sit saltem error miserrimi, & infelicis illius diuitis exemplum & cautela ijs, qui adhuc viuunt; vt statim faciant, quod debent.

4 *l. Dialog. cap. 38.*

DENIQVE Confessarius dexterè ac prudenter debet semper monere pœnitentem: Confessionem nihil illi profuturam, si ei desit verum propositum emendationis: etsi enim homines decipiat, dicens se tale propositum habere: non poterit tamen Deum decipere. In speculo exemplorũ referuntur duo valdè insignia. Alterum cuiusdam filij, qui per triginta annos multas fecit eleemosynas & orationes pro defuncto parente: Cui parens ipse apparens dixit: se quidem esse in purgatorio: sed opera, quæ filius faciebat, nihil sibi prodesse: eò quod illa faceret in statu peccati mortalis: cuius rei causam dicebat eam esse, quòd semel tantum in anno confiteretur, & quidem merè propter formam, & absque proposito illi emendationis. Filius hæc audiens compunctus fuit & serio confessus est, & breui tempore eadem opera faciens pro suo patre, quæ antea, ipsum de Purgatorio breui liberauit, de alio etiam refert. quòd post Cõfessionem, Communionem, & Extremam Vnctionem mortuus, apparuerit

verbo Confessio exemplo 28.

verbo Confess. exem. 6.

magno

magno cuidam amico, ac dixerit, se damnatum, eò quòd non habuisset verum de peccatis dolorem; nec propositum abstinendi & se emendandi, si conualesceret.

CAPVT IX.

INDVSTRIA AC DEXTERITAS CONFESSARII ad excitandum in Pœnitente dolorem, timorem, & pudorem de peccatis.

NON MINORI DEXTERITATE OPVS EST CONFESSARIO ad reparandam & curandā dispositionem Pœnitentis, sentientis magnam cordis duriciem circa dolorem peccatorum: sine quo tamen Sacramentalis absolutio non potest suum effectum sortiri. Solet autem hęc cordis duricies ex aliqua trium radicum prouenire: *Primum* ex defectu fidei, quę est semimortua, nec apprehendit legitimè peccati lethalis grauitatem, & iniuriam Dei in eo contentam; *Deinde*, eò quòd spiritus quodammodo sit immersus cutis rerum terrenarum; aut *demiq;*, eò quòd inordinata aliqua affectione rerum creatarum vinctus quodammodo teneatur: illa enim affectio valdè illud indurat ad res animę amplectendas, & conuertendum se ad suum Creatorem, suaq; pecccata deflenda. Feruens autem Confessarius non debet animū abijcere, propterea quòd cor Pœnitentis adeò videat induratum: sed sicut alter Moyses a *assumens virgam in manu percutit petram, vt exeat ex ea fons* lachrymarum, quæ illud emolliant: allatis rationibus, & modo adhibito, quem posuimus in primo Tomo. Nec sine mysterio b *petra quā percussit Moyses, & effluxit aqua, vocatur* SILEX. Qui Chalybe excussorio percussus emittit ex se igneas scintillas. Nam cor durū ictum virga potestatis Sacerdotalis & rationibus, quas adferunt Confessarij: producit torrentes lachrimarum propter admissa peccata, & scintillas affectuum amoris, quibus dolor ille peruenit ad perfectam contritionem disponitque ad viuam gratię aquam suscipiendam; & ad ignem perfectę charitatis accendendum. Et quemadmodū theriaca solet educi ex ipso veneno, ita debet Cōfessarius etiā ex ipso peccato educere motiua & causas ad odiū in illud concitandū, & concipiendā contritionē valde perfectā vnaquaq; enim causa est quasi ictus quidem quo percutitur Petra, vt aquā & ignē emittat. Et quāuis hæ rationes sint multæ, & fusius explicatæ in alijs nostris libris, & nominatim in septē meditationib⁹ positis in tractatu de

a *Exodi* 17. 5. *Tract* 3. *c.* 8
b *Num.* 20. 12.

1. *P. Meditatio. Tom.* 1. *Tract* 3. *c.* 4

Pœnitentia. Confessarius tamen debet præcipuas memoria retinere, vt vnumquemque pulset eâ, quę magis erit accommodata ad permouendum pœnitentem ad dolorem & pudorem de suis peccatis: corroborando si opus fuerit rationem quam adfert, aliquo Sacræ Scripturæ testimonio, aut sententia alicuius Sancti. Quem in finem insinuabimus hic earum summam, ad has septem illas reducentes.

1 PRIMA ratio est, quòd peccatum sit infinita quędam iniuria contra infinitam maiestatem Dei: qui dignissimus est, cui summa reuerentia, & exactissimum obsequium ab omnibus suis creaturis exhibeatur. Estque horrendum malum, quòd vilis homuncio tantam maiestatem contemnere audeat; & ab ea recedere, ex occasione perituri alicuius boni. *Obstupescite cœli, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerũt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Et quidem iure optimo cœli obstupescent: videntes proditionem, & infidelitatem peccatorum: qui, quantum in se est, volunt Deo vero Diuinitatem auferre: eamque reipsa tribuere vilissimæ creaturæ. Si proditio contra regem terrenum adeò graue censetur crimen: quanto erit maius proditio, quæ fit in Regem cœli & terræ? Si ploras præ dolore propter corpus quod anima deseruit: cur (ait S. Augustinus) non defles animam, à qua recessit Deus? O Deus infinite, quàm parui te facit, qui tam paruo dolore afficitur, quod tui iacturam fecerit! Si enim quanti tu sis æstimandus, agnosceret; creparet præ dolore, qui culpâ suâ tui iacturam fecisset. Quare cum in Deo sint infinitæ perfectiones: ex eis accipi possunt innumeri tituli ad dolendum de nostris peccatis: vt quæ tendant contra ipsius immensitatem, sapientiam, & iustitiam, misericordiam, charitatem, clementiam, liberalitatem ac reliquas Dei perfectiones.

c *Ierem.* 2. 12.

2 HVIC rationi coniuncta est *secunda*: eò quòd peccatum sit infinita quædam ingratitudo contra infinitum benefactorem, qui præuenit nos infinitis beneficijs naturalibus & supernaturalibus; & actu ipso eisdem semper nos replet, qui est noster creator, conseruator, & gubernator. d *O generatio praua & peruersa*, ait Moyses ad populum suum. *Hæccine reddis Domino, popule stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui?* O homo stultè, & ingratè: itane offendere audes eum, qui tot in te confert beneficia? & cùm ipse Deus continuis beneficijs te repleat, tu ei reddis peccata? e *Bos cognouit possessorem suum & asinus præsepe Domini sui; tu autem Deum tuum non cognoscis?* ita enim eum offendis, atque si non cognosceres.

d *Deuter.* 32. 5. 18.

Feræ non nocẽt præbentibus sibi escam; sed tuentur potius: agnoscẽ-

tes

tes beneficium, quo ab eis afficiuntur: tu autē Deum ipsum iniuria afficis, qui & escā & vestimēta tibi præbet; & cuius est quicquid habes? f *Quid est* (dicit Deus) *quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectaui vt faceret vuas & fecit labruscas?* reddens mihi peccata pro omnibus beneficijs? Ratio hęc dilatari potest per omnia diuina beneficia educendo ex singulis motiua, ad culpam reddendam turpiorem. Sed nominatim Confessarius accipere debet particularia beneficia, quæ Deus contulit pœnitenti ratione sui status, officij, nobilitatis, & reliquarum qualitatum & ornamentorum, quæ habet. Eum in modum, quo Nathan Propheta volens ostendere turpitudinem adulterij, & homicidij Dauidis, vt ad sui peccati contritionem ac dolorem incitaret: ob oculos ei posuit singularia beneficia, quæ Deus in illum contulerat dicens ei hæc dicit Dominus Deus Israel: g *ego vnxi te in Regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui: & vxores & domum Israel & Iuda. Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo?* Ingens malum est tantum benefactorem offendere; sed maxima turpitudo est, coram ipsius oculis: & ipso spectante, qui tuam ingratitudinem intuetur, ipsum offendere.

f *Isai. 5. 4.*

g *2. Reg. 12. 7.*

Tertia ratio doloris esse debet: propterea quòd peccatum sit contra Iesu Christi veri Dei & hominis redemptionem. In qua tot simul concurrunt tituli ad confundenda & reprehendenda peccata, & ad excitandum eorum dolorem: quot sunt iniuriæ, dolores, & cruciatus, quos ipse Dominus sustinuit; & quot illa sunt, quæ nostri causa fecit â tempore, quo carnem assumpsit donec in cruce expirauit. quod si velis peccati tui grauitatem agnoscere: attende quam fuerit difficilis eius reparatio & remedium, Ex medicamenti magnitudine & precio (ait S. Bernardus) agnosces morbi grauitatem. Horrendum malum est culpa: siquidem pro ea reparanda necesse fuit, Filium Dei mortem subire. Quantum igitur scelus est renouare id quod fuit horribilis adeò mortis causa? Quid autem existimas te facere, cùm peccas, nisi (vt ait Apostolus) h *rursum crucifigere in temetipso filium Dei, & ostentui habere* precioſum eius sanguinē? Gulâ tuâ renouas ei fel, & acetum: tuis furtis eius flagella; superbia tua, efficis vt minoris fiat, quàm Barabas: tuis ambitionibus, coronam iterum ei affigis spineam; carnali tua libertate, funiculis eum ligas; murmurationibus, sputis quasi eum deturpas; pranis tuis gressibus, clauis affligis eius pedes; & pranis operibus vulnera renouas manuum. Tua enim peccata talis sunt naturæ: vt si prima redemptio adeò copiosa non fuisset: opus nunc esset eam renouare.

3

h *Heb. 6. 6.*

Quò autẽ illa copiosior fuit, ac glorioſior: eò maior eſt malitia & peruerſitas eam conculcare, vt carnis appetitui & voluptati ſatisfiat. Eoẽ iure ac ratione poteſt Dominus conqueri de peccatoribus præſentibus, quod de Iudæis cõquerebatur, cum dicebat *multa bona opera oſtendi vobis a Patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis*: multa beneficia gratis, & ex ſola miſericordia vobis communicaui: propter quodnam eorum me offenditis? cùm autem beneficia quæ vobis contuli, nõ ſint promerita talem compenſationem: æquiſſimum eſt, vt veſtram ingratitudinem ſemper defleatis; & pudore ſuffundamini, propter improbam veſtram vitam.

i *Ioan.* 10. 22

4 QVARTA ratio doloris eſſe debet, propter iacturam æternæ vitæ in quã incidit, quicunq; grauem aliquam culpam admittit. Quemadmodũ enim nullum eſt præſtantius bonum æternâ gloriâ; nec res vlla pretioſior, quàm ſit gratia & charitas, in quibus ius ad gloriam conſiſtit: ita nullum maius eſt malum, quàm ſit peccatum, quo gratia & charitas corrumpitur. Scio (ait S. Chryſoſtomus) multos tremere dum cogitant de inferno: at ego amiſſionem cœli maiorem reputo pœnam. Intolerabilis res eſt infernus, & ſupplicium tremendum: quis id ignorat? At licet mille infernos mihi proponas: nihil tamen tale proponere poteris, atque excludi gloriâ & eſſe odio Chriſto Domino; & ab eo audire tremendum illud verbum: *neſcio vos*. Præſtaret mille fulmina experiri, & ferre, quàm quod Chriſtus Dominus noſter amantiſſimum ſuum vultum à nobis auertit, nolit nos iucundiſſimis ſuis oculis aſpicere. peius (ait) eſt peccatum ipſo Dæmone: hic enim non poteſt nos à regno cœleſti excludere ſicut excludit *peccatum*: quod eſt *voluntarius Dæmon & ſpontanea iniquitas*. Quæ enim maior ſtultitia, quàm propter lucrum aliquod temporale, voluptatem, aut punctum honoris, quæ ſunt peccati occaſiones, iacturam facere boni immenſi & æterni. Si omnibus tuis facultatibus ſpoliatus eſſes certe triſtis valdè vſq; ad lachrymas. Quomodo ergo non flebis ob tua peccata, quibus ſpoliatus es theſauro gratiæ & iure gloriæ? k *infinitus theſaurus* appellatur *amicitia Dei, quæ mater eſt omnium bonorum*, & principium innumerabilium diuitiarum, quæ ſuperant omnia, quæ in mundo ſunt. Neque enim l *oculus vidit neque auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum*: ac proinde nulli oculi ſatis poſſunt deflere miſeriam peccati, quod tantis bonis nos ſpoliat. m *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die & nocte* culpam talis meæ iacturæ cauſam. Cum igitur tot bona nobis pereant; ex omnibus multi tituli deduci poſſunt & cauſæ ad peccata deflenda. Quia ſcilicet amittimus claram Dei trini & vnius, ac ſacratiſſimæ Humanitatis noſtri Saluatoris viſionem, & Beatiſſimæ Virginis Matris eius; & iucundiſſimam ſocietatem nouem Chororũ Angelorum, Patriarcharum,

Homil. 24 *in Matthæũ Epiſt.* 5. *ad Theodorum lapſum.* *Homil.* 48. *ad popul.* & 28. 17. *Epiſt. ad Romanos*

k *Sap.* 7. 14.

l 1. *Cor.* 2. 9.

m *Ier.* 9. 1.

Prophe-

Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, & omnium cœlestium Sanctorum. Qui omnes se reputant iniuriâ affectos ex peccato tuo: quatenus illud cedit in iniuriã Dei, quam ipsi propriam reputant; & quia ostendis te parui facere in illorum numero & societate computari: cuius in æternum amittendæ periculo te exponis propter leuem & momentaneam animæ voluptatulam. Hæc ratio adeò est potens, vt sola sufficeret nobiliquam

tius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Et hoc timore in vobis excitato, concipite vehementem dolorem de peccatis admissis, & firmum propositum de alijs nunquam admittendis. Hoc (ait S. Chrysostomus) grauissimè cruciabat damnatos, memores se propterea cruciatibus finem nullum habituris subiectos esse: quòd non sese emendauerint paucis illis vitæ suæ diebus.

Epist. 5. ad Theodosiũ Lapsum.

EX HIS progrediendum est ad sextam rationem doloris, ob horrenda mala, & angustias, quas adferent peccata tempore mortis; & horâ illâ, qua accedit anima, vt á Deo iudicetur. Ex quo multi tituli & rationes deduci possunt: vt magis apparet culpæ turpitudo, ac propterea horrorem adferat: cuius delectatio aut emolumentum est breuissimum: & vel longissimum, non potest excedere terminos vitæ, quæ breuissima est. Et morte accedẽte, in momento cessat, quod delectat; incipit verò quod cruciat; quod recreat, est momentaneum: quod autem cruciat, erit æternum. Quid autem respondebis Deo tũc exigẽti á te admissi delicti rationem, prauæque emendationis ac pœnitentiæ susceptæ? *quia Zoilus* (ait Sapiens) *& furor viri* (qui est Christus) *non parcet in die vindictæ: nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione bona plurima.* Attende quòd vir ille venturus sit sicut fur, & conscensurus domum corporis tui: ex quo repentè deprædabitur animam: quod si te in flagranti delicto deprehendat; & antequam pœnitentiam facias: mox proferet irrenocabilem æternæ tuæ damnationis sententiam. Time nunc vtiliter malum, quod euenire potest, ne eueniat. Et ne postea inutiliter timeas: cogita tunc Dæmonem accusaturum te; & conscientiam testimonium contra te allaturam; Angelum custodem à te discessurum, & supremum Iudicem te condemnaturum propter ea, quæ nunc facis: nisi tempestiuè de facto doleas, & quasi infectum velis, & veniam in hoc misericordiæ iudicio impetres: vltimum enim erit seueriſſimæ iustitiæ. veniet (ait S. Bernardus) qui malè iudicata reiudicabit, veniet dies iudicij, vbi plus valebunt pura corda, quam astuta verba; & conscientia bona, quam marsupia plena: quandoquidem iudex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis. Quare prius nos ipsos iudicemus, quàm ipse nos iudicet. Nam u *horrendum est* (ait Apostolus) *incidere in manus Dei viuentis.*

t *Prouerb. 6 34.*

Epist. 1. ad Robertum. Serm. 8. in Psal. Qui habitat.

u *Heb. 10. 31.*

VLTIMA ratio doloris est propter ipsius culpæ fœditates, quæ tot sunt: vt digna propter eas sit, quæ odio habeatur: eò quod sit contra voluntatem Dei, eam prohibentis; contra rationem, eam reprobantis; contra hominis ingenuitatem, quem efficit bestijs similem; contra nobilitatem spiritûs, quem subijcit carni ancillæ suæ; contra creaturas, quibus abutitur, cogens eas seruire proditori contra suum Creatorem. Quamobrem dicit Scriptura x *qui facit peccatum hostis est animæ suæ, eam-*

x *Tob. 12. 10 Sapi. 16. 14.*

que

que occidit ac detestatur; & y *qui facit peccatum seruus est peccati*, & insipiens sicut i umentum; quia: z *odio sunt Deo impius & impietas eius*: nec oculi eius eam videre possunt; nec a *permanebunt iniusti ante oculos eius*. Denique (vt ait S. Chrysostomus) nec plumbeum pondus grauius est ipso peccato, quod hominem deijcit vsque ad profundum inferni. Et S. Basilius: sicut fumus abigit apes ex alueario; & fœtor columbas pellit ex columbario: ita peccatum pellit à nobis Sanctos Angelos, & nos coniungit Dœmonibus.

y *Ioan.* 8. 34
z *Sapi.* 14. 9
a *Psal.* 5. 6.
Homil. de Iona Propheta
Homilia in Psal. 33.

Praedictae septẽ rationes communes sunt contra omnia peccata: sed aliæ sunt speciales contra particularia, ob specialem malitiam, dãna, aut pericula quæ adferunt: quæ positæ fuerunt in Meditationibus circa peccata mortalia. Et quoniam exempla plurimum mouent: operæ precium erit aliqua horrenda proponere. Ad incutiẽdum superbis timorem valet punitio Angelorum: qui è cœlo expulsi fuerunt; & Nabuchodonosoris: qui per septennium mansit in campis quasi aliqua fera; & Regis Herodis: qui obijt à vermibus deuoratus. Ambitiosis incutiendus est timor exemplo Dathan & Abiron, qui fuerunt viui à terra deuorati. Carnalibus, exemplo diluuij: quod mundum submersit; & ignis, qui cõbussit Sodomam; & illius incestuosi, quem Apostolus tradidit Sathanę. Inhonestis, qui secum ipsi tales sunt, exemplo repentinæ mortis Onan nepotis Iacob: eò quod *semen funderet in terram*. Cupidis & auaris, exemplo flammarum diuitis Epulonis; & perpetua Giezi pueri Elisæi lepra, & infœlicis exitus Iudæ. Murmurantibus, exemplo serpentũ cõburentiũ ac mordẽtiũ Hebræos. Crudelibus & iniustis exẽplo infęlicis mortis Achab & Iezabelis, cuius sanguinem linxerunt canes, & carnes comederunt: Et hunc in modum adduci possunt varia alia exempla, aduertendo tamen multum referre, vt prius agnoscatur Pœnitentis ingenium: an potius timore & terrore permoueatur, quàm amore & spe alliciatur: vt ea proponantur motiua, quæ maiorem vim censeantur habitura.

1. p. Medita. 18. & seq.

Genes. 38. 6

(·.·)

CAPVT

CAPVT X.

DEXTERITAS CONFESSARII IN REPREHENdendis peccatis, adhibita moderatione seueritatis.

RATIONIBVS PROXIMO CAPITE ALLATIS vti debent Confessarij ad reprehensionē pœnitentibus adhibendam, quando id facere expedit: imitantes prudentem Samaritanum, qui saucium seminiuum curans non solum a *infunderdo* in eius vulnera *oleum*, quod a Luc.15.34 lene; sed *vinum* etiam, quod mordet. Pro cuius rei declaratione est aduertendum: non esse idem exhortari, corripere, & reprehendere. Nam *exhortari*, est animum addere ad executionem eius, quod intenditur, adductis rationibus, ad persuadendum aptis; *corripere*, est monere de aliqua culpa, vt emendetur; *reprehendere* autem, est deformitatem peccatorum proponere, cum aliquo modo asperitatis aut minis, ad pudorem & confusionem excitandam ob ea quæ sunt admissa; & timorem, ne in eadem recidatur. Et hoc est proprium habentium aliquam authoritatem supra eum, quem reprehendunt. 2.2.q.33.a.4 Nam subditus bene potest (vt ait S. Thomas) corripere suū Prælatum, monendo cum reuerētia & charitate de defectu ab eo admisso: sed cum non possit illum punire; ideò propriè non potest illum reprehendere eo modo, quem iam diximus: est enim ille modus quidam punitionis, & quidem interdum non paruæ, propter confusionem, quam asperum verbum adfert: educit enim ruborē, & prę pudore in ipsam faciē. At Confessarius, vtpote in suo Tribunali superior quocunque ad se confitentis causa accedente, poterit vti hoc medio, cùm prudenter iudicauerit id expedire: seruatis tamen subiectis documentis.

I SIT PRIMVM, ne asperè reprehendat Pœnitentem, cum is in explicandis suis peccatis progreditur etiam si grauia sint. Id enim fortè Pœnitentem deterreret ne vlteriùs progrediatur; sed reticeat quod cogitauerat confiteri: idque faciet ob timorem alterius reprehensionis, si illa enim manifestet. Quare magnæ prudentiæ est, reprehensionem in finem confessionis conijcere, post explicata scilicet omnia peccata, ex quibus integram habet notitiam vitæ morum que Pœnitentis. Et propter eandem causā nō debet signa aliqua edere admirationis aut stuporis propter audita; aut iræ & indignationis, aut tristitiæ editis suspirijs, aut alijs indicijs quæ Pœnitentem possint terrere, & reddere pusillanimem; sed animum potiùs ei addere vt confitendo progrediatur, laudando eius insignem vt-

storiam, quàm se manifestando obtinet. Quòd si ipsemet lacrymas aliquas fundat: talem adhibeat modum vt intelligatur, id ex meta fieri compassione amica, ac benevola, vt pœnitentem ad similes prouocet: quemadmodum Iosue dicebat ad Achan verbis suauissimis: b *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere* &c. Postquam autem Achan confessus est, dicens: *verè ego peccaui*: Iosue ostendit in eum iudicis seueritatem, dicens: *quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac.* Qui agendi modus, cũ in exteriori foro prudẽs habeat, multò prudentiòr est censendus in interiori.

b *Iosue 7. 19. 25.*

2 Secvndvm documentum sit: vt Confessarius circa modum reprehensionum, sit ordinariè potiùs parcus, quàm prolixus; benignus, quàm seuerus: ostendens in eisdem spiritum & affectum paternum, iuxta Regulam à S. Gregorio Nazianzeno his verbis traditam: *Hanc rationem teneas: vt partim illum corrigas, idque leniter & humanè, non vt hostis, neque vt durus & rigidus medicus.* Et addit: *habeo medicinæ regulam. Christi Discipulus os mitis & benigni: qui nostras infirmitates pertulit.* Exemplum enim Protomedici cœlestis exemplar esse debet ac regula cæterorum medicorum: vt medium seruent modumque adhibeant prudentiæ, quem subiiciemus pro Pœnitentijs & Satisfactionibus.

Orat. 26. circa finem

3 Qvo documento præmisso, sit iam *tertium*: quando pœnitens accedit notabiliter contritus, ac gemẽs cum magnis indicijs propositi feruentis, solitæ emendationis: non sunt reprehensiones adhibendæ; sed rationibus mollioribus animandus est, ad perseuerandum in concepto proposito: vt illud opere exequatur. Eum in modum, quo Christus Dominus noster se gessit erga Magdalenam, quam etsi insignem alioquin peccatricem non tamen reprehendit: sed laudauit potius, & animum ei adiecit, ob extraordinaria Pœnitentiæ indicia, quæ præseferebat, ei dixit: c *remittuntur tibi peccata tua: vade: in pace.* Et prodigo filio magna indicia compunctionis & humilitatis præferenti, non respondit Pater vnum asperum verbum; sed potius d *cecidit super collum eius, & osculatus est eum:* quem magna cum animi sui voluptate in domum suam recipit. Cuius ratio est. quia tunc non adest causa & motiuum humanæ reprehensionis, cùm id præstet diuina. Cùm igitur ipsemet Deus Pœnitentem in eius corde reprehendat: non cur hominis reprehensio tunc adhibeatur.

c *Luc. 7. 44. 48.*

d *Luc. 15. 20*

4 Docvmentvm quartum sit: quod erga seniores, magnæq; authoritatis Pœnitẽtes, siue Ecclesiastici sint, siue Seculares nõ sit ordinariè adhibenda asperior reprehensio; sed moderatè ac reuerenter explicandum est, quid expediet, ac deceat nos emẽdare. hac enim via & ratione facilius obtinetur, quod Confessarius intendit. Eò enim spectat, quod Apostolus dixit Timotheo: e *seniorem ne increpaueris; sed obsecra vt Patrem.* Si enim cum hac reuerentia agas: magis eum adstringis ad suum peccatum de-

e *1 Tim. 5. 1.*

Epist.28. habetur. D45. c licet nonnunquam. & c. licet plerunque.

ſerendum: Et S. Leo Papa idem confirmat dicens: cùm Sacerdotes peccant, *plus erga corrigendos agat beneuolentia quàm ſeueritas; plus cohortatio quàm comminatio; plus charitas quàm poteſtas: niſi delicti atrocitas maiorem exigeret ſeueritatem.* Quamuis ipſum initium ſemper eſſe debet molle: cum in modum, quem tenuit f *Nathan Propheta*, dum voluit Dauidem Regem corripere: propoſuit enim illi *Parobolam* quandam, quaſi tertia aliqua Perſona graue aliquid commiſiſſet: vt ipſe Dauid, factum audiens, reprehenſionem vehementem adhiberet; & grauem ſtatueret pœnam, qua talis peccator dignus erat. Cumque Dauid ſeueram ſatis protuliſſet ſententiam: opportunè Nathan ipſammet reprehenſionem, quam ille protulerat, abſque aliquo incommodo in ipſummet Regem retorſit.

f 2. Reg. 12 1

5 QVINTVM documentum ſit: quod cùm Pœnitente timidioris, & puſillanimis conſcientię; aut ingenij exulcerati, & qui facilè commoueatur agendum ſit etiam cautè & manſuetè: ne aut abijciat animum, aut ſeueritate exaſperetur: iuxta id quod de Saluatore noſtro dicitur: g *calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Si enim pœnitens à ſua puſillanimitate confractus accedat: non debet in terram proijci, vt omnino frangatur; ſed erigendus potius eſt, vt abiectionem illam animi reparet: quòd ſi ingenij ſit contumacis ac difficilis: non eſt ei auferendus exiguus, quem præfert, ſpiritus; ſed erigendus & excitandus: vt accendatur Dei amore, ſuumque reparet detrimentum: oſtendendo Dei longanimitatem? tolerando & exſpectando meliorem aliquam opportunitatem, ad magis ſerio cum eo agendum. Quod enim non obtinetur ab eis in vna confeſſione, reparabitur in altera; nam medicamentorum frequentia ſenſim vulnera curat:

g *Iſai. 42. 3.*

Tract. 5. c. 9. §. 3.

6 SEXTVM documentum ſit: erga Pœnitentes naturę durioris, & exiguæ capacitatis, adhibendas eſſe reprehenſiones aſperiores; & inculcandos timores, ac minas: eò quod talem ſtylum facilius capiant, aut eorum duritiei magis ſit proportionatus. Quamuis autem ordinariè expediat, in hoc foro verbis vti ciuilibus & amicis: ad incutiendum tamen terrorem huiuſmodi Perſonis expedit interdum vti aliquibus horrendis, ac pungentibus. Quemadmodum S. Ioannes Baptiſta multos Phariſæorum & Saducæorum venientes ad Baptiſmum ſuum, compellabat h *progenies viperarum:* m ipſe Chriſtus Dominus noſter *Phariſæos appellabat Hypocritas & ſimiles dicebat ſepulchris dealbatis.* non tamen vtendum eſt hac ſeueritate in prima confeſſione; ſed cùm ex molli admonitione in prima cõfeſſione adhibita, non eſt ſecutus fructus, aut emendatio, vt apparet ex modo, quo Deus eſt vſus cum Cain: quem bis reprehendit: primum blandè, cùm incipiebat inuidiæ dare locũ, dixit enim ei k *quare iratus es? Et cur concidit facies tua? nonne ſi bene egeris recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum*

h *Matt. 3. 7*
i *o. 2. 23. 27*
k *Gen. 4. 11.*

aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius cum autem blanda hæc & amica admonitio non sufficeret, sed durior ac pertinacior ille euasisset, adeò vt Abelem fratrẽ suũ occideret: secundam adhibuit reprehensionem asperam valde ac pungentem: dixit enim ei: *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram.* Quamuis autem eam reprehensionis seueritatem propterea adhiberet: vt Cain mentis oculos aperiret, & peccati sui grauitatem agnoscens, culpam deprecaretur, adeò tamen territus est, vt potius fiduciam amiserit impetrandæ veniæ: quamuis id quidem culpâ suâ euenerit, permittente id Deo, in pœnam eius duritiei. Confessarij autem ita debent duris corde metum incutere, eosque terrere, vt semper inuitent ad spem veniæ cõsequendæ nisi ipsi velint sibi deesse. quemadmodum fecit l *Daniel*, postquam aperuisset *Nabuchodonosori* supplicium & pœnam à Deo ipsi infligendam, propter ipsius scelera: statim enim medium ei proposuit, quo se posset á suis peccatis liberare.

l *Daniel.* 4.24.

Septimvm documentum sit: quando pœnitens multa variaque peccata confitetur: non esse reprehendendum cõfusè, & in genere de omnibus: nec in particulari, de singulis: sed accipienda duo aut tria grauiora, magisque pernicioſa, premendo illum præcipuè circa illa; leuius autem reliqua attingendo. Doctrina enim vniuersalis solet esse parum vtilis; quòd si descendatur ad multa particularia, solet etiam esse valdè grauis, applicata autem ad ea quæ sunt magis noxia, vtilior erit ac fructuosior. Cuius exemplum licet videre in prima reprehensione, quæ adhibita fuit in mundo ab ipsomet Deo. Quamuis enim Adam & Eua multa peccata admisissent, superbiæ, infidelitatis, curiositatis, gulæ, & inobedientiæ: solum tamen eos reprehendit, quòd m *ex ligno de quo præceperat eis ne comederent, comedissent*: in eo enim reliqua continebantur. Alia documenta & monita proponentur, cum agetur de Concionatoribus; & magis adhuc speciatim de Prælatis in Tractatu vltimo.

m *Gen.* 3.11

(·.·)

CAPVT XI.

CONFESSARIVS TENETVR ACCOMMODATAS, & conuenientes iniungere pœnitentias; & quis modus & ratio singulis eas iniungendi, propendendo scilicet in moderationem

CONFESSARII MVNVS EST AVDITA PECCATORVM confessione, præscribere pœnitenti pœnam seu
1 pœnitentiam, quam propter illa sit acturus: in hoc enim Sacramentali iudicio æterna pœna, quæ peccanti debebatur, commutatur in aliquam temporalem, luendam ad satisfaciendum pro culpa. Quamuis autem aliqua pars pœnæ temporalis remittatur propter contritionem; & pœnam illam, quam in ipsa confessione facienda sustinet Pœnitens: ordinariè tamen per hæc non remittitur tota: ac proinde ad huius Tribunalis Iudicem spectat, iustam ferre sententiam; qua præscribatur aliqua pœna, quæ statim luatur, in vindictam iniuriæ Deo illatæ. Ad hoc enim data est Confessarijs potestas *ligandi & soluendi*: soluendi scilicet a culpis, & ligandi ac obligãdi ad pœnas aliquas acceptãdas & subeundas.

2 DEINDE quia hoc Sacramentũ est medicina morborum animæ; qui, cùm non solum dolore & confessione reparentur: necesse est Confessarium tanquam medicum, aliqua bona opera præscribere, tanquam peccatorum Antidota; non solum ad vindictam de eis sumendam; sed etiam ad sanitatem recipiendam, damnaq; ab eis illata reparanda; & ad præueniendas recidiuas; & ob ingentia alia bona, quæ exercitio pœnitentiali & corporis asperitatibus comparantur. Quare conari debent Confessarij persuadere Pœnitentibus: vt eas libenti animo acceptent, nec solùm præscriptas subeãt; sed sponte sua multas alias faciãt ad amplius satisfaciendũ Deo pro iniuria ei illata, & ad maiorem vltionem de seipsis sumendam, ob temeritatem, quam in suum Creatorem ostenderunt, & vt gratias et agant ob acceptum beneficium remissionis æternæ pœnæ; & vt à pœnis etiam Purgatorij liberentur: quæ absque vlla comparatione grauiores sunt ijs, quas ipsi in hac vita subibunt, nullo interim merito obtento ex ijs quas in purgatorio sustinerent; vt caro etiam mortificetur & Passiones coerceantur, quæ recentium peccatorum radix sunt, & origo; vt nouas quoque recentesque gratias ac dona cœlestia è Deo obtineant ad consequendas virtutes & augmentũ ac perfectionem earũ, & vt Christũ D.N. etiam imitentur, qui huiusmodi asperitatum nobis fuit exemplo; vt etiam vesti-

am vestigia sequantur Apostolorum, Martyrum ac Sanctorum Confessorum, qui hanc triuerunt viam; ac denique, vt notum faciant odium, quo peccata persequũtur; & quod nostra Pœnitentia non sit tantum in specie, sed reuera sit talis: a *facientes* scilicet (vt S. Ioannes Baptista dicebat) *fructus dignos Pœnitentiæ*. Cum igitur Christus Dominus noster constituerit satisfactionem esse partem huius Sacramenti; eamque (vt S. Thomas ait) extulerit adeò vt etiam illa tribuat aliquem gradum gratiæ: & remittat aliquam pœnam *ex opere operato*, vltrà scilicet illud, quod bonum opus per seipsum tantum habuisset: æquum omnino est magni eam facere; acceptare, & opere ipso exequi: vt Sacramentum sit perfectum: suumq; effectum integrè & plenè perficiat. Hæ summatim sunt rationes, quibus Confessarij exhortari debent Pœnitentes, ad vsum & exercitium Pœnitentiarum: quæ fusius propositæ & expositæ fuerunt in primo Tomo.

a *Luc.* 3. 8.

3 *p. q.* 90. *a.* 2. *ad* 2.

Tract. 3. *capit.* 10 & 11.

Sed quoniam Confessarij iudicio relinquitur quantitas, qualitas Pœnitentiarum iuxta numerum & grauitatem peccatorũ, reliquarum circũstãtiarũ ipsius pœnitẽtis: magna indiget Prudentia & cautela ad euitãda duo vitiosa extrema, mediumque tenendum, quod discretio adhibere potest inter illa: vt iam explicabitur.

§. I.

Primvm extremum est seueriorum Confessariorum qui nimio, sed parũ discreto zelo Pœnitentes onerant multis adeò grauibus Pœnitentijs, vt illas non subeant: & tunc intricãtur eorũ cõscientiæ nouis culpis & scrupulis; aut, dum eas exequuntur, gemunt; & confessionem ipsam refugiunt; aut quòd Pœnitentiam iniunctã non expleuerint aut ne alia recenti onerentur. Deberent huiusmodi Confessarij animaduertere: Sacramentum confessionis ex seipso esse graue: & multa continere, quæ debilibus metũ incutiant, & pusillanimes reddant timidiores. Ministrorum autem Christi est, onus aliud, quoad fieri potest, alleuiare, lenitate potius quàm rigore & seueritate vtendo. Si enim onera addant horrenda reprehẽsionum ac Pœnitentiarum, reddent ipsum Sacramẽtum intolerabile: & ita fugient Pœnitentes medicamentum, ob nimiam eius acerbitatem cum periculo iacturæ animæ: præstat autem pœnitentẽ bene aliàs dispositum in Purgatorium mittere, quàm tali seueritate efficere, vt descendat in infernum, & operam dare, vt culpę remissionum hic obtineat: etiamsi in futura vita diuturnior grauiorque pœna sit illi subeunda. Quod si scrupulosus Confessarius dicat: velle se conscientiã suã exonerare grauiores iniungendo Pœnitentias, quam leuiores: planè decipitur. Semper enim propriorum periculorum minus est prę eligendum quòd si defectus aliquis in hac re est admittendus: minus malum erit, in-

I

clinare & eligere lenitatem & suauitatem, quàm terrores & seueritatem. Hoc totum exposuit S. Chrysostomus (cuius testimonium refertur in Decreto) adferens sententiam illam Saluatoris contra a *Scribas & Phariseos: alligantes onera grauia, & importabilia* Pœnitentibus: *digito autem suo nolentes ea mouere.*

Homil. 43. Imperf. habetur c. alligant 27 q. prima.

a *Matt. 23. 4.*

TALES inquit sunt CONFESSARII, valde graue onus Pœnitentibus imponentes, cum ipsi nihil faciant. Ex quo prouenit, vt alteri vitæ pœnam parui faciant, ne huius pœnam subeant. Si enim humero alicui grauius imponas onus, quàm ferre possit: necesse est illud aut onus ipsum abijcere, aut certè ab eo opprimi. Ita igitur: si peccatori ingens pœnitentiæ onus imponas: cogetur aut onus ipsum abijcere, aut ab eo opprimi: cùm enim non possit illud ferre, scandalizatus inde iterum reuertetur ad sua peccata. Si erramus (inquit) modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? vbi enim Paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, vt quid Sacerdos eius austerus vis apparere Sanctus? esto circa vitam propriam austerus, circa alienam benignus. Alij vt vitent hoc extremum, incidunt in contrarium nimiæ lenitatis, iniungentes Pœnitentias quasi propter formam, non habentes zelum tuendi, sicut possent honorem Dei; & auertendi peccata contemptũ. hæc enim dissimulatio occasionem præbere solet ad eadem peccata facilius repetenda: vt enim ait S. Ambrosius *facilitas veniæ incentivum tribuit delinquenti*, liberiùs & absque freno peccandi. Nam timor pœnæ est quasi frenum culpæ. Et Confessarius in hac re negligentior reus esset culparum alienarum: eò quòd fiat earum particeps facilitate & negligentia sua, vt declarauit Concilium Tridentinum grauissimis hisce verbis. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares satisfactiones iniungere: ne si forte peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quadam opera pro grauissimis delictis iniungendo alienorum peccatorum participes sint.*

2

Serm. 8. in Psal. 118.

Sess. 14. c. 8.

SEQVENTES igitur Confessarij prudentiæ regulam, & Spiritus S. dictum, vt dixit Concilium, studeant horum duorum extremorum medium tenere. Nam (vt ait S. Gregorius) disciplina & misericordia multum de sua perfectione amittunt, quãdo vna ab altera separatur: miscẽda (sic) est lenitas cum seueritate; faciendumque quoddam ex vtraque temperamentum: vt neque multa asperitate exulcerentur subditi: neque nimia benignitate soluantur: Et hoc dicit fecisse prudentem Samarita-

3

Lib 20 Moral. c. 8. & 2 P. Past. c. 6 refertur D 45. c. Disciplina.

num

num, cùm b *alligauit vulnera eius, qui inciderat in latrones, infundens oleum & vinum*: Si enim alterum horum defuisset, vulneratus ille non recepisset integram sanitatem. Semper tamen misericordiæ oleum debet eminere; & in dubio propendendum ad lenitatem: á qua inchoanda est curatio.

b Luc. 10. 34

Quod insinuare voluit Sanct. Lucas cùm hanc referens curationem prius dixit: Samaritanum infudisse oleum, quod mollit ac lenit, quàm vinum, quod mordet. Insinuat enim in spirituali infirmorum curatione præferendam esse misericordiam iustitiæ, & lenitatem seueritati. Et in libro Canticorum dicuntur c *vbera* sponsi, ex quibus lac dulce ac suaue fluit *meliora esse vino*: & statim additur: *nomen sponsi esse oleum effusum*. Quia potiùs gaudet hunc liquorem ad solatium hominum effundere, quàm vinum forte, quod solet eosdem premere. Cùm igitur Deus noster æque iustus ac misericors potius gaudeat operib. misericordiæ (de quibus Dauid: d *miserationes eius super omnia opera eius* & S. Iacobus Apostolus: e *superexaltat misericordia iudicium*) æquum est, Confessarios Deo suo conformes esse; & conari potius clementiâ & lenitate eminere, quàm rigore iustitiæ.

c Cant. 11.

d Psal. 144.
e Iacob. 2. 13

Quid autem dicemus de Christo Domino nostro, qui adeò delectabatur & gloriabatur de mansuetudine & misericordia erga peccatores: vt eius inimici ex hoc insidias ei struerent, vt deprehenderent, an esset iustitiæ contrarius? Hoc (inquit S. Augustinus) quærebant, qui mulierem in adulterio deprehensam ad eum adduxerunt dicentes: f *in lege mandatum esse huiusmodi lapidare*: vt ipse diceret: an esset ita agendum, nec ne. Benignissimus autem, & prudentissimus Magister, sciens misericordiam cum iustitia componere, dixit seueris illis accusatoribus: *qui sine peccato est vestrum primus in illã lapidem mittat*. Quasi eis dixerit: si adeò estis zelantes iustitiæ, primum incipite á vestra conscientia; & obseruate: an illa sit immunis à peccato; & an non aliqua pœna sit digna: quod si peccatores estis; miseremini etiam eius, quæ peccauit. Cùmque omnes, propriorum peccatorum conscij, recederent; ipse ad mulierem conuersus, apertè suam ostendit clementiam, dicens ei: cùm nullus eorum g *qui te accusabant te condemnauerit; nec ego te condemnabo. vade & iam amplius noli peccare*, abutens mea clementia. Hoc exemplar est, quod imitari debent Confessarij, ne lapides iaciant asperarum reprehensionum temerè, & animo pœnitentes confundẽdi & condẽnandi; sed potiùs optãtes, eos á malo statu eripere: ne sit opus durioribus huiusmodi lapidibus: attendant se homines esse eisdem miserijs subiectos; & optent, se leuitate potiùs, quàm asperitate duci. Id enim est quod Apostolus dicebat: cor-

Tract. 33. in Ioan.
f Ioan. 8. 5. 7.
S. Greg. l. 1. Mor. c. 6.

h Ioan. 8. 11.

reptionem

h *Gal. 6. 1.* reptionem & instructionem debere esse h *in spiritu lenitatis: considerans* inquit, *teipsum, ne & tu tenteris*: & puniat Deus hanc tuam leuitatem, permittens labi te sicut proximus tuus fuit lapsus.

§. II.

HOC IACTO fundamento, prudens Confessarius in pœnitentiæ iniungendis ad multa attendere debet, tam ex parte dispositionis Pœnitentis in corpore & anima; quàm ex parte peccatorum, quæ confitetur. ET PRIMVM quidem attendere debet ad contritionem, quam Pœnitens ostendit. Quæ adeò potest esse magna, totáque habere signa veræ Pœnitudinis: vt sit æqualis toti pœnæ, cuius ille est reus, ita vt ab omni debito sit expeditus. Et tunc, sicut in rei veritate non superest aliqua pœna luenda, cum nullum supersit debitum: imponenda est leuissima Pœnitentia, potiùs ad integritatem Sacramenti, quàm ad vlionem culpæ, præcipuè cùm huiusmodi Pœnitentes adeo sint feruentes & propensi ad vindictam de ipsis sumendam: vt freno potiùs indigeãt, quo contineantur; quàm calcaribus, quibus impellantur. vt videre licet in S. Maria Magdalena, & S. Petro: quorum adeo fuit feruens contritio, vt culpa & omnis pœna illis remitteretur: qui tamen non propterea longam pœnitentiam facere neglexerunt.

1 *Suarez. To. 4. in 3. part. disp. 38.*

2 Ex altero verò extremo euenire posset effectus alius huic aliquo modo similis: quando scilicet pœnitens tantam spiritûs & corporis debilitatem præ se ferret, vt expediret, pœnitentiam ita moderari: vt multò minor quàm ille promeritus esset, iniungeretur. Quia tunc locum habet ratio Chrysostomi superiùs posita; ne scilicet pœnitens oneri succumbat: expedit enim tunc pœnam reijcere in Purgatorio luendam, si is adeo fere grauiter eam in hac vita luere. Tunc autem ad rem erit, eum monere propterea tam paruam pœnitentiam ei iniungi: vt eius imbecillitati condescendatur: ne culpas adeò graues parui faciat, perpendens tam leues sibi pœnitentias iniungi. Imo etiam tunc erit ad rem, aliqua opera iniungere, quæ sunt aliàs de præcepto. Quamuis enim ordinariè iniungenda sint quæ sunt de consilio: debilibus tamen, qui has admittere recusant, expedit ipsamet iniungere, quæ aliàs præstare tenebãtur: vt ex hoc nouo titulo ea præstent; & cùm sic iniuncta sint pars huius Sacramenti, erunt magis satisfactoria, vt dictum est. Non tamen statim acquiescere debet Confessarius, suam proponentibus imbecillitatẽ; sed proponenda sunt eis media, quibus facilè iucundumque reddatur, quod asperum ac difficile esse videtur. Sicut euenit a *Ieremiæ proiecto in lacum, in quo non erat aqua sed lutum: cupiens autem Abdemelech eum inde eripere dimisit funiculos in lacum,*

Nauar. in Manuali. c. 26. n. 19. & 20. Suarez sup. Sect. 5.

a *Iere 38. 11.*

vt Iere-

vt Ieremias illos arriperet: *misitq; illi veteres pannos, & antiquos,* quibus funes manibus acciperet, ne læderetur. Huncigitur in modum Confessarius, qui significatur per Abdemelech, quod significat seruum Regis non terreni sed cœlestis, cupiens peccatorẽ educere ex profundo lacu, & cœno peccatorum eius: dimittit ei funes, quibus sese liget, & quos arripere possit, qui sunt precepta pœnitentiæ intexta tribus funiculis Contritionis Confessionis, & Satisfactionis: quibus ab omni sua miseria eripiatur. Ne autem lædatur, dat etiam ei quasi pannos laneos, res aliquas molles, quibus faciliora illa & suauiora reddantur: hoc est rationes proponit, quæ illum alliciant & impellant ad pœnitentiam & satisfactionem. Exprimit autem Scriptura, quòd panni illi essent *veteres &* quasi *putridi,* quibus (vt S. Gregorius ait) significantur exempla Sanctorum antiquorum, & præcipuè eorum, qui fuerunt aliquando peccatores; magnis verò Pœnitẽtijs susceptis, euaserunt eminentes Sancti: nam quamuis debiles essent, sicut cæteri homines, eò quòd essent etiã carnei: diuina tamen gratia eos reddidit fortes; & eorum exempla meritò debent debiliores exstimulare ad aliquid præstandum eorum, quæ illi præstiterunt.

Lib 24, Moral. c. 7. & Gloss. ibid.

3

Plvrimvm ad hoc cõfert dexteritas persuadendi huiusmodi tepidis, vt velint sua vulnera à radice curare; nec esse contenti quacunq; mũditie. Nam (vt S. Bernardus ait) *lauari cito possumus: ad sanandum autem opus est curatione multa.* Quando enim quis cadit in lutum, cito se potest lauare: cùm autem cadit in grauem morbum, aut grauiter infirmatur: magna curatione multisque medicamentis opus est, vt integræ sanitati restituatur. Quod si in corporis morbis libẽter infirmus obedit medico, etiam imperãtes graues, quales sunt abstinẽtiæ, sanguinis emissiones, purgationes, cauteria, & aliæ similes: quia persuadet sibi illas, ad sanitatem recuperandam multum conducere: multò magis est rationi consentaneũ, vt in morbis & vulneribus animæ, spirituali te medico subijcias, etiam præscribenti res acerbas, siquidem illæ sunt necessariæ ad sanitatem recuperandam, & euitandam recidiuam. Noli b *Naaman* illum *Syrum leprosum* imitari, qui Elisæo Prophetæ præcipienti *septies in Iordane lauare* vt à *lepra mundaretur,* nolebat obedire, sed cupiebat *solo contactu manus eius sanari.* Qui si in sua perdurasset pertinacia, mansisset sicut prius leprosus. Fideles tamen eius ei Consiliarij dixerunt: *si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debuerat: quantò magis, quia nunc dixit tibi: lauare & mundaberis.* Quorum consilio & suasioni cum ille annuisset, & Prophetæ mãdato paruisset, mundatus omnino est. Ne tantum tibi tribuas, vt à lepra profundè in anima tua radicata sanari velis leui manus tactu: erit enim curatio valde leuis, & quasi in cute: remanẽ e interim venenata in corde radice. Obedias Confessario aliquid tibi præscribenti, etiamsi durum &

Serm. de cœna Domini.

b 4 *Reg.* 5. 12.

graue illud tibi videatur; cedet enim in tuam perfectam curationem. Et quamuis illud esset adhuc grauius, optimè collocaretur, propter sanitatem, quæ tanti facienda est, obtinendã. Nec sine causa, cum Christus Dominus noster accessit ad probaticam Piscinam, videns hominem quendam triginta & octo ânos habentem in infirmitate sua, dixit ei: c *vis sanus fieri?* Manifesta satis erat infirmi illius voluntas, ac desiderium sanitatem coporis recipiendi: sed quoniam Christus Dominus noster, etiam eius animæ sanitatem ei optabat, quæsiuit ab eo: num veram sanitatem recipere optaret, quæ totum hominem sanum reddit. Vt Confessarij intelligant, quantum conferat Pœnitentibus, quòd velint re ipsa & verè curari & sanari. Quamuis autẽ Saluator noster miraculosè infirmum illum sanasset: noluit eum tamen absque graui aliquo onere recedere, in quo fidem ostenderet obedientiam: ideoque ei dixit: *tolle grabatum tuum & ambula*, vt Pœnitentes discant portare onus, quod Confessarij, dum eos absoluunt à peccatis, eis imponunt, vt plenè euadant sani. Et quemadmodũ homo ille Iudęis ipsi suadentibus, ne illud onus portaret, acquiescere noluit: sed dixit: *qui me sanum fecit, ille mihi dixit vt tollerem*: & hoc sanus mihi est, vt tollam: ita Pœnitens non debet onus pœnitentiæ à Confessario sibi iniunctæ deponere: sed tentationibus cõtrarium suadentibus respondere: qui me à peccatis absoluit, iussit hanc Pœnitentiam subire quam propter nullam causam prætermittam.

c *Ioan 5. 6.*

4

SVPERATA hunc in modum Pœnitentis volũtate, facilius erit pœnitentias ei præscribere. Ad quod Confessarius attendere etiam debet grauitatem & qualitatem peccatorum, vt eas illis accommodet: nam qua ipse iudex est, merito debet illam Sapientis regulam obseruare: d *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*: quà autẽ medicus est, contraria debet contrarijs curare: quà autem Magister est, ac dux, debet eum in via salutis collocare? ei planè contraria, quam eo vsque tenuisset. Si peccatum fit carnis voluptatem appetentis: æquum est, vt Pœnitentia sit rerum, quæ carni adferunt dolorem, vtpote contrariæ prauis voluptatibus, quas illa appetit: qualia sunt ieiunia, flagellationes, Cilicia, lectus durus, & alia similes pœnæ. Quod si peccata orta fuerũt à concupiscentia rerum temporalium: par est, vt in facultatibus temporalibus pœnam luat: ideoque eleemosynæ merito iniungentur: & aliæ expensæ in opera pia: & huiusmodi pœnitentiæ accommodatæ sunt, vt imponantur diuitibus & potentibus: tum quòd illi minus ferre possint asperitates: tum, quòd eadem operâ satisfaciunt obligationi, qua tenentur pauperibus subuenire quibus etiam hac ratione commodatur: tepidis & ignauis in profectu virtutis talia sunt imponenda, quibus illi extimulentur ad talem torporem exuendum: qualia sunt deuotionis exercitia, quæ nos proponemus

d *Sap. 11. 17.*

Prvdentia quoque est necessaria, ad præscribendum tẽpus quo Pœnitentiæ iniunctæ fieri debeant. Ex altera enim parte videtur magis impleri, vt fiant in statu gratiæ: siquidem eâ per aliquod lethale peccatum amissâ, non habent Pœnitentiæ proprium suum effectum: saltem pro eo tempore, quo culpa mortalis durat. Neque deest irreuerentia, si pars illa Sacramenti, hoc est satisfactio, fiat in malo statu extra gratiam: quando etiam Pœnitentiæ longo tempore sunt præstandæ: facilè veniunt in obliuionem, & omittuntur. Præstat autem modicum citò explere quàm iniungere multum cum periculo obliuionis, & omissionis. Ex altera tamen parte videtur expedire, vt interdum præscribantur pœnitentiæ longo tempore faciendæ: ne peccata, ob quæ iniunguntur, statim obliuioni mandentur: sed perduret eorũ memoria, & studium seipsum propter ea castigãdi, iuxta illud Dauidis e *cogitabo pro peccato meo*, hoc est non obliuiscar eius; sed cogitabo & solicitus ero, etiamsi mihi sit remissum

5

2

e *Psal.* 37. 19.

Et propterea Deus, cum puniuit f *Mariam* Moyses & Aaron sororem leprã: etiam orantibus fratribus, vt dignaretur eam mundare, noluit statim id facere; sed dolorem & pudorem eius *per septem dies* perdurare, & *extra castra manere*: vt fieret cautior, & culpam suam plenè luerer. Necesse quoque est: malam peccandi consuetudinem bonâ sensim aboleri: & propterea non est alienum, vt Pœnitentia sit prolixior: quò bona consuetudo obtineatur. vt si pœnitens assueuit iurare aut malè precari: ad hanc consuetudinem deponendam; expediet tempus aliquod præscribere, quo durante pro singulis iuramẽtis, aut imprecationibus dicat saltẽ semel Angelicam Salutationem: quæ instar sit freni, quo retineatur à iuramentis, & augeatur pietas, ac deuotio ad Virginem sanctissimam. In qua tamen re non potest certior alia regula tradi illa, quam ipsa prudentia suggesserit; iuxta Pœnitentis dispositionem, & exactam curam & diligentiam aut moras, quas in alijs pœnitentijs exequendis habuit.

f *Numer* 12. 10.

Denique, cùm tanti sit momenti Pœnitentem à nouis peccatis & recidiuis præseruare, morbosq; eius impedire debet: prudens Cõfessarius aptum aliquod regimen pœnitenti præscribere, ita eius capacitati accõmodatũ, vt eum ad vtrumq; iuuet: quale Michęas Propheta proposuit dicens: g *indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat â te: vtique facere iudicium*, castigando scilicet culpas tuas iuxta merita tua: *diligere misericordiam*, redimendo eas eleemosynis, *& solicitum ambulare cum Deo tuo*, faciendo in posterum magno studio ac diligentia, quæ ad ipsius obsequium pertinent.

6

g *Michæa* 6. 8.

Quod vt melius Confessarius faciat, poterit illis aliqua opera commendare, quæ simul Pœnitentiæ sint in pœnam; & medicinæ, ad curationem, & præseruationem, & ad bonam viuendi rationem: vt feliciùs conualescant, vt bonum Iudicium faciant suique notitiam acquirãt: sudeat eis, singulis diebus ad vesperam, conscientiæ examẽ instituere; valdeque seriò sibi assumere per dies octo, vt victoriam de vitio, aut Passione aliqua, à qua maius accipiunt detrimentum, obtineat, & quotidie assumere corporalem aliquam pœnitentiam, quamuis leuem: qualis esset aliquid orare brachijs in modum crucis extensis: nam qui plurimum debet, nec potest totum simul persoluere, expedit ei, sensim & paulatim id facere, aliquibus assumptis mortificationibus; abstinendo à rebus aliquibus, quibus aliàs delectatur, etiamsi permissæ illi sint; & sumendo alias amaras & insipidas, frequentare quoque Sacram Confessionem, in qua iudicium hoc commodiùs fit; estque Antidotum ad præseruandum à frequentiori lapsu. *Ad misericordiam diligendam* exhortetur pœnitentem ad largiendam quotidie aliquam eleemosynam, etiamsi modicam; ad visitanda aliquoties Xenodochia, & ministrandum pauperibus, & orandum aliquid pro animabus Purgatorij. vt *solicitus coram Deo suo ambulet*, commendet ei pietatis exercitia, & quæ ad eam obtinendam disponunt: qualia sunt pios libros legere, conciones audire, Sacro Missæ, aliisq; Diuinis officijs interesse; aliquas orationes orare, qualis est Beatissimæ Virginis corona, aut eius Officium, & alias ad Sanctum Angelum custodem, aliosque Sanctos; frequenter communicare; aliquam meditandi rationem, & mentaliter orandi ei suggerere, iuxta ipsius capacitatem; visitare item aliqua templa singularis alicuius deuotionis; aut altaria, ad consequendas indulgentias; & similes alias. Horum omnium operum iniungi possunt aliqua in pœnitentiam, ad certum aliquod tempus: suadendo simul, vt sponte ipsi prosequantur, & consuetudinem sibi faciant in eis seruatis documentis in proximo capite insinuandis.

(∴)

CAPVT

CAPVT XII.

DIRECTIO, ET SPECIALIS CVRA CONFESSARIORUM erga sibi commissos, ad eorum vitia radicitus extirpanda.

HAECVNQVE HACTENVS DE CONFESSARIIS DIXIMVS, præcisè eos obligant cum quocunque agant Pœnitente, etiam cum vagis; qui modò vni, modò alteri confitentur. Vlteriùs autem progredi debet ipsorum cura & solicitudo erga eos, qui ipsorum sunt oues; aut quorum animarum curam, ac directionem specialem susceperunt animarum eorum: imitantes scilicet sollicitum illum Samaritanum, cuius toties fecimus mentionem, qui non contentus, quod miseri illius a *vulnera alligasset, oleumque & vinum infudisset* (quod erat præcisè necessarium, ne exspiraret) sed etiam eduxit eum ex periculoso illo itinere, in quo inciderat in latrones, *eumque imponens in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.* inde autem recessurus, alium sibi substituit, qui eiusdem curam gereret. Ex quo Confessarius, qui suo muneri cupit plenè & eminenter satisfacere, intelliget: sibi non satis esse debere eam curam, quam in ipso Sacramento adhibet, quod absolutione finitur; sed etiam educere debere Pœnitentem ex omnibus periculis, & occasionibus, in quibus versatur: ita vt non solum consilio ac directione; sed re ipsa eum iuuet, quantum poterit: donec deducat, collocetque in eo vitæ statu & occupatione, in qua sit ille tutior, & specialem etiam tunc curam adhibeat in omnibus quæ ad eius salutem & spiritualem profectum pertinent. Quod si necessarium ei sit, ab eo aliquando discedere: non debet eum omninò deserere, sed de aliquo alio prospicere, qui eius curam gerat, sicut ipse faciebat. Ita vt hæc eius cura quodammodo sit perpetua, saltem in successoribus, qui ex ipsius directione eam continuent. Cogiter itaq; Confessarius, dici sibi à Deo idem, quod Ieremiæ fuit dictum: b *ecce constitui te hodie loco meo vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Confessarij enim munus vtramque iustitiæ partem complectitur: docere scilicet c *declinare à malo & facere bonũ.* debet enim operam dare, vt Pœnitens declinet ab omni malo, euellendo à radice omnia eius peccata: eorumque detrimenta & pericula: & simul eundem exstimulare ad omne bonum: vt in eo perfectionis turris exstruatur, & omnium virtutum plantæ serantur. Quod opus etsi præcipue sit Dei, iuxta illud Apostoli ad fideles corinthios: d *Dei agricultura estis, Dei ædificatio*

a *Luc.* 10. 34.

b *Ierem.* 1. 10.

c *Psal.* 36.

d 1. *Cor.* 3. 9

ficatio estis: Confessarij tamen sunt præcipui ministri, quorum operâ magis particulariter Deus in hac re vtitur. Quemadmodum autem qui ædificare turrim cogitat, primùm terram fodit ad iacienda fundamenta; extrahitque quidquid facilè cedit vsquead viuam petram; & qui plantare aliquid vult etiam fodit, terramque ab omnibus sordibus & noxijs expurgat: ita Confessarius primam suam curã in eo ponere debet, vt à pœnitente auferat omne genus peccatorũ, & eorum radices: id enim significant quatuor illa verba, quibus Deus ad Ierem. & ad ipsum vsus est, *euellas, & destruas, & dispердas, & dissipes*. Debet enim *destruere* peccata omnia mortalia, & venialia grauia, nullo in eius anima relicto; & *euellere* omnes eorũ occasiones siue sint societates, siue libri profani, officia periculosa, & quidquid exteriùs est sementis tentationum; *dispердere* debet omnes vitiorum habitus & mores vitiosos, quos in veteri sua vita acquisiuit; & efficere, vt eos exuat, eisque omnino se spoliet; ac denique dissipare debet inordinatas passiones & propensiones malas, quas ex natura sua habet, quæ sunt primæ culparum radices. Quæ quatuor, cùm bene præstiterit, expleuerit quidquid ad primam muneris sui partem spectat, in qua maior eius difficultas cõsistit. Pugnandum enim est ei cõtra quatuor terribiles hostes cordíque hominis valde infixos: ad quos vincendos magna fortitudine & viribus opus habet. QVAMVIS tamen illi sint valde radicati & inueterati, nunquam Confessarius abijcere animũ debet aut fiduciam in Deum deponere: si enim medicus desperat; quid miser faciet ægrotus; si dux ipse huius pugnæ fugit: quid miles faciet; si exploratores terræ promissionis tremũt, nec audét eam aggredi: quid plebs faciet an non territa deseret? Induat igitur Confessarius animum duorum exploratorum e *Caleb & Iosue*, & nullo euentu diffidat, aut timidum se ostendat suo pœnitenti; sed eum potius animet, concepta in Deum fiducia, qua etiam se ipsum exactè muniat: hoc enim opus non ipsius, sed Dei est; qui cum sit omnipotens, valet per Confessarium, etiamsi vile sit instrumentum, destruere, euellere, ac dissipare vitia omnia, etiam inueterata valdeque radicata, adhibentibus tamen suam diligentiam, tam medico quàm ægroto. Morbi enim animę in hac vita non sunt incurabiles; & vt Sanctus Basilius ait: in rerum natura nihil est, quod non diligentiâ corrigatur; neque vitium est vllum adeò graue, quod non Dei timore peruincatur. Quare si timor Dei ac diligentia simul coniungantur, nullum est vitium, quod non extirpetur, neque propensio adeò improba, vt non commutetur in bonam. Scriptum est enim: *qui timet Deum nihil negligit* hoc est, medicus & infirmus qui Deum timét, nullum peccatum parui faciunt, nec de eius remedio diffidunt: quod vt adhibeant, nulli labori parcunt. Quod si agri cultores (ait hic Sanctus) viam &

ratio

De Duce Spirit. Tract 4 c. 3

1

2

c Num. 14. 9.

Regula 10. Fusiorum.

9

f Eccles. 7. 19.

tationem inueniunt, qua amygdali aliàs acerbæ dulcia proferant amygdala: cur via nõ inuenietur ad vitiosos mores mutandos? nemo (inquit) in vitio constitutus de seipso desperare velit, haud nescius agriculturam, stirpium qualitates mutare: curam autem, ac studium in consequendis virtutib. animi omnes vincere morbos, superareq; posse. Quę mutatio cũ futura sit à dextera excelsi: diligentiarũ, quas ex parte nostra adhibere oportet, prima esse debet in sollicitanda misericordia & omnipotẽtia diuina orationibus nostris. Illis enim facta est insignis illa promissio trãsferẽdi montes, & arbores: cum Saluator noster dixit suis discipulis, & in eis omnibus animarum medicis: g *si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc, & transibit? & nihil impossibile erit vobis*; & h *si dixeritis huic arbori moro: eradicare, & transplantare in mare: obediet vobis*. Etsi enim vitium sit æquè graue atque mons aliquis: adeoque profundè radicatum atque arbor mori: euertetur & euelletur oratione, quæ funditur cum fide & fiducia. Oratio tamen fieri debet cum fide, quæ sit quasi granum sinapis, in quo paruitas coniungitur cum arbore & efficacitate magna, coniungenda enim est humilitas cum accensa charitate, magnaque in petendo instantia, nunquam dimisso i *scuto* sui ministerij, quod diximus esse *orationem*. Cum igitur Pœnitentes appellentur filij Confessarij: quotidiè sicut alter Iob, k *offerre Deo debet Sacrificia profiliorum suorum purificatione*: vt grati illi euadant.

Homil. 5. Hexamerõ.

g *Matt.* 17. 19.
h *Luc.* 17. 6.

i *Sapi.* 18. 21 *Cassian.*
k *Iob* 1. 5.

§ I.

Praeter fiduciam & orationem necesse est Confessariũ & medicum spiritualem nõ existimare satis sibi esse, scientiam illam, & peritiam, quæ ad valorem confessionis aliàs sufficeret: sed opus etiam est multò vlterius ad cor pœnitentis, & infirmi conscientiam, quã curare intendit, penetrare, radices scilicet vitiorũ eius, propẽsiones, ac tẽtationes, & affectus prædominãtes; causas & prætextus, quos habet non proficiendi; & omnia interiora & exteriora, quæ causa esse possũt spiritualis ipsius detrimẽti cognoscere. Hãc autẽ notitiam assequi potest partim ex relatione ipsius infirmi: quę nõ debet esse de peccatis tantũ, quã dat in ipsa confessiõe, vt ab eis absoluatur; sed multò exactior de omnib. quę interiùs in anima eius gerũtur; aperiẽdo scilicet totũ conscientię suæ librũ optimo quo poterit modo. Industrius autẽ & bene peritus medicus vlterius adhuc progreditur: & ex ijs, quæ audit & indicijs quę percipit, maiorem educit notitiã & aliqua deprehendit, quæ ipsemet infirmus nõ agnoscit. Nam vt S. Basilius ait: animi vitia non omnia manifesta omnibus, ne ipsi quidem in quo insunt, vt & in corpore. Et quemadmodum medici corporum aliqua habent indicia morborum occultorum, Puos ipsimet infirmi non sentiunt, sed potius se sanos reputant, cum

Reg. 28. breuior.

tamen

tamẽ valde periculosè laborẽt: ac propterea fidẽ adhibere debent medicis eorumq; iudicio suum subijcere; & quę illi ad ipsorum curationẽ prescribunt, acceptare: ita etiam Spirituales medici sapientes & industrij, signa quædam & indicia obseruant, ex quibus deprehendunt morbos ipsismet infirmis occultos: siue quòd amor proprius (vt S. Gregorius ait) illos excœcet, ne seipsos agnoscant: siue quòd proprio suo iudicio, à quo decipiuntur, multum tribuant. Ex quo prouenit, vt cùm infirmi sint, & nos se reputent; & cùm sint debiles, existiment se esse fortes ac robustos. Iram reputant zelum; & ignauiam mansuetudinem; & pleni occulta superbia, existimant se procul ab illa esse. Ipse tamen medicus ab ea passione liber, hæc omnia penetrat & assequitur. quare dexterè debet id infirmo ipsi indicare vt seipsum agnoscat: siquidem in cognitione sui ipsius consistit initium sui remedij, vt idẽ Sanctus ait. Quamobrem multum refert ponere illi ob oculos aliquod speculum aut picturam, in qua animæ suæ dispositionem intueatur. Adferendo illi aliquas sententias siue exempla Scripturę diuinæ de ijsdem vitijs. Eum in modũ quo Christus Dominus noster parabolas proponebat Phariseis, in quibus ipsorum vitia cum omnibus circumstantijs depingebat. vt apparuit in parabola de a *vinea agricolis locata*: & de b *homine diuite qui cogitabat facere horrea sua maiora*, & in alijs similibus. Similiter instar speculi esse potest delineatio ac descriptio quam Sancti faciunt de aliquo vitio: si enim alicui gulæ aut iræ obnoxio referatur, quod S. Gregorius dicit de his vitijs, eorum filiabus, radicibus ac remedijs: statim intra seipsum dicit: ego sum talis & mecum loquitur Sanctus Gregorius, talia dicens. Et idem fecit Propheta *Nathan* proponens Regi Dauidi *Parabolam diuitis qui pauperis ouem acceperat*: vt in ea ipse Dauid proprium suum lapsum in adulterium videret, & agnosceret.

Homil 4. in Ezech.

a *Matt.* 21. 33.

b *Luc.* 12. 18

Homil. 6. in aliquos Sacræ Script. locos.

2. *Reg.* 12. 1.

AD PERFECTAM hanc de infirmo notitiam non parum refert agnoscere etiã, vt Sanctus Gregorius ait, ingenium eius & naturalem complexionem: an scilicet cholericus sit, an phlegmaticus; sanguineus an melãcholicus; an mollis ingenij; expeditus an tardus: loquax an taciturnus: vt dicerni possit inter naturæ & personæ vitium: & inter virtutem naturalem & moralem bonis actibus acquisitam. Hoc ipsum nosse confert etiam ad hoc, vt medicina complexioni Pœnitentis accommodetur. vnum enim & idem vitium aliter debet curari in melancholico & tristi, quàm in hilari & sanguineo; & aliter in eo qui vitium habet quasi ab infantia sibi connaturale, quàm in eo qui adultus iam incœpit, sed diu in eo est versatus. Et hoc voluit Saluator noster significare, cùm parentem infirmi obsessi lunatici & furiosi interrogauit, c *quantum temporis esset ex quo ei id accideret*, quòd ita agitaretur: & respondit pater: *ab infantia*. vt sic Spirituales medicos doceret quãdo alicuius infirmi curã suscipiũt, debere

Lib. 29. moral. c. 14.

c *Mar.* 9. 20

interro-

interrogare de tempore, quo morbus durauerit. Si enim ab infantia cœpit, difficilior est curatio, Nam, vt Ecclesiasticus dixit: d *languor prolixior grauat medicum: breuem languorem præcidit medicus.* Cuius rei bonum fuit indicium, quòd Apostoli non potuerint tunc obsessum illum á Dęmone liberare; & causam reddens eis Christus Dominus noster, dixit: *hoc genus* Dæmoniorum, qui adeò sunt infixi & radicati, *in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio*, tam ex parte medici, quám ipsius infirmi. Ad curandos enim morbos inueteraros, necessaria sunt ieiunia, aliæque pœnitentiæ, & opera pœnalia.

d *Eccl.* 10.1

§. II.

4

HABITA igitur notitia vitiorum omnium eorumque radicum, nõ debet medicus existimare inchoandã esse omnium simul curationem. Etsi enim Christus Dominus noster solet infirmos ab omnibus simul malis, quibus laborabant, curare, vt ipsemet dixit: a *totũ hominem sanum feci in Sabbatho.* Aliquando tamen non simul, sed paulatim eos curabat: vt apparet in cœco illo, cui bis manũ imposuit super oculos: qui primum quidem aliquid cœpit videre; quando autem secundò manum apposuit, b *restitutus est ita, vt clarè videret omnia*, vt sic significaret, quòd licet Confessarij in Sacramento Pœnitentiæ vno, vt ita dicam, tactu totam animam sanam reddant, quod ad remissionem omnium peccatorum lethalium attinet: vitiorum tamen & passionum reliquias non simul curare possunt; sed sensim & paulatim, quemadmodum Moyses populo suo dixit de nationibus ipsi inimicis: c *Deus magnus & terribilis ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, & per partes: non poteris eas delere pariter.* Ac fortè propterea Deus Ieremiæ explicauit officium, quod illi iniungebat quatuor illis verbis: vt euelleret, destrueret, dilperderet ac dissiparet: vt intelligeret, debere ipsũ per gradus progredi in euellẽdis vitijs. In ordine autẽ rẽ aggrediendi, magna opus est prudentia. Nã si ægrotus & miles debilis sit, timidus, ac tepidus: expedit curationem inchoare á vitijs facilioribus: vt primum certamen sit contra hostes debiliores: nam victoria ab eis reportata animabit eum ad certamen cum robustioribus ineundum. Si autem pœnitens sit magno & feruenti animo: præstat incipere, & primùm aggredi vitium prædominans, quod est quasi cæterorum dux; & á quo maius ille accipit detrimentum: nam eo deuicto, reliqua succumbent, eum in modum quo amputato capite Goliath & ducis Holofernis, fugerunt Philistæi & Assyrij, victos se reputantes. Et hoc est caput serpentis conterere: in quo totam suam vim & fortitudinem ille repositam habet. Sed quoniam draco septem habet capita, vitia scilicet capitalia, quæ reliquorum sunt capita: obseruet prudens Confessarius: quodnam illorum potissimùm capitis vices obeat. In

a *Ioan.*7.23

b *Mar.*8.24

c *Deut.* 7. 22.

quibusdam enim prædominatur gula, in alijs ira, in alijs auaritia aut superbia; & in illud, quod tale esse deprehenderit, omne suum studium & industriam dirigit.

QVOD de vitijs diximus, est etiam de remedijs adhibendis intelligendum: non enim omnia simul, sed vnum post alterum, & sensim applicanda sunt: & ordinariè à facilioribus & suauioribus inchoandum: sicut medici, qui sirupos præmittunt, disponentes ad vehementiorem purgationem. Nam ordinariè non esset prudentiæ, deditum vitio gulæ, & assuetum multa ac delicatoria comedere: velle statim vno quasi ictu curare seueris ieiunijs in pane & aqua; sed paulatim aliquid est adimendum in quantitate & qualitate ciborum; adhibita mortificatione in eo quod minus est: vt inde ad maiora progrediatur, nisi fortè aliquis ita esset feruēs, vt vehemēti Dei impulsu in eo gradu abstinentiā auspicetur, in quo alij sistunt. Quod euenire solet in multis rebus ijs qui religiosum statum aggrediūtur: in quo cernūtur repentinę mutationes valde stupendę, ordinariè tamen non est ab vno extremo ad alterum statim transeundum, sed per medium progrediendo per suos gradus in applicandis remedijs, quæ vitijs prauisq; propensionibus aduersentur. Nam quemadmodum ars medica, frigida curat calidis, & calida frigidis: ita (ait S. Gregorius) vitia curanda sunt actibus virtutum contrariarum. Et S. Basilius docet superbo, & inanis gloriæ cupido commendanda sunt exercitia humilia, & abiecta; garrulo, vt curam gerat silentij; multum temporis somno tribuenti, amor & studium vigilię; otioso, vt studeat sese bene occupare; voraci, vt aliquantùm abstineat; murmuranti, vt linguam contineat, & colloquia vitet, quæ murmurandi præbent occasionem. Et his omnibus aliquid particulare est præscribendum: in qua per dies aliquot mortificationem suam exerceant: & postea maius quid imponendum, donec plenam obtineant victoriam.

Homil 32. in Euang. Regul 51. Lusiorum:

6

DILIGENTER tamen est aduertendum: ne curatio ipsa tantùm sit in superficie, & merè externa; sed vt securis ad radicem ponatur, quę semper est interiùs: ideoque applicanda sunt remedia pro mortificatione passionum internarum; & præcipuè quatuor, quæ cæterarum sunt veluti duces, quas Boëtius vocat *amorem* siue desiderium, *timorem*, *gaudium* & *tristitiam*: quando versantur inordinatè circa res huius vitæ prosperas vel aduersas. Parum enim prodest exteriora remouere, si interni affectus effrenes maneant; & exiguus erit fructus, si castigetur, valdeque coerceatur corpus: si spiritus maneat integer, nec sese contineat. Si vis videre (ait Sanctus Bernardus) qualis tua sit conuersatio & quàm sit verè solida: *vide quid diligas, quid metuas; vnde gaudeas, aut contristeris:* inde enim id facilè deprehendes. Si Patrem aut matrem, vxorem aut filios nimium dili-

Lib. de Consol ad finem S. Thomas 2 2. q 26. a. 4.

Serm. 2 de Quadragesi.

gas

gas: non es dignus Christi discipulus: donec istum amorem commutes in odium sanctum: ita mortificando excessum illum, vt diligas Deum præ omni creatura: si plus homines times; quàm Deum; aut temporalium bonorum iacturam, quàm æternorum: procul es à sanctitate: nisi timorem istum mortifices, & conuertas in timorem solius Dei, & offensionum eius, ac malorum æternorum, quæ propter eas tibi euenire possunt: & hunc timorem præferas cuicunque alteri rei alicuius temporalis. Hoc intendebat Saluator noster, cùm suos discipulos monebat, vt abnegarent semetipsos: cùm enim præcipuum in homine sint ipsa eius interiora: seipsum abnegare, est internos affectus ita abnegare, vt rectè illos ordinatos habeat. Cumque proprium iudicium & propria voluntas sint quasi duces internarum omnium inordinationum; & operum, quæ exteriùs erumpunt, & quæ maximè curationem retardant, & ijs quæ medicus præscribit resistunt: contra hos inquam applicanda sunt efficaciora antidota eũ in modũ, quo illa explicuimus præcedenti tomo de Religiosis. *Tract. 5. 6. & 7.*

7

Hvic tamen documento accedere debet prudentia, quæ expectetur oportunitas hæc remedia applicandi. Sæpè enim passio & effectus adeò est cœcus & vehemens, vt infirmus non sit dispositus ad curationem: acproinde, si tunc remedium appllicaretur: aut vtile non esset, aut maius fortè detrimentum adferret. Quare expedit, rem differre, donec illa furia mitigetur, & cordis tranquillitas sequatur. Quamuis enim videatur curatio differri, & infirmus diu permitti, in suis peccatis, aut imperfectionibus hærere: id tamen nec imprudentiæ nec tepiditati est tribuendum: cùm non ex pigritia differatur; sed vt tunc applicetur, cùm bonus exitus speratur. decem menses distulit Deus reprehensionem, & curationem Dauidis, cùm ceciderat in adulterium: quam postea applicuit d *per Nathan* prophetam, ita oportunè, vt in momento sese dediderit, & peccati sui vehementer pœnituerit. Quem si statim in initio reprehẽdisset, ille ob cæcam passionem, qua tenebatur, fortè restitisset. Cumque medici corporis hoc seruent in medendis suis infirmis: securè possunt etiam spirituales oportunitatem expectare in qua suam applicent medicinam. Nam (vt ait *S.* Gregorius (si immaturè quis dederit: dubium non est, quin sit causa periculi res salutis. d 2. *Reg.* 12 *lib 7. Epist. 110.*

Ex qvo fit, vt Confessarij diuturna patientia & longanimitate opus habeant ad has curationes adhibendas; ita vt nõ defatigentur expectãtes opportunitatẽ, eademq; remedia repetentes, aut noua alia applicantes, quamuis exiguum aduertant fructum suorum laborum. Patientiâ enim longaq; spe etiam res valdè difficiles obtinentur. Sicut Scriptura Diuina de Romanis dicit, quod e *possederunt omnem locum consilio suo, & patientia.* *clib. 1. Machab. c. 8.*

quia non remittebant ſtudia & conatus ſuos, cum aliquid aggrediebantur, etiam cum exitus eſſent aduerſi. Sed ad noſtrum inſtitutum facit parabola Domini dicentis ad cultorẽ vineæ ſuæ: f *eccè anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: ſuccide ergo illam:* ſed cultor ille reſpondit: *dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam & mittam ſtercora: & ſiquidem fecerit fructum, ſin autem, in futurum ſuccides eam.* Quid enim aliud hæc parobola ſignificat; quàm, ne qui animarum curam gerunt, defatigentur expectantes vnum, duos & tres annos; etiamſi aduertant labori ſuo optatum fructum non reſpondere. Quod ſi Diuina ipſtitia indicia dederit, quaſi velit eos punire ac deſerere; ipſi Confeſſarij agere debent pios interceſſores, ſeſeque offerre ad iteranda remedia, & alia efficaciora addenda, optãtes, ne ficulnea illis, ipſorum curę commiſſa, omnino pereat. fieri enim poteſt, vt quæ per triennium non protulit fructus: in quarto anno proferat copioſos; & reſeruetur, vt tandem perueniat in cœlum. Nec abſque myſterio non dictum eſt ab illo cultore: Si non protulerit fructum quarto hoc anno ſuccides eam; ſed dixit: *in futurum ſuccides*, non præſcribens certum aliquod tempus. Pius enim Confeſſarius neque debet ipſe defatigari, neque tempus Diuinę miſericordię & multò minùs eius iuſtitiæ præſcribere: neque imitari, Presbyteros Bethuliæ, qui imprudenter (vt eis obiecit caſta Iudith) certum tempus Dei miſericordiæ aſſignarunt, dicentes: g *quinque dies expectemus à Domino miſericordiam: ſi autem tranſactis quinque diebus non venerit adiutorium: tradamus Ciuitatem in manus* hoſtium: quibus dixit Iudith: h *poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei. Non eſt iſte ſermo qui miſericordiam prouocet, ſed potius qui iram excitet.* Non enim eſt ſeruorum diem præſcribere Domino ſuo, ſed ipſius Domini, ſeruis. Et quamdiu ille eum non præſcribit: debent illi magnam habere de Domini miſericordia fiduciam, ſicut ipſemet Saluator nunquam deſtitit curare Iudam, quamdiu in eius manſit ſchola.

f *Luc.13.7.*

g *Iudith.* 7. 23.

h *c.8. 13.*

CAPVT

Caput XIII.

Dexteritas et industria Confessarii in permouendis Pœnitentibus ad perfectionem omnium virtutum.

Postquam Confessarius primae svi muneris parti satisfecit, quæ consistit in euellendis, destruendis, disperdendis, ac dissipandis vitijs: conuertere se debet ad secundam partẽ,ad *ædificandas:* scilicet *& plantandas* virtutes. Nõ quod tempora ipsa, aut exercitia omnino diuidamus:cum in totius vitæ decursu superst semper aliquid euellendum, & mortificandum: nec possint euelli vitia, nisi virtutes plantentur: & virtutis impedimẽtis sublatis,ædificetur turris perfectionis.In initijs autem maior ponitur cura,& conatus in euellendo,quam plantando;sicut postea maius studium ponitur in plantando,quàm in euellendo:cum dirigitur intẽtio & desiderium ad profectum & perfectionem in virtutibus,ad proprium pœnitentis statum spectantibus. Quare prudens Confessarius non deserens medici officium,debet etiam Magistri ac Ducis munus subire. 1

Et primum studere debet benè agnoscere bonas propensiones, quas Deus eis est largitus,quorum ipse curam gerit; & spiritum, quo suis inspirationibus eos ducere incipit; vt ipse coniungat se cum Dei spiritu, & cum bona illa Pœnitentis propensione:procurando eam fouere ac perficere in bono,ad quod tendit:semper enim est solidus ac diuturnus,quod cum maiori fit animi propensione. Et inspirationes Diuinas, ait Sanctus Dionysius, esse dulces stimulos, qui faciunt suauiter portari iugum diuinæ legis. Opus tamen est magno lumine, industriaque ad discernendos propri spiritus impetus,ac Diuini impulsus, ne malus spiritus foueatur quasi sit bonus: aut boni spiritûs suffocetur impulsus quasi esset mali. Quoniam autem Sacramentum Confessionis fons est horum bonorum impulsuum,ac multorum feruentium desideriorum;expedit,vt Confessarius benè illos agnoscat, vt ipse pœnitentem animet, & exstimulet, ad progrediendum in eo,quod Deus inchoauit. *De Diuin, Nomin. c. 10*

Ad hoc multum conferent aliqua documenta,quæ Saluator noster in quadam parabola tetigit,dicens: a *Sic est regnum Dei quemadmodum si homo iaciat sementem in terram & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet,& increscat dũ nescit ille: vltrò enim terra fructificat: primũ herbam, deinde* 2 a *Marci 4. 26.*

spicam deinde plenum frumentum in spica. Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam venit messis.

QVIS autem est homo hic, nisi IESVS Christus Dominus noster verus Deus & homo: qui bonarum suarum inspirationum sementem iacit in terrenum peccatorum cor. Quem in finem aliorum hominum operâ, Prælatorum scilicet, Prædicatorum, & Confessariorum vtitur per quos eos alloquitur, vt conuertat; & postquam conuersi erunt per eos alloquendo, vt eos perficiat. Cogitet itaq; Confessarius seipsum tanquam hominum aliquem seminantem in pœnitente bonum semen verbi Dei, vt fructum adferat. sementis sunt omnes bonæ rationes, quas illi proponit, exhortans eum ad perfectam vitæ mutationem, & ad feruorem in obsequio diuino: & amplectenda salubria consilia, quæ ipsi proponantur circa res, quas in eum finem præstare debet. Iacta tamen semente, speret debet fructum, non ab industria propriâ, sed ab ipsa semente quatenus est Dei ac diuinæ eius prouidentiæ: à cuius occulto auxilio sæpè euenit vt ipso dormiente, aut vigilante quidem sed alijs negotijs attendente, de huius quasi immemor *semen germinet, & increscat dum nescit ille*, Et ipso cogitante semen euanuisse, prodeat ingens messis. Hoc autem esse debet motiuum ingentis solatij operarijs Euangelicis: laborantibus quidem, sed laborum suorum fructum non cernentibus: siquidem fieri potest, vt fructus sit ingens; quem tamen ipsi non cernant. Et hoc ipsum permouere etiam eos debet, vt non cessent seminare, siue concionando siue aliàs bona consilia ijs præbendo, qui ipsis sunt commissi. Siquidem ignotum ipsis est: ex quo ipsorum verbo Deus accipiet occasionem, opus bonum perficiendi: Ac propterea dixit Ecclesiastes : b *Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua, quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud & si vtrumque simul, melius erit.*

b Eccl. 11. 1.

NEC TAMEN propterea dicere volumus : seminantem non debere adhibere omnem suam diligentiam circa terram, in qua sementem suam seminauit, colendo illam, sarriendo; iuuando scilicet eos, qui ipsius curæ sunt commissi: vt proficiant, & crescant in virtutibus: ita vt ipse hæc faciat debita cũ moderatione, subijciendo se diuinæ prouidentiæ: Quod insin at parabola; cum dicit: seminantem *dormire, & exurgere*, quia nec semper dormit, & negligit eos; nec semper vigilat illisque assistit; eos vrgens, & calcat eis addens: sed interdum exhibet se quasi dormientem, sinens eos laborare iuxta propriam inclinationem: interdum tamen vigilat, eosque extimulat, ne deficiant aut torpeant in diuino seruitio.

Et similiter non omnia mala, quæ vidit, reprehendit: ne illis nimia

grauis

grauis fiat, & intolerabilis; nec omnia dissimulat, ne sit negligens aut ignauus in munere suo: sed aliquid dissimulat, quasi ignarus; & aliquid reprehendit: vt aduertant ipsum vigilare. Et similiter, nec omne quod bonum est, laudat ne vanæ gloriæ præbeat occasionem; nec tamen totum contemnit: ne incidant in pusillanimitatem; sed aliquid laudat, vt animum addat; & aliquid spernit, vt humiliet. Et hunc in modum semẽtis fructificat, augeturque nocte & die in prosperis, & in aduersis; in reprehensione ac dissimulatione; in laudatione ac contemptu.

4

Ne autem Confessarius valde zelosus nimium festinet, vrgeatque pœnitentem, volens vt volatu vno ad culmen ascendat Sanctitatis, ait parabola: *vltrò terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde frumentum plenum in spica.* Terra scilicet, quæ bonam sementem verbi Dei accepit, virtute cœlestis auxilij sponte, & absque violentia fructum profert; non totum simul, sed per gradus quosdam. Primum (vt ait S. Gregorius) profert herbam tenerarum virtutum, gradui Tyronum accommodatarum; posteà prodit culmus rectus: quia operibus præstantioribus corroboratur, fitque solidior ac firmior; postea prodit spica cum operibus proficientium proprijs: denique prouenit spica plena granis, qua proferuntur opera pleniora, & præstantiora, quæ sunt perfectorum propria.

Lib. 22. Mor. c. 14. & Homil. 15. in. Ezechiel.

Quare prudens Magister sensim docere debet exercitia perfectionis per gradus suos, à minoribus ad maiores ascendendo in materia omnium virtutum, iuxta capacitatem vniuscuiusque: initium sumendo à facilioribus & vtilioribus: qualia sunt, examen conscientiæ semper ad vesperam; lectio alicuius pij libri quotidiana, cui etiam modus aliquis meditationis addatur, donec absq; huiusmodi subsidio possit aliquo tempore mentalem orationem habere; orare beatissimæ virginis coronam ordine mysteriorum, quo præscribuntur; Sacrum Missæ quotidie audire, & assuescere aliquibus orationibus iaculatorijs, inter reliqua bona opera vnumquodque horum, quia breui tempore durat, facilius peragitur; & omnia per interualla quotidie coniungendo, obtinetur calor deuotionis, vt spiritus feruor sit diuturnior: sicut qui tempore hyemis frequenter accedit ad ignem: apud quem etsi breui tempore quoties accedit, persistat: tamen quasi semper erit calidus.

5

Præterea Confessarius reddere debet suos Pœnitentes compotes cuiusdam voti ac desiderij quod meritò habere debent; illi simile, quod S. Iob habebat, cùm diceret: c *Quis mihi tribuat auditorem, vt*

c *Iob. 31.*

deside-

desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circundem illum quasi coronam mihi? per singulos gradus meos pronunciabo illum, & quasi principi offeram eum. Adiutor hic esse debet Confessarius, per quem Deus implet feruentium pœnitentium desideria. Cumque idem sit iudex, qui in Sacramento Tribunali eos iudicat: expedito illo iudicio per sententiam absolutionis, scribere ipse debet librum, in quo ratio vitæ in posterum ducendæ scribatur, dirigendo præscribens occupationes, & exercitia pietatis, ac Religionis pro singulis diebus, pro singulis septimanis, & singulis mensibus. Quem librum accipere debet feruens pœnitens, & super humeros suos ponere, amplectendo quicquid in eo continetur & opere exequens; reputare etiam eundem debet quasi coronam, magnique facere; & pugnare contra omnes, qui ipsum impedire conantur; & per singulos gradus suos illum pronunciare, dirigendo scilicet per ea quæ in eo continentur, gressus suos, affectus, omnia opera: ascendendo per gradus virtutum: & hæc omnia offerre principi cœlesti. ad cuius gloriam dirigere debet quicquid facerent. Et ipse princeps supremus liberalis erit in hisce obsequijs remunerandis. Ita & ipsi Confessario præmium reddet, qui librum illum confecit: tamque zelo studuit eos adiuuare, qui ipsius curæ erant commissi. Qui enim Christo Domino merit messem animarum: sibi ipsi meret coronam magnæ gloriæ in perpetuas æternitates.

6 d *Coloss.* 1, 28

DENIQVE Confessarius persuadere sibi debet: vltimum sui officij nem esse, præstare erga sibi commissos quod dixit Apostolus, d: *docentes omnem hominem in omni sapientia: vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu*: dando operam vt omnem perfectionem quam Christus D.N. docet, & suis fidelibus commendat, consequatur iuxta vocationem & statum vniuscuiusque, seruando regulas ac documenta tradita in 1. Tom. de Perfect. præcipuè tract. 2. c. 6. & sequentibus. Et ipse Confessarius potest eisdem iuuari, vt rectè suum munus exequatur: cũ autem Confessarij tentes sint in diuersis statibus constituti, in quibus aspirare possint ad perfectionem: nõ parum eos iuuerit nosse, quæ de singulis statibus diximus: vt proprium cuiusque perfectionẽ eis proponant, & media indicent ad eam obtinendam.

(··)

CAPVT XIV

ALIA CONFESSARIORVM MINISTERIA IN quærendis proximis, visitandis pauperum Xenodochijs, carceribus, infirmis, & intercessione pro afflictis & modus siue ratio se erga omnes habendi.

QVAMVIS MVLTI PECCATORES IMPVLSV DEI accedant ad pedes Confessariorum, quærentes remedium suorum peccatorum: aliqui tamen etiamsi eodem desiderio teneantur, non possunt accedere: eò quód vel sint infirmi, vel in carcere detineantur, aut sint aliàs legitimè impediti. Alij etsi accedere possent, non tamen volunt: quia Diuinæ inspirationi resistunt, & medicos fugiunt, ne peccata sua deserere cogantur: alij adhuc miseriores, nec venire possunt, nec volunt; ac proinde, nisi quærantur, peribunt. Ac propterea feruentis Confessarij charitas non debet arctari ad Pœnitentes ipsum quærentes; sed ipsemet prodire debet, vt eos quærat; non solum cùm vocatur: sed etiam cum illi ipsum fugiunt. Quod munus arctius obstringit Pastores & Parochos, vt dicere cœpimus supra ad finem capitis quinti. Et idem officium est valde proprium vocationis eorum Religiosorum, quibus id incumbit ex obedientia: estque indicium magnæ charitatis, ac zeli salutis animarum, valdeque conforme voluntati Christi Domini nostri, quemadmodum ipse insinuauit in illa parabola Patrisfamilias, qui fecit cœnam magnam, & a *iussit seruum suum exire citò in plateas, & vicos Ciuitatis, & pauperes, ae debiles, & cœcos, ac claudos introducere: & adhuc exire in vias & sepes, & quos inueniret compellere intrare.* Qua Parabola monere voluit Confessarios & operarios Euangelicos, per seruum illum significatos, vt, cùm homines non accedunt ad vsum Sacramentorum Ecclesiæ, ipsi exeant ad eos quærendos & inuitent, vt accedant. Sed quoniam solent libentiùs inuitare diuites, & nobiles, ait speciatim: vt, sine Personarum acceptione, vocent & inuitent etiam *pauperes, debiles, cœcos & claudos*, hoc est etiam abiectissimos totius mundi: adhibendo media apta ad eos ducendos, & compellendos vt veniant, non violenter, aut illatis pœnis: sed rationũ efficacitate, aptisq; a'ijs industrijs, quas inspirat Sanctus spiritus & zelus charitatis; & insatiabilis fames salutis animarũ excogitat. Qui enim hac fame laborat, si proximi per se non veniant ad salutẽ suam quærendam: ipse prodit ad eos quærendos, vt saturetur

a *Luc.* 14. 21

Et quoniam famelico nullus panis est malus, absque personarum acceptione comedere cupit quidquid inuenit. Hęc fames impulit Christũ Dominum nostrum, vt ingrederetur domos Publicanorum, peccatorum, & multorum Phariſæorum; & fineret ſe ab eis inuitari: imò vt ſeipſum offerret ad illorum domos, & conuiuia: quemadmodum fecit cum Zachæo: non tam vt corporalem cibum, qui proponebatur, comederet, quàm vt ſpiritualem cibum ſalutis animarum eorum comederet. Quemadmodum ipſemet dixit diſcipulis ſuis cum quæſiuit Samaritanam, & Samaritanos expectaret, vt famem hanc ſibi grauiorem omni corporali expleret. b *Cibus* (inquit) *meus eſt vt faciam voluntatem eius, qui miſit me: vt perficiam opus eius*, ſalutem ſcil. hominum.

b *Ioan. 4. 34.*

§. I.

EX hac fame prouenit, vt Chriſtus Dominus noſter ad probaticam Piſcinam accederet, circa quã quaſi in aliquo Xenodochio manebat multitudo languentium cęcorum, claudorum, aridorum, vbi cùm videret quendam iacentem, dixit ei: a *vis ſanus fieri?* & reſpondentem ſe *non habere hominem à quo, cum aqua turbaretur ab Angelo, mitteretur in piſcinam*, Chriſtus ipſe eum ſanauit: non ſolum in corpore, ſed etiam in anima, vt deducitur ex admonitione poſtea in templo ei facta, cum dixit: *ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

a *Ioan. 5. 6.*

1 Ex quo Saluatoris exemplo accipere debent feruentes Confeſſarij motiuũ eundi ad hoſpitalia pauperum ęgrotantium: non ſolum ad exercenda opera miſericordiæ corporalia, quæ etiam ſeculares præſtare poſſunt; ſed multò ampliùs ad exercenda ſpiritualia. ſiquidem ſępe grauiores illi in anima, quàm in corpore laborant; & corporis morbus eſt pœna morbi animæ; quæ ſi curaretur, etiam liberarentur ab altera.

2

Et quoniã morbi ſunt quaſi pulſus Dei, quibus peccatores vocat: ſæpe illi ſunt pleni bonis deſiderijs; & quemadmodum in corpore, ita etiã in anima ſanari cuperent. Dicunt tamen: *hominem non habeo*, qui mihi manum porrigat, & me iuuet, vt voti compos fiam; & cũ Diuina inſpiratio incitet me, ad ſuſcipienda Sacramenta; non inuenio hominẽ, qui illa mihi porrigat. Ac propterea ſolent morbi corporis & ſpiritûs eſſe diuturniores, & per annos aliquot durare. At Confeſſarius feruens, & cupidus ſequi Chriſtum imitandi, & ne pauperes tales habeant querelas, & huiusmodi adferant excuſationes: confert ſe ad Xenodochia, & accedit in vaſceribus charitatis ad ægrotos, dixitque ſingulis: *vis ſanus fieri?* inuitando illos ad medicamentum ſalutis ſuſcipiendum, quod eſt confeſsio. Et cum quis eorum annuit: ille ſeſe accommodat, vt ſanum reddat, hilarem; & conſolatum. VALDE etiam in hoc gloriatur, quòd ſit homo ab ipſo Chriſto deſignatus ad conſolandum triſtes, & fouendos ab

3

aliis desertos; obiens idem munus, quod ipse redemptor noster obiuit in mundo: qui instar Xenodochij erat, in quo multi pauperes infirmi, ac deserti iacebant absque vllo humano remedio: & omnes perijssent, nisi magnus hic Deus è cœlo egressus, factus fuisset homo, ad eos protegendos, eisque subueniendum. Cum igitur Confessarius vices eius gerat: exeat ex angulo & recollectione sua, & conferat se ad hospitalia, hoc est ad domos pauperum desertorum, & studeat animabus eorum prospicere, & à peccatis eos mundare. Non defuit prouidentia Diuina medico illi b *Lazaro vlceribus pleno* & ab hominibus deserto: prospexit enim vt c *canes venirent & lingerent vlcera eius*; vt desolatus & afflictus aliquod inde leuamen acciperet. Canes domus Dei (ait Sanctus Gregorius) sunt Prædicatores & Confessarij, qui medentur vulneribus peccatorum; lingentes illa suis linguis, blandis scilicet ac beneuolis verbis & rationibus, quas eis proponunt exstimulando eos ad confessionem, & Pœnitentiam, & Patientiam in suis aduersitatibus. Et verbis absolutionis mundant illos à putredine suarum culparum; imò etiam ipsi eam sumunt vt eos mundos reddant. scriptum est enim c *peccata populi comedent Sacerdotes*: quia ea consumunt, adiuuantes pœnitentes ad ea destruenda, peccata diuitum ac potentum terræ multi Sacerdotes sunt qui comedant, eò quòd simul cum peccatis, & eadem operâ comedant honorem, aut lucrum, aut authoritatem, & alios humanos fauores, ex eo prouenientes quòd sint eorum Confessarij: at pauperum ac desertorum peccata sunt cibus valdè aridus, & insipidus absque aliquo temporali condimento, quo cibus reddatur iucundus: ac propterea pauci Confessarij inclinant ad eum comedendum: nisi zelus Dei famem illis adferat: qua qui laborat, & cupit saturari, in hospitalibus inueniet amplam materiam, & in reliquis ciuitatis pauperibus. Cum quibus agere etsi insulsum sit, & insipidum est: est tamen securius. Magnatũ verò cibus etsi sapidior sit, est tamen periculosior: & nihilominus magis appetitur, & libentiùs frequentatur: quamuis Christvs Dominus noster non eam tenuerit viam.

Nam (vt Sanctus Gregorius perpendit) petente ab ipso quodam Regulo, vt d *descenderet & sanaret filium eius:* recusauit ad eius domum descendere petente tamen Centurione, vt e *seruum suum curaret*, obtulit seipsum dicens: *Ego veniam & curabo eum.* Quid est hoc (inquit) nisi qnòd superbia nostra retunditur: qui in hominibus non naturam, quâ ad imaginem Dei facti sunt; sed honores & diuitias veneramur. Nec nouimus homines æstimare, quâ sunt homines, sed ex exterioribus, quæ illos exornant.

b *Luc.19.30*

c *Homil.40 in Euangelia.*

c *Osee 4.8*

6 *Homil 28. in Euang.* d *Ioan.4.48* & *Matt.8.7*

Certè si nos cuiuspiam seruus rogaret, vt ad eum ire deberemus; protinus nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet dicēs: nō eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vile scit. Redemptor verò noster, vt ostenderet: quia quæ alta sunt hominum, despicienda sunt; & quæ despecta sunt hominum, despicienda non sunt: ad filiū Regguli ire noluit, & seruum Centurionis ire paratus fuit. Hæc S. Gregorius cuius attenta consideratio valde conformis est alteri consilio eiusdem Seruatoris nostri dicētis: 7 f *cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, aut vicinos diuites, qui possint te reinuitare sed voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris: quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum,* in ipsa sc. gloria. Cū igitur Confessarij & operarij Euangelici in suis ministerijs conuiuium instituant spirituale hominibus ne multū sibi blandiantur, quòd inuitent diuites ac potētes huius mundi, qui retribuūt etiam hic temporalia dona: sed inuitent ac vocēt pauperes, infirmos, & ab alijs relictos, quia ab huiusmodi non possunt accipere retributionem in hac vita. Habent tamen bonum ac fidelem fideiussorem Deum, qui in altera vita copiosissimè retribuet: imò etiam in hac quidem id in seipsū recipit, cùm dixit: g *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis:* nam ego in illis eram infirmus, & visitastis me; tristis eram, & consolati estis me; desertus eram, & protexistis me, & auxilium mihi præbuistis: ideoque & ego vos visitabo & consolabor, protegam, & in vestris officijs & calamitatibus auxilio ero.

8 NEC tamen propter hæc prohibere volumus visitare etiam diuites ac potentes, cùm ægrotant, aut aliqua aduersitate premuntur: si quidem idem Saluator noster iuit cum Principe Synagogæ petēte, vt ad suā domū descenderet, h *eiusque filiam curaret quæ incipiebat mori.* Qui tamen non visitandi sunt, quà diuites; sed quà indigentes & afflicti: & interdum quidem potius quàm pauperes eò quòd grauius ferat aduersa; sintque grauioribus peccatis aut negotijs implicati: Nam, etsi multis hominibus sint stipati quoad omnia corporalia: solent tamen esse magis soli ac deserti quoad Spiritualia. Quod si accedant canes domûs Dei ad lingenda eorum vlcera: id faciunt linguis potiùs adulatorijs, quàm veris: nam toti occupantur in proponendis consolationibus terrenis, & humanis solatijs non tangentes vulnera spiritûs, veriti ne infirmū ipsum amplius affligant. Aequum itaq; est, etiam huiusmodi infirmos & afflictos visitare: vt vera solatio & efficaci curatione à suis malis curentur: quamuis ea sit leniras adhibenda, quam charitas & prudentia in huiusmodi casibus, & cum talibus personis dictat adhibendam.

9 QVOD de hospitalibus siue pauperum Xenodochijs dictum est, intelligi etiam debet de carceribus publicis, in quibus multi detinentur vinctj

f Luc. 14. 21.

g Matt. 25. 40.

h Luc 8. 42. Marc. 5. 23.

vinctis: & quo ad spiritualia sunt quasi Xenodochia infirmorum in anima: tenentur enim vincti catenis & compedibus suorum peccatorum, ac passionum: quæ sunt grauiores quàm ferreæ, quibus corpus tenetur. quæ etiam compedes sunt instrumenta diuina misericordiæ, ad eas feras domandas, & furias continendas; & vt hisce pulsibus excitentur, & oculos aperiant, & cogitent de liberando potiùs spiritu à talibus vinculis quàm carne. Quamuis enim aliqui corporis vinculis magis indurescant & insolentiores fiant: alij tamen tenerescunt ac mollescũt, & agnoscentes peccata sua, cupiunt seriò ad Deum conuerti: estque insignis charitatis opus tales visitare, ad reducendos duros ac rebelles ad rectam viam: & adiuuandos & consolandos eos qui sunt cõpuncti. Cogitet itaque Cõfessarius carcerem esse quasi i *vas* illud *linteum* cuius suprà fecimus mentionem, *in quo erant omnia quadrupeda, & serpentia terræ*; & quasi fiat vox ad se, sicut ad Sanctum Petrum in oratione constitutum: *viri quidam quærunt te: surge itaq; & vade cum eis*, ad has feras quærẽdas: *occide & manduca*, satians famem tuam, occidendo enormia peccata, quæ in huiusmodi viuctis esse solent: vt eos Christo Domino coniungas, eiusque amicos reddas. Magna tamen prudentia adhibenda est, ita hoc munus obeũdo, vt iustitiæ ordo & stilus non turbetur: sed conscientiam potiùs peccatoris pacatam & tranquillam reddat, vera ac feruenti Sacramẽtali confessione, vt iustę sententiæ latæ aut ferendæ ob culpam, quæ talis captiuitatis causa est, sese subijciat. Sit quemadmodum Ioseph existens in carcere, & ministrans duobus vinctis, vtrique explicuit somnium, quod habuerant: dicens Pincernæ Pharonis k *post tres dies* ferendam in eius fauorem sententiam, & *restituendum in gradum pristinum*: pistori autem dixit: *tres dies fore suspendendum*. Ita inquam Confessarius quosdam captiuos consolari debet spe boni exitus ob eorum innocentiã; alios verò disponere ad patienter ferendam damnationis sententiam ob eorum culpam. Sed attendat diligenter, ne tales captiui existment ipsum vsurum scientiâ confessionis ad aliquid in ipsorum fauorem præstandum: ne sit illis laqueus Sathanæ, vt veritatẽ, & culpam, quã verè admiserunt, in cõfessione occultent; & ita decipiant, quem put nt fore ipsorum intercessorem.

i *Actuũ* 10. 11. 20.

k *Genes.* 40 13. 19.

§. II. *De Intercessoribus.*

NON EST existimandum Confessariorum munus in eo sistere, vt confessiones excipiant ægrotorum, captiuorum, & reliquorum pauperum; & eorum, qui aliqua calamitate premuntur: sed generaliter licebit eisdẽ fauere in aliquibus misericordiæ operib. corporalibus, quibus valde disponuntur, vt spiritualium fiãt magis participes

Quamuis enim ipsi non habeant temporales facultates ad eleemosynas faciendas: possunt tamen apud diuites, qui illas habent, agere, vt eas largiantur. Neque id alienum est ab operarijs Euangelicis: cum Apostolus ipse egerit apud Corinthios, vt a *collectas facerent*, & eleemosynas *separarent, mittendas ad* fideles egenos, qui erant *in Ierusalem*. imo & seipsum offerebat, vt eas *si opus esset, perferret in Ierusalem*. Licet etiam Confessarius pro captiuis & alijs intercedere, in eorum litibus & negotijs, alijsque rebus quas iure prætendunt apud Iudices & Potentes, quorum confessiones audiunt; aut apud alios ciues, aut si qua alia via amicitiâ cum eis habent: modò id fiat cum debita moderatione, & in bonum animarum eorum

a 1. *Cor.* 16. 1.

NEC nouum aut insolitum est apud Sanctos, hoc modo intercedere pro pauperibus & oppressis, cum Elisæus Propheta dixerit hospitæ suæ b *numquid habes negotium, & vis vt loquar Regi siue Principi militiæ?* Et Apostolus Epistolam scripsit ad Philemonem, intercedens pro Onesimo. Et Sancti Patres plures scripserunt epistolas, intercedens pro alijs. Etmagnus Ecclesiæ Doctor S. Augustinus prolixam quandam scripsit ad Macedonium, qua probat officium Sacerdotum esse intercedere pro reis; idque prouenire ab spiritu veræ Religionis & Christianæ charitatis; qui etsi improbos detestetur, quà tales sunt; eisdem tamen compatitur, qui sunt homines, ac propterea pro eis intercedit, vt vel omnino remoueat, aut certè moderetur pœnã: non vt culpæ faueat; sed vt maiorem habeant occasionem Pœnitentiæ & emendationis. Aequũ est iudi es exactè seruare iustitiæ leges: non tamen semper esse debent inexorabiles, ad intercessionem Sacerdotum, & Confessariorum: cùm lex charitatis id exigit, & æquitas permittit. Prodest ergo seueritas vestra, cuius ministerio quies adiuuatur, & nostra; prodest & intercessio nostra, cuius ministerio seueritas temperatur & vestra. Nõ vobis displiceat, quòd rogamini à bonis: quia nec bonis displicet, quòd timemini à malis. Cumq; Sacerdotes pro iudicibus intercedant apud ipsum et Deũ, vt remittat ipsis peccata; Deusque hanc pro eis intercessionem admittat: æquum est vt iudices Confessariorum intercessionem pro reis admittant; & moderentur, quantum fieri potest, rigorẽ & seueritatem: & in hoc ipso se misericordes esse ostendant. Malis parce, vir bone. Quantò melior, tantò esto mitior: quantò sis celsior potestate, tantò humilior fias pietate. Et quamuis aliquando rei tali intercessione occasionem accipiant ad eadem vel similia delicta perpetrãda: non tamen propterea omittenda est intercessio, nec repellenda. Nam idem incommodum etiam sequitur post factam pœnitentiam: & nihilominus Deus illam acceptat. Nunquam tamen pro

b 4. *Reg.* 4. 13.

Refertur 21. *q.* 5 *c. prodest*

eo in-

eo intercedendum est, quod reus cum peccato cupit, aut intendit: quare esset non restituere quod debet, cum reddere posset. Hæc enim non esset misericordia: nã misericordius, inquit, opẽ nostram talibus subtrahimus quàm impendimus. Hæc omnia S. Augustꝰ. Quæ possunt ac merito debẽt obseruari: nominatim verò, quando pauperes & pusilli iniustè opprimũtur à diuitibus & potentibus: agendum enim est pro eis apud eos, qui possint à tali oppressione pauperes eripere, iuxta illud Dauidis: c *eripite pauperem: & egenum de* manu peccatoris liberate: & illud Salomonis: d *erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris: vires non suppetunt:* fac tamen quod poteris: nã *qui inspector est cordis*, omnia *intelligit: reddetque homini iuxta opera sua.* Hoc ipsum documentum tradit S. Ambrosius cum quadam moderatione magni momenti, dicens: Adiuuat quoque ad perfectum bonæ existimationis, si de potentis manibus eripias inopem: de morte damnatum eruas, quantum sine perturbatione fieri potest: ne videamur iactantiæ magis causâ facere, quàm misericordiæ: & grauiora inferre vulnera, dum leuioribus mederi desideramus. Indicium est enim superbiæ & vanæ temeritatis, vt innocentem aliquem liberes, totam plebem scandalizare & turbare. Nunquam enim modicum aliquod damnum est alio maiori reparandum: & ad curandum digitum, nunquam est totum brachium præcidendum.

c *Psal.81. 4*

d *Prouer. 24 11. Lib.2. de officiis.c21.*

7 *Lib.3.de of-c.6.*

Ex hoc oritur aliud eiusdem Sancti Doctoris valdè vtile documentum: quod scilicet Sacerdotum intercessiones ita debeant vni fauere, vt non cedant in alterius damnum, & iniuriã. Nam Sacerdotis, inquit, vel ministri est, prodesse, si fieri potest, omnibus: obesse nemini. Denique si non potest alteri subueniri, nisi alter lædatur: commodius est neutrũ iuuare: quàm grauare alterum. Ac propterea, inquit, non decet Sacerdotes intercedere in causis & emolumentis temporalibus; in quibus, vt plurimum, qui iacturam aliquam facit propter talem intercessionem; conqueritur, quod passus fuerit iniuriam. Neque est paruum indicium, quòd hoc magis expediat: siquidem Christus Dominus homini cuidam dicenti ipsi: e *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatem*, id facere recusauit. dicens: *quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Reiecit itaque à se intercessiones merè seculares, & cupiditatem implicantes. Præstat igitur Confessarios seruare regulam Apostoli dicentis: f *nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.*

c *Luc.12.13.*

f 2. *Tim.2.4*

Qui itaque constitutus ac dedicatus est ad animarũ negotia tractanda

& pro-

& promouenda: non se implicet negotijs ab eo officio alienis: vt sic placeat ei, qui id muneris ipsi commisit.

3

VERVM est tamen, quòd in eisdem casibus possit Confessarius obire aliud ministerium officij sui valde proprium, pacificandi scilicet dissidentes: quamuis dissensionis occasio sit res aliqua temporalis, quam occasionem præuenire debet, ac reparare. Quales esset discordia inter coniuges, aut conciues, aut litigantes, aut inter se dissidentes propter illatam aliquam iniuriam. Quærenda sunt enim media, vt alij alijs aliquid ignoscant, ac de suo iure remittant propter bonum pacis. Cum enim eius officij sit, homines cum Deo pacificare: plurimum refert eos inter seipsos reconciliare. Nec censendum erit negotium seculare, quod tendit ad conseruandam fraternam charitatem: aut præueniendam dissensionem, qua illa læditur. Cumque Confessarij magnam auctoritatem ad id habeant: non decet sese ab eo subtrahere; sed potius studere, vt ignem aquâ extinguere; & dissensionis occasionem præscindere: vt pax Christiana præseruetur. Si enim Deus sumè g *odit seminantem inter fratres discordias*: quantum diliget concordiam inter eos facientem, eosque reconciliantem? Propterea enim dixit Christus: h *beatos esse pacificos, quoniam filij Dei vocabuntur:* quia imitatur fratrem suum natu maiorem, Christum Dominum nostrum: cuius fuit munus, homines cum Deo, & inter seipsos pacificare: ac propterea appellatur i *princeps pacis*: & suos discipulos iussit: quando ingrederentur aliquam ciuitatem, aut domum, dicere k *pax huic domui*, committens illis munus faciendi pacem inter homines, & *ponendi* (vt dicitur in Iob) *manum suam in ambobus*, scilicet dissidentibus componendo illorum contentiones, & corda coniungendo.

Reconciliandi dissidentes.

g *Prouerb.* 6. 19.
h *Matt.* 5. 9
i *Isai.* 9. 6.
k *Iob* 10. 5.
l *Luc.* 9. 33.

4

IMPONAMVS tandem finem, propositis duobus documentis magni momenti pro Confessarijs religiosis. *Primum* est, vt in his omnibus vocationibus, & negotijs ostendant se agere verè negotium Dei, & animarum, absque proprio emolumento, aut humanis respectibus: ita verba sua moderando, vt in eis appareat grauitas & sinceritas eorum religiosa: imitando regulâ à Sancto Bernardo ad id tradita, quæ habet: cum loquentur, verba tua sint rara, vera, ponderosa, ac de Deo. *Si* secularis loquitur tecum, & vana proponit: quàm citissimè potes succide sermonem, & transferas te ad ea, quæ Dei sunt. nam qui de terra est, non mirum si de terra loquatur: sed qui se profitetur esse cœlestem, loqui debet de cœlo, & circumcidere verba terrena: nam ex abundantia cordis os loquitur. Quod si cor plenum est CHRISTO, semper loquetur de Christo, & qui est Angelus, & nuntius Saluatoris: non debet agere nisi de ijs, quæ pertinent ad salutem: rumores seculares relinquat secularibus: ipse verò referat illis aliqua noua ex paradiso. & dexterè attendat, ne trahi-

In formula honestæ vitæ in Notabili documento.

se finat

se finat ad agendum de rebus profanis: sed ipse eos trahat, ad agendū de diuinis; glorietur, sicut Apostolus, se m *nihil scire inter eos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*: & ita non loquetur nisi de Christo, ac de eius cruce, & ijs quæ ad eam pertinent. Nullus enim vir prudens loqui debet nisi de ijs, quæ nouit, & statui suo sunt conformia: & tunc magni fiet & venerationi erit in confessione, cum extra illam se ostenderit religiosum purū, ac sanctum. Ac propterea in suis visitationib. meritò obseruabit, quod docuit Ecclesiastes: n *melius est ire ad domū luctus, quā ad domū conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum*, & viuens cogitat, quid futurum sit. fugiendæ ei sunt domus secularium, cùm sunt domus conuiuiorum, feriarum, aut leuium solatiorum: in quibus omnia colloquia sunt de rebus mundanis, & otiosis aut lepidis & difficilimè alia admittuntur. AEquum tamen est, ad easdem accedere, cùm sunt domus luctus; & qui in illis habitant, sunt mœsti, aut afflicti ob aliquas mortes, morbos, aut infelices rerum euentus: quæ materiam præbent loquendi de breuitate vitæ, de vanitate mundi, de inconstantia rerum humanarū, de horribilitate mortis, ac Iudicij, ex quibus gradus fit ad colloquia de malis & bonis, spiritualibus, etiam de æternis. qua opportunitate auidè excipiuntur huiusmodi sermones; & ipsimet seculares eos promouent, ac iuuant; sunt que benè dispositi ad eos excipiendos.

m 1. Corin. 2. 2.

n Eccles. 7. 3

Alterum documentum est, vt si ad secularium domos eundum sit aliis occasionibus, quàm luctus est fletus, id fiat magna moderatione, & absque aliquo excessu, qui facilè adfert contemptum. Ita enim Salomō suadet o *subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus, oderit te.* Hebræus textus habet, *pretiosum fac* hoc est, cura vt pes tuus sit pretiosus: quod fiet, si erit rarus, & in domo amici tui ac pœnitentis desideratus. Pluris enim te facient, si rariùs te videant: si enim frequenter accedas, non magni fies; sed potiùs grauis, & odiosus eris. Quod consilium seuerius adhuc est seruandum circa domos potentiorum, & magnatum huius seculi: sic enim suadet Ecclesiasticus: p *Aduocatus à potentiore discede.* hoc est, non statim accedas, sed expecta, vt te roget: excusa te ab eius Confessione audienda, & ab eius conuersatione, proponēs tuā insufficientiam; aut iustam aliam causam, quam adferre possis. *Ex quo enim* (ait) *magis te aduocabit.* Si enim ille ex corde te vocat, & inuitat: hæc tua excusatio & quasi tergiuersatio, efficiet, vt magis serio te vocet. Quod si non fecerit, indicium erit, ipsum ob humanum aliquem respectum & in specie tantùm te vocasse. Neque reputandum est exiguum bonum, quòd eius intentionem agnoueris. *ne improbus sis, ne impingaris*, hoc est, ne nimis auidè & importunè eius amicitiam & familiaritatem quæras: id enim esset indicium ambitionis: & fortè contemnet

o *Prouerb.* 25. 17.

Vide Ianso-nium.

p *Eccl.* 13. 12

te, & confunderis. Et postquam cœperis esse eius Confessarius, aut amicus: ne sis etiam improbus, siue improtunus in visitando, aut petendo, aut intercedendo pro aliis; nec ingeras te multum in ipsius negotia, aut sis nimius in conuersatione cum eo: ne *impingas*, sisque illi molestus & grauis; & cogitans, te velle illum lucrari, eundem potius amittas. Et *nè longè sis ab eo, ne eas in obliuionem*, & fructu frauderis, quem in eius anima efficere potuisses; si prudenter & moderatè te gessisses in agendo cum eo.

CAPVT XV.

QVANTI SIT MOMENTI MINISTERIVM adiuuandi morituros, & ratio cum perfectione illud exequendi.

MINISTERIVM IVVANDI EOS QVI IN PERICVLO mortis versantur, vt feliciter diem suum claudant, est vnum ex magis gloriosis ac necessarijs, quæ Confessarij obire possunt: cum ex bona aut mala morte salus aut condemnatio animarum dependeat. Cum bona enim morte datur simul summum perseuerantiæ donum, cui est promissa corona; cum mala autem morte est etiam simul vltima impœnitentia, quæ punitur æternâ pœnâ. Cumque scopus ministeriorum erga proximos sit eorum Saluatio: illud glorioſius erit, magisque necessarium, quod magis prope adiuuat in ea occasione, in qua consistit æternum illam obtinere aut amittere.

2 HVC accedit, quòd malæ mortis detrimentum sit irreparabile: quia semel tantum morimur: ideoque summi est momenti adiuuare morientem, ne incidat in detrimentum, quod non possit reparari: tum quoad dispositionem animæ ipsius; tum quoad dispositionem de rebus suis: cuius vltima voluntas tanquam regula earum accipitur.

3 PRAETEREA nunquã homo adeo indiget auxilio, atque in illo transitu. Eius enim conflictus est terribilior, vires debiliores, impedimenta fortiora, & rerum occurentium multitudo maior, quàm vnquam fuerit. Et quemadmodum multis opus habet, qui iuuent ad salutem & leuamen corporis: ita multò magis indiget ijs, qui animam iuuent. Estque magnæ charitatis ac misericordiæ, in tantis angustijs constitutum non deserere sed animum ei addere, & in eo conflictu eum iuuare: & vt Ec-

clesiasticus dixit, a *consolari illum in exitu spiritus sui.* ne opprimat eum tristitia, & malè finiat vitam suam. a *Eccles.* 38. 24.

Qvid autem dicemus de astu & feritate Dæmonis, qui in tali periculo accedit, quasi leo obsidet lectum infirmi, terrens eum mugitibus ac tentationibus, & os aperiens ad eum deuorandum? Sciens enim, breue sibi superesse tempus; & tunc amittendam vel obtinendam victoriam auget furiosam ac rabidam suam diligentiam. Summè ergo refert, vt ministri Dei in tanto periculo accedant muniti spiritualibus omnibus armis, ad obsistendum ei, ac defendendum infirmum.

Cvm igitur Angeli custodes speciali studio in occasione adsint: rationi consentaneum est & homines accedant; & ex vtrisque confletur exercitus, qui protegat & propugnet afflictum. b *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt omnes tenentes gladios propter timores nocturnos.* Et quis est Salomonis lectulus nisi lectulus iusti, iamiam expirantis, in cuius anima Christus requiescit? Ad hunc accedũt fortes cœlestes, ac meritò accedere debent etiam fortes terrę habentes in manu gladium bicipitem verbum scilicet Dei, quo terreant Dæmones; & tueantur ac solentur iacentem in lectulo, & vexatum ab eis. d *Cant.* 3. 7

§. I.

Praeclaram huius rei figuram delineatam habemus in visione illa, quam aliàs retulimus; *mulieris* illius, quam vidit Sanctus Ioannes *amictam Sole, & Lunam sub pedibus eius, & in capite eius coronam stellarum duodecim: & habentem in vtero: ante quam stetit Draco habens capita septem, vt cum illa peperisset, filium eius deuoraret.* Quis autem hic est partus (ait Sanctus Ambrosius) nisi transitus iusti ex hac in alteram vitam. Nam Ecclesia militans in vtero & visceribus suis gestat filios suos toto mortalis huius vitæ tempore: tunc enim eos parit, & separat à se, cùm eos mittit ad æternam vitam; traditque Ecclesiæ triumphanti, quæ est eius mater æterna. Ac propterea adiecit Sanctus Ioannes, quod *filius masculus* quem mulier peperit, *raptus fuerit ad Deum, & ad thronum eius*: vbi manet cum ingenti gloria: Draco autem infernalis magno cum furore accedebat, vt illum, si posset, deuoraret; secumque traheret ad inferni carcerem. *a Apocal* 12. 1.

Qvamvis autem Ecclesia semper tanquam mater solicita sit de filijs suis: nunquam tamen tantæ illi sunt curæ, atque tempore partus. ac propterea dicitur: *clamabat parturiens & cruciabatur vt pariat* Qui autem sunt hi clamores, nisi affectus accensi, & orationes

feruentes, quas iacit in cœlum pro suo filio morituro petens à Deo auxilium, & fauorem in illis angustijs: agnoscit enim imbecillitatem suam, & quòd ex se non habeat vires sufficientes ad auxilium præstandum. Qui autem sunt dolores partus, & cruciatus eius: nonne timores & angustiæ, quibus afficitur, ne anima illa pereat; & anxietas, quam in eius corde efficit zelus gloriæ Dei, ac boni & felicitatis creaturarum eius? zelus hic comedit eius viscera, & clamare facit & omnem operam ponere in adhibendis varijs medijs, vt iustus ita ex hac vita egrediatur vt transeat ad æternam. Quæ omnia præstat Ecclesia per fideles suos ministros, & feruentes Confessarios: qui in illo periculoso transitu induere debent spiritum matris suæ: & quasi partus doloribus afficerentur, clamare debent orationibus; magno que zelo procurare felicem partum animarum ad cœlum.

1 QVOD vt exactè præstet Confessarius, summi momenti est: vt quemadmodum Ecclesia ipsa, ita & ipse sit *amictus Sole* iustitiæ: qui & ipsum & infirmum protegat. Quemadmodum enim Sol amiciebat mulierem, & infantem in eius ventre latentem: ita Christus Dominus noster protegit Ecclesiam suam, eiusque ministros ac filios; quos per eos generat, ac parit. Tunc autem præcipuè *amicti* esse debent *Sole* ob singularem puritatem, Sanctitatem, lucem, & spiritualem feruorem, quem in suo ministerio habere debent, ad incutiendũ Dæmoni metum ac terrorem, & vt ipsorum orationes in tali pressura sint efficaciores. Refert S. Gregorius de quodam iuuene nomine Theodoro, existente in quodam Religiosorum conuentu, qui ad ipsum moriturum accedentes; vt feliciter vitam finiret, valde feruenter & instanter orabant: valde enim negligenter ille vixerat. Ipsis autem orantibus cœpit ægrotus clamare ac dicere: discedite hinc, & me relinquite: traditus enim sum Draconi cuidam, vt me deuoret qui propter vos id non facit. Sãcti tamen religiosi maiori cum feruore & multis lachrymis Deum orabãt: donec Draco recederet ab infirmo. Qui conualescens insignem fecit vitæ mutationem. Ex quo apparet quanti referat vt infirmi lectum sexaginta fortes Israel ambiant, hoc est viri Sancti Christum induti: quorum orationes sint potentes & efficaces ad infirmum eripiendum à Draconibus; etiam iam illis traditum.

Lib. 4. dial. cap. 32.

2 MVLTVM etiam refert, quòd hoc ministerium cum magna fiducia peragatur, impetrãdi quod intenditur. Et hoc accedere *coronatum stellis duodecim*, & habere secum in auxilium Angelos & Sãctos cœlestes; quorum meritis & orationibus sperat, se victoria potiturum. Ac propterea Ecclesia constituit, vt in commendatione animæ dicantur Litaniæ, quibus Sanctorum patrocinium petatur, & procuretur: & speciatim virginis Sacratissimæ, quæ stella est maris, dux nauigantium, & protectrix; per-

uenientium ad portum alterius vitæ. Ac propterea vult, vt quotidie per totam vitam eius intercessionem pro illa mortis hora supplices imploremus: iubendo, vt quotidie in Anglica salutatione petamus, vt *oret pro nobis nunc & in hora mortis nostræ*; & in Hymno dicimus: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.* Denique Confessarius accedere debet cum intentione purissima gloriæ Dei, & salutis animarum; nec sinere se duci respectibus humanis, & terrenis. Hoc autem est mutabilem *Lunam* habere *sub pedibus*. quia non debet habere rationem amplitudinum temporalium, nec prætermittere illâ horâ, quod ad ipsius pertinet officium. Quamuis enim infirmus in hac vita excelsus sit sicut Luna: cùm primum tamen ex hac vita recedit: anima eius remanet externâ illâ amplitudine exuta; & ponetur in iudicio Dei cum solis suis operibus bonis & malis. Et Confessarius, qui non habet animum ad terrenas hasce excellentias & amplitudines in corde suo conculcandas, non habebit libertatem ad ea proponeuda, & incalcanda, quæ infirmo expedunt. 3 1

Ita tamen munitus Confessarius, debet esse valde promptus, vt statim atque vocatus, aut monitus est, accedat ad eos iuuandos, qui in tali periculo versatur. quia omnis mora potest esse periculosa; & dum ipse moras trahit, posset infirmus exspirare; aut sensuum vsu priuari, & periculo exponi bonum amittendi, quod nunquâ recuperare possit. Refert S. Gregorius de quodam Sacerdote, qui vocabatur Seuerus: quem curauit vocari quidam Paterfamilias in extremis constitutus, rogans vt accederet ad eius confessionem excipiendam, & suis orationibus ipsum iuuandum: serui quidem venerunt, cùm Seuerus occuparetur sua vinea putanda; & cùm parum adhuc illi superesset, voluit priùs illud absoluere; dixitque seruis, vt præcederent: se illos statim subsecuturum. Cùmque ille postea subsequeretur, redierunt serui ei obuiam, dicentes: cur pater, moras traxisti? bene potes redire: iam enim infirmus mortuus est. mansit Seuerus his auditis cum magno dolore propter huiusmodi euentum, culpam suam agnoscebat, quòd proximus absque confessione mortuus fuisset. Et accedens ad locum, in quo iacebat cadauer, prostratus in terram, amarè flebat, terrâ perfundens capite præ nimio dolore ob talem euentum. Et cùm diu orans sibi mansisset misericordiam à Deo petens, ex tempore resurrexit defunctus, ac dixit: quod cum quidem feri Aethiopes animam eius ducerent per viam quandam valdè obscurâ: ex tempore prodisset magna quædam lux, & iuuenis quidam valde splendidus, qui Dæmonibus dixerat. reddite animam istam corpori: quia dominus illam tradidit lacrymis Seueri: Tunc lætus & valde confortatus *Lib. 1, Dialog. c. 12.*

vir sanctus, resuscitati confessionē excepit, qui septem adh c dies superviues, valde bene dispositus requieuit in pace. Atculi hoc exemplum, vt Sacerdotes, qui tale donum non habent mortuos resuscitandi, intelligant: se valde promptos esse debere ad accedendum statim atque vocantur, ad constitutos in tali periculo: ne si ipsorum culpâ illi sine confessione decedant, habeant per totam vitam, quod defleant detrimentum ipsorum ignauia infirmo defuncto ortū. nā quod Christus Dominus noster monitus à Martha, & Maria, quòd b *Lazarus* frater *infirmaretur, manserit in eodem loco duobus diebus*: id fecit bene sciens, se posse illum resuscitare, vt postea fecit: qui autem talem potestatem non habet, ne diffi... accedere.

b *Ioan.* 11. 3. 6.

2

DVM autem in via versatur, vt ægrotantem accedat, seruare debet consilium Elisæi ad Giezi puerum suum, cum eum mittebat cum baculo suo ad resuscitādum puerum defunctum: dixit, enim ei: c *accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua & vade: si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quispiam non respondeas illi.* Ita enim monet vt tale opus summâ cum diligentiâ fiat, nec ad aliud quippiam diuertat Sacerdos vocatus; sed initatur baculo crucis Christi, & protectionē misericordiæ eius: nec se ingerat sermonibus impertinentibus, nec aures eis præbeat; sed pergat corde ad Deum eleuato, cum quo par est colloqui, eumque supplicem orare, vt in tali negotio ipsi adesse velit. Quod tamen non impedit, quin in ipsa via colloqui possit cum ijs, qui ipsum vocarunt vt infirmi dispositionem ab eis intelligat: nisi notam eam prius habeat.

c 4. *Reg.* 4. 29.

§ II.

CVm iam ingreditur ad infirmum, cogitare debet, se esse Dei nuntium, missus ad aliquid ei nuntiandum in nomine Dei, sicut Isaias dixit Ezechiæ Regi: a *Hæc dicit Dominus: dispone, domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* In quibus verbis duo præcipua puncta insinuantur, in quæ prudens Confessarius debet oculos suos conijcere.

3

a *Isai.* 38. 2

PRIMVM est, quod cum mors, aut eius periculum ex iudicio medicorum est certum: prudenter ac suauiter, sed clare valde infirmum moneat. Multò enim aliter confessionem suā instituet, & animæ dispositionem, si intelligat certò sibi esse moriendum: quàm si tale periculum non sciat. Et quoniam cognati & amici, ne illum contristent, non audent ei insinuare, euenit, vt nihil tale cogitans, vere moriatur: ideoque pallio quodam pietatis, horrendam exhibent ei crudelitatem; expedit igitur Confessarium in eandem non impingere.

SI enim infirmus cōualescat: nihil nocuerit, periculum suum nouisse

&ad

& ad illud se præparasse: quodsi oberit, id ipsum valdè efficerit vtile. Perpendat igitur Confessarius: quâ ta libertate Isaias Regi fuerit locutus, etiamsi non ignoraret: grauissimè ipsum laturum talem nuntium: eò quòd iuuenis esset, nec filios haberet. Nec satis habuit dicere *morieris tu*, sed adiecit: *& non viues*: ne existimaret, mortem futuram post multos dies. voluit enim, Regem intelligere, quod breui desineret viuere.

4 *Rationes cur mors cũ resignatione sit acceptanda Tomo 1. Tr. 5. c. 6.*

Hoc nuntio proposito, aut si ægrotus aliunde periculum suum nouerat attendat Confessarius diligenter quomodo ille talem nuntium excipiat. Quod si aduertat, eum nimia tristitia, tædio, aut impatientia aut repugnantia affici, contra id quod Deus cõstituit, studere debet dexterè eius spiritum erigere, & inducere ad perfectam resignationẽ & conformitatem propriæ voluntatis cum Diuina: adductis aliquot rationibus, ex quibus solatium hauriat: quas fusiùs posuimus in tractatu de infirmitatibus, quarum summam hic etiam subijciemus.

1 Prima ac præcipua ratio est, quam insinuat Isaias, cùm ait: *hæc dicit Dominus*. Quia Dominus Deus est, qui nuntium hunc iubet afferri: & voluntas eius est, vt vita finiatur: quia ipse est eius Dominus eamque largitur hominibus: nec vlli facit iniuriam, nec accipit alienum, sed recipit quod suum est. Et hoc tibi satis esse debet: vt quod ipse constituit, acceptes: & velis, quod ipse vult: gratias potius ei agendo pro annis, quibus illam tibi sustentauit, & sponte illam ei offerendo, quando placuerit accipere.

2 Hæc ratio plurimum confirmatur secundâ, quæ est prouidentiæ diuinæ, disponentis & summâ Sapientiâ ordinatis annos vitæ, & horam mortis vniuscuiusque, ita vt dixerit Iob b *constitutos, esse terminos, qui præteriri non possint*. Cum igitur sit necessarium mori: quo tẽpore id melius fiet, quàm quod ipse Deus constituit? Quod procul dubio maximè eritaptum ei, qui subijcit se Deo, eiusque dispositioni se conformat. Nostra enim c *vita est in voluntate eius*: qui cùm sit Pater amantissimus, sua consilia dirigit in bonum eorum, qui se ipsi conformant.

b *Iob. 14. 5.*

c *Psal. 29. 6.*

3 Tertia ratio est: quòd sit magna prudentia facere ex necessitate virtutem: & quod violenter est ferendum, id sponte tollerare: vt fiat minus graue, & maiorem adferat vtilitatem. Cùm igitur mors sit omnium malorum corporalium terribilissimum, si illam sponte acceptes magnum Deo munus offers, quo illum quodam modo obstringis, ad præbẽda tibi auxilia, ad bonam & felicem mortem & eâdem operâ reddis illi magnam partem debitorum, ob improbam tuam vitam: eritque quoddam genus Purgatorij, vt quod supereſt in altera vita, aut breuius sit, aut leuius.

4 QVARTA ratio est: quia mors iustis est finis peccatorum, terminus
tentationum, & initium solatiorum æternorum. Ac propterea dixit
d Eccles 7.2 Ecclesiastes: d *meliorem esse diem mortis die natiuitatis*: natiuitas enim est
e Ioan. 5.24 ad pugnam, ad laborem & ad mortem: mors autem est ad fruendum,
quiescendum, & ducendam vitam beatam: e *qui audit verba mea*, inquit
Saluator, *transit à morte ad vitam*: moritur enim, vt vitam æternam
ducat; ac propterea eius mors est preciosa; & multò preciosior tempo-
rali vita, quam deserit. Quod si dicas: te non esse iustum: ample-
5 ctere libenter mortem; teque dispone, vt par est, ad illam subeundam:
hæc enim via est, qua iustus euadas; & in manu tua est, simul cum
gratia diuina quòd mors tua sit preciosa. QVOD si dolorem tibi adferat,
quod in hac vita relinquis: multò erit gloriosiùs, quod es accepturus in
altera. Nam ibi expectãt te diuitię, delitiæ: honores, dignitates, amici, co-
gnati, & innumera alia bona, quæ incõparabiliter excedũt ea, quę hic vis;
nec sunt bona peritura, sed ęterna: quę sine tędio satiant, & lætificant sine
periculo aduersitatis; nec vllum malum eis admiscetur, nec subest peri-
culum, aut timor ea amittendi. non aspicias bona, quæ deseris; sed pecca-
ta, pericula, laqueos, & mala quæ euadis; quorum occasionem præbue-
runt ista bona; & fortè etiam præberent cum maiori tuo damno, si adhuc
ea retineres. Ac propterea vult Deus, vt illa deseras: estque valde conso-
6 num, vt & tu idem velis: siquidem ea tibi commutat cum alijs amplissi-
mis ac tutissimis. SI viuam habes fidem, quò sis creatus, vt viuas, & fru-
aris Deo Trino & vno; & res omnes conquiescunt, cùm finem suum vl-
timum assequũtur: gaudere deberes quòd accedat hora, in qua peruen-
turus sis ad finem adeo fortunatum. Pater tuus cœlestis expansis vlnis te
expectat, vt excipiat; tuus redemptor Iesus Christus, cæli portas tibi re-
serat, & præparatum tibi habet suum thronum; virgo sanctissima tan-
quam mater, cupit te habere secum. Chori Prophetarum & Apostolorũ,
Martyrum & Confessorum, ac Virginum, te vocant & inuitant, vt ascen-
das, & cũ ipsis maneas. Transitus ad hæc omnia est ipsa mors: amplecte-
re libenter eam, vt peruenire possis ad fruendum tali aspectu, dulcique
f Luc 24.26 adeò societate. Hi omnes conscenderunt ad illud regnũ, transeuntes pri-
us per mare mortis amarum. Et ipsemet Saluator non voluit eam recusa-
re: sed dixit: f *oportebat Christum pati & ita intrare in gloriam suam*: etiam
7 mortua est virgo Sacratissima; Et Apostoli, & Martyres sustinentes hor-
rendos cruciatus, ascenderunt ad fruendum præmijs æternis. Cùm igitur
Deus det tibi mortem minus grauem, quàm illis: æquum est, vt illam
g Hebra. 13. 14. excipias cum magna conformitate, protestans in illa fidem, quam profi-
teris, quòd g *non habeas hic manentem ciuitatem* (vt dixit Apostolus) *sed
futuram inquiras*, cœlestem scilicet, vbi habiturus sis tuum solatium.

Si

Strangeris, eò quòd tuos deseras, nec benè illis sit prospectum, siue uxor sit, siue vir, siue filij; aut propter negotia, quæ tibi incumbebant, & relinqui inchoata, nec finita: attende, diuinam Sapientiam id totum vidisse, & nihilominus iubere nunc omnia deserere. Et hoc certum indicium tibi esse debet, quòd velit Diuinæ suæ prouidentiæ omnia committi, cuius curæ erit prospicere desertis & mortis tuæ dãna reparare, si eam libenter acceptes, quia ipse ita constituit, ponas ad rationes ipsius Dei, quòd, vt ei obedias, libenter omnia deseris; & ipse recipiet in se, vt omnibus prospicat, & remedium adferat. Stude, ita mori, vt perueniasad cælum: ibi enim orationibus poteris expedire, quod facturus fuisses hic in terra viuens. Etiam ipse Christus Dominus Noster moriens relinquebat hic matrem suam, suosque discipulos; satisque sibi esse existimauit, quòd pro eis oraret, Patrique suo eos commendaret: vt & tibi satis esse existimes, quod res tuas ei commendes, quarum curam hic gerebas: coniicias tuas curas & solicitudines in illius prouidentiam, quæ illas in se recipit; nec alia cogitatio iam te occupet, quam vt benè moriaris, sicut Deus vult; & in cœlo obtinebis, vt quos nunc in terra relinques, ascendant etiam aliquando, & simul tecum sint in æternum. 8

Denique, si te premit redditque anxium, iudicium seuerum, ad quod vocaris: quod valde horres, eò quòd rationes tuas non bene confeceris, nec bene sis ad eas reddendas præparatus: ad id totum multum confert, quòd mortem libenter acceptes; nec fugias ipsum iudicem, nec te abscondas, sicut Adamus & Eua; nec tuum peccatũ neges, sicut Cain: sed offeras te statim exire in occursum ei, qui te vocat; & fac promptè, quod ille iubet: præparans te quantum poteris: nunquam enim infinita eius misericordia eum deserit, qui cum humilitate subiicit se legibus iustitiæ eius. 9

Hæ sunt summatim præcipuæ rationes, quæ iuuare possunt, & persuadere resignationem ad acceptandam mortem: prius tamen examinanda est dexterè præcipua radix desolationis ipsius infirmi, vt eâ inuentâ proponatur ei ratio, radici illi contraria. Et quoniam aliqui sunt impatientes ob dolores, quibus vexantur: hi etiam sunt iuuãdi rationibus, quæ impatientiam illam moderentur; eosque inducant, ad tolerandum demisse quod Deus amabili sua prouidentia illis mittit, vt habeant hic Purgatorium, & ita construatur illis preciosior gloriæ corona propter maius meritum; & vt sint similiores Christo Domino nostro eiusque Sanctis Martyribus; ad probandam eorum fidelitatem & constantiam; vt orent & recurrant ad Deum maiori cum confidentia & fiducia; ipseque Deus manifestet suam omnipotentiam in eis adiuuandis; & ipse magis glorificetur ob auxilia illis præstita; ac denique ob alias multas rationes positas in se-

Tract.5.c.3. ptem meditationibus in primo Tomo, ad infirmitates patienter ferēdas.

POSTQVAM infirmus de suo periculo est monitus, accedet alterum documentum insinuatum verbis illis: *dispone domui tuæ*: hoc est cùm infirmo tibi hæc profectio, attende, vt rebus tuis, quoad fieri potest, prospicias. Hæc prospectio siue dispositio complectitur hæc quatuor, *Confessionem, Communionem, Testamentum & extremam Vnctionem*. Obseruanda autem sunt maiori cum diligentia documenta posita in Tractatibus horum quatuor Sacramentorum: & quidem magis in particulari in illo, qui agit de confessione ob singularem eius necessitatem: ideoque examinandus est infirmus: an de præcedentibus confessionibus sibi satisfactum sit; an dubium aliquod, aut scrupulus adsit de aliquibus: vt nunc reparetur defectus, qui extra hanc occasionem non poterit reparari. Ad id autem inuerint rationes suprà in capite nono positæ.

Tomo 1. Tract. 3. 4. & 5.

Testamentum. TESTAMENTVM quoque valde solicitè est commendandū: quod deo seriò Isaias Dei nomine Regi proposuit. Id enim præcipuè significat quod dixit *dispone domui tuæ*. Multa habet homo, de quibus meritò disponer. Cū corpus sit domus, in qua anima tot annis habitauit: meritò de eo cōstituet, vt etiam ipsi domus aliqua detur, in qua decenter collocetur: quę est ipsum sepulchrū. Et cùm anima sit domus dedicata, vt Deus in ea habitet: meritò debet infirmus, quæ necessaria sunt, vt ipsa digna Dei habitatio per totam æternitatē ordinare: cōstituendo, vt pro ea celebrentur Sacrificia, & fiant orationes, eleemosynæ, aliaque suffragia, quibus iuuetur, vt citiùs ex Purgatorio expedita transeat ad domum cœlestem, in qua sit futura perpetua eius habitatio. Familia domesticorum hic magis propriè appellatur *domus* ipsius infirmi: cui debet valde ordinate & clarè disponere; & cuiq; eorū legare, quod iustitiæ aut gratitudinis titulo ei debet; & quod ex beneuolentia etiam decet. Tunc enim illa cum habet obligatio, quam exprimit Apostolus, dicens: *h si quis suorum & maximè domesticorū curam non habet, fidem negauit*: non enim exhibet ei fidelitatem debitam; & tali incuria quodammodo protestatur, quod eam non nouerit. Etiam debet esse memor, vt hac occasione impleat consilium illud Saluatoris: *i facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Tria amicorū genera sibi debet sibi comparare, *Pauperes* in terra egentes eleemosynis temporibus aut perpetuis. *Sanctos* in cœlis existentes, legando aliqua ad eos in eorum templis honorandos; & *animas Purgatorij*, constituens aliquod Sacra pro eis offerenda. Præterea creditores, quos debet facere sibi amicos, statuendo, vt quæ illis debet: quam primum reddantur: hæc enim obligatio præferri debet operibus gratuitis; prius enim iustitiæ satisfaciendum est, quam exerceatur misericordia. In omnibus autem

h 1. *Timoth* 5. 8.

i *Luc.* 16. 9.

autem quæcunque in suo testamento constituerit, studere debet puram animi intentionem gloriæ Dei, & vtilitatis animæ suæ habere, non permixtis respectibus humanis, qui destruunt aut minuunt valorem & meritum huiusmodi operũ. Ad exequenda autem quæ disponit, debet constituere & nominare Testamenti sui executores; non multos, ne sit confusio, aut alter alterum impediat; neque vnum solum: vix enim in vno inuenitur sufficiens scientia, prudentia, auctoritas, diligentia, & charitas, quando multa sunt executioni mandanda. expedit itaque paucos esse, & quidem tales, qui se mutuo iuuent. Ita vt si in aliquo scientia, & prudentia eluceant: in altero sit potentia & industria; & in tertio charitas & amicitia, quæ solicitè conatur exequi, quod amicus disposuit.

CAPVT XVI.

PRAXIS AD IVVANDI AD BENE moriendum.

EXPLETIS IIS AD QVAE INFIRMVS TENETVR attendendum est ad particulare auxilium animæ, in angustijs illis constitutæ, vt faciat sex præcipuè actus: *resignationis* scilicet, *Contritionis, Fidei, Spei, Charitatis, & Orationis*: quamuis hæc omnibus coniuncta esse debeant. In vnoquoque autem horum actu, magna esse debet varietas: ne eiusdem rei repetitio tædium pariat. Et quoniam Dæmonis impugnationes in illa hora versantur circa has sex virtutes: maior cura & studium in ea est adhibendum, in qua infirmus magis oppugnatur. Ideoq; Confessarius exemplo a *Dauidis cum prodijt ad pugnam cum Goliath* gigante benè præparatus esse debet in verbis, rationibus, ac remedijs ad omnes euenturas occasiones: ne imparatum & intricatum se experiatur; & opus sit tunc lapides quærere, cùm essent in hostem iaciẽdi, & interim Gigas contra infirmum prævaleat. Accommodare etiam se debet Confessarius qualitati infirmi. Cũ aliquibus enim opus est clarioribus & prolixioribus vti rationibus; alijs autem pauca verba sufficiunt. Et pauci tamen sunt infirmi, etiamsi valde spirituales, qui non opus habeant breui aliqua admonitione, quasi excitante dormientem, vt ille in suo pergat exercitio. Omnes autem iuuant multum breues aliquæ sacræ Scripturæ, aut Sanctorum sententiæ: permittendo infirmo, vt easdẽ in mente sua verset ac sentiat; habita tamen ratione, ne ille defatigetur nimia huiusmodi exercitij continuatione: ne pereat fructus bonæ semẽtis, eò quòd nimia illa sit, aut non seminetur opportunè. Expediet autem sententias ipsas vulgariter interpretari ijs, qui linguæ latinæ sunt ignari, vt benè illæ intellectæ, sint efficaciores.

a 1. *Reg.* 17. 40.

§. I.

Resignatio.

ACCEDENTES igitur ad sex prædictos actus, RESIGNATIO, quæ est veluti dux in hac occasione, valde potest variari & exerceri actibus obedientiæ, & oblationis; desiderijs ac petitionibus, actibus patientiæ, & actionis gratiarum: assumptis sex istorum actuum, modo his, modo illis: & Confessarius eos potest proferre nomine infirmi, vt is illum sequatur, aut tacitus intra se proferat, si lingua non potest. Hunc in modum. *Primum.* quia Resignatio resignat, subijci itque propriam voluntatem Diuinæ, cui se cupit conformare: ideo dicit Domino non nisi cum humili obedientia & subiectione: a *Domine, non mea voluntas sed tua fiat.* si tibi placet, vt ego iam maior: id ipsum ego volo, & mihi placet tuum enim velle, est meum; nec meum vnquam à tuo dissentiet. Sunt accedit oblatio eius quod ipse est, & habet corpus meũ; Domine, anima & vita mea, tua sunt: ea tibi lubens offero, quia tu petis: & quamuis non peteres, sponte illa offerrem, vt tibi placerem: b *in manus tuas commendo spiritum meum*: custodi illum Domine tanquam rem tuam: c *Paratum cor meum, Deus paratum cor meum* ad omnia, quæ tibi placent, vt ego faciam, aut patiar. Pulsas Domine ostium meum, vt tibi aperiam: en paratum cor meum, paratus sum transire ad alteram vitam, ad quam me vocas. Idem autem potest reipsa fieri per desideria & petitiones. O si voluntatem haberem ita Dei mei voluntati conformem, sicut Angeli habent in cœlo: O quis mihi daret vnum & idem velle ac nolle, cum Diuino! O Saluator mi per illam celsissimam resignationem, quam imminente tibi morte habuisti: alteram similem mihi concede. Pater æterne tibi offero Filij tui Redemptoris mei resignationem pro ea, quæ mihi deest: & ea suppleo imperfectionem Resignationis meæ. Nominatim autem repetunt possunt orationes, quas hic Dominus in horto fudit, dicens: d *Pater si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non mea voluntas sed tua fiat.* e *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt. Si vis transfer calicem hunc à me, verumtamen non quod ego volo, sed quod tu.* Pater Sancte, amarus est calix iste mihi ac dolorum quos patior: ideo peto si possibile est, & ita expedit, transeat à me ista amaritudo: sed tamen paratus sum, & lubens totũ calicem inexhauriam: quia tu mihi illum porrigis, & iubes bibere: Da mihi patientiam, vt sustineam & tolerem, opto enim illum bibere. Auge patientiam, & auge dolorem. f *Proba me & tentame; vrerenes meos, & cor meum. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est. Et complacui in veritate tua.* Benè potes, Domine, vrere me, & probare me: scio enim, te esse mihi eo dem? nec tuum auxilium mihi defuturum.

Actio gratiarum.

HINC fit transitus ad *gratiarum actionem* propter mortem & me-

a *Luc.* 22. 42

b *Luc.* 23. 46

c *Psal.* 56. 8.

d *Matt.* 26. 39. e *Marci.* 14 16

f *Psal.* 25. 2

lestiar-

lestias: quod est supremum *Resignationis*, reputãdo esse Dei beneficium ac dicẽdo: gratias tibi ago Domine ob annos vitæ & sanitatis mihi concessos; & ob dolores ac pœnas, quas nunc sustineo: æquè enim ab amore tuo procedit vtrumque. f *Benedicite frigus & æstus Domino: laudate & superexaltate eum in secula.* Benedicite fitis & fastidium domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicant tibi Domine vita & mors, laudent & glorificẽt in secula. Benedictus sis Deus meus ob afflictiones, quas patior. Laudent te Angeli ob hos cruciatus, in quibus versor. Gaudeo, quod videam me in cruce pœnarum mori, vt sic aliquo modo imiter crucem tuarum, vt Deo viuam. g *Christo confixus sum cruci*, h *Absit à me gloriari nisi in cruce D. N. Iesu Christi*:, Gaudeo, me cum Christo, eius cruci esse confixum, vt per eam ipsi viuam. His sentẽtijs resistendum est tentationibus, quas suggesserit Dæmon contra *Resignationem* & patientiam. Quòd si certamen erit fortius, adhibẽdum est magis in particulari remedium, adductis rationibus in initio positis

f *Dan.* 3. 67

g *Galat.* 2. 19.
h *Galat.* 6. 14.

Contritio etiam est varijs vijs varijsq; affectibus septem rationum, quæ in capite decimo posita fuerunt, exercenda, vt dolor excitetur peccatorũ: nunc ipsummet doloré exercendo, nũcillũ optãdo, & à Deo D. N. petendo, allegatis varijs titulis, ad eũ obtinendũ: offerendo etiã aliquid pro peccatis præteritis; aut firma aliqua proposita concipiẽdo magni seruitij ipsius: studendo tamen, vt amoris motiua præualeant semper; eò, quòd ex se sint efficaciora quàm timoris. aliquando igitur edẽt actus contritionis, hunc in modum: pœnitet me, Deus meus, quod te offenderim: eò quòd tu sis talis, & quòd te multũ diligam: vellem potius millies mortem obiisse, quàm te offendisse. O benefactor infinite, doleo, me fuisse tuis beneficijs ingratum multitudine meorum peccatorũ. Supta quam dolere possum doleo, quod offenderim tuam bonitatem, tuam misericordiam, tuam charitatem, tuam liberalitatem, & maiestatem infinitam, idq; in conspectu tuo! i *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Auerte faciem tuam à peccatis meis & omnes iniquitates meas dele.* Aliquãdo etiam quasi filius prodigus dicet Deo, k *Pater peccaui in cœlum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis.* Cõfiteor Pater me fuisse prodigum in vita mea, proijciendo ipsam æratem, sanitatem, facultates, & talẽta quæ mihi dedisti: confidens tamen de tua misericordia. ecce redeo in domum tuam: parce erroribus meis, meq; te in eã admitte. Aliquãdo dicere poterit cum Publicano: *Deus propitius esto mihi Peccatori.* Aut cum Rege Manasse m *Peccaui super numerũ arenæ maris, multiplicatæ sunt iniquitates meæ. & nõ sum dignus aspicere altitudinẽ cœli præ multitudine iniquitatũ mearũ.* Quomodo ergo in illud intrabo, cũ ipsemet

2 *Contritio.*

i *Psal.* 50. 6.
k *Luc.* 15. 18.

Luc. 18. 13. *in oratione eius*

eius portas meis peccatis mihi occluserim: pœnitet me eorum, & cùm Redemptor meus morte sua illas iterũ reserârit, aperi mihi illas Domine ex tua misericordia. O dulcissime Redemptor, sicut bonus ille latro dico: n *memento mei Domine*, postquam es iam *in regno tuo* propter illam tristitiam ac dolorem, quo fuisti affectus in horto Gethsemani, propter nostra delicta, oro supplex, magnum vt mihi largiaris eorum sensum ac dolorem. Eodem modo petenda est hæc *contritio* à Sanctis, qui vehementem illam habuerunt: quales fuerunt S. Petrus, Magdalena, & similes alii. Etiam iuuerit curare (quod fecit S. Augustinus tempore suæ mortis) legi sibi septem Psalmos Pœnitentiales; quos dum ille audiebat, ruminabat & lachrymis dissoluebatur. Ex eis autem accipi possunt aliquot versus valde pij, qui impellunt ad dolorem, aut veniam petunt, & cordis mundiciem. Ex primo Psalmo: o *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Conuertere Domine, & eripe animam meam. Saluum me fac propter misericordiam tuam. Quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autẽ quis confitebitur tibi?* Ex secundo Psalmo: p *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam: & tu remisisti impietatem peccati mei: tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me; exultatio mea, erue me à circumdantibus me.* Ex tertio: q *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Quartus hoc est Miserere mei Deus, totus pijssimis versibus plenus, qui in modum iaculatoriarum orationum inci possunt ad Deum. Ex quinto: r *Velociter exaudi me, quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt.* Ex sexto: s *Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine, quis sustinebit?* Ex septimo: t *Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus. Non auertas faciem à me, & similis ero descendentibus in lacum.*

n *Luca* 23. 42.

o *Psal.* 6. 3.

p *Psal* 31. 6.

q *Psal.* 37. 1.

r *Psal.* 101. 3

s *Psal.* 129. 3

t *Psal.* 142. 2

§ II.

FIDES in his periculis varijs modis est exercenda. *Primo* eam profitendo, dicendo ipsum Symbolum, aut Fidei articulos, siue ipse infirmus paulatim proferat, siue Confessarius præeat, siue in modum interrogationis, respondente infirmo se ita credere; aut per modum orationis, quasi faciens Litanias ex ipsis articulis, dicẽs: Trinitas Sãctissima, Pater, Filius, & Spiritus S. vnus ac solus vērus Deus, miserere mei. Creator, Saluator, & Glorificator meus, miserere mei, sic & de cęteris. Aliquando potest exerceri in modũ orationis corã aliquo crucifixo, aut alia

imagine

imagine, quam posit venerari, osculari, amplecti; & super caput suum, aut pectus ponere. Hæc enim actio exterior perficit interiorem, eleuando cor ad Dominum, quem imago repræsentat; ac dicendo: adoro te Christe, & benedico tibi: qui per Sanctam crucem tuam mundum redemisti. Qui natus es pro me miserere mei; & qui crucifixus es pro me, qui sepultus es pro me: miserere mei Aliquando exercenda est actio gratiarũ circa ipsammet fidem: gratias tibi Domine, quòd mihi fidem dederis, qua te agnoscerem; gloria tibi, quòd me Christianum feceris, & Catholicæ tuæ Ecclesiæ membrum. In hac fide vixi, & in eadem mori volo; & spero visurum me, quod nunc credo. Aliquando exercendi sunt proprij ipsius fidei actus, credendo omnia eius mysteria, propterea solum, quod Deus ea reuelarit: & ita magno cum feruore dicere licebit: O Deus æterne, gaudeo me credere quòd non video; & captiuare meum intellectum ac subijcere ijs, quæ non assequor. Credo quòd sis infinitus in tuo esse, in tua potentia, & sapientia: & hoc mihi satis est, vt intelligam verisimum esse, quicquid fides dicit de tua diuinitate, ac de operibus tuæ omnipotentiæ, & arcanis tuæ sapientiæ. a *Credo Domine, sed adiuua incredulitatem meam, &* b *auge mihi fidem.* Hac ratione resistere debet tentationibus à Dæmone contra fidem obiectis, non se effundẽdo ad alias rationes, aut disputationes: quæ tunc valde sunt periculosæ, speciatim tamen expedit stimulare fidem veritatum, quas collegit S. Iob in suis angustijs dicens: c *Scio, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea, videbo Deum meum.* In hac fide volo mori. Quod si in aliquo casu opus esset fidem alicuius infirmi rationibus confirmare: adferti possunt ingentia & stupenda miracula, quibus illa est in mundo disseminata, quæ etiam nunquam cessant. conferet etiam proferre sanctitatem, quam ipsa præfert, nunquam approbãs vllum peccatum etiam leuissimum; odium item, quod gerit contra omne mendacium, in nulla re illud approbans aut permittens; vitæ puritatem, & innocentiam, scientiam, prudentiam, & fortitudinem eorum, qui illam promulgarunt, ac docuerunt, offerentes suas vitas cum ingentibus cruciatibus pro eius defensione: adduci quoque potest eius perpetuitas, ac duratio, etiamsi toties & grauissimè fuerit oppugnata; etiã cùm sit hostis omnium, quę caro & mundus appetunt, omnia hęc sunt indicia, quod hæc fides sit vera: cumque aliqua necessatio debeat esse in terra, qua honor Deo deferatur, non est possibile aliam esse, præter hanc; in quam conueniunt omnia, quæ possunt conuenire fidei à Deo reuelatæ; & legi diuinæ infinitâ eius bonitate & præstantia.

a *Mar.* 9. 24
b *Luc.* 17. 5.
c *Iob.* 19. 25

Spes.

SPES etiã est erigenda, multumque excitanda in hoc transitu circa res omnes quæ sunt eius materia venia scilicet peccatorum, gratia Dei, & virtutes, donum perseuerantiæ, & corona gloriæ: fundando eam in omnibus rebus, quæ sunt eius fulcra. PRIMVM cò quòd Deus sit talis, cuius gloria est, mihi ignoscere, meque saluare: d *propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo multum, est enim.* DEINDE quòd adeò sit bonus, beneuolus, & misericors: e *saluum me fecit quoniam voluit me*, f *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* TERTIO eò quòd sit ditissimus, & liberalissimus; nec amittit quicquam, eò quod suas diuitias largiatur; & libenter eas communicat omnibus ab eo petentibus. QVARTO, quòd infinitum sit id quod nobis dedit, tanquam pignus, quod sit nobis reliqua daturus. g *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum quomodo non omnia nobis cum illo donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Quod autem maius esse potest motiuum spei in illa pressura, quàm hoc? Qui dedit tibi suum filium, non dabit eum cœlum? Qui te iustificat, non te accusabit; qui pro te mortuus est, non te condemnabit; qui pro te intercedit in cœlo, non te reprobabit. QVINTO, quia promisit se daturum quicquid ab eo petetur: h *petite (inquit) & accipietis, pulsate & aperietur vobis.* Si itaque portas eius misericordiæ, & portas cœli hac fiducia pulses, ipse illas tibi aperiet. SEXTO quia i *eius opera sunt perfecta*, & libenter perficit opus, quod inchoat. Cum igitur in te opus inchoauerit tuæ salutis: nunc cùm iam hoc opus sit prope finem, vt perficiatur: non te deseret, creauit te ad se; voluitq; esse tuus vltimus finis: ipse subueniet, vt reuera illum obtineas. SEPTIMO, quia Dominus noster nouit imbecillitatem tuam; quæ ipsum impellit ad commiserationem, vt te adiuuet k *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus eum. Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum: recordatus est, quoniam puluis sumus.* OCTAVO, quia ipsemet te inuitat, & vocat, vt ad le venias: sic enim certum te facit, quod venientem recipiet: l *venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Cùm igitur nunc labores in hac infirmitate, qua es oneratus: accede ad eum magna cum fiducia & procul dubio excipiet, ac recreabit te. NONO, quia eius omnipotentia magis elucet, & eminet, cùm magis peccatoribus remittit peccata, eosq; ad suam gratiam & amicitiam recipit. Ac propterea Sancto Petro ostendit m *linteum plenum serpentibus ac feris*, quod postea sustulit in altum, & excepit in cœlum. Et ciuitati idololatræ dixit: n *tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.* Nam: o *vbi abundauit delictum, superabundat & gratia.* Qui p *latroni* in cruce pendenti

d *Psal.* 24. 11.
e *Psal.* 17. 20.
f *Psal.* 104. 1.
g *Rom.* 8. 32
h *Luc.* 11. 9.
i *Deut.* 32. 4
k *Psal.* 102. 13.
l *Matt.* 11. 28.
m *Actor.* 10. 16.
n *Ierem.* 3. 1.
o *Rom.* 5. 20
p *Luc.* 23. 43

Par adisum

Paradisum promisit: spem fecit omnibus, qui quacunque hora conuertẽtur, quod lubens illis parcet. Ac propterea Ecclesia Catholica canit: *Qui Latroni pepercisti, & Mariam absoluisti, mihi quoque spem dedisti.* Decimo, quia nulla iniuria maior Deo infertur, quã si eius misericordiæ diffidatur. Et maximum Cain & Iudæ peccatũ fuit, desperare de venia. Ac proinde, quò maior es peccator, eò magis Deũ honoras, habẽdo fiduciam in ipso: qui adeò est bonus, vt cõpatiatur homini adeò improbo. His rationibus erigere debet cor suum: quod si dejectum sit, dicat sibi ipsi: q *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo: quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.* Aliquando dicet: r *Credo videre bona Domini in terra viuentium. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum.* Aliquando per modum orationis exerceri potest spes tenero illo colloquio, quod posuit Dauid nomine Saluatoris, nostri cũ Patre suo: s *tues qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ. In te proiectus sum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me. Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adiuuet.* Et credibile est Christum Dominum nostrũ hæc verba dixisse cum penderet in cruce: cœpit enim clara voce prima huius Psalmi verba: *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* & prosecutus est secretò, quemadmodum etiam alta voce finiuit vitam, dicens: t *in manus tuas commendo spiritum meum*, ex alio Psalmo. Et credibile est ipsum submissè dixisse quæ in eodem Psalmo præcedunt: quæ est præclara oratio pro hac hora. Incipit enim Psalmus: *In te Domine speraui, non confundar in æternum, in iustitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam, accelera, vt eruas me. Esto mihi in Deum protectorem, &c.*

In Missa defunctorum.

q *Psal.* 42.5

r *Psal.* 26.13

s *Psal.* 21.10

t *Psal.* 30.6

Quoniam autem præcipuum Spei obiectum est gloria: circa eam sunt varij actus exercendi in illa hora. Aliquando per modum desiderij, suspirando vt perueniat ad videndum ipsum Deum; dicendo cum Dauide: u *Quemadmodum desiderat cerous ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum; quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Quando tandem felicissima illa hora perueniet, qua anima mea clarè videat Deum. x *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* O vtinam post tot annos, exilium hoc finem haberet, vt peruenire possem ad veram meam Patriam! Alij actus fieri possunt in modum petitionis dicendo: y *educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo* z *Domine Deus virtutum conuerte nos, ostende faciem tuã & salui erimus.* Alij actus fient per modũ gaudij, cogitando se iam appropinquare ad gloriã quam sperat & ita dicet: a *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domũ Domini ibimus.* Alij per modum admirationis, magnæq; opinionis boni illius quod sperat dicendo: b *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! cõcupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Possunt etiam, si opus fuerit

Desideria Gloriæ.

u *Psal.* 41.1.

x *Psas* 119.5

y *Psal.* 141.8

z *Psal.* 79.4.

a *Psal.* 125.1

b *Psal.* 83.1.

insinuari aliquæ rationes, quæ hanc opinionem & æstimationem fouent propter ingentia scilicet bona quæ in gloria sunt in qua procul abest omne peccatum, & omne genus miseriarum; sunt verò adimpletio omnium desideriorum, securitas perpetua, societas dulcissima, requies, honor, delitiæ, scientia, prudentia, & gaudium sempiternum, cũ clara Dei visione, continua & familiari conuersatione cum Angelis, cum Sanctis & cum omnium Regina Virgine sacratissima. Refert autem multum habuere tunc hoc desiderium: quia non solet Deus bona adeò magna largiri, nisi postquam vehementer in optatis fuerunt. Et Blosius refert aliquas reuelationes cuiusdam modi Purgatorij, quod vocant *desiderij*, in quo detinebãtur qui fuerunt remissiores in desiderio videndi Deum: donec pœnâ dilationis luerent culpam suæ tepiditatis.

In monili spirit. c. 13.

Charitas.

CHARITAS quoque tunc est exercenda variis actibus, aut variis titulis ac motiuis diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima, ex toto & viribus. Quilibet enim titulus secum adfert specialem aliquem affectum, & in eum finẽ sunt infirmo proponendi. PRIMVS titulus est ipsemet bonitas, & amplitudo Dei, dignissima quæ propter seipsã diligatur charitate infinita: & tunc dici potest: O Domine, quis mihi hoc daret, vt te diligerem, sicut tu dignus es qui diligaris! O si te Domine diligerem sicut tu vis à me diligi c *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum.* SECVNDVS titulus est, quia Deus prior te dilexit ab æternitate sua, præueniens te amore suo, vt ipsum diligeres ac diceres: O si mihi daretur, vt diligerem te sicut diligor à te: vellem te dilexisse à tempore quo sum homo, siquidem tu me diligis, à quo es Deus. TERTIVS, ob ingentia beneficia, quæ in te contulit, indicia huius amoris: qualis est creatio, & eius assistentia in omnibus tuis actionibus; prouidentia in omnibus quæ ad corpus & animam tuam spectant, commitens tui curam Angelis: vt tanquam pœdagogi te custodiant, & adiuuent. Hæc omnia beneficia absque tuis meritis, & gratis tibi contulit; & vnumquodque illorum continet alia multa; suntque noui tituli, diligendi tuum benefactorem: in quem cadũt omnes tituli qui esse possũt inter homines, & innumeri alij. Quæ te dicendum ei est: diligo te Domine, eò quòd sis meus creator, meus conseruator, adiutor, Pater & mater, magister, & medicus meus. Rex meus & Dux meus, pastor & ductor, Deus meus & omnia. QVARTVS est propter beneficia redemptionis: in quibus vires suas exercuit Deus, vt eũ diligeres iuxta illud Sancti Ioãnis: d *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in* ipsum, non *pereat sed habeat vitam æternam.* Ne autem existimes, huncamorem fuisse vniuersalem, & non specialem erga te, ait Apostolus: e *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Et quæ cumque Saluator fecit, & passus est pro te, omnia sunt tua.

c *Psal.* 72. 25.

d *Ioan.* 3. 16

e *Galat.* 2. 20.

qui te

qui te obstringunt ad ipsum diligendum; & ex omnibus conficere debes florum fasciculum, qui te confortet, & animum excitet in hoc vltimo transitu, dicens: f *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Quæ verba dici possunt amplectendo crucifixi imaginem, & addendo: O dilecte Iesu g *mihi viuere Christus est, & mori lucrum:* tibi viuere volo, tibique mori: siue enim viuam, siue moriar tuus sum, & tu meus. Hinc li et aliam rationem, quæ sit quintus titulus, accipere, quo tibi persuadeas, quod Deus te diligat, & quod debeas eum diligere, tu enim es Dei, & Deus vult esse tuus, quomodo igitur nõ diliget ipse opus quod ex suis prodijt manibus? illud inquã opus, quod fecit ad suã imaginem, & similitudinem; quod sanguine suo redemit; quod signauit signaculo & charactere Baptismi; quod creauit vt eius obsequio vteretur, voluitq; vt ipsum agnosceret Dominum suum ac Deum suum? O Deus animæ meæ, tuus sum curam gere mei, tanquam rei tuæ. h *tuus sum ego, saluum me fac.* i *Pater Sancte serua me ab omni malo: quia tuus sum.* Sextum motiuũ est, propter æternum amorem, quem Deus habere cupit erga omnes, offerens illis æterna & immensa beneficia gloriæ: nam k *misericordia Domini ab æterno & vsque in æternum super timentes eum.* O Deus æterne, diligam te per totam æternitatem! neque permittas me descendere in infernum, qui locus est odientiũ te: sed deduc in cœlum, qui locus est te diligentiũ. Diligam te propter amorem; quem in eo offendis, quod vis vt semper te diligam: & quod in præmium promiseris claram & apertam visionem, & amorem supremæ tuæ bonitatis. colloca me inter diligentes te, vt cum eis te diligam, eorumque amor meum foueat. Gaudeo, Domine, de amore quo te beati prosequuntur, & quod Seraphini amore tui æstuent & ardeãt. o vtinam omnes homines te diligerent: siquidem omnes tot nominibus obstringuntur ad te diligendum.

Hinc progressus est faciẽdus ad amorem proximorum, & præcipuè inimicorum: ignoscendo iniurias ab eis acceptas: & culpam deprecãdo ab eis omnibus, quibus aliquam ipse infirmus iniuriam intulit: hic enim actus valde proprius est laborãtium in hoc conflictu. Siquidem Christus Dominus noster in hora mortis suæ pro suis crucifixoribus orauit: & S. Stephanus pro suis lapidatoribus. Et tunc amplius stringit sententia illa Saluatoris dicentis: l *dimittite, & dimittemini:* ne irascatur Deus contra ipsum, sicut contra m *seruum illum nequam, qui noluit dimittere debitum conseruo suo:* ac propterea *traditus fuit tortoribus* in tenebras æternas. §. III.

Supererat nunc agere de sexto actu exercẽdo in cõflictu cũ morte, hoc est de *oratione:* sed vtiã vidimus, sẽper illa miscetur reliquis actibus: solumq; est aduertendum, Personas spirituales excitatas in orando, & meditando, & cum Deo familiariter agendo, debere tunc maiori cura & continuatione, quâ poterunt, idem facere; optimus autem mo-

f *Cant.* 1.13

g *Philip.* 1. 21.

h *Psal.* 118. 94.

i *Ioan.* 17.15

k *Psal.* 102. 17.

l *Luc.* 6.37.

m *Mat.* 18. 32.

oratio.

us tales adiuuandi, est non impedire illos prolixis colloquijs & ratiocinationibus: cùm ipsimet nouerint, possintque partes suas agere quantum sibi expedit. Et hanc ob causam Christus Dominus noster voluit esse tenebras in terra, quasi per tres vltimas horas vitæ suæ: vt cessaret strepitus, & negotiationes hominum; & sinerent ipsum quietè mori. Non quod ipse ea commoditate opus haberet; sed vt nobis præberet exemplum; & de S. Martino legitur, quod imminente morte, supinus iacere coeperit in terra; & *oculis ac manibus in cœlum semper intentus, in victum ab oratione spiritum non relaxabat.*

Et S. Dorotheus assistens morti discipuli sui Dosithei, interdũ tantùm eum interrogabat: Dosithee, oras? & is respondebat: ita Pater. Et deinde defecerunt vires, non cessauit orare. Quamuis autem hæc oratio secreta esse debet: expedit tamen interdum externa aliqua eius indicia præbere, prolatis aliquibus orationibus iaculatoriis, quæ ex ipso corde oriantur, quemadmodum fecit Christus Dominus noster, & Sanctus Stephanus. Huiusmodi Iaculatoriæ dirigi possunt ad tres Diuinas Personas, ad Virginem Sanctissimam Dominam nostram, ad Angelum custodẽ, ad Sanctum sui nominis, & ad alios Sanctos, erga quos habuit specialem deuotionem. Ad primam Sanctissimæ Trinitatis Personam orandum est sub titulo Patris dicendo ei: Pater monstra te esse Patrem, & miserere filij tui; Pater admitte me ad hæreditatem quam filiis tuis promisisti: Pater noster, qui es in cœlis, adueniat mihi regnum tuum; per vnigenitum filium tuum supplex oro, cum eo me facias participem regni tui. a *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui: quia melior est dies una in atrijs tuis super millia.* Secundam Personam licet orare sub titulo Redemptoris, dicendo: O bone Iesu, esto mihi Iesus, & Saluator. Cœpisti in me opus meæ salutis, perfice illud, quæso, cum omni plenitudine. O Redemptor dulcissime, *esto mihi sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio:* pereat in me Sanguinis tui pretium, siquidem adeò caro tibi steterit, quod eo me redemeris. *Anima Christi sanctifica me, corpus* CHRISTI *salua me; passio* CHRISTI *conforta me, in hora mortis mea voca me. O iube me venire ad te, vt cum Sanctis Angelis tuis laudem te in secula seculorum. Amen.* Tertiam Personam licebit orare sub titulo sanctificatoris & consolatoris: ô spiritus sanctissime, sanctifica cor meum: c *dic anima mea, salus tua ego sum.* Templum tuum est anima mea: sanctifica illam in veritate, vt habites in ea per totam æternitatem. ô Spiritus consolator, esto mihi solatium in eis angustijs; d *& cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Eia igitur anima mea, exulta: e *ecce sponsus venit: exi obuiam ei.* Qui etsi iudex sit, est tamen etiam sponsus: nec venit animo te damnandi: sed dimittendi: vt ad cœlestes nuptias te admittat. Exi igitur ei obuiam cum magna resignatione. Quod si tibi deest feruentis Chari-

a *Psal.* 23 10

b 1 *Cor.* 1. 30

c *Psal.* 34. 3.

d *Psal.* 70 9

e *Matt.* 25. 7

tatis oleum: adhuc tempus est, vt illud tibi compares. Pete illud à virginibus prudentibus, animabus scilicet Sanctorum, & à virgine omnium prudentum prudentissima, quæ illud tibi obtinebit. ô virgo & mater in his meis angustiis *monstra te esse matrem: sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus.* ô Angele mei custos, exerce mecum in hoc periculo constituto munus, quod Deus tibi commisit. *Angele Dei, qui custos es mei, me tibi cõmissũ pietate superna, in hac hora custodi rege, & fende & guberna.* Inuocandus etiam est Sanctus Michael, quem Ecclesia vocat: *Præpositum Paradisi, cui tradidit Deus animas sanctorum, vt perducat eas in paradisum exultationis.* O Princeps cęlestis exercitus, subsidio mihi esto in hac hora, & recipe in te curam animæ meæ, vt eam tecum in Paradisum deducas.

In Responsorio Festi eius.

Quando infirmus amisit loquelam, qui illum iuuat, continuare debet orationem pro eo; & inuitare circumstantes ad idem faciendum. Et primo loco dicendæ sunt orationes. Ecclesię, quæ sunt valde piæ illiq; horæ accommodatæ. & quia illas profert Sacerdos nomine Ecclesiæ, cuius est Minister: sunt maioris efficacitatis Et hoc voluit significare S. Iacobus Apostolus cùm dixit: † *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesia, & orent super eum & c.* Orationes autem, quas Ecclesia præscribit, sunt sex, nam initio ponit aliquorum Sanctorum Litanias, cum multis petitionibus & obsecrationibus ad Deũ nostrum. Quod si adhuc infirmus ita esset dispositus, vt loqui posset, posset etiã per seipsũ eas dicere in hũc modum: S. Maria, ora pro me: S. Michael, ora pro me, à mala morte libera me Domine, &c. per natiuitatem tuam libera me Domine &c. Et in eundem modum dicere licet secundam orationem, quæ in modum Litaniæ refert Sanctos, quos Deus ab aliquibus tribulationibus eripuit, acceptis inde aliquot verbis quæ possint dici ipsi infirmo, & ipse quoque Deo: Libera Domine animam serui tui, vel animam meam, sicut liberasti Noe de diluuio, &c Ex reliquis orationibus & Psalmis possunt etiam similia verba & sententiæ accipi, quales sunt: Liberet te à cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est; liberet te à morte Christus qui pro te mori dignatus est, delicta iuuentutis & ignorantias eius, quæsumus ne memineris Domine.

† *Iacob. 5. 14*

Etiam expedit, vt infirmus se muniat omnibus Ecclesię remedijs, quę virtutẽ contra dæmones habent: qualia sunt Aqua benedicta, Crux Sancta, aliæque imagines piæ; & sæpius repetere versum illum, qui specialem contra eos vim habet: g *Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius; sicut deficit fumus, deficiant.* Et ob eandem causam iuuari debet suffragijs sanctorum. eleemosynarum, & aliorum Pœnitentiæ operum: quæ non solum iuuant ad illum eruendum à periculo; sed etiam soluunt pœnas, quas ille debet: vt eò citius peruenire possit in

g *Psal. 57. 2.*

lib.4. Dialog.c 58.

cœlum. Siquidem vt S. Gregorius ait: *beatius est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere.* In eũdem quoque finem communicandæ & applicandæ illi sunt omnes indulgentiæ, quæ applicari possunt siue virtute Bullarum Cruciatæ, siue granorum benedictorum, siue aliorum Priuilegiorum. Denique debet Confessarius in illo difficili conflictu facere quicquid spectat ad bonum compatrem & protectorem; non parcendo labori, neque industriæ, neque vlli diligentiæ, quò possit certam habere victoriam: vt infirmus ita dispositus ex hac vita discedat, vt citiùs possit ad æternam peruenire.

Finis Quinti Tractatus.

TRACTATVS SEXTVS.

DE PERFECTIONE IN OFFICIIS ET MINISTERIIS LITERAS PROFITENTIVM, ET NOMINATIM MAGISTRORVM AC Prædicatorum Euangelicorum.

CAPVT I.

SCIENTIAE NECESSARIAE AD PERFECTE obeunda munia Magistrorum, Prædicatorum & Prælatorum.

SORS LITERATORVM ET ERVDITORVM IN OMNIBVS SCIENTIIS eminentium complectitur varia officia & ministeria, præstãtia valde ac vtilia in bonum totius Ecclesiæ, & Christianæ Reipublicæ. Illi enim sunt qui tanquã Magistri veram doctrinã in Scholis docent, & ab eius hostibus in disputationibus defendunt: explicantes stupenda naturæ secreta & arcana Scripturæ Sacræ mysteria. Ex illis prodeunt Prædicatores, qui populo Christiano sanctum prædicant Euangelium; Confessarij, qui respondent, suumque prębent iudicium in casibus, dubiisque rebus; Iudices proferentes sententias circa controuersias in omnibus Tribunalibus; Aduocati siue Iurisperiti, qui partes contendentes in eisdem Tribunalibus tuentur; & Pastores ac Prælati, qui Ecclesias, & Religiones gubernant. vt autem felix illorum sors & munus vlteriùs progrediatur, filios quasi parentes generant, qui ipsis in huiusmodi ministerijs succedant: qui enim nunc sunt discipuli, postea euadunt scientiarum periti, & Magistri. Nec satis sibi esse existimant quod præsentes erudiant: sed etiam doctrinam suam scripto edunt: vt per totum orbem diuulgetur, duretque etiam in secula futura. Horum ministeriorum præstantiora, & vtiliora (quæ huius Tractatus erunt præcipuum argumentum) sunt illa, quæ tendunt in spirituale Ecclesiæ bonum, & animarum salutem: de quibus dixit Apostolus, quòd a *posuerit Deus in Ecclesiâ primùm Apostolos* 1 *Cor.* 12. 28

secundò

secundò Prophetas, tertiò doctores; & iterum dicit: b: *ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas: alios Euangelistas, alios autem Pastores & doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi*, vt scilicet vniuscuiusq; ministerio suo atte dat; vt Sancti hoc est fideles, consummati ac perfecti euadãt; & vt mystici corporis Christi hoc est Ecclesiæ, ædificium peragat semper, & conseruetur, conuertendis etiam infidelibus. Horum ministeriorum præstãtia & excellentia adeò clara & perspicua: vt seipsam palam manifester, ac prædicet. Nec alia est commodior via eam extollendi ac magnificandi; quàm si bonorum thesauri in singulis ministerijs latentes in lucem proferantur; & similiter duplex talentum necessarium ad ea perfectè exercenda: talentum scilicet Sapientiæ & sanctitatis; siue scientiæ & virtutis; siue (vt S Gregorius ait) *Intellectus & operationis*: quorum coniunctio & familiaritas adeò necessaria est: vt neq; scientiæ sine virtutibus: neq; virtutes absq; scientijs sufficere possint, vt iam dicemus

b *Ephes.* 4. 11.

Homil. 9. *in Euang.*

§. I.

1 A PRIMO igitur talento initium sumentibus aduertendum est scientiæ nomine hic intelligi vniuersim lumen quoddam spirituale, quo noster intellectus certò agnoscit veritates necessarias & conuenientes sui nostrũ, aut Ecclesiæ bonum vniuersale, aut nostrorũ proximorum: quæ cùm sint tot, tamque diuersæ: ideò diuersa lumina scientiæque ad eas cognoscendas diriguntur. QVARVM dux est lumen naturale, quod Dauid appellat a *lumen vultus Domini*; ab eo enim cum magna claritate procedit; ostenditque intellectui nostro bonum à nobis faciendum & malum fugiendum: & vniuersim quicquid pertinet ad statum hominis, vitam suam iuxta rationem, & naturæ legem ducentis. Quemadmodum enim bestiæ naturali quodam instinctu nouerunt res sibi vtiles, ac nonas: vt illas sibi accipiant, has verò reijciant: ita homo naturali rationis lumine, (quod alij Synderesin vocãt) vtens, bona sua ratiocinatione agnoscit, quid vtile sit, & quid noxium ad bonum esse hominis. Et idem lumen connaturale quasi redditum intellectui nostro initium est & fons scientiarum omnium naturalium, quæ humano discursu inuentæ, & manifestatę sunt: & sunt habitus, & quasi lumina intellectui superadditi: quibus clarè facileq; videt veritates naturales, quales sũt in Philosophia, Astrologia, Medicina, Mathematicis & alijs similibus.

a *Psal.* 4. 7.

S. Thom. 1. *P. q.* 79 *a.* 12

2 SED quoniam omne lumen naturale semper est, & fuit valde debile prospexit Dominus noster de supernaturali fidei lumine quo noster intellectus magna certitudine credit omnes veritates, quas Deus Dominus noster Ecclesiæ suæ reuelauit: quemadmodum continentur in scriptura Sacra veteris ac noui Testamenti: aut habentur per Traditionem Apostolorum

ſtolorum, aut declaratæ ſunt in Decretis Sacrorum Conciliorum. Quæ tamen fide vnuſquisque ſpeciatim totum id nouit, quod pertinet ad ſtatũ Chriſtiani: hoc eſt, quicquid ad propriam ſalutem noſſe eſt neceſſe. Ad quam fidem iuuandam & fouendam largitur Deus omnibus iuſtis quatuor Spiritus Sancti dona, quæ appellamus *donum Sapientiæ, Intellectus, Scientiæ, & Conſilij*: quæ ſunt quatuor ſupernaturalia lumina fidem ipſam corroborantia, vt poſſit magis penetrare veritates ipſas reuelatas; aut maiori guſtu & iucunditate de eiſdem altiùs ſentire, aut rectè applicare ad bonorum operum exercitationem. Ex his donis oriri ſolet myſtica ſpiritûs ſcientia: cuius actus eſt contemplatio ſupremæ veritatis, ipſius ſcilicet Dei; ac meditatio Diuinorum eius myſteriorum: quibus multò ampliùs illuſtratur lumen fidei, & excelſior Dei Chriſtiique Domini noſtri, & ſuiipſius cognitio obtinetur: quæ eſt radix propriæ perfectionis, ſita in feruenti dilectione & vnitione cum Deo Domino noſtro. Hinc etiam oritur tertia ſcientia ad noſtram ſalutem neceſſaria: quæ conſiſtit in cognitione rerum proprij ſtatûs & officij vniuſcuiuſque, ſiue ſecularis, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue Religioſi: difficile enim eas ſeruabit, niſi nouerit: diciq́ue poterit de eo quod dixit ſcriptura de filijs Heli: b *quod eſſent filij Belial, neſcientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum.* Et per alium Prophetam dixit. c *quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi; & quia oblitus es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum & ego.* Ex quo Nicenũ concilium deducit; indignum eſſe Sacerdotali ſtatu, & Epiſcopali munere, qui non habet ſcientiam neceſſariam ad ſatisfaciendum oneri, & obligationi ſuę Et vniuerſim hos omnes complectitur illa Apoſtoli maledictio: d *ſi quis ignorat, ignorabitur*: hoc eſt, qui negligit ea ſcire ad quæ tenetur: is reijcietur ab eo, negante ſe illum agnoſcere; nec approbante eum vt in cœlum ingredi queat,

Ex lumine fidei eiusq́ue donis cum auxilio luminis naturalis, ſcientia procedit Sacræ Theologiæ: quæ ex principijs reuelatis, adhibito rationis diſcurſu, infert alias concluſiones ſpectantes ad myſteria Fidei, & inſtructionem bonorum morum. Quæ ſcientia, quamuis neceſſaria non ſit cuiuis Chriſtiano ad ſuam ſalutem & perfectionem, ad bonum tamen vniuerſale totius Eccleſiæ, ac Reipublicæ Chriſtianæ eſt neceſſaria. Nam S. Auguſtinus dixit: hac ſcientia *fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Gignitur enim fides ſalubris in multis infidelibus, nutritur in fidelibus, defenditur ab hæreticis; & ita roboratur, vt omnibus fiat credibilis.

Ex Theologia Sacra oriuntur Sacri Canones, qui ſunt quaſi expeditæ concluſiones Fidei, bonæq́; gubernationis Regulæ ad vniuerſale Eccleſiæ bonum in adminiſtratione Sacramentorum, & Sacrificijs, cæterisque

S Thom. 1. 2 q. 63. a. 4. & 2. 2. q. 8 a. 6.

3

b 1. Reg 2. 12.
c Oſee 4. 9.

Refertur. c. omnes diſt. 38. & c. Niſi cum pridem de renunc. S. Bern. Serm. 36 in Cant. d 1. Corin. 14. 38.

4

lib. 14. de Trinit. c. 1.

5

officijs ac ministerijs Ecclesiasticis. Cõplectuntur etiam leges ac directiones ad iudicandum de litibus & causis inter ipsosmet Ecclesiasticos exortis circa ea, quæ ad ipsorum forum spectant: sicut etiam est scientia legum Ciuilium, pro gubernatione Reipublicæ secularis.

6

DENIQVE quoniã industria humana valde sterilis est in actionibus & exercitijs harum scientiarum circa finem, in quem tendunt: solet Dominus noster tres *gratias gratis datas* communicare in totius Ecclesiæ, & animarum bonum: quas Sanctus Apostolus appellat: c *sermonem sapientiæ, sermonem scientiæ, & interpretationem sermonum.* Quæ duo dona in se continent; alterum intelligendi mysteria cœlestia; alterum (vt S. Thomas ait) eadem explicandi. Et hoc significat, quòd Apostolus eas gratias appellet *sermonem sapientiæ & scientiæ:* hoc est habere donum & talentum ad persuadendum alijs veritates Fidei, quæ sunt quasi principia eius: hoc autem pertinet ad sapientiam: persuadendi etiam reliquas veritates quas Theologia ex ijs mysterijs deducit: Et hoc spectat ad gratiam scientiæ. *Tertia* gratia est *interpretatio* sermonum Dei, donum scilicet intelligendi ac declarandi Sacram scripturam, in qua verba continẽtur, quæ Deus reuelauit, & docuit homines: adeò enim sunt difficilia & profunda: vt cœlesti lumine sit opus, ad ea assequenda; & singulari gratia, ad eadem alijs explicanda.

c 1. Cor. 12. 8

Ibi lectio. 2. ex S. Aug. 13. de Trinit. & 2. 2. q. 77. a. 1.

§. II *Scriptura Sacra.*

HAEC Sacrarũ Scripturarũ scientia, & quæ ab ea procedunt, præcipuę sunt, in quibus eminere debent omnes operarij Euangelici quemadmodum Apostolus discipulo suo Timotheo significat his verbis: a *memor esto, quia ab infantia Sacras litteras nosti, quæ possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Quibus verbis insinuat S. Apostolus excellentiam, vtilitatem & finem Sacræ scientiæ, quam Ecclesiæ Magistri discere debent.

a 2. Tim. 3. 15.

1

NAM *Primùm* Scriptura Diuina summè splendet in veritate ac certitudine rerum quas docet: eò quòd reuelatæ & inspiratæ sint à Deo, qui suprema est & infallibilis veritas; qui nec dicipi potest, nec nos decipere. Quamuis enim scriptores eius fuerint homines, ex seipsis subiecti mendacio ac deceptioni: vt tamen S. Petrus dixit: b *omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Est enim Deus adeò verax, & Sanctus: vt non possit aliquid falsi alijs inspirare, aut per hominum os aliquid falsi loqui. Ex quo prouenit: vt ad eam bene intelligendam necessaria sit illustratio & inspiratio eiusdem Domini, qui

b 2. Pet. 1. 20

illam

illam dictauit. Estque instar clauis scientiæ, qua ille intellectum nostrum aperit ad eum sensum assequendum, quem spiritus Diuinus sub cortice verborum occultauit. Ac propterea in libro Iob dicitur: *c inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* *Secunda* Scripturæ sacræ excellentia est, quòd sit vtilissima ad salutem & perfectionem quam quærimus: sacræ enim litteræ (ait) *possunt te instruere ad salutem:* in omni eo scilicet quod iuuat ad eam obtinendam. Ad quod satis est, quod illę sint à Deo inspiratæ: cuius bonitas adeò est immensa, vt docere non posslit res prauas, noxias, inutiles, aut vanas: potiùs de se ipso dicit: *ego Dominus Deus tuus docens te vtilia.* hoc est talia, quæ per excellentiam nomine *vtilium* nuncupentur: conferunt enim præcipuè ad obtinenda bona spiritualia & æterna; fugienda verò mala contraria. Sed vlteriùs progreditur eius excellentia, quia nõ solùm Sacrę litteræ vtiles sunt vnicuique pro seipso; sed etiam vt alijs benefaciant. Et hoc nomine tangit Apostolus quinque magnas earum vtilitates, ad aliquem ex quinq; finibus obtinendum. *Primus* finis *est, ad docendum* homines quæcũq; ad eorum salutem & perfectionem conferunt; ita vt ex ignorantia eam non amittant. Nec solum veritates docet ibi expressas, sed reliquas etiam ad alias naturales scientias pertinentes. In multis enim eas corrigit ac dirigit: nam nisi lumen adesset, quod ipsa Scriptura Sacra nobis prębet, multa iudicaremus vera quę reipsa sunt falsa. *Secundus* finis est, *ad arguendum*, & conuincendos eos, qui hæreses & errores contrarios sequuntur. In ea enim rationes insinuantur, adeoque efficacia motiua: vt sufficiant ad eos conuincendos, eorumque inania argumenta dissoluenda: vt constat ex rationibus, quibus Christus Dominus noster arguebat & conuincebat Iudæos; & ex ijs, quas Sanctus Apostolus in suis epistolis adducit contra multos hæreticos & schismaticos. Ac propterea dicit, quod Episcopus *e potens esse debet exhortari in doctrina sana; & eos, qui contradicunt, arguere.* In quo genere præstat Theologia scholastica, vt ipsa docet experientia. *Tertius* finis est, *ad corrigendum* vitia scilicet, & deprehendendos culpæ reos. Nam Scriptura sacra regulas proponit correctionis; & ostendit quænam sint corrigenda; & modum præscribit corrigendi, vt omnes fugiant peccata, & vitent eorum occasiones. *Quartus* est, *ad erudiendum* in iustitia: neq; enim solum docet veritates, quæ intellectũ illustrant. sed etiam doctrinã proponit virtutũ, quę voluntatem extimulat ad eas diligendas & amplectendas: adferens omnes titulos & motiua, media & vtilitates, quæ inueniuntur in eis exercendis. Ac denique sententiam suam obsignat dicens: *vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Non enim satis sibi esse arbitratur quamcunque virtutem docere; sed summam omnium perfectionem: vt homo Dei in omni genere bonorum operum, & in exercitio omnium virtutum benè sit instructus,

c *Iob.32.8.*

d *Isa.48.17*

S. Thomas 1.p.q.1.a.8.

e *Tit.1.9.*

ctus, ab infimis vsque ad supremas. Et hoc præcipuè spectat ad supremos Prælatos, Prædicatores, Magistros & Euangelij Ministros: quos Deis homines appellat, eò quod dedicati sint obsequio Dei sui, & ministerijs erga proximos: qui esse debent in omnibus perfecti, perfectionem suam haurientes ex ijs quę in Sacris Scripturis discunt. quę scriptę fuerunt ad efficiendos homines sapientes & Sanctos, & in vtroq; eminentes. Nam (vt ait S. Clemens) in ipsa Scriptura Diuina collecta est omnis rerũ varietas, quę in humanis scientijs inuenitur. Rerum omnium origo, in Genesi; Historiæ certissimæ, in libris Sacris Historiarum; Leges & Præcepta, in Deuteronomio; disputationes & occulta naturalia, in Iob; versus & cantus, in Psalmis; documenta insignis prudentiæ, in libris sapientialibus: & omnia tendunt ad docendam insignem in virtutibus perfectionem. In quo genere adhuc eminet magis testamentum nouum: quia hominem erudit ad culmen totius Sanctitatis. Hoc significabant f *duo Cherubim* tegentes Arcam Testamenti, & *se mutuo respicientes versis vultibus in Propitiatorium*: plenitudo enim scientiæ inuenitur in vtroq; testamento, Antiquo & Nouo: quæ mutuo sese aspiciunt (vt ait S. Gregorius) ob magnam concordiam, quam habent inter se in rebus Christi Domini nostri: Propheta enim vetus Testamentum, quod futurum erat in Nouo; Nouum autem implet, quod Vetus prophetauerat. Magnum autem latet mysterium in eo, quod g *Cherubini*, quos fecit Moyses, *essent* omnino *aurei*; quos verò fecit Salomon, essent h *ex lignis oliuarum, tecti* tamen *auro*. Significat enim quicquid Scripturæ Diuinæ dicunt (vt dixit S. Augustinus) eò tendere, vt animabus efficiat charitatem, cum duplici eius actu, amoris scilicet Dei, & proximi, per opera misericordiæ, ex ea dilectione orta. Qui autem existimat se sacras ipsas literas intellexisse, nec talem habet charitatem, proinde ei est, atque si nullum in eis studium posuisset, iuxta illud Apostoli: i *si nouero mysteria omnia & omnẽ scientiam, & habuero Prophetiam, nihil sum*, cum carear vita illa ad quam hæc omnia tendunt. Ex quo apparet insignis Sacrarum litterarum præstantia: quarum studium & meditatio efficit *homines Dei* perfectos in sapientia, sanctitate, charitate, misericordia, & in omni genere operum studiosorum. Illæ enim (vt ait S. Hieronymus) sunt k *aquæ redundantes* quas Ezechiel vidit fluere ex sanctuario & irrigare *ligna multa nimis, quæ erant in ripa torrentis: quæ producebant fructus recentes per singulos menses, qui essent in cibum; folia verò eorum ad medicinam*. Tales sunt operarij Euangelici, plantati circa aquas redundantes scripturarum sacrarum, quarum continua irrigatione, studio, ac meditatione crescunt in omni genere sanctitatis, sapientiæ; proferentes cum magna excellentia duodecim illos fructus, quos Apostolus: l *fructus spiritus* appellat. Et præterea proferunt opera misericordię tam corporalia, quã spiritu-

Lib. 1. Cõst Apost. c. 6.

f *Exod. 25. 22.*

Hom. 15. in Euan. & 6 in Ezechi.

g *Exod. 25. 18.*

h *3. Reg. 6. 23. 28*

Lib. 1. de Doct. Christiana. c. 35. & 36.

i *1. Corint. 13. 2.*

k. *Ezech. 47. 2. 7. 12.*

l *Galat. 5. 22.*

ſpiritualia, docendi, exhortandi, corrigendi, & reliqua quæ ſunt ſpirituale animarum alimentum. Eorum autē verba ſunt medicinalia & ſalubria: illis enim medentur multis infirmitatibus ſpiritûs; præueniunt peccata, & conſilia præbent omnibus vtiliſſima. *Sapient. 6. 22.*

§. III.

Scientia naturales & litteræ humaniores.

AD SACRARVM Scripturarum intelligentiam; & actus ad quos illæ tendunt, in quibus eminet ſcholaſtica Theologia; multum conferunt ſcientiæ naturales, nominatim tres illæ præcipuæ, quas vocamus Dialecticam ſiue Logicam, Phyſicam, & Methaphyſicam: quas antiqui Philoſophi in ordinem redegerunt, & tradiderunt: quamuis prima earum origo fuerit Deus Dominus noſter: qui, teſte S. Thoma has ſcientias infudit Adamo: vt deducitur ex illo Scripturæ loco, in quo dicitur: a *Deus adduxiſſe cuncta animantia terræ, & vniuerſa volatilia cœli ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius: nam Adam nominibus ſuis appellauit cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ:* quia omnium nouerat proprietates. Et ipſe Adam has ſcientias ſucceſſoribus ſuis communicauit vſque ad Noe; à Noe autem quaſi per hæreditatē deuenerunt vſq; ad Abrahā, & Iacob, qui eas docuit Ægyptios, vbi valde floruerunt; & inde prouenit, quod b *Moyſes* (vt Sanctus Stephanus dixit) *eruditus eſſet omni ſapientia Ægyptiorum,* Aſtrologiâ ſcilicet, & reliquis ſcientijs naturalibus. Perpendit autem S. Gregorius Diuinæ prouidentiæ conſilia: quod voluerit Moyſen eſſe valde eruditum in ſcientijs humanis: eò quòd illum præelegiſſet, vt maximè emineret in Diuinis. Et eandē ob cauſam Iſaias fuit prius valde eloquens. Et Sanctus Apoſtolus c *eruditus ad pedes Gamalielis,* & idem dici poteſt de d *Daniele & ſocijs eius qui fuerunt eruditi omni ſapientia,* & ab infantia *edocti litteris ac diſciplinis Chaldæorum:* quia ſtatuerat Deus illos exaltare ad alias diſciplinas magis cœleſtes. Hanc quippe (ait) ſecularem ſcientiam Omnipotens Deus in plano antepoſui, vt nobis aſcendendi gradum faceret, qui nos ad Diuinæ ſcripturæ altitudinem leuare debuiſſet. Ad hoc enim tantùm liberales artes diſcendæ ſunt, vt per inſtructionem illarum diuina eloquia ſubtiliùs intelligantur. Eccleſiaſtici igitur naturalibus his ſcientijs ſtudere debent, tanquam gradui cuidam, per quem aſcendant ad ſtudium ſacræ ſcripturæ, ac Theologiæ; & ad melius capiendas res diuinas & ſupernaturales. Et in hunc ſenſum ait S. Thomas, Sacrā Theologiam his ſcientijs vti quaſi ancillis: eò quod intellectus noſter talis ſit naturæ, vt opus habeat cognitione rerum naturalium, vt aſcendat ad ea cognoſcenda, quæ naturam excedunt, vt apparet ex multis occultis rerum naturalium, quæ Deus d gnatus eſt Sancto Iob aperire;

a *Geneſ. 2. 19. Ioſephus 1. Antiq. c. 1. Euſeb. 9. de Præpar. Euang. c. 18.*

b *Actuum 7. 22. lib. 5 in 1. Regum c. 3. ad finem*

c *Act. 22 3.*

d *Dan 1. 4.*

1p. q. 1 a. 5.

Iob 39. & ſequentib.

c 3. *Reg.* 4. 13. & postea Regi Salomoni, de quo refert scriptura quod e *disputauerit super lignis à Cedro, quæ est in Libano, vsque ad Hyssopum quæ egreditur de pariete, & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.* quâ magnâ sapientiâ vsus est ad conficiendos libros sapientiales, quos ex Spiritus sancti inspiratione scriptos nobis reliquit, In quem finem etiam disposuit diuina prouidentia, vt in Ecclesiæ initijs conuerteretur ad fidem viri aliqui in his scientijs naturalibus & in rebus omnibus, quas Philosophi & Poetæ gentiles docebant valde insignes: vt conuersi magnâ suâ eloquentiâ & eruditione fidem ipsam illustrarent, eamque alijs persuaderent. Quamuis enim libri & Philosophorum doctrinæ multos haberent admixtos errores: semper tamen aliquid boni habebant, quod ad hunc fructum conferret. Hoc totum explicuit Sanctus Augustinus admirandâ quadam similitudine: qui Philosophi (inquit) vocantur, si quę forte vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquã iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. Sicut enim AEgyptij non solùm idola habebant & onera grauia, quæ populus Israel detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento, & vestem, quæ ille populus exeuntes de Aegypto sibi potiùs tanquã ad vsum meliorem clanculo vendicauit, non authoritate propria, sed præcepto Dei, ipsis AEgyptijs nescientibus commodantibus ea, quibus non benè vtebantur, sic doctrinę omnes gentiles non solùm simulata & superstitiosa figmẽta, grauesque sarcinas superuacanei laboris habent, quæ vnusquisque nostrum, duce Christo, de societate gentilium exiens, debet abominari atque deuitare, sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, deq; ipso vno Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis Diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infusa est, eruerunt, & quo peruersè atque iniuriosè ad obsequia Dæmonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelij, vestem quoque illorum, id est hominum quidem instituta, sed apta & accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in vsum conuertenda Christianum. nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonnè aspicimus quanto auro & argento & veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus Doctor suauissimus, & Martyr beatissimus? quanto Lactãtius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni sapientia Aegyptiorum.

lib. 2. de Doctrin. Christian. c. 40.

quem

quem cæreri imitati sunt, qui scientijs Aegyptiorum fuerunt locupletati. Philosophi enim nescientes quid facerent, preciosa hęc monilia eis offerebant, quibus postea illi vtebantur admaius obsequium Christi, cùm ad eum conuertebantur. Hæc Sanctus Augustinus, Et idem confirmat S. Gregorius Nissenus: & S. Hieronymus quasdam alias adfert similitudines, respondens calumniantibus ipsum, quòd in suis scriptis insereret exempla scientiarum, & secularium Historiarum. *Hoc* (inquit) *est eripere hostibus arma eorum propria, & f præcidere caput* superbi *Goliath proprio eius gladio.* Hoc etiam est quod in veteri lege Deus iubebat, vt qui veliet ducere in vxorem g *mulierem captiuam, curaret vt prius raderet cæsariem, & circumcideret vngues:* nam abscisis harum scientiarum superfluis, bene poterit iustus eas amplecti; & ex h *muliere fornicaria generare*, sicut Oseas, *Iezrahel*, quod significat scientiam Dei: vtens his artibus & scientijs ad prędicationē, qua generanrur adoptiui filij Dei: Quemadmodū ex spinis ait Theodoretus, rosę colliguntur, & ex floribus mel, & ex venenatis serpentibus antidota salubria: ita ex libris gentilium possunt magnâ cautelâ erui veritates vtilissimę, tū ad ipsos infideles cōuertendos, tum ad bonos fideliū mores confirmādos. Hinc enim rabies illa Iuliani Apostatę orta fuit, cùm prohibuit Christianos his scientijs studere, huiusmodi libros legere. Aduertit enim ex eisdem libris arripere Christianos arma cōtra ipsos gentiles, quibus etiam fidem nostrorum mysteriorum confirmarent.

De vita Moysis, Epist. 84.

f 1. *Reg.* 17 53.

g *Deuter.* 21. 12. *Epist.* 146.

h *Oſea* 4. *lib.* 1. *effect. Gracā ad f.*

Idem multò adhuc amplius confimatur exemplo ipsius Apostoli Pauli, qui gentilium authorum testimonijs aliquoties vsus est; & nominatim apud Athenienses adduxit sententiam Arati Poetæ, dicentis: i *ipsius enim & genus sumus.* Et (vt notauit S. Chrysostomus) etiam allusit ad illam aliam sententiam: *Iouis omnia plena.* Et ad Corinthios scribens, attulit aliam Menandri sententiam, dicentis: k *corrumpunt bonos mores colloquia prava:* Et scribens ad Titum expressiùs allegauit sententiam Epimenidis, quem vocat l *proprium Prophetam Cretensium*, eò quòd boni spiritûs instinctu depinxisset proprijs coloribus verissimè & ad viuum mores illius nationis. veritas autem vtilis vbicunque inueniatur (ait S. Ambrosius) est à Spiritu Sancto: ille enim est m *spiritus veritatis.* Ex quo prouenit vt Spiritus Sanctus per huiusmodi veritates, quæ reuera sunt ipsius, etiamsi per tales Philosophos prolatæ; opera fecerit & mutationes stupendas. S. Augustinus refert de seipso quòd quidā Ciceronis liber, quo exhortatur ad studium Philosophiæ, ita ipsius affectus ac desideria mutauerit: vt omnes suas orationes in Deum dirigeret, & incredibili feruore inciperet immortalem sapientiam desiderare, relictis inanibus cogitationibus ac desidenijs, quibus antea tenebatur: & hunc fuisse primum suæ conuersionis gradum. Et Iustinus Philosophus reliquit gentilitatem: quia Deus cor

i *Act.* 17. 28. *ibidem.*

k 1. *Corin.* 15. 33. *ita S. Hieronymus & S Thomas.*

l *Titi* 1. 12.

m 1. *Cor.* 2. n *Ioan.* 14. 17.

lib. 9. *Confes. c.* 4.

eius

eius permouit lectione cuiusdam sentētiæ Platonis. Quod si Angelus loquitur, & docet n *Balaam per os asinæ:* quid mirum, quòd etiam per huiusmodi authores alios doceat?

n *Num.* 22. 28.

Ex his deducitur! licitum esse, imò expedire, vt operarij Ecclesiæ his scientijs naturalibus studeant, legantque libros Philosophorum, & illas tradentium. Nisi enim id licuisset: nunquam (ait D. Hieronymus) Daniel & eius socij in eas incubuissent. Qui enim adeò fortiter egerunt, vt non macularent animas suas cibis delicatis de mensa Regis: etiam abhorruissent ab huiusmodi studijs literarum Chaldaicarum, si existimassent se propterea maculam aliquam contracturos. Imò Sanctus Basilius in quadam Homilia, quam de hoc argumento instituit, ait: quemadmodum tinctores, priusquam perfecto purpuræ colore pannum tingant, alibi minus perfecto eum tingunt: ita ante studium Sacrarum literarum studendum est his scientijs humanis.

Ir c. 1. Daniel habetur. c. Qui de mensa. d. 37. Homil. de vtilit. capienda ex lib. Gentilium.

Id tamen faciendum est cum magna cautela, separando pretiosum a vili: relictis scilicet eorum erroribus, & levitatibus tanquam vilibus; & acceptis tantum veritatibus, quas proponunt, quæ sunt pretiosæ. Colligendæ sunt rosæ, sed spinis relictis: & quemadmodum apes non sedent super singulos flores, sed super aliquos; neq; sugunt quicquid mellis continent, sed quod sibi satis est: ita ex huiusmodi libris illud solum est sapiendum, quod sufficiat ad præcipuum finem scientiarum diuinarum, & morum reformationem. Accipiamus (inquit S. Ioannes Damascenus) tanquam periti Trapezitæ verum & legitimum aurum, relicto falso & adulterato: & omnia fiant cum debita moderatione, *nequid nimis*: Debent enim qui illas scientias sibi compararunt, vltimum eligere locum, potius gloriantes se esse sapientes Christianos, quàm Ciceronianos, aut Aristotelicos. Ne eis eueniat, quod S. Hieronymo, qui apud Tribunal Dei grauius dicitur, ob excessum in hoc genere.

Lib. 4. de Fide c. 18

Epist. 103.

Sacra doctrina (ait S. Clemens Alexandrinus & S. Ambrosius) esse debet sicut Sara, præcipua Abrahami vxor; scientiæ autem humanæ, sicut Agar, quæ erat ancilla. Contra omnem enim rationem esset plurimi facere ancillam, quàm ipsam Dominam; & plus temporis expendere legendo cum viliori, quàm cum pretiosiori: hæc esse debet quasi panis & alimentum præcipuum; alterea illa, quasi additamentum. Nam, S. Basilius dixit: sacra scientiæ sunt quasi fructus arboris; humanæ verò quasi folia: quemadmodum autem folia sunt etiam necessaria ad arboris ornatum, & pulchritudinem, & ad conseruandos fructus: ita literæ humanæ res ornamentū & splendorem quendam adferunt Diuinis, easq; tuentur ac explicant. Speciatim tamen inter scientias & artes humanas Eloquentia est magni momenti pro Magistris & Prædicatoribus Ecclesiæ; accep-

1. Stromat. c. 1. lib. 2. de Abrah. c. 10

end

endo hanc prædam ab Aegyptijs, malè ea vtentibus, ad suas vanitates & fraudes persuadendas. Nam (vt ait S. Augustinus) quando sapientiæ cõiungitur Eloquentia, vtraque est efficacior ad docendum, persuadendũ, & permouendos Auditores. Et quemadmodum Eloquentia absq; scientia nõ est vtilis, & interdũ potiùs noxia: ita scientia absq; Eloquẽtia prodest minus, ad iuuãdos alios. Et ipsamet sacra scriptura magnã habet eloquentiam proportionatam grauitati loquentis: & ipse Apostolus dixit de se: *o etsi imperitus sermone, sed non scientia*: & iterum: p *loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis*: quem tamen rara quadam ac singulari eloquẽtia à Diuino spiritu dictata locutum esse fusè probat S Augustinus: & idẽ dicit de alijs Prophetis. Eadem etiam Eloquentia valde eminenter eluxit in multis Sanctis Ecclesiæ Latinæ & Græcæ; qui non minus sapientes, quàm eloquentes magnum fecerunt fructum suis concionibus & rationibus. Vt autem captiuam hanc quis ducat: necesse est, iuxta legis præscriptum, radere cæsariem eius, & vnguẽs abscindere multarum superfluitatum, quas inter gentiles Oratores habet, eamque Oratoribus Christianis accommodare.

Lib. 4 de doctr Christ. c. 5.

n 2. *Cor.* 11. 9.
p 1. *Cor.* 2. 1

Suprac. 7. & sequent.

Denique S. Apostolus (vt aiunt Origenes & S. Hieronymus) attulit gentilium Philosophorum sententias & dicta, *sanctificans profana & faciens Ecclesiastica*. Quare quicunque naturalibus scientijs & artibus ac literis humanioribus studere vult: debet eas sanctificare & reddere Ecclesiasticas, dirigendo eas in eum finem, quem Ecclesia intendit: & in eam sanctitatem quam illa quærit, & Sancto ac perfecto illo modo, quo sacris literis studendum est: de quo in proximo capite agetur.

Homil. 31. in Lucam Epi. 8.

CAPVT II.

CHARITAS ET STVDIOSITAS DONVMQVE Sapientiæ multum conferunt ad studendum scientijs cum perfectione

S. Thomas 1. 2q. 66. a. 3

QVAMVIS SCIENTIAE IN SEIPSIS EAM EXCELLENTIAM habeant, quam diximus: & nobilitent potentiam hominis præstantiorem, hoc est intellectum; maior tamen earum nobilitas & præstantia in hac vita eis prouenit ex adiuncto secũdo talento virtutum, quarum finis & scopus est perficere voluntatem, & liberum hominis arbitrium in omnibus suis operibus, & in ipso exercitio studen-

di, discendique scientias, aut eisdem vtendi, postquam sunt iam comparatæ. Scientiæ enim reddunt hominem sapientiam; virtutes verò faciunt sanctum: neque Deo placebit, aut finem suum vltimum consequetur ea quòd sapiens sit, sed quòd sit sanctus. Ac propterea semper Deus, quòd in se est optat (vt Tomo secundo est dictum) scientias non inueniri solas. Tract. 1. ca 10 Cum Deus Angelos & Adamum creauit, non solum scientias sed virtutes etiam eis infudit, quæ essent pulchritudo & ornamẽtum ipsarum scientiarum. Ac propterea Ezechiel loquens de quodam insigni Sapiente in figura primi Angeli, quem vocat Cherubin, ob scientiæ plenitudinem, dicit de eo: a *omnis lapis pretiosus operimentum tuum, & in medio lapidum ignitorum ambulasti:* & statim recenset nouem præcipuos, in quibus significantur omnes virtutes, & insignes earum effectus ignitii igne Charitatis, quæ omnium est Regina; & quæ præcipuè communicat modum perfectè sciendi, vt expressè dixit Apostolus: b *scientia inflat, charitas verò ædificat. si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire.* Qua sententia, teste S. Thoma, docet Apostolus: egentem se quasi multas habeat scientias & plurima nouerit, non tamen habentem charitatem, nescire modum, quo oportet ipsum scire quimodus ab ipsa proficiscitur Charitate. Qui enim aliquid scit absque illa, ipsâ scientiâ intumescit, & neq; se ædificat, nec proximos: scientia enim illum inflat tanquam vtrem, qui videtur esse vino plenus, & nihil tamen nisi ventum continet. Charitas autem implet spiritum cum plenitudine verorum donorum, omniumque virtutum supernaturalium, quibus homo perficitur ad sciendum sicut oportet.

a *Ezech.* 28.13.

b 1, *Cor.* 8.2.

§. I.

2. 2. *q.* 166. & 167. IN PARTICVLARI autem Charitas vtitur duabus virtutibus insignioribus ad finem & scopum suum obtinendum, *Altera* est virtus, quam Sanctus Thomas *studiositatem* appellat: cuius munus est impellere nos ad ea discenda, quæ nobis expediunt; & eo modo, eumque in finem, qui magis expedit, iuxta dictamen rationis, fidei, ac prudentiæ Christianæ, illustratione Spiritus Sancti adiutæ. Ac propterea continet ac refrenat inordinatum appetitum desideriumque sciendi, quod serpens Euæ suggessit, cùm dixit: a *quocunque die comederitis ex hoc ligno, eritis sicut Dii scientes bonum & malum.* Quo sermone tres insignes errores ei suggessit: *primum*, vt non solum sciret bonum & vtile, sed etiam prauum & nocuum, cum affectu inordinato; *secundum*, vt media mala ad id adhiberet, comedendo scilicet de ligno scientiæ, quod erat illi à Deo prohibitum; *tertium*, vt finem sibi proponeret superbiam, qua vellet tali scientiâ elle-

a *Gen.* 3. 5.

sua

sicut Deus. Ad hos tres errores impellit Sathanas vt plurimum eos, qui de scientijs acquirendis agunt: virtus tamen *studiositatis* eos mortificat, & impellit, vt solum discant bona, & vtilia, & statui & capacitati cuiusque conformia, nec permittit curiosè inuestigare occulta Dei: nã b *qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloria,* neque decet, velle scire, quod Deus noluit manifestare: sed seruanda est regula Apostoli dicentis: c *non plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem*: nec permittit studere rebus omnino impertinẽtibus, & d *superuacuis scrutando* (vt ait Ecclesiasticus) *in eis multipliciter*, consumendo inutiliter tempus, quod esset in alijs rebus vtilioribus expendendũ: fertur enim S. Hieronymum punitum à Deo fuisse, eò quod multum temporis poneret in Cicerone, & Poetis ethnicis euoluendis: nec se applicaret iuxta Dei voluntatem ad studium sacrarum scripturarum. Sed quoniam non satis est, quod ipsæ scientiæ sint bonæ, si media, quæ ad eas discendas adhibentur, sunt mala: *studiositas* impellit ad accipienda media licita & conuenientia: nullo autem modo ad illicita aut periculosa. Expedit enim h *eum vno oculo, hoc est paucis scientijs in vitam intrare: quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis*, plenũ scilicet multis scientijs per mala media comparatis. mala dicimus omnia illa quæ sunt contra aliquod præceptum Dei, aut eius Ecclesiæ, aut contra proprij status obligationem.

1
b *Prouerb.* 25. 27.
c *Rom.* 12. 3
d *Eccl.* 3. 24

Sed quoniam non sufficit, vt media ex se bona, si malè applicentur: impellit etiam hæc virtus ad bonum sciendi modum. Quem S. Bernardus ait consistere in tribus rebus: *vt scias quo* ORDINE *quo* STVDIO *& quo* FINE *scire quæque oporteat.* ORDO consistit in eo, vt id *prius aggrediaris, quod maturius tibi est ad salutem*, qualis est cognitio Dei tuique ipsius & rerum ad tuum statum spectantium. Absque hac enim scientia reliquæ parum prosunt, iuxta illud Sapientis: i *vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei.* Quid enim tibi proderit omnia scire, nisi scias animam tuam saluam facere: & illam cognitionem habere, quam Christus Saluator noster dixit, k *esse vitam æternam*? In ipsis quoque scientijs suus inuenitur ordo principiorum, mediorum ac finium; & aliæ sunt necessarius transitus ad alias: nec bene addisci possunt hoc ordine nõ seruato: ita vt quisque se humiliter ad classem Minimorum & Minorum, antequã ad Mediorum vel Maiorum Classem ascendat. Propterea enim l *Sapientia* Diuina *paruulos* inuitat, vt *ad se veniant*: per paruulos enim intelligit humiles; qui non dedignãtur à primis Rudimentis sicus infantes incipere Studium siue affectum, quo studẽdũ est, ait S. Bernardus in eo consistere, *vt id ardentius* quæras, *quod efficacius est ad amorem*, Dei scili et acproximi generandum. Cùm enim Charitas præcipuus sit finis scientia, vt iam est dictũ: ita scientia est præferenda, quæ magis fouet Charitatem

2
h *Mat.* 18. 9
3
Serm 41. *in Cantica.*
i *Sap.* 13. 1.
k *Ioan* 17. 3
l *Prou.* 9. 4. & c. 8. 5.

Ex quo apparet tali affectu & moderata affectione ſtudendum eſſe, vt ſpiritus non abſorbeatur, neque aliarum virtutum exercitium impediatur, aut cauſa ſit non ſatisfaciendi alijs obligationibus: hoc enim eſt eſſe ſcientię mancipium, non Dominum, contra illud Apoſtoli: *omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate*. quaſi dixerit: etiamſi res ſint bonæ, nolo tamen eas paſsione aliqua, & affectu tractus facere; ſed cum libertate ſpiritûs, ratione ducti. Dæmon enim aſtutè homines ligat triplici vinculo: quoſdam ferreis compedibus, alios argenteis, alios aureis vinculis. Cupidos & auaros capit & ligat cupiditate bonorũ temporalium ac terrenorum; literatos & curioſos, inordinatis varia ſciendi deſiderijs, ſpirituales ac pios viros, vehementibus rerum bonarum affectibus, in quibus quærunt ſeipſos, propriaſq; delectationes. Quando autem deſiderium eſt inordinatum, nõ eſt abſque graui detrimento, etiam cùm res deſiderata eſt bona: non enim minus progreſſum impediunt argenteæ, & aureæ compedes, quàm ferreæ; nec minus impeditur oculorum proſpectus obiecta lamina aurea, quàm cuprea. Et quemadmodum vnaquæque virtus compedes confingit à quibus impeditur: ita *Studioſitas* conterit compedes argenteas, & Charitas aureas: mortificando quamcunque inordinatam affectionem, impedientem libertatem ſpiritûs, eiusque operis quietem

n 1. *Cor.* 6. 12.

S Bern ſer. in id Beatus homo qui inuenit ſapientiam.

QVOD autem ſtudium ſcientiarum quaſi obſignat ac perficit, eſt eius FINIS. Aliqui enim, ait idem Sanctus, ſtudent tantùm vt ſciant: quæ eſt curioſitas; alij, vt aliis innoteſcant: & hæc eſt vanitas; alij, vt quod nouerunt, vendere poſſint: & hoc eſt vile lucrum; alij ob profectum & vtilitatem propriam: & hoc eſt prudentia; alij denique, vt alijs etiam proſint: & hęc eſt Charitas. Tres priores fines vitioſi ſũt, & inordinati; quatus eſt bonus, ſed quintus eſt perfectus, ac proprius operatiorũ Euangelicorum, aut ſtudentium, vt talis ſint: proponentes ſibi tanquam ſcopum ſuę ſcientiæ excellentiam charitatis; eiusq; duos illos nobiles & egregios actus amoris Dei ac proximi: conantes ſequi conſilium à S. Dionyſio datum S. Timotheo: *diuina diſcendo, diuinus efficere.*

c. 2. de Cœl. Hierar.

§. II.

ADID totum multum iuuat donum Sapientiæ cœleſtis: cuius proprietates refert S. Iacobus Apoſtolus, ad nouem eas reducens, ſignificatas per nouem precioſos lapides Cherubin, quorum paulò antè mentionem fecimus; & in his conſiſtit etiam modus cũ magna perfectione ſciendi. Ait itaq; ſic: a *quæ deſurſum eſt Sapientia, primùm quidẽ pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis cõſentiens, plena miſericordia, &*

a *Iacob.* 3. 17

fructi-

fructus bona non iudicans, sine simulatione. Sapientia descendens à Patre luminũ primùm est *pudica*, cũ perfecta corporis & animæ castitate, & cũ mundicie cordis, cui promittitur visio & cognitio Dei: luxuria enim teste S. Gregorio, cæcitatem adfert intellectûs, inaduertentiam, præcipitationem, & mutabilitatem; & inhabilem reddit hominem ad actus scientię & prudentiæ. Nam, vt Sapiens dixit: *a in maleuolam animam non introibit Sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Deinde est *pacifica*, studens, quantum in se est, pacem cum proximis habere, non resistendo eis, nec eos absque ratione turbando; cor etiam suum pacatum tenendo, & reprimendo omnes affectus iræ, contentionis, & furoris, qui turbant oculos rationis; nec sinunt attendere ad cognitionem veritatis. Tertiò est *modesta*, siue discat, siue doceat, siue proponat quod sentit: seruans modũ cõuenientem in rebus omnibus, debitã scilicet moderationẽ, iuxta illud Apostoli superiùs allatũ: *sapere ad sobrietatem.* Quam modestiam ostendit in verbis & rationibus, & in omnibus exterioribus motibus: quam tenet, siue legat, siue disputet: ita vt nihil admittat, quod à grauitate & quiete conueniente degeneret. Quartò est *suadibilis*, hoc est facilè permittit sibi persuadere à ratione, per quemcunq; illa proponatur. Sapiens enim non est pertinax in suo iudicio, neq; ita ei addictus, vt non cogitet se facilè posse errare: estque paratus doceri & corrigi ab alijs. Quintò est *bonis consentiens* & addicta, & gloriatur, quòd illis associetur, eos imitetur, quando expedit etiam eos consulat; nec dedignatur eorũ consiliũ sequi; etiamsi illi sint simpliciores; oblectatur, ac delitias reputat cum eis conuersari; fugiens prauos, qui suorum vitiorum scabiem ac deprauata consilia ipsi communicare possent. Sextò est *plena misericordia*: Compatitur enim ignaris & rudibus, omnibusque peccatoribus, seseque accommodat ad eos docendos, & corripiendos: vt à suis miserijs eos eruat. Dicitur autem esse *plena*: quia nec odorem quidem admittit duritiei, aut crudelitatis in proximum; sed viscera induit misericordiæ, vt ei subueniat. Et similiter plena est *fructibus bonis*: quia omnino detestatur otiositatem, & sterilitatem; gaudet verò, quod producat copiosos iustitiæ & sanctitatis fructus, ad gloriam Dei, Ecclesiæ ædificationem, & vtilitatem proximorum. Octauò *non est iudicans*: continet enim se estque valde circumspecta & moderata in suis iudicijs, consilijs ac decretis: neminem vult temerè iudicare, aut condemnare, aut malè de aliquo, absque sufficienti causa, suspicari. Est denique *sine simulatione*, duplicitate, aut fraude: nunquam aliud dicit, & aliud sentit, vt faciunt mendaces; aut fingit intentionem aut sanctitatem, quam non habet, sicut hypocritæ; nouit enim b *simulatores & callidos* (vt habetur apud Iob) *prouocare iram Dei*: qui veritatem, & candorem in suis fidelibus valde diligit, cupitque, vt qui sapientes sunt, de eisdem glorientur; ac sese nouem hisce pretiosis lapi-

1 *Lib. 3. Moral. c. 31. S. Tho. 2. 2. q. 154. a. 1. Sapi. 1.*

2

3

4

5

6

7

8

9

b *Iob. 36. 31*

dibus exornent, accendentes eos igne charitatis, á qua omnes suum accipiunt splendorem, & in cuius societate (vt ait S. Tho.) semper adest sapientia, quæ donum est Spiritus S. quam S. Iacobus ait, *c descendere desuper*. Sed eâdem perficitur Sapientiâ, quæ industriâ nostrâ acquiritur: quamdò tamen prædictę nouem eius proprietates retineantur: quibus Sapiens redditur Sanctus, scietque vt Christi discipulum scire oportet.

2. 2. q. 45. a. 1. ad 2. & a. 4. c Iacob. 3 17

Addamus huic præclaram aliam explicationem, quam Doctor Angelicus exhibet Discipulis ac Magistris: ad sciendum sicut decet, non solum vt homines, sed vt Angelos: assignatque nouem alias conditiones, siue circumstantias, his verbis: Vt aliquis sciat vt oportet, nouem sunt necessaria. vt sciat *humiliter* sine inflatione superbiæ; *sobriè* ac modestè sine præsumptione temeraria; *certitudinaliter* ac firmiter sine hæsitatione in rebus Fidei, non se implicando dubijs aut perplexitatibus; *veraciter* & sine errore in sentiendo & loquendo; *simpliciter* in intentione: vt non cum duplicitate aut deceptione agatur; *salubriter* cũ charitate ac dilectione & studio salutis propriæ; *vtiliter* attendẽdo proximorũ ædificationi; *liberaliter*, cõmunicãdo scientiam suã alijs gratuito, absq; inuidia & tenacitate; *efficaciter*, coniũgendo, vbi opus est, scientiã cũ bona operatione. Hinc nouem circumstantiarum vtilitates sunt magnæ: Nam *humilitas* scientiæ arguit sapiẽtes superbos: *sobrietas* curiosos; *certitudo* dubios, ac perplexos; *veritas* hæreticos; *simplicitas* cautos & callidos; *saluersitas* magnos, & elatos; *vtilitas* iniquos, & proprij commodi amatores; *liberalitas* auaros & ambitiosos: *efficacitas* otiosos, & desides. Hæc S. Thomas, quo nomine dignus est cognomine Angelici Doctoris: vt qui nouit in seipso coniungere, & alios docere tantam scientiæ celsitudinem cum tanta sanctitate, quantam in his nouem conditionibus proposuit.

in c. 8. 1 Cor Lecti. 1.



CAPVT III.

SEX MEDIA AD STVDENDVM VTILITER; & aliæ virtutes ad idem iuuantes.

EX DICTIS IN PROXIMO CAPITE DEDVCERE licet media, quæ Magistri ac discipuli adhibere debent, vt quantum in ipsis est, studeant ac sciant, sicut oportet. Hoc præmisso, quod quamuis magnus a *Deus* noster tanquam *Scientiarum Dominus* & b *Pater luminum* ex peculiari priuilegio aliquando infundat scientias per seipsum absque humana industria ijs, qui futuri sunt insignes Magistri ac Ministri in conuersione animarum; sicut fecit cum Apostolis: lege tamen ordinaria non eas communicat, nisi adhibita humana industria; & præueniens suos electos (vt in Tomo 2. dictum est) c *ab* ipsa *infantia*: (quæ ætas aptior est ad discendum) ttibuens eis ingenium, capacitatem, applicationem, & talentum ad eas scientias, quæ magis conueniunt statui & officio, quod illis imponere constituit. Hæ autem industriæ sex media complectuntur, tria quidem, quibus anima disponitur, vt Deus illam suæ scientiæ lumine illustret; alia tria, quæ sensim comparantur. *Primum*, & quasi ipsius studij fundamentum, debet esse *pura* & sancta *intentio* quam diximus. De ea enim dixit Saluator: d *si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit.* Quemadmodum enim oculi hominem dirigunt, ne in suis gressibus impingat: ita pura intentio obliquis finibus exuta, scientias dirigit ad fines sanctos, in quos illæ tendunt: quam intentionem Deus remunerat, purificans ipsum intellectum, & illustrans, vt veritatem, quam inquirit, inueniat & assequatur: iuxta illud Isaiæ: e *quem docebit Dominus scientiarum? quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus*, illi enim non quærunt bona delectabilia huius vitæ, sed animæ spiritualia.

a 1. *Reg.* 2. 3.
b *Iacobi* 1. 17.

Tract. 16. 10.
c 2. *Timot.* 3. 15.

1
d *Matt.* 6. 22.

e *Isaia.* 28. 9

Ex quo oritur, vt *Secundum* medium valde aptum & efficax ad scientiam comparandam sit *obedientia* diuinorum mandatorum: vt qui studet sequatur consilium ac directionem diuinæ voluntatis in ipso studio, & in rebus cæteris. Scriptum enim est: f *Fili, concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Deus præbebit illam tibi.* significat enim (vt S. Gregorius interpretatur) precium, quo scientia apud Deum comparatur, esse obedientiam. Ac propterea dixit Dauid: g *bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me; quia mandatis tuis credidi*: nec solum fide credidi, sed opere ipso sum executus: obedientia supposita, *tertium* medium ad sciendum vt oportet, est *oratio*, quæ obtinet à Deo lumen, quo intellectus illustratur. Ac propterea S. Iacobus Apostolus dixit: h *si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*: modò postulent, vt oportet. Et ipsa ex-

2
f *Eccl.* 1. 33 *lic* 4. *Moral* c 28.
g *Psal* 118 66.

3
h *Iacobi* 1 5.

perientia

periẽtia Sanctos docuit: ad scientiam comparandam non esse minus efficax & proportionatum medium *orationem*, quàm ipsum studium. Ac propterea aliqui ipsi studio inserebant orationes iaculatorias, occasione accepta ex ipso argumento cui studebant, ad aliquos admirationis aut gratitudinis affectus: aut humiliationis ob suam propriam ignorantiam excitandos: aut breues aliquas petitiones faciendas: aut minimùm non inchoabant ipsum studium, quin præmitterent aliquam orationem: quemadmodum faciebat S. Thomas Aquinas. Hoc consilium dedit Ecclesiasticus Sapientiæ studioso, varijs illam medijs quærẽti: dicens de eo quatuor egregias circumstantias ad hoc propositum. *Prima*: i. Eccli. 3. 9 *cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum; & in conspectu altissimi deprecabitur*. Qua sententia commendat vsum orationis mentalis, quæ fit, cùm quis se alacriter collocat in præsentia Dei, cui offert cor suum cum inflammatis affectibus amoris: hæc enim affectuosa meditatio plurimũ disponit ad speculatiuam meditationẽ ipsius scientiæ: & emollit cor, ne studij ipsius ariditate consumatur. *Secunda* circumstantia est: *aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur*. hoc est, etiam vocales adhibebit orationes, quæ iuuant ipsas mentales: petetque Dei dona, & nominatim veniam peccatorum: quia nouit quantum detrimenti illa adferãt, si impediant cognitionem Diuinorũ mysteriorum, & consecutionem veræ Sapientiæ: quæ dedignatur intrare in animam suis peccatis addictam. Ac propterea multum refert, se ab eis purificare pœnitentiâ & oratione, vt donorum Dei impedimẽtum remoueatur. Statim autem *tertiam* subiungit circumstantiam, fructum huius orationis, dicens: *si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit eum*, hoc est valde copioseque illi largietur: quia est magis in omnibus rebus suis; eiusque liberalitas est immensa. Dicit tamen *si voluerit*: vt intelligatur, donum hoc præcipuè á Dei voluntate dependere, qui est scientiarum Dominus: & quia istæ gratiæ gratis datæ, quæ non semper omnibus conueniunt: ac propterea petendæ sunt sub conditione: Si expedit illas acquirere, ad gloriam ipsiusmet Dei. *Quartam* addit circumstantiam fructum scilicet securum, si Deus orationem exaudiuerit: *& ipse* (inquit) *tanquam imbres emittit eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino*: nã quemadmodum nubes pluuiã dimittit: ita hic loquitur verba sapientiæ, quã ostenderit principuè laudando Deum in sua oratione: atq; si diceret: nõ se exhibebit ingratum ob scientias sibi communicatas, sed magnas redder largitori gratias. Et quemadmodum ante eas in oratione petebat: ita nunc in oratione ipsũ propter eas laudabit, & in ipsomet studio, & vsu scientiæ non obliuiscetur orationis: sed in ea offeret affectus amoris & gratitudinis. ORATIONE præmissa, sequũtur tria industriæ nostræ media, quæ sũt *audire, le-*

gere

gere & meditari. Primum itaque est audire bonos Magistros: qui enim dedignatur esse discipulus hominum, euadet (vt ait S. Gregorius) Magister errorum, dirigens se proprio suo iudicio, quod est illorum seminarium. Ac propterea Salomon dixit: k *audiens sapiens sapientior erit.* Et ipse Christus Dominus noster æterna Sapientia l *cùm esset annorum duodecim,* (qua ætate incipiunt scientiæ comparari) collocauit se *in medio Doctorum audiens illos, & interrogans eos,* quasi ab eis aliquid disceret: quo exemplo docuit nos modum discēdi, eligentes tales Magistros, vt potissimus sicut Apostolus dixit Timotheo, memores esse m *à quibus didicerimus*: & gloriari, quod eos habuerimus Magistros, vt eorum memoria nos animet ad perseuerandum in eo quod didicimus, & ad procurandas eas sapientiæ ac sanctitatis dotes, & qualitates, quæ in hoc Tractatu proponuntur.

Lib. 1, Dialog. c. 1.

k *Prouer.* 15

l *Luc,* 2. 46

m 2. *Timo.* 3 15

5

Sed quoniam Magistri non possunt semper omnia docere, accedit secundum medium, quod est *legere* bonos libros, qui sunt Doctores & Magistri muti; qui nunquam defatigantur docendo, habentque authoritatem seruorum authorum & scriptorum: qui suo tempore insignes fuerūt Magistri, & hoc officium faciunt continuè per libros suos, & ipse Deus idem per illos præstat. Hæc duo media valde se mutuo iuuant: non enim sufficit liber, nisi adsit vox illum explicās, sicut n *Eunuchus* dixit S. *Philippo*: neque viua vox ita memoriæ manet impressa, vt opus non sit eam ex libro renouare. Sed neque vtrumque sufficiet, nisi accedāt vltimum quod est *meditari* & ruminare audita & lecta, vt melius intelligantur & penetrētur. Ac propterea cum Salomon dixisset: *audiens sapiens sapientior erit,* statim subiunxit: *intelligens* quod audiet, scientiam consequatur: o *animaduerteret parabolam, & interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum.* Et Christus Dominus noster loquēs de quadam Prophetia dixit: p *qui legit, intelligat*: nisi enim intelligere studeat; lectio ipsa erit inutilis. Et Apostolus cùm monuisset Timotheum, vt attenderet lectioni sacrorum librorum, adiecit: q *hæc meditare, in his esto,* ita studiosè illis attendens, vt bene ea capias, ac possideas. volēs significare: audientem aut legentem debere esse sicut animal ruminās, quod primum veritates colligit, & postea bene eas cogitans & considerans conterit & digerit: vt tāquam Dominus eas possideat. quæ studendi ratio, etsi carni sit difficilis, quia (vt ait Ecclesiastes) r *frequens meditatio carnis afflictio est.* Ac propterea s *qui addit scientiam addit & laborē* virtus tamè studiositatis (vt ait S. Tho.) has superat difficultates, & hi iusmodi tædia aufert, voluntatem impellens, vt hanc carnis alienationem, ac repugnantiam fortiter vincat: quia ratio id dictat, Deus id vult, & conditio eius status id iure quodam exigit.

n *Actuum* 8 31.

6

o *Prouer.* 1.

p *Matt.* 24. 15.

q 1 *Timot.* 4. 13.

r *Eccles.* 12. 12.

s 2. 1. 13. 22. q 166. a. 2. ad 3.

Praedicta media docuit Ecclesiasticus, aduertendo quædām particularia:

t *Eccl*, 39 1.

ricularia, ait enim: t *Sapientiam omnium antiquorum exquirit sapiens, & in Prophetis vocabit*, sacris scilicet Scriptoribus: quorum antiquitas tanta est vt per excellentiam nomen antiquorum promereantur: & præterea sunt locuti quasi Prophetæ, ex instinctu Spiritus Sancti verba illis dictantis. Et sciendi cupidi scientiam quærant in libris illorum. Vtitur autem vocabulo illo: *vacabit*, ad significandum, eum reijcere debere omnes alias occupationes, & huic soli se addicere, si inuenire velit, quod optat. Scriptũ est enim: u *Sapientia Scribæ* acquiritur *in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu*, & externis occupationibus, *sapientiam percipiet*. Addit præterea in hoc consilio & documẽto Ecclesiasticus: si sciẽtiam acquirere velis, ne sis contentus scriptoribus modernis? sed ad sapiẽtię fontem accedas, hoc est antiquos: neque delecteris Iuniores audire Magistros, sed potius gaudeas audiendo seniores, qui vt plurimum sunt sapientiores. eò quòd multa viderint, audiuerint, egerint, & experti sint. Ac propterea dicit Iob: x *in antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia*. Ac propterea Daniel Deum appellat y *antiquum dierum*; quia apparet canus: ad significandam æternitatem & immensitatem suæ sapientiæ, quæ esse solet propria seniorum. Sed quoniam non omnes seniores sunt eminẽtes in literis, addit Ecclesiasticus: z *narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit*. hoc est non fidet proprio iudicio ac discursui in intelligendis Diuinis scripturis, & scientiarũ arcanis: nec erit contentus Commentarijs ac declarationibus cuiusuis Magistri, sed eliget nominatissimos in Ecclesia, qui in ea fuerunt, & sunt luminaria: & qui nunc præ alijs nominantur; quorum auxilio accedet ad legẽdum ac penetrandum parabolas, ac sententias librorum sacrorum. Hic fuit semper Spiritus Sanctorum (quem sexta Synodus valde cõmendat) qui ibentissimè sequebantur iudicium antiquorum Prædecessorum suorum, vt scribitur de S S. Basilio & Gregorio Naziãzeno: quòd Sacris Scripturis studuerunt, *illarum sententiam non ex proprio ingenio, sed ex maiorum ratione & authoritate eas interpretantes*. proprium enim est iuuenum, qui ex sua eruditione euanescunt, id quod dixit Eliu cõtra socios suos, amicos Iob: aa *Iunior sum tempore, vos autem antiquiores: idcirco demisso capite, pertimui sum vobis indicare meam sententiam. Sperabã enim quòd ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam: Sed, vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt* semper, quodnam sit iustius *iudicium*. Hæc dicit iuuenis ille sapiens, sed superbus, contemnens socios suos seniores: cuius sententia etsi bonum habeat sensum, quia sapientia non tam dependet ab annis quàm à spiritu & inspiratione Dei dante illam etiam iunioribus aliquando sicut dedit Danieli: quia tamen id rarum est, non debent in

u *Eccle.* 38. 25.

x *Iob* 12. 12.

y *Daniel* 2. 9

z *cap.* 39. 2.

Sexta Synodus c. 6. *Habetur in Breuiario in Officio S. Greg Nazian.*

aa *Iob* 32. 6.

perbi & temerarij occasionem hinc accipere, ad seniores contemnendos, quibus diuina prouidentia vt plurimum sapientiam largitur, & authoritatem ad eam docendam. Ac propterea dixit Moysi: vt congregaret septuaginta viros de senibus Israel: bb *quos tu*, inquit, *nosti quòd senes populi sint ac Magistri*: qui scilicet Magisterio coniungerent senectutem, quæ magnam adfert authoritatem.

bb *Num.* 11.16.

Sed quoniam non sufficit Magistri excellentia, nisi in discipulo adsit acumen ingenij, addit Ecclsiasticus: *occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur*, hoc est non erit contentus studere, & intelligere rem tantùm in superficie; sed meditatione penetrabit vltra corticem verborum, & prouerbiorum: donec spiritum intelligat sub eis latentem; & proferat in lucem radices, causas, effectus & rerum proprietates: & omnia bene possideat.

Denique cupidus sciendi, *in terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim & mala in omnibus tentabit*. Cum enim non semper tales Magistros in Patria sua habere possit: illâ desertâ, etiam paternâ domo, peregrè proficiscetur ad vniuersitates & scholas, in quibus excellentes inueniuntur omnium scientiarum Magistri, sicut cc *Regina Sabba* à valde remota Regione *venit vt audiret sapientiam Salomonis* & S. Hieronymus ex Dalmatia venit Romam. & inde in Galliam, & inde Constantinopolim, vt quæreret optimos Magistros, qui essent in Ecclesia. Quoniam autem in hac Magistrorum & nationum varietate continget bona & mala esse permixta, *in omnibus*, inquit, *tentabit*: vt quod bonum est accipiat; abijciat verò quod est malum. Imò etiam *terram alienigenarum gentium pertransiet*, hoc est lustrabit libros gentilium authorum, ex quibus, vt dictum est, seliget quod pretiosum est; & reijciet, quod est vile, & noxium.

cc 3. *Regum* 10.1.

(∴)

(∴)

CAPVT IV.

QVAM VTILITATEM IN ECCLESIA adferant viri docti & Sancti; & quantum detrimenti improbi, & quo modo & ratione eis accedendum ad sua munia.

QVI SCIENTIARVM PERFECTIONEM SVNT CONSECUTI, easq; cum virtutibus, sicut diximus, coniunxerunt: quæ sunt officijs, ad quæ illæ diriguntur: quia poterunt ea exercere cum vtilitate Reipublicæ & proximorum, & absque proprio detrimento. De talibus enim intelligitur, quod Spiritus sanctus dixit: a *multitudo Sapientum sanitas est orbis terrarum:* quatenus scilicet iuuant ad obtinenda, conseruanda, augenda ac perficienda omnia genera sanitatum, quæ possunt hominibus competere: sanitatem scilicet corporis & spiritus; moralem & politicam; ac supernaturalem & diuinam, & ipsam æternam salutem, quæ finis est omnium. Multitudo medicorum sapientum iustorum est salus terræ: nam arte sua infirmos sanant, & sanos præseruant à morbis. Ac propterea Deus iussit eos honorare b *disciplina medici* (ait Ecclesiasticus) *exultauit caput illius, & in conspectu Magnatorum collaudabitur. Altissimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.* Etiam multitudo Sapientum peritorum iuris Canonici ac Ciuilis, si innitatur sanctitati & iustitiæ, est Reipublicæ salus: conseruant enim eius pacem, reparant iniurias illatas, ac discordias componunt: ciues bene inter se conuenientes, obtinere possint concordiam charitatis cum Deo, & cum proximo, qui est finis officij eorum. Multitudo Theologorum Sapientum ac Sanctorum est Salus Ecclesiæ: nam suis Ministerijs eam tuentur; resistunt furiæ hæreticorum; & auxilium præstant ad salutem & perfectionem animarum. Et tunc Ecclesia floret, cùm in ea splendet multitudo Confessariorum, Concionatorum, Episcoporum ac Prælatorum insigni sapientia & sanctitate præditorum.

a *Sapient.* 6 26.

b *Eccli* 38.3

§. I.

APERTE hoc proposuit Christus Dominus, noster cùm suos discipulos Magistros ac Doctores creauit, eisque insignia eius gradus contulit, dicens: a *vos estis sal terræ, lux mundi, ciuitas supra montem posita, lucerna posita super candelabrum, vt lux vestra luceat coram hominibus,* magnumque geratis zelum *ne lex aut Prophetæ soluantur,* sed exactè sc-

a *Matth.* 5. 13.

mentes

uentur, ac tandem concluſit: *qui ita fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cœlorum.* His enim inſinuat excellentiam & præſtantiam eorum in eo conſiſtere vt faciant quod docent, & doceant quod faciunt: connectendo verba cum operibus, & opera cum verbis: vtrisque enim ſimul iunctis erunt ſalus totius Eccleſiæ. Ac propterea primũ eos vocat *ſal terræ*, quia ſapiẽtiâ ſuâ ſanctâ prudẽti ac iucundâ ſaluté adferũt hominibus, curantes vulnera peccatorũ eorũ, eosq; à corruptione vitiorũ preſeruãtes; & virtutes reddẽtes ſapidas & iucundas, oſtendentes ſuis rationibus, exẽplis, ac prudentibus colloquijs, eas eſſe faciles, ac iucundas. Nam quamuis doctrina crucis & mortificationis carnis ſit ex ipſa inſipida, & acerba quaſi mors; nec ſit qui hilari vultu eam aſpiciat, aut manum ad eam exercendam admoueat: ipſi tamen, ſapientiæ ſuę ſale ita eam condiunt, ac dulcorant, vt & amabilem reddant, & ſalubrem: eum in modum quo Propheta Eliſæus mittens modicum Salis in fontem quẽdam aquæ amaræ, & peſſimæ, quæ terram ſterilem reddebat, dixit, in nomine Domini: b *ſanaui aquas has. & non erit vltra in eis mors neque ſterilitas.* Aquo tempore filij prophetarum, qui priùs aquam illam, nonniſi cum magna nauſea ac dolore bibere poterant, cum magna delectatione eam bibebant: ita etiam eruditi & ſancti Prædicatores Sale Diuinæ ſapientiæ & gratię eius doctrinã, quę priùs amara erat, & ſterilis, ita condiunt, vt fiat iucunda, ſuauis, ac fœcunda: ita vt fideles, qui priùs eam horrebant, iam amplectantur, & exequãtur, & glorientur de Chriſti, eiusque crucis mortificatione; inuenientes in ea magnum ſolatium, & gaudium. Et quãuis Concionatores interdum ſanctâ quadam irâ accenſi inuehantur in peccata, magnoque zelo increpent peccatores: hic tamen zelus & increpatio eſt etiã Sal, quod ſanat: & licet aliquã habeat acerbitatẽ; animę tamen iucundum adfert ſaporem, ob ſapientiam & prudentiam, qua prædicator oportunè eam adhibet. Nam (vt ait S. Hilarius) Sal duo in ſe continet elementa, aquã & ignẽ, quæ etſi inter ſe ſint contraria: quia aqua eſt frigida, & humida; ignis autem calidus, & ſiccus: in Sale tamen habẽt quoddam temperamentum mixtum ex illis extremis: ita ſapientes & Sancti in omnibus ſuis actionibus euitant extrema vitioſa: non enim ſunt frigidi aut ignaui, ſicut aqua in adhibendis reprehenſionibus & ſeueritate conueniente: nec ſunt nimis Cholerici, & pungentes, quaſi ignis, vt ſeueritate ſua cõburant & cõſumãt: ſed medium quoddã tenent, ſicut Sal. hocmodo ſunt *Sal terræ*, eiusq; peccata reparant.

I.

b 4. *Reg.* 2. 22.

Canone. 5. *in Matt.*

Qvoniam autem in mundo ſunt etiam alij morbi ignorantiarum & errorum, ex quibus vitia oriuntur & pecatta: vt intelligatur, ſanctos Doctores etiam eſſe ſalutem terræ, quam curant & præſeruant ab huiuſmodi morbis ac miſerijs, adiecit Saluator: *vos eſtis lux mundi*, & quaſi lu-

minaria cœli, electi vt Sol, & pulchri sicut Luna, splendentes sicut astellarum lucentium die ac nocte fidelibus & infidelibus iustis & peccatoribus, vt alij exeant è tenebris, in quibus versantur; alij verò crescant & perficiantur in lumine quod præferunt. Quæ autem salus hac pretiosior esse potest? de, *Sole iustitiæ* dixit Malachias: *sanitas in pennis eius*: pennas autem appellat radios lucis, quos vel per seipsum, vel per suos emittit Doctorea, ad sanandas animas quas eis penetrat.

c *Malach.* 4.2.

3

SED vlteriùs progreditur, dicens: eos esse *ciuitatem supra montem positam*. quia supra celsitudinem & firmitatem sanctæ suæ vitæ, fundantes suam doctrinam, accipiunt venientes ad se, protegunt, & instruunt in ijs quæ spectant ad salutem animarum eorum, & Christianam politiam. Denè nouimus ciuitates in montibus altis constructas, multò esse sanatiores ijs, quæ sunt in vallibus, & locis demissis ædificatæ: illæ enim vtuntur aëre puriori; & cum in alijs sunt nebulæ, pestes, aut alij morbi: ille ab his miserijs sunt liberæ. Hunc in modum ciuitas abundans multis viris sapientibus ac Sanctis, est ciuitas sana, gaudetque puriori aura Spiritus Sancti quæ perflat per ipsa ministeria, quæ illi erga ciues exercent. non sunt in ea ignorantiæ nebulæ, non viscosæ vitiorum pestes, quia illi ab his malis eos præseruant: ac propterea vocari potest vt altera illa ciuitas de Tribu Iuda: d *ciuitas salis*: eò quòd sit ciuitas virorum sapientum, cœlesti Sapientia repletorum. SED quoniam ciuitas est locus valde latus, multas habens peculiares domos, quæ opus habent magis in particulari curatis illuminari: addit Saluator noster, tales ministros non solum esse generalem mundi & ciuitatum lucem; sed etiam esse *lucernas accensas, & positas super candelabrum, vt luceant omnibus qui in domo sunt*; non verò *sub modio* aut sub lecto, nam sic collocatę sibijpsis lucent, totam verò domũ in tenebris relinquunt. Quia tales ministri non solùm attendunt profectui proprio vt quiete gaudeant, sed etiam attendunt ad aliorum vtilitatem; ac propterea dicuntur esse positi super candelabrum suæ dignitatis & officij, lucentes scientia, & ardentes charitate: illustrantes & amore Dei accendentes omnes habitatores cuiuscunque domûs Ecclesiæ. Nec solum illuminant, sicut sol, & stellæ, quæ illuminando nihil amittunt, sed sicut candelæ, quę dum ardent, sensim diffluunt & consumuntur: ardent enim ac lucent quasi proprijs expensis, & summo cum labore ac mortificatione, vt bene officio suo fungantur, & proximo prosint.

d *Iosue* 15. 62.

4

EX quo etiam prouenit, vt sint quasi speculum & exemplar bonorum operum: quod aspicientes inuitat ad ipsorum imitationem, & ad glorificandum cœlestem Patrem. Ac denique sunt zelatores omnium quæ continet lex & prophetæ, & sancta ipsa Euangelia: declarãtes ea bene, corroborantes, defendentes, ac reipsa custodientes, & operã dantes, vt & alij

5

eadem

eadem custodiant; nec patientes, vt vel vnum iota, vel vnus apex omniũ quæ docent, prætermittatur. Et hac via euadunt insignes in regno cœlorum hoc est in Ecclesia, cuius Rex est Christus: qui Doctores sapiẽtes & sanctos reputat Magnates aulæ suæ; optans vt multiplicentur, vt sint totius regni salus, siquidem in multitudine taliũ sapientiũ est salus terrę.

Sed esto essent pauci, hi essent salus eius: quemadmodum enim modicum salis sufficit ad magnam cibi quantitatem saliendam: ita sapiẽtia simul cũ sanctitate tantæ virtutis & efficacitatis est, vt vel in paucis manens, sufficiat ad saliendum, accendendum, & protegendũ, ac perficiendum multos. Prælatus vnus sapiens & sanctus est totius communitatis salus; Concionator vnus doctus ac seruens, ignem imponit toti ciuitati; Iudex vnus sapiens ac zelans, pacem seruat in vniuersa plebe; & Doctor vnus insignis scientiæ & conscientiæ, est instar solis alicuius in mundo, ad omnes consolandos, exhilarandos ac viuificandos. Venit ait Salomõ Rex magnus & vallauit ciuitatem quandam: inuentusque est in ea vir pauper & sapiens, e *& liberauit vrbem per sapientiam suam.* Nam verus aliquis pauper spiritu, qui simul est sapiens, sufficit, vt se opponat Dęmoni, & resistat mundo, eiusque impugnationibus: ac ciuitatem totam defendat, in qua habitat; non alijs armis, quàm suis consilijs, rationibus, industria, & orationibus, sanctisq; suis exemplis. Sed neque vacat mysterio, quod Spiritus S. non dixerit: multitudinem bonorum sapientum, sed tantum sapientum, esse sanitatem orbis terrarum: voluit enim significare: improbos non esse dignos nomine sapientum, sed stultorum: nam, vt Ieremias dixit, f *sapientes sunt, vt faciant mala: benè autem facere nesciunt.* Et hoc sufficit, vt pleno ore ignorantes dicantur, & imprudentes: quæ magna est laus virtutum, vt quæ doctos viros dignos faciãt nomine sapientum: quia dant vitam, & æstimationem ipsorum eruditioni. Sed quid de illis doctis dicemus, qui cum scientia coniungunt improbitatem: nisi quod venenum sint & pestis orbis terrarum? Quantum enim scientiæ simul cum virtutibus prosunt, tantum nocent, si cum vitijs coniungantur: quia tales scientiæ sunt illis quasi arma ad omnia sua scelera perpetranda Et quemadmodum ait Ieremias se vidisse duos calathos plenos ficubus, quorum vnus g *ficus habebat bonas, bonas valde*: alter verò *malas, malas valde, ita vt comedi nõ possent*: ita dicere possumus. multitudinẽ sapientũ Sanctorum esse bonã & bonã valdè, vtilem & valde vtilẽ: multitudinẽ autẽ sapientũ improborum esse malã & malã valde: noxiã, & valde noxiã: ita vt tolerari nõ possint. Ad eam enim miseriã deueniunt, vt nõ habeãt veritatẽ, neq; in vita, neq; in iustitia, neq; in doctrina: & potius in omnibus his tribus deficiant, semperq; viuant in mendacio in iustitia, & fraude; & eorum sapiẽtia est, quã S. Iacobus Apostolus appellat

c *Eccl* 9. 14.

f *Ierem.* 4. 22.

g *Iere.* 24. 3.

h *Iacob* 3.16 22 q 45. *ad* 1.

pellat h *terrenam, animalem, & diabolicam.* Quæ tria epitheta ei attribuit, vt ait S. Thomas, duplici titulo: primò eò quòd illi scientia sua ad finem tendant terrenos, animales, ac diabolicos: etsi enim illa sit ex se bona, eius tamen vsus est malus: quando eam cogunt tanquam ancillam seruire vitijs auaritiæ, sensualitatis ac superbiæ: conculcata virtute, veritate & iustitia, modò quod intendunt assequantur.

Et hinc oritur secundus titulus siue causa horum cognominum, ob detestandam doctrinam quam docet, corrumpendo non solum ipsius scientiæ finem, sed ipsam etiam scientiam, eiusque veritatem, & puritatem. Inordinata enim perituror ũ horum bonorum cupiditas, non solum vitiorum seminarium, sed etiam errorum: quia labi facit in doctrinas terrenas, animales, & diabolicas: quæ fauent auaritiæ & terrenarum cupiditati, carnis concupiscentiæ, & voluptati animali actorum sensuum ac diabolicæ superbiæ vitæ. Qualis est doctrina Magistrorum ac Prædicantium Hæreticorum, de quibus dixit S. Ioannes, quòd mittit prodire *de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum*: quia ad ea quæ faciunt ac docent, illecti gantur à Sathana; & à carne, ad mores bestiales propensa; & à mundo falso deceptore & adulatore. Dicũtur autem tres, quia in aliquibus potualet sapientia terrena & auara, in alijs animalis & sensualis, in alijs vero diabolica & ambitiosa. Sunt autem in modũ ranarũ, quæ non nutriuntur in fluentibus fluuiorum aquis, sed in sordidis ac cœnosis lacubus: quarum clamores importuni sunt ac molesti; & maiores quam corp rum earum paruitas alias exigeret. huiusmodi enim falsi Magistri detestantur aquas claras, & Crystallinas Sacrarum scripturarum, & in eis contentam puritatem, solumque gloriantur ac delectantur turbidis, & fœtidis doctrinis carnalibus ac terrenis, quas discũt à Patre ipso mendaciorũ Draconte illo rufo, qui ventrem habebat fœtida huiusmodi aqua plenum, *quam misit ex ore suo tanquam flumen* (vt ait S. Ioannes) *post mulierem*, quæ Ecclesiam significabat, *vt eam faceret trahi à flumine*, & sic eam decipere & facere sibi consentire. Hac aqua nutriuntur eius Magistri, qui sunt quasi ranæ coaxantes, garrientes, tumidi, seipsos iactantes, sordidi & carnales. Quis autem nouerit damna referre quæ sapientia hæc terrena animalis & diabolica adfert mundo: cùm eos inuadit, qui iactant se esse sapientes? Dicat hoc Sãctus Apostolus Iudas Thadæus, qui horum propriates præclarè describit: hi qui sicut ranæ sunt garruli, sunt tanquam *animalia muta* ad omne quod bonum est: non enim ratione sed passione gubernabatur. nam *quæcunq; ignorant blasphemant*, & de his quæ non intelligunt, malè loquuntur. Sunt enim inuidi, sicut Cain: qui fratres suos ancipiti linguatum suarũ gladio occidunt; sunt ambitiosi & cõtentiosi

k *Apoc.* 12. 15.

in Epist. canonic. 10

sicut *Core*, dũ optimas cathedras, & maximas dignitates ambiũt, turbantes Ecclesiam & totam Rempublicam, vt eas obtineant. Sunt cupidi sicut *Balaam*, qui regem Balac peruersam docuit doctrinam propter munera, quæ ab illo accipiebat: *mirantur personas quæstus causa*, venerantur enim nimium diuites, ac potentes, eisque adulantur, tradentes doctrinas iuxta illorum palatum, propter lucrum, quod ab ipsis expectant. Ex quo fit, vt sint sicut politici approbantes, ac prædicantes doctrinam quæ Principibus placet: cum quibus mutãtur, sequentes & approbantes eorũ dictamina: ac propterea sunt sicut *nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur*. Cùm enim præferãt speciem sapientum excelsorum sicut nubes: nõ tamen continẽt aquã veræ sapientiæ: ideoq; sequuntur ventũ quemcũq; doctrinæ, quò eos ipsorũ vanitas impellit. Hi sunt *in epulis suis maculæ conuiuantes sine timore, seipsos pascentes*. Omnis enim eorũ cogitatio & studiũ est in conuiuijs, & ebrietatibus; vt seipsos pascant, suas conscientias maculẽt, & alienas multis ac grauibus peccatis. sunt *fluctus feri maris*, ob furorem & crudelitatem, quã seruant contra resistentes ipsis; *despumãtes suas cõfusiones*, verba scilicet iniuriosa, vt eos pudore afficiãt & cõfundãt. Sunt denique sicut *sidera errantia*: ostendunt enim sapientiæ splẽdorem, cùm sint erroribus pleni; errare faciant eos qui ipsos sequuntur. Tales sunt sapientes terreni, animales, ac diabolici; corrumpentes salutem, pacem, ac felicitatem Christianæ Reipublicæ; capitales hostes veræ sapientiæ desursum descendentis, quæ non terrena est, sed cœlestis non animalis, sed spiritualis; non diabolica, sed Angelica & Diuina: nunquam *abit in viam Cain*: quia l *sine fictione discitur. & sine inuidia communicatur. non effunditur mercede sicut Balaam*, sed gratis dat, quod gratis accepit: non est particeps *contradictionis Core*: quia horret tumultus, & potius impellit ad stationem & locum humilem; est nubes aquâ viuâ plena; est sidus fixũ summi splendoris; & mare ingentis immensitatis absque mutationum varietate, iuxta illud, quod Isaias prædixit futurum tempore Messiæ: quod m *terra esset repleta scientiâ Domini sicut aquæ maris operientes* eam. Denique semper est in pugna & congressu contra hostem suum, scientiam terrenam, animalem & diabolicam: mouendo & impellendo filios suos ne pacem cum illa ineant; nec eam in re vlla ad se admittant: eò quòd adeò sit astuta, & industria; vt sensim & inaduertenter illabatur; & à modico malo labatur in magnum; & à vitio in errorem; & n *Nazaræos niue* aliàs *candidiores* ob suam puritatem: *& lacte nitidiores* ob scientiam & eloquentiam; & *rubicundiores ebore antiquo*, propter charitatem; & *Saphyro pulchriores*, propter omnium virtutum ornatum: illa reddit eos carbonibus nigriores, deijciẽs illos in graues errores & peccata, nisi bene muniti sint duobus documentis magni momenti.

l *Sapient.* 7.13.

m *Isaiæ*, 11. 9.

n *Thren.* 4.7.

§. II.

PRIMVM documentum est, vt nullo respectu & casu, etiamsi doctissimi sint, aggredi audeant hæc officia & ministeria, propria sua voluntate, raptati á cupiditate, aut ambitione, aut alio fine eorum, quos sapientia terrena, animalis, ac diabolica respicit: sed expectent electionem ab ipsomet Deo, vt intelligant prius eam esse ipsius voluntatem, quàm illa aggrediantur: & tunc ea exerceant ad eiusdem Domini gloriam, & bonum proximorum. NEC tamen prohibentur secundo loco respicere ad aliqua bona temporalia, tanquam necessaria ad vitam sustentandam. Quando tamē officia & ministeria sunt magis spiritualia, debent esse magis liberi & expediti à quærendis temporalibus cómodis, & illa acceptare eo solo nomine, quòd intelligant Deum id velle. Cuius rei præcipua rario est, quòd prouidētia Diuina sēper adest, adiuuat, protegit, ac tuetur, acceptātes hæc officia, sequentes directionem, quam ipse Deus sua vocatione & electione ostendit, iuxta illud Isaiæ de Christo Domino nostro quà erat homo, & cæteris Prædicatoribus eius Ministris a *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris mea recordatus est nominis mei, & posuit os meum quasi gladium acutum: in vmbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me.* Quibus verbis delineatum ac depictum est munus Magistrorum ac Prædicatorum Apostolicorum; protectio & cura, quam Deus gerit eorum: eius origo, quæ est æterna electio, & specialis vocatio; qua illos vocat, & ad hoc munus designat, memor eorum ab ipso vtero matris eorum. Ex tūc enim incipit illos disponere & exornare talentis ac dotibus naturalibus, quas eis cōmunicat in ordine ad eum finem, ad quem eos eligit; & suo tempore ipsemet eos in eo officio collocat: vt scilicet sint gladij & sagittę Dei. Gladius ferit propè; sagitta iacitur, vt feriat remotos; gladius semper est in manu, sagitta discedit ab ea: vtrumque tamē est sub diuina protectione. Eorum ora sunt gladius acutus: prædicant enim verbum Dei, quod Apostolo teste, est instar b *gladij ancipitis*: diuidit enim ac penetrat corda hominum: Deus tamen est qui regit illud, ac dirigit: ne ab scopo suo aberret. hoc enim significat cùm dicit: *sub vmbra manus suæ protexit me*: quasi dixerit: impossuit me quasi gladium in vaginam, & appendit ad latus suum in cingulo, quasi vmbram brachio suo super me efficiens: vt in promptu & ad nutum me haberet, vt eximeret me è vagina, quando opus esset, prædicatione mea pugnare. Specialem enim gerit prouidentiam eorū, quos eligit in Magistros & Prædicatores: suggerēs eis ad tempus recollectionē vt aciem spiritus conseruent; ad tempus verò iubens exire ad prædicandum proximis. Et vtroque tēpore vmbram eis facit manu suæ omnipotentiæ. Ita vt neque ipsi aliquid amittant, eò quòd exeant ad prædicationem

Prædicatorum munus

a *Isai.* 49. 1.

b *Heb.* 4. 12.

onem; neque prædicando ita incautè feriant, vt noceant. Idem amplius explicat similitudine *sagittæ*, quam vocat *electæ*: nõ enim ipsi Ministri seipsos fecerunt sagittas, neque sponte sua officium illud obierunt: sed ipse Deus eos ad illud elegit. suaque gratiâ aptauit, apponens sagittę duas pẽnulas, quibus volet, & festinet, quò illam iacit sagittarius. Quæ pennulæ sunt scientia, & virtus; sapientia, & sanctitas. Habet verò sagitta etiã cuspidem chalybeam, hoc est zelum salutis animarum. Has sagittas abscondit Deus in pharetra sua, vbi eas custodit, & curam earum gerit, dans eis propensionem ad recollectionem cordis sui, vitamque ducendam in abscondito intra Deum ipsum cum Christo filio eius. Et suo etiam tempore eisdem dat animum, & propensionem, iacitque eas in mundum ad varia ac distantia loca, vt animabus infligant vulnera charitatis. Sed quemadmodum sagittarius, postquam sagittam iecit in feram vt eam traijceret; sagittæ tamen non obliuiscitur: sed eam quærit, reponit in sua pharetra, vt alium & alios iactus facere possit: ita Deus non deponit curam Prædicatorum, qui ad sua ministeria exercenda prodierunt; sed semper eos protegit, & reducit ad se, absq; ipsorum damno. Iucundam hanc & suauem Dei prouidentiam fugiunt, eaque indignos se reddunt qui ad hęc munia accedunt electione propriæ voluntatis terrenæ, animalis, ac diabolicæ; non enim Deus tales gladios accipit sub vmbram & protectionẽ manus suæ; nec sagittas, quas ipse non elegit, ponit in pharetra sua, in qua suas ille seruat. Ac proinde mirum non est, si hebetentur, & corrumpantur, & fiant gladij ac sagittæ Sathanæ, eiusque instrumenta in perditionem multorum. Cùm multi eorum in particulari indigni sint officio, quod quærunt & acceptant: quia non habent dotes ad id sufficientes: sed illud quærunt propter aliquod lucrum, aut honorem, quo ad id impelluntur. quamobrem S. Iacobus Apostolus suadet, ne contendatis, sicut multi contendunt, vt sint Magistri ac Doctores & Prędicatores, non tam attendentes ad sufficientiam & qualitates requisitas, quàm ad ipsius Magisterij honorem: c *scientes quoniam maius iudicium sumitis*: tum, quòd officium accipiatis, quo digni non estis: tum ob rationem, quam reddituri estis de eo; ac discipulis, quorum sumitis curam. Habet verò magnam emphasim verbum illud: *nolite plures Magistri fieri*: suadet enim ne fiatis Magistri sicut multi fiunt; insinuans plurimos esse, qui Magistri fiant per ambitionem, & propriam voluntatem, & ob fines aliquos terrenos: paucos verò purè accedere, & ingredi per portam diuinæ voluntatis, seruantes documenta & regulas circa huiusmodi electiones positas in primo tomo, & inferius ponendas, cùm agemus de Prælatis.

c *Iacob.* 3. 1.

Tract. 1. c. 5. 6.

Hoc documento præmisso accedit secundum magni momenti: Ne qui ad hæc ministeria per electionem Dei accesserunt, etiamsi Sapientes 2

sint, ac Sancti, securos se reputent: nam si negligant quod facere tenentur & aditum aliquē dent superbiæ, ac reliquis finibus terrenis, sensualibus, ac diabolicis: desereret illos Deus, & remouebit à se talem gladiū & sagittam in pœnam talis negligentiæ: quemadmodum euenit sapienti illi, cui dixit Ezech. d *tu cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei*: sapientiâ tuâ multos protegebas; qui tamen postea ob suam superbiam perijt, vt postea dicemus. Sed distinctiùs hoc dixit Christus Dominus noster suis discipulis, cùm dixit: *vos estis Sal terræ*, nam statim adiecit tremēdam illam sententiam: e *quod si Sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* In quibus verbis eos monuit (vt perpendit S. Hilarius) quòd natura sua essent mutabiles; ac proinde amittere possent sapientiam, & sanctitatem; & Grecus textus habet: *si sal infatuatum fuerit*; quasi dicat: si ex sapientibus fatui efficiamini, & ex bonis mali: amittentes saporem, discretionem, & sapientiam cœlestem, quam habebatis. Nullus enim est homo adeò Sanctus & sapiens, vt non possit mutari in hac vita; & quamuis sit lux mundi, conuerti in tenebras; & si sit ciuitas supra montem posita, potest destrui, & vsque ad fundamenta dijci; & si est lucerna super candelabrum posita, potest extingui, & non præbere lumen domui suæ sed fumum, quo tota excæcetur, & torqueatur. Quid autem hinc sequetur, nisi tria ingenta damna & pericula? *Primum* est, quòd si sal saporem suum amittat, non sit qui possit illum reparare. Eò quòd errores & peccata eius, iusto Dei iudicio, eò perueniunt, vt corrigi non possit: quia enim iactat se esse sapientē, nō vult ab alijs doceri; neq; est qui eū docere audeat, & corrigere. Et vt S. Hieron. ait: *si Doctor errauerit, quo alio doctore emendabitur?* eius enim superbia non vult emendationem admittere. Ex quo *alterum damnum* sequitur, quod *mittetur foras*; aut ab officio Doctoris, quia Deus auferet illi officium, quo factus est indignus; aut ab ipsa domo Ecclesiæ: permittente ipso Domino, vt fidem amittat, & contra propriam matrem insurgat. Qui enim aditum præbuit sapientiæ, terrenę, animali, ac diabolicæ: non mirum est, si diuinam omnino amittat: siquidem Apostolus dixit. f *propter* auaritiam seu *cupiditatem* (quam dicit esse *radicem omnium malorum*) *quosdam errauisse à fide*; & g *qui euanuerunt in cogitationibus suis tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, & in reprobum sensum*; Et hinc *tertium* oritur detrimentum, quòd *conculcetur ab hominibus*, quia amittit honorem & opinionem apud illos: & ita ab eis tractaturiam non vt sapiens, sed vt stultus: donec tandem extra mundum imittatur in carcerem Inferni, in quo confusio & miseria erit æterna. Ac propterea conclusit Dominus, dicens: *Qui soluerit vnum de mandatis his, & docuerit sic homines: minimus vocabitur in regno cœlorum.* Nam vt S. August. explicat) contem-

d *Ezech.* 28. 14.

e *Mat.* 5. 13

Canon. 4. *in Matth.*

Ita legit S. August.

In eum locū Tom. 9. *& Glos. & S. Hilarius.*

f 1 *Tim.* 6. 10

g *Rom.* 1. 21. 24.

Lib. 1. *de Serm. Dom. in monte c.* 13. *&* 16.

netur,

netur, ac repelletur; nec partem aut locum habebit in eo Regno, in quod quicunque ingreditur, magnus est, & honore habetur. His manet satis confirmatum quod proximo cap. diximus: vt nullus audeat officium assumere *salis terræ*, nisi à Deo sit vocatus, & electus, qui illud ipsi committat: sed neque tunc securum se reputet, cernens magnum suum periculum: cuius monet ipse Saluator, vt timeatur: Sanctus enim timor maiorem efficit securitatem; neque diutius quis in munere salis persistit, quàm qui ab eo excidere timet, & recurrit ad Deum, vt ipsum conseruet.

S Chrysost. Homil. 16. in Matth.

CAPVT V.

MODESTIA, MANSVETVDO, ET PAX IN disputationibus; radices Discordiarum, & earum remedium.

STVDIVM ET EXERCITIVM OMNIVM SCIENarum, siue in Discipulis, siue in Magistris, aut in varijs Reipubl. officijs eas exercentibus, varias secum adfert disputationes ad stabiliendã veritatem. Quæ Disputationes sunt quasi pugnæ siue congressus quidam intellectuum valde contentiosi; quorum arma sunt linguæ: sagittæ ac globi, rationes, ac verba magno impetu prolata ob zelum siue iram, qua proferuntur. Ex quo magnæ oriuntur contentiones ac dissensiones. Aliquando quidem, quod quisque existimet, suam sententiam esse veram: quam cum defendit existimat se pro veritate pugnare, & obsequium se præstare Deo, dum suo resistit aduersario Quamuis autem (teste Aristo.) amicitia non exigat opinionum concordiam; & S. Thom. ait, etiam charitatem seruari cum earum diuersitate: ita vt iudiciorum diuersitas non auferat vnionem voluntatum: vt apparet in multis viris sanctis, immo & ipsis Apostolis a *Paulo & Barnaba*: Sæpius tamen inter imperfectos hæc iudiciorum contrarietas trahit secum voluntates, & ita efficit turbationem in disputationibus, & nominatim cùm accedit aliqua vanitas & superbia: vt cum quis contradicit veritati vt vicisse videatur: ideoque rationibus quas adfert, verba admiscet grauia, & minus reuerentia. Quod si cum huiusmodi superbia cupiditas etiam & ambitio coniungatur, incredibilis oritur dissensio: non solum quod suo iudicio nimium tribuat, illudque præferat alterius sententiæ; sed propter commodum aliquod, honorẽ, aut dignitatẽ, quã obtinebit, si victor euasisset credatur: vt videre licet in disputationib. inanium

Lib 4. Ethi c. 1. & 3. 2.2 q. 29. a. 3 ad 2.

b *Act. 15. 39.*

causa obtinendi cathedram aliquam, aut Canonicatum; & quas habent Iurisperiti, dum aduersarum partium causas agunt; & Medici in suis consultationibus; & Theologi in suis Actibus, & ipsi discipuli inter ipsos, & cum suis Magistris. Imo etiam inter viros Spirituales, cùm diuersa sentiunt. Nam vt ait Cassianus: quemadmodum imbecilles ac tenellos fratres ob vilem terrenamque substantiam cito inimicus disiungit: ita etiam inter spirituales gignit pro intellectuum diuersitate discordiam. Omnes huiusmodi personæ titulo & prætextu quærendi ac tuendi veritatem, sæpè solent Charitatem & Christianam pacem turbare, & conculcare, præcipitando sese propterea in grauia peccata.

collat. 16. c. 8.

§. I. *Elata ac temeraria ingenia.*

Oratio 11.

RADICES harum dissensionum, earumque remedia præclarè explicuit S. Gregorius Nazianzenus in solenni quadam oratione de hoc argumento, cuius titulus est: de modestia in disputationib. seruanda. Cùm enim ipsius tempore, occasione hæresis Arij, Ecclesia, & tota ciuitas magnis contentionibus ac discordijs ferueret ob doctrinarum varietatem & ambitionem dignitatum: ipse suggestum conscendens orationem suam cœpit, dicens: *Quid ex sermone nostro pulcherrimum, & vtilissimum? Quid verò turpissimum & damnosissimum?* vt alterum ametis, & sequamini; alterum verò horreatis & fugiatis. *Pulcherrimum & vtilissimum, pax: turpissimum & damnosissimum, discordia:* Quamuis enim multæ virtutes sint pulchræ valde, & vtiles: charitas tamen, cuius fructus est pax & concordia, omnes alias excedit, adiuuatque ad conseruationem boni communis, & omnia sanctitatis & literarum exercitiorum. Propterea enim exclamauit Dauid a. *Quam bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum!* vbi enim est vnio, effundit Deus suam benedictionem; & confœderantur simulque conueniunt sanctitas & lætitia multorũ, vt omnes perseuerent, & conseruentur. Contrà verò quamuis multa sint turpia & noxia vitia: discordiam mẽ omnia excellit: Illa enim bonum commune corrumpit, ac dissoluit: ex quo prouenit, vt etiam particulare vnicuique deficiat. Et quemadmodum concordia res paruæ crescunt, ita discordia maximæ dilabuntur; & b *omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.*

a *Psal.* 131. 1.

b *Luc.* 11. 17.

Quæ cum ita sint (ait ipse Nazianzenus) operæ precium erit examinare & constituere. *quid potissimum pacem dissoluat, & discordiam introducat:* vt illud tanquam ipsum Dæmonem fugiatis, & tanquam rem efficacem omnem pulchritudinem & vtilitatem; adferentem verò tantam turpitudinem, tantumque detrimentum horreatis: difficilè enim potest morbus plenè curari, nisi præcipua radix præscindatur, aut eidem antido-

tum

tumapplicetur, Si itaque nosse vultis hanc radicem: *turbarum causæ existunt naturæ feruidæ, & immanes*, ac temerariæ absque freno discretionis in ijs quæ dicunt, aut faciunt. Duo enim, inquit, sunt ingenia hominum, quæ per duo vitiosa extrema incedunt: inter quæ medium est tenendum laubabile & studiosum. Alia enim sunt laxa, remissa, ac mollia: quæ non aspirant ad magna aut difficilia, potius sunt pusilli animi, ac timidi ad ea aggredienda: ac propterea nec valde bona, nec valde vmquam sunt mala. *Ingenia talia*, inquit, *inualida sunt, pariterq; tam ad virtutē, quàm ad prauitatē segnia & inagilia*: sed sunt quasi aqua tepida, nec valde calida, nec valde frigida. Id tamen est in eis minus malum quod non turbāt Ecclesiam, nec religionem, aut communitatem, in qua viuunt: nec animum ad id habent, sed parum etiam illam iuuant: quia sunt (vt dixit Oseas) c *quasi columbæ non habentes cor*, nec animum ad reprehendendum, aut impediendum peccatum. Alia sunt ingenia è contra nimis feruentia, audacia, & magnanima: sed simul temeraria, præcipitia, & incauta. Quamuis autem primum horum multum conferat ad magnas virtutes consequendas: posterius tamen in horrenda vitia præcipitat. Equus enim generosus quantò est vtilior, si freno sinat se gubernari: tantò est pernicioſior, si sit effrenis. Et *ingenia generosa quæ ratio instruit ac rectè dirigit*, benè mortificata charitate, quæ sese humilitate continent, & prudentia: multa ad virtutem conferunt bona, multum lucent in Ecclesia, & Christianam Religionem illustrant. Si autem sint temeraria, eandem turbant, magnoque periculo exponunt hæresum, sectarum, litium, contentionum, & aliorum tumultuū quos efficit feruor sine discretione; & furiosa scientia sine freno mortificationis. Quamobrem hoc extremum est priori pernicioſius. Præstat enim exiguum habere ingenium, & moderatam eruditionē cum mansuetudine: quàm acutum ingeniū & multam scientiam cum tali feruore. hic enim feruor facilè in arma cōuertitur ad nocendum multis. Nā (vt S. Gregorius Papa dixit) sæpè euenit, vt multa scientia superbè se extollat ac dissoluat concordiam, & sæpè qui multum habent litterarum, minus nouerunt de pace & charitate. Huc spectat quod dixit S. Iacobus Apostolus: d *Qui sapiens & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in Mansuetudine Sapientiæ. Quod si zelum amarum habetis & contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica*, quasi illis dixerit: quoniam vestris scientijs quæritis bona terrena, sensualia, & splendida: hinc fit, vt inter vos ipsos dissentiatis, & litis ad inuicem amaro animo. Ex quibus concludit Nazianzenus, filios Ecclesiæ debere fugere hæc duo extrema vitiosa, mortificantes viriliter eorum excessus, & ex ijs aptum aliquod medium educere, in quo

c *Osea* 7. 11

3 *Pastor. admon.* 32.

d. *Iacobi* 3. 13.

virtus

virtus consistit: omittendo malum, quod vtrumque habet; & accipiendo eorundem bonum. A primis igitur, relicta laxitate & mollitie: accipiamus mansuetudinem; ab alijs verò, relicta temeritate, accipiamus generositatem & magnanimitatem. Propterea enim Spiritus sanctus, vt suprà dicebamus, venit in figura columbæ, & ignis: vt significaret suos sapientes coniũgere debere mansuetudinem cum generositate; & acutum ingenium cum modo pacifico: implentes quod dixit Christus Dominus suis Apostolis: e *habete in vobis Sal, & pacẽ habete inter vos* Sal scil. sapientiæ ac discretionis; & sal acrimoniæ & feruoris sicut ignis, cum pace tamen & mansuetudine columbina. Sal enim sine pace, non est virtutis donum, sed damnationis argumentum. Quẽadmodum enim sal moderatũ cibum condit, & bonum adfert saporem; nimium verò insipidos reddit, & rescera comburit: ita scientia & moderatum ac discretum acumen omnibus est dulce; temerarium verò & furiosum, amarum est, & suis dissensionibus omnia comburit. Nec propterea, ait S. hic Doctor, volo quenquam existimare, quòd velim disputationem prohibere; *sed immodicam fugio, & insatiabilitatem reprehendo* in contentione & dissensione: ne potius interdũ aliquid de nostro iure remittamus. ne pax & charitas detur. Quamobrem melius est interdum tacere, etiamsi propterea timidi & segnes habeamur: *malim enim ignauior, quàm curiosior haberi, si modo vitare effugere possim: moderatusq; esse & timidior, quàm audacior vocari.* hæc enim nota minus adfert detrimẽtum & periculum. Denique timenda semper est seueriſſima illa Malachiæ sententia in violatores pacis & concordiæ fraternæ: ait enim: f *disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, Magistrum & discipulum de tabernaculis Iacob, & offerentes munus Domino exercitum*, quæ sententia etsi loquatur contra omnes violantes pactum charitatis & vnionis: exprimit tamen nominatim Magistrum, ac discipulum, & Sacerdotes eò quòd eorũ cõtẽtiones valde sint pernicioſæ, cũ sint in materia Religionis; & discordia huiusmodi personarum, qui sunt ex maioribus ipsius Reip. solet esse causa, vt etiã pax lædatur inter minores & cives: quia vnusquisq; accedet ad patrem eius quem habet Magistrum & Prælatum. Sicut è contra, vnio & pax maiorum efficit, vt & minores illam teneant. Ac propterea cum Psalmista dixisset: quàm bonum esset ac iucũdum habitare fratres in vnione & concordia, adiecit hãc vnionem debere esse sicut *vnguentum* pretiosum quo vngebatur *Aaron in capite*, in quo tamen non hærebat; sed *descendebat in barbam*, etiam vsque ad *oram* vestimenti eius: ad significandum huiusmodi vnionem præcipuè debere splendere in eis qui sunt Ecclesiæ ac Reipublicæ capita; & ab eis descendere ad honoratiores & generosiores in eadem; ac denique vsq; ad infirmos ipsius Reipublicæ, qui vltimum tenent locum: vt omnes gaudeant beneficio & vita æterna, quæ ipsis ob talem vnionem est promissa.

S. Greg sup. Admo. 17.

cMatt. 9 49

Admon 22. & p. 2.

f *Malach. 2. 10. 12.*

g *Psal. 132. 3*

§. II. *Prædicta amplius explicantur ex disputatione, quæ fuit inter Iob & eius amicos.*

OMNIVM horum, quæ diximus, licet videre viuam quãdam imaginem & exẽplum in disputatione quadã omniũ, quæ in mundo fuerunt, solennissima inter Sanctum Iob & eius amicos. Ille enim manẽs in suo sterquilinio, quasi in quadam schola Theologiæ, hanc proposuit assertionem defendendam & propugnandam: aduersa quę homines patiuntur & sustinent, non semper eis prouenire propter ipsorum peccata, sed ob occulta alia Dei iudicia; & huius generis esse, quę tunc ipse tolerabat. Amici autem eius prodierunt, vt eam assertionem pallio quodam zeli, quo Dei honorem tuerentur, impugnarent. Et illorum tres seniores, seruato ordine suæ antiquitatis disputarunt, contendentes probare: Deũ semper huiusmodi aduersis premere homines, propter eorum peccata. Rationibus autem ac sententijs, quas ad id probandum adferebant, etiamsi multæ essent & graues, miscuerunt verba valde molesta, & iniuriosa in ipsum Sanctum Iob, defendentẽ veritatem & innocentiã suam admirandâ suâ prudentiâ & rationum efficacitate: quibus tribus senioribus amicis silentium imposuit, aduertentibus pondus rationũ, quibus eis respondebat. Est autem sapientum & prudentum virorum, non se ostendere repugnantes & pertinaces, sed locum dare rationi, cum eam perspicuè cernunt. Sed tunc â Eliu reliquis amicis iunior, quamuis reuerentiam suam, dum alij oppugnabant, tacendo ostendisset: videns tamen reliquos tacuisse, nec amplius Iob sententiam impugnare: magnâ superbiâ & irâ conuersus contra suos socios, eis obiecit insipientiam: & mox contra virum ipsũ Sanctũ Iob, proponens maiori efficacitate, sed simul maiori irreuerentia rationes & argumenta sua. Et quamuis bis, terue responsionem ad suas rationes expectaret, Sanctus tamen vir tacuit semper, nec verbum ei respondit; sed exercuit suam patientiam, reddens pro responso suum silentium: quod aliquando est optimum genus respondendi. Deus autem Dominus noster, qui disputationi inuisibiliter assistebat, voluit illam turbine quodam horrendo decidere, & voce sensibili cœpit suum sermonem: & indignatus contra Eliu dixit: b *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?* Nunquid placere mihi possunt sententiæ etiam graues, si adferantur ad obscurandam veritatem, aut affligendum innocentem; aut si admisceantur verba inurbana & superba? Cùm autem Dominus dixit: *quis est iste*, eius nomine non expresso insinuauit, se neque eum nosse, neque approbare, quæ dixit; sed improbare potius, eumque damnare ob inciuilitatem magnam erga seniores: & contra innocentem adeò afflictum. Et conuersus Deus ad amicos Iob dixit: c *iratus est furor meus in vos: quoniam non estis locuti coram me recte*

a *Iob.* 32 2.

b *Iob.* 28, 2.

c *Iob.* 42 7

sicut seruus meus Iob. Quasi eis dixerit: etsi locuti estis quod rectum erat in oculis vestris, non tamen in meis erat rectum: locuti estis verbis indicio vestro bonis, quæ tamen meo iudicio talia non fuerunt; oportebat autem vos loqui rectũ *coram me*, sequentes meũ iudiciũ & non vestrum, & attendentes me esse præsentem, & audientem quæ dicebatis. Si etiam attendissetis, quòd ego sum, qui iudico & video omnia: cautiores fuissetis in vestris linguis, quasi loquentes in diuino cõspectu meo. Hæc duo sunt quæ nos in disputationibus continent; quibus deficientibus, reddimur valde effrenes: quia non bene attendimus, quid magis Deo placeat, & quid verum ac rectũ sit in eius oculis; aut quia obliuiscimur ipsum semper videre, & audire quicquid dicitur. Sed eum in hac disputatione Defendens ipse fuit ab omni culpa innocens? aut etiam ipse Sanctus Iob in aliquid impegit? etiam Dominus noster eum corripuit, & aliam cum eo inijt disputationem, ad quam eum præuenit dicens: d *accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te: & indica mihi.* Accingere se in scriptura sacra significat præparare se ad pugnam: ac propterea prouerbio dicebatur: e *ne glorietur accinctus æquè ac discinctus*: hoc est: ne qui est accinctus & paratus ad pugnam, ita se iactet & glorietur, atque is qui partà iam victoria est discinctus. Etiam accingere se significat mortificationem, non corporalem tantum, sed etiam spiritualem: de qua S. Petrus dixit: f *succincti lumbos mentis vestræ*, mortificantes scilicet linguam, iudicium, & voluntatem propriam, appetitus ac propensiones vestras. vtumque autem horum est necessarium ad aggrediendas disputationes; ita vt disputaturus præmuniat sese armis rationum: absque vlla enim præuentione non bene succedũt; neque absque mortificatione perfecta in rebus omnibus. Hac igitur præparatione præmissa, aggressus est Deus disputationem cum ipso Iob, vt aliquem eius excessum reprimeret, quem fecerat, non circa veritatem, & causæ suæ iustitiam, sed circa modum tuêdi suam innocentiã; cũ minori scilicet reuerentia quã diuinæ Maiestati, aduersitate illa ipsum visitanti, debuisset. Plus enim respexerat, vt aduersitatum suarum grauitatem, vitæque suæ innocentiam exaggeraret, quàm excessos fines, quos diuina prouidentia aduersitate illa intendebat. Sed cum ipse Sanctus Iob humilis valde esset, mox culpam suam agnouit, quæ abs erat leuis; ac dixit Domino: *Scio quia omnia potes, & nulla telatet cogitatio: quis* enim *est* adeo stultus, vt cogitet se ita occultare posse suas cogitationes & *consilia*, vt ea non comprehendat Diuina tua *scientia? Ideo teror me insipienter locutum fuisse, & quæ vltra modum excederent scientiam meam. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Qua confessione diluit omnino culpã suam, & sic manfit à parte ipsius integra totius disputationis victoria. In qua disputatione sunt ad viuum de-

d *Iob.* 40. 2

e 3 *Reg.* 20 11

f 1. *Petr.* 1. 13

Iob. 42. 2.

picta

picta tria genera peritorum & sapientum virorum: alij enim sunt humiles, ac prudentes, sicut Iob. Qui magna charitate veritatem defendunt, continentes linguam suam ne proximum offendant, etiamsi ab eis arguantur, & iniuriosis verbis lacessantur. Quod si quando tanquam homines deficiant in aliqua reuerentia, aut vrbanitate debita: statim compunguntur & Pœnitentiam agunt: qua damnũ acceptum reparant; &, quantum in ipsis est, pacem & charitatem cum omnibus seruant.

2 Alij sunt sapientes, quales fuerũt tres illi primi amici Iob, senes, prudẽtes, ac Zelantes, nonnihil tamẽ vanitatis studiosi, & humanę imbecillitati facilè succumbentes: qui interdum non satis veritatem attingunt, vt sibi persuadent; vt autem eam tueantur, quã talem esse existimant, transgrediuntur grauioribus verbis modestiæ limites; & sic pacem turbant, & cõcordiam. Qui tamen, quod non prauo animo agant, & sint dociles: cum aduertunt veritatem, tacent, seseque subijciunt, & correctionem Dei libenter acceptant, sicut tres illi viri acceptarunt. Et quemadmodum Deus eos iussit culpam suam deprecari apud sanctum Iob, ac petere, vt pro ipsis oraret, & sacrificium offerret: vt ita etiam libenter videt: vt qui in disputationibus excesserunt verbo, aut alia ratione in aliquid impingentes: sese humilient, & erroris sui culpam deprecentur, vt coram cœlesti Tribunali eis remittatur.

3 Alij tamen sunt similes *Elihu* quarto amico Iob, iuuenes excitati, audaces, nimis zelantes, & arrogantes: qui non solùm aduersarios suos turbant, contra quos disputant, sed suos etiam socios, commouendo & turbando omnes suis rationibus ac verbis, Non enim videntur tam disputare, vt de veritate statuatur; quàm vt ipsi videantur victores euasisse. Et tales esse solent valde pernicioſi; & cùm nimium adhæresçunt suo iudicio, fiunt quasi incorrigibiles. Quã ob causam, cùm Deus corripuit amicos Iob & iussit offerre Sacrificium pro suo peccato, solum *meminit trium amicorum* non autem quarti: quasi dedignaretur eum nominare, ac inter eos numerare, quibus culpam remittebat: ad insinuandam hinc incorrigibilitatem ac proteruiam huius generis peritorum, ex quo originem ducunt hæretici, alijque tumultuosi, qui Ecclesiam & Christianam Rempub. ac Religiosam perturbant: inde verò, vt intelligatur, quod licet superbia & arrogantia iuuenum peritorum reparari possit; modus tamen eam reparandi est, nihil curare ipsorum dicta, verba, & ipsosmet: vt sic eos humiliet ac mortificet, qui potest; & eos sub cura sua habeat: vt sic oculos aperiant, & suum agnoscant tumorem; & eligant in posterum sese humiliare: humilitate enim euelluntur radices omnium turbationum, vt mox videbimus; & mansuetudine ac modestiâ melius aperiuntur veritates in disputationibus. Quam ob causam Sanctus Chrysostomus in prima Homilia, quam habuit, di-

Iob. 42. 7. 9.

Tom. 5.

ſputans contra negantes Dei incomprehenſibilitatem, explicans modum ſuæ diſputationis, ait *non contra illos excandeſcemus, non animos agemus, ſed modeſtè, humanè, amiceque diſputabimus. Nihil enim manſuetudine validius, nihil modeſtiâ efficacius.* Quæ verba deberent omnino memoria retinere, & corde ſequi quicunque diſputans: perſuadentes ſibi, veritatem irâ & ſtrepitu ipſorum obſcurari; viam verò eam inueniendi, & pulam faciendi, eſſe diſputationem modeſtam, humanam, & amicam. Nihil enim eſt manſuetudine potentius, nihil modeſtiâ efficacius: & cum rationes & argumenta modeſtè ac manſuetè proponuntur, ipſamet ſtendunt vim & efficacitatem ſuam. Et ita Apoſtolus diſcipulo ſuo Timotheo ſuadet, euitare quæſtiones quæ diſſenſiones adferunt: *nam ſeruum Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati*; ſi enim talis fuerit, melius defendat veritatẽ; & cõuincet eos, qui eã intendũt obſcurare.

a *Timoth.* 2. 23.

CAPVT VI.

HVMILITAS IN RE LITERARIA EIVSQVE actus, & ratio diſcordias in diſputationibus præueniendi.

PRECIOSA HVMILITATIS GEMMA MVltum eminet inter eas, quæ viros Sapientes exornant, eò quòd etiam ſit quaſi fundamentalis lapis virtutum, ſcientiarum, & gratiarum è cœlo deſcendentium. Cuius *Prima* excellentia eſt, quod eas conſeruet, & ſtabiliat in hominibus, & Angelis: qua deficiente, cæteræ omnes euaneſcunt. vt conſtat ex eo, quod Ezechiel dixit ſapienti illi, qui ornatus fuerat nouem lapidibus pretioſis prædictis: quod poſtea deeſſet humilitas, in grauiſſima incidit mala, illis omnibus ſpoliatus. ait enim a *eleuatum eſt cor tuum in decore tuo: perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram proiecit te, &c.* Ex monte Sancto, in quem collocaueram, ne amplius pretioſis gemmis ornetis, vt antea eras ornatus. Quod ſi ſapiens ille (vt S. Gregorius ait) erat primus Angelus Lucifer, cuius ornatus erat nouẽ precioſi lapides, eò quòd ſplenderet præ omnib' nouẽ Choris Angelorũ, & haberet in ſe omniũ excellẽtias accidentis ſatis apparet quantũ detrimẽti adferat ſuperbia, vt quæ potuit tantã celſitudinem proſternere. Nam cùm ille eſſet in ſupremo Seraphinorum choro, vocatus eſt Cherubin: eò quòd pluris fecerit ſcientiã, quàm cha-

a *Ezech.* 28. 17.

Lib. 32. *moral. c.* 18.

ritatem

ntate, & euanescens ex eo quod sciebat, & habebat in se: non dilexit largitorem eius: b *Aurum* (ait Propheta) *opus decoris tui: & foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt.* præparata erant foramina, quibus pretiosi lapides imponerentur: tu autem infœlix foramina retinuisti vacua, reddens te ineptum ad virtutes conseruandas, ob superbiam ortam ex decore tuo. Hoc detrimentum euasit humilitas in reliquis Angelis, qui fuerunt constantes. Agnoscentes enim vanitatem & nihilum, quod ex seipsis habebãt, subiecerunt se Creatori, qui ipsis largitus fuerat sapientiam & reliquas gratias, quibus exornati erant: propter quam demissam subiectionem Deus gratias illas in eis conseruauit in æternum. Ac propterea Salomon dixit; c *vbi est humilitas, ibi & sapientia:* ibi enim sedem habitationis suæ habet. Adde, quòd quemadmodum humilitas sapientiam conseruat: ita sapientia, si perfecta sit, generat humilitatem: eò quòd pernitiosas deceptiones retegat, & propterea Apostolus dixit: d *si quis sibi videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, vt sit verè sapiens.*

b *vers* 13.

c *Prouerb.* 11. 2.

d 1. *Corint*

A D cuius explicationem aduertendum est: duos esse modos humilitatis circa scientias. *Altera* enim est erga Deum; *altera* erga homines, & vtriusque origo est cognitio suijpsius, adiuuante etiam vera ipsius Dei cognitione: in quibus vera consistit sapientia: & vnaquæque proprios habet actus, quibus suam ostendit perfectionem: quos etsi explicamus per modum cognitionis: omnes tamen transeunt ad effectum, hoc est ad contemptum suijpsius propter id, quod in seipso agnouit iuxta definitionem humilitatis, quam tradit S. Bernardus dicens: *Esse virtutem, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit.*

Tract. de 10 Gradib. Humilita.

§. 1. *Actus humilitatis erga Deum.*

1

HVMILITAS erga Deum in re litteraria septem continet præcipuos actus, *Primus* est, agnoscere quod omnis scientia, quam quis habet, non sit verè eius, sed donum Dei: qui scientiarum Dominus, quas distribuit hominibus; cui quisque reddere debet gratias, ob acceptam partem earum. Sed actus *secundus* pergit vlterius, quo ille agnoscit, se non habere illam á Deo, propter merita propria aut propter solam suam industriam. Quamuis enim hæc sit necessaria, quis tamen nisi solus Deus, ex mera sua gratia dedit intellectum, aptitudinem, ingenium, iudicium, memoriam, applicationem, visum & auditum, & reliqua quibus ipse industriæ innituntur? Quę nullius fuissent aliàs momenti, nisi Deus donis illis naturalibus hominẽ pręuenisset, & ornasset. Quare hic locũ habet illud Apostoli: a *quid habes, quod nõ accepisti? si autẽ accepisti quid gloriaris quasi nõ acceperis.* & adhuc amplius: b *neq; qui plãtat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Nam ad scientiam comparandam, neque aliquid est parens, qui generat; Neque Magister, qui docet:

2

a 1. *Corin.* 4. 7:

b c. 3. 7.

nisi Deus lumen dederit, quo veritatem intelligas, & compares tibi scientiam. *Tertius* humilitatis actus est, agnoscere, quòd omnis tua scientia etiamsi magna sit, si tamen cum Dei scientia comparetur, sit quasi nulla, adeoque modicum, quod scis, respectu eius, quod ignoras: vt ignorans potiùs dici possis, quàm sapiens. Quemadmodum Aethiops, etsi dentes habeat albos, non tamen dicitur ipse albus, sed niger: eò quòd eius albedo cum nigredine comparata, sit quasi nihil. Propter quam causam inter alias, Sanctus Dionysius supremam de Deo contemplationem vocat ignorantiam, tenebras, & obscuritatē: qui enim plura de Deo cognoscit, 4 ampliùs videt, infinitum esse, quod ignorat; & quasi nihil, quod nouit. Huc accedit *quartus* actus quo quis agnoscit: minus re ipsa esse quod habet, quàm se habere existimet, quoad ingenium, iudicium, & scientiam: amor enim proprius excæcat intellectum, & iudicium rerum propriarum; vt propter affectū, quod modicum est; iudicet esse multum, & ipsæ tenebræ videantur esse lumen. Quod si claris oculis videret aliorum talenta & scientias, quas antiqui Sancti habuerunt, & illustres aliqui viri præsentes habent: aduerteret modicū valde esse, quod habet; & stulti potius se reputaret, quā sapientē. Omnes hos actus recensuit magnus ille Sapiens Salomon, cum finem imposuit suo libro Prouerbiorum, dicens: c *Prouer.* 30 1. c *verba congregantis filij vomentis visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait.* Hoc est, qui plurima verba collegerat, & stupendas sentētias ore suo protulerat, ex abūdantia sapientię qua plenus erat & confortatus virtute Dei, quem secum habebat: dicere coepit: d *vers. 2.* d *stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum, non didici sapientiam, & non noui scientiam sanctorum.* Si enim ad id respicias, quod ex meipso habeo, non est nisi ignorantia; & scientia, quæ multa in me videtur, est quasi nihil haberem, si cum Dei scientia conferatur, & cum ea quam habent magni sancti; & illi nominatim, qui Deum vident. Ac propterea Ieremias dixit: e *Ierem.* 10. 14. e *stultus factus est omnis homo à scientia*, hoc est, omnis homo meritò reputatur ignorans, si cum scientia Creatoris conferatur, & cum ea quam præstantioribus creaturis largitur

5 QVINTVS humilitatis actus est, non gloriari de scientia quantūuis magna illa sit. sed parui eam facere, respectu virtutis: cum sit certum, eam apud Deum nihili fieri, nisi coniunctam habeat Sanctitatem: Nam plus f *c.* 9.23. ipse facit vnum idiotam humilem, quàm mille sapientes superbos. Hoc enim monere nos voluit, per eundem Prophetam Iremiam, dicens: f *non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, scire & nosse me: quia ego sum Dominus: qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus.* Si enim hæc desint, nihili facio scientiam nec

am, nec fortitudinem, nec diuitias quæ sunt esca superbiæ, & inanis gloriæ. Hinc prouenit *sextus* humilitatis actus, hoc est, vereri suum periculum, & exactam rationem, quam exigit Deus de scientia quam quisque habet: scriptum est enim: g *seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum eam, vapulabit multis*. His accedit *septimus* humilitatis actus, qui est repellere, quantum in se erit, dignitatem Magisterij & Doctoratus, iudicando se tali gradu indignũ: qualem se iudicabat S. Thomas, donec iussus esset accipere. Effectus enim superbiæ eorum, qui in re literaria versantur, cupere statim esse Magistros & Doctores propter honorem & gloriam sibi ex ijs prouenturam. Quales fuerunt illi, de quibus dixit Saluator, quod h *amarent primas cathedras in Synagogis, & vocari ab hominibus Rabbi*; suis autem discipulis dicebat: *vos autem nolite vocari Rabbi. vnus est enim Magister vester*, qui est Christus, in cuius comparatione nullus est hoc nomine dignus; & quamuis dignus esset, non tamen debet illud ambitiosè quærere apud homines.

6
g *Luc.* 12. 47

7
h *Matth.* 23. 6.

§. II. *Actus humilitatis erga homines.*

Veniamvs nunc ad secundam humilitatem in scientijs erga cæteros homines, quæ præuenit & auertit discordias, quarum in proximo capite fecimus mentionem. Nam, vt ait Salomon: a *inter superbos semper iurgia sunt*: humilitas autem summam efficit concordiã inter sapiẽtes, dũ heroicos & ingenuos effecit actus quos summatim recen'et in hũc finẽ S. Greg. Nazian. in homilia, cuius superiùs fecimus mentionẽ.

a *Prouerb.* 13. 10.

Pro cuius fundamento aduertit: Humilitatem duplicem habere gradum: nam quædam apparet in rebus externis, cum quis eligit sibi extremum locum, vestitum, & ornatum humilem in omnibus, quæ ad ipsius Personam & domum spectant. Et hæc plurimũ confert ad pacem & cõcordiam inter seculares seruandam; qui facilè solent propter ambitionem ac desiderium præeminentiæ in huiusmodi rebus perturbari: quæ tamen non est certum iudicium veræ virtutis: sæpe enim huiusmodi actus fiunt vana quadam ostentatione & hypocrisi. Tum autem intelligetur, an humilitas in paruis huiusmodi rebus sit vera, cum eadem ostẽditur in rebus alijs maioribus: quales sunt, quæ spectant ad intellectum, iudicium, ingenium, & scientiam, in quibus quis se alijs subijcit, & cedit: cùm enim sint dotes adeò præclaræ, & nobilitati humanæ valde propriç: quæcunque in eis humiliatio censetur esse valde heroica. *Illum*, inquit, *humilem dixerim, qui mediocriter de Deo verba facit? & alia quidem dicere, alia verò tacere nouit, in quibusdam verò ignorantiam fatetur, ac cedit sermoni illius, cui plus est concreditum, contenditque aliquem plus esse spiritualem, & in contemplatione magis profundum, &c.* In quibus verbis insinuat perfectè humilis indicia, & actus humilitatis circa scientiam. *Pri-*

Orat 11. *de Modest. in disp. habẽ da.*

1

mus

mus est, quod in sermonibus de rebus literarijs, aut diuinis loquatur parcè ac modestè: dicens quòd oportet, & interdum patienter tacendo: nam studium & propensio ad effundendum quod sentit, indicium est spiritus
b Iob 32. 18 superbi, vt videre licet in Eliu sapiente arrogante, qui de seipso dixit: b *plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus ventris mei. Ecce venter meus quasi mustum absq; spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit, loquar, & respirabo paululũ, aperiam labia mea, & respondebo & ostendam scientiam meam.* Sed latis ostẽdit superbiam suam in illa similitudine, qua vsus est. Quemadmodum enim mustum, dum fœruet, crepare facit vas in quo clausum tenetur, & ita totum effunditur: ita superbus cum loquitur, omnia quæ habet, effundit: vt appareat, quod sciat. In quo tamen non sapientem, sed stultum se
c Prouer. 29. 11. ostendit. vt enim dixit Salomon: c *totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, & reseruat in posterum.* d *Et sicut vibs patens & absq; muro ruinæ subdita: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Secundus actus
d cap. 25. 28. 2 eiusdem humilitatis est, confiteri in aliquibus rebus suam ignorantiam, nec dedignari dicere: se ignorare aliquid de quo interrogatur, dissimulare, aut agit. Cùm sit certum, quòd non omnia sciat: qui autem nescit, & vtitur dissimulatione, vt id non aduertatur, indicium dat, quod sit superbus, timeatque pudorem ex sua ignorantia. Elisæus, etiamsi tantus esset Propheta, cui Deus plurima arcana reuelabat: cum tamen ei non apparuisset mortem filij hospitis suæ, sponte suam ignorantiam est professus, dicens: e *Dominus celauit à me, & non iudicauit mihi.* Huic actui affinis est alius
3 e 4 Reg 4. 27. quo quis fatetur errores & ignorantias, in quas est lapsus in materia scientiarum. In quo actu splenduit heroica humilitas Sancti Augustini, cum fecit suos libros Retractionum; in quibus se non minus humilẽ ostendit quàm sapientem, siquidem confessus est, se errasse suamque deceptionẽ deprehendisse: Diabolica enim est superbia, quòd qui errat, suumq; deprehendit errorem, non velit illum retractare, ne conceptam de se opinionem amittat. Cum tamen in hac ipsa re multò magis illam amittat. Sapientum enim est, consilium, & iudicium mutare, qui autem mutat, iudicium præbet, se priùs non rectè sensisse. *Quartus* actus est, existimare
4 alios esse se sapientiores, prudentiores, magisque spirituales; & libenter subijcere aliorum iudicio suum, & interrogare eos, quod ipse nescit, vt ipsum doceant; & cum eis conferre, eorumque iudicium petere, & lubenter ãplecti. Et maior est humilitas, si qui sapiẽtior est, aliquid interroget minus sapientẽ; & qui senior est, iuniorem: interdum enim qui minor est
f. Si habes 24. 44. assequitur aliquid particulare, quod maior non est assecutus, Ac propterea humilis Sanctus Augustinus (vt refertur in Decreto) dicebat *se senem Episcopum paratum esse doceri ab Episcopo necdũ annículo* & iuniore. Sed magis adhuc esset heroica humilitas, si sciens aliquid, dissimulatã suã scientia

illud

illud ab alio quæreret, & cum eo consultaret: nihili faciens, quod habeatur ignorans: quemadmodum fecit Saluator noster, qui cum omnia sciret: f *sedebat in medio doctorũ interrogans eos. Quintus* actus humilitatis est, non contendere aut repugnare ob inanem gloriam, nec vt videatur victor euasisse, sed vt Apostolus dixit: g *in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*; nec pergentes in contentione, etiamsi inferiores, & victi videantur. *Turpe enim est* ait Nazianzenus, *quòd quis se humiliet in vestitu cilicio, & habitu Religioso: & tamen in disputationibus cunctis se præferat hominibus ac plenè imperatorum tyrannum agat, nullique omninò cedat, & supercilium vltra omnes legis doctores attollat, vocent tyrannicè cum cæteris agere, vt ipsius seqãtur iudicium ac doctrinæ consentiant.* Ex quo *alius* oritur superbiæ actus, cui fortiter repugnat humilitas. Superbus enim sollicitè inuigilat, vt nouas & inauditas adinueniat opiniones: vt sapientis nomen apud alios homines obtineat: quasi dedignatus veritates antiquas sequi, & vias à maioribus tritas tenere: sed volens limites transire à Patribus nostris & Ecclesiæ Doctoribus constitutos: idq́; magno cum periculo incidendi in graues illusiones, & errores, vt fusiùs dictum est Tomo 2. Qui autem humilis est, libenter tenet viam regiam, & communem Doctorum: ac proinde suspectas habet proprias inuentiones, si ab antiquis recedant: & satis existimat se sciturum, si assequatur quod illi sciuerunt & tradiderunt; & potiùs vult Prædecessorum esse discipulus, quàm nouitatum Magister pro suis successoribus.

f Luc. 2. 46.
5
g Philip. 23.
6
Tract. 1. c 15

Septimvs actus est, ita probabiles suas opiniones sequi vt non contemnat sequentes contrarias; neq; eos damnet tanquam ignorantes, aut temerarios, sed permittat vnumquemq; suum sequi iudicium ac sensum; etiamsi proprio ipsius aduersum in rebus, quæ non sunt apertæ ac certò contra fidem, aut bonos mores. in hoc enim sensu dixit Apostolus: h *qui manducat, non manducantem non spernat; & qui non manducat, manducantem non iudicet: sed vnusquisque in suo sensu abundet*, ita tamen vt alteri non noceat: voluit enim Apostolus dicere, vt explicat S. Thomas: qui existimat licitum esse manducare de omnibus cibis in antiqua lege prohibitis, eò quòd illa iam cessauerit: sequatur suum iudicium & opinionem; nec tamen contemnat, aut condemnet alterum aliter sentientem. Qui autem asserit non esse comedendos tales cibos, ne debiles scandalizentur, non condemnet alterum, nec eum iudicet ignorantem, aut incautum: est enim superbia temeraria ita pertinaciter suæ adhærere opinioni: vt condemnet non sequentes eam. Nam quod vni rerum videtur; alteri videtur falsum propter aliam rationem æquè probabilem, atque est ipsius. Ac proinde non decet alium contemnere, sicut nec ipse contemni vellet; sed sinat eum sequi suum sensum: dum non constat certò eum esse falsum

7
h Rom. 14. 35.

Et hac ratione etiã cum diuersitate iudiciorum conseruari potest, vt iam diximus, vnio voluntatum, & pax quæ fructus est charitatis, & amicitiæ Christianæ. Ex omnib. prædictis facilè apparet veritas illius Apostoli sententiæ, qua dixit: 1 *scientia inflat, charitas verò ædificat*; Quomodo autem ædificat? iacto profundo humilitatis fundamento, proijciendo ex corde omnem vanitatis ventum, quem sola scientia solet excitare. Et super hoc fundamentum exurgit ædificium omnium ministeriorum, quibus eruditio litteraria est vsui: quia charitas simul vtitur scientijs & virtutibus. In quem sensum dixit etiam S. Augustinus: Quid ergo? scientiam fugere debetis, & electuri estis nihil scire, potiùs quàm inflari? vt quid vobis loquimur, si melior est ignorãtia, quam scientia &c. Ergo amate scientiã, sed anteponite charitatem. Ibi inflat scientia, vbi charitas nõ ædificat, vbi autẽ ædificat, solidata est. Quasi dixerit: nõ est deserẽda scientia ob timorẽ vanitatis, cũ sciẽtia sit melior, quã ignorãtia: sed amãda est scientia pluris tamẽ faciẽda charitas: nisi enim hęc ædificet, illa inflat; si aũt charitas ædificat sciẽtia erit solida innixa firmo humiliatis fundamẽto. Et scribens idẽ sanctus ad Dioscorũ hominẽ curiosum, ac deditũ studijs Philosophorum, concludit: viam assequendi veritatẽ & sapientiam cœlestẽ: esse humilitatem: & secundò dico, esse humilitatem, & tertio: etiam esse humilitatem: & si millies de hac via interroger, semper dicam, esse humilitatem: nisi enim illa præcedat, comitetur, & sequatur bona nostra opera, superbia, quæ eius est hostis, omnia corrumpit ac destruit: ideoque scientia sine humilitate est vana curiositas. Alios huius virtutis magis peculiares actus ponemus inferius capite 11. eò quòd magis propriè spectent ad Prædicatores.

1 *Corin.* 8. 1

Serm. 53. *de verbis Domini* Tomo 10.

" " " "

Epist. 59.

CAPVT VII.

DE VERITATE AC DOCTRINA, ET MODO EAM tradendi; qui in Magisterio Christi Domini nostri praluxit & qua ratione cæteri Magistri ac Prædicatores in hoc debeant illum imitari

a *Isaiæ* 30 20.
b *c.* 55 4.
c *Ioel.* 2 28.
d *Ioan.* 18. 37

VNVM EX PRAECIPVIS OFFICIIS, QVAE PROPHETAE Christo Seruatori nostro attribuerunt, fuit Magistri & a *Præceptorũ hominum*, & b *gentium*, ac c *Doctorũ Iustitiæ* quia venit in mundum vt eam eminenter doceret, & d *testimonium perhiberet veritati*: quæ obscurata valde erat & oppressa in terra. Qui cum esset sapientia infinita, cum tanta excellentia officium hoc præsti-

rit, tam

tit, tam quoad ipsam doctrinam quam docuit; quàm quoad modum eam docendi: vt sibi soli reseruauerit hoc nomen, cum suis discipulis dixit e *Magister vester vnus est Christus*: in cuius pectore cũ infinita præstantia sculpta fuit solennis illa inscriptio: f *doctrina & veritas*: quã antiquus Sũmus Sacerdos gestabat in suo pectorali, quod vocabatur *Rationale iudicij* quod erat circumdatum duodecim preciosis lapidibus: quia non potest cogitari doctrina & veritas, quæ cum illa, quam ipse habuit, conferri possit: eò quòd illa sit excellentissima, sanctissima, vtilissima, ac certissima omnium quæ cogitari possunt. Modus etiam, quo illam docuit, fuit præstantissimus, suauissimus, efficacissimus, ac potentissimus omnium, qui vnquam in mundo fuerunt: quod significabant lapides preciosissimi, qui diuinum eius pectus exornabant: neque erant sicut lapides illi cherubini, qui tantùm erant nouem, qui numerus est imperfectus: nam omnis doctrina, & virtus puratum Creaturarum est limitata & imperfecta, si cum ea, quam ille habet, conferatur: sed erant duodecim lapides, qui numerus est perfectionis g *In eo* enim *erant* (vt Apostolus dixit) *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei abscónditi*, cum omnibus gratijs ac donis supernaturalibus & cum ampliſſima potestate ea communicãdi & tradendi optimo modo, qui illi videretur.

e *Matth* 23. 10.
f *Exod* 28. 30.
g *Coloss*. 2. 3

§. I.

S Thom. 3. *p q*. 43. *a*. 4

QVEM in finem voluit ipse Christus D. N. confirmare doctrinam suam, eiusque opinionem magnam & egregiã apud homines reddere duabus admirandis vijs. *Prima* fuit per talia miracula ac prodigia, quæ certum reddebant testimonium veritatis & excellentiæ doctrinæ ipsius, iuxta illud quod ipsemet Christus dixit: a *opera quæ ego facio testimonium perhibent de me; & iterum*: b *si mihi non vultis credere, operibus credite*. Quæ opera fuerũt innumera erga oẽs creaturas, cœlestes ac terrenas quas tamẽ possumus ad duodecim genera reducere, quę tanquã duodecim preciosissimi & ingentis splendoris lapides exornabãt veritatem & doctrinam, quam ipse prædicabat. *Primum* opus fuit circa substantias spirituales: nam effecit, vt Angeli è cœlo descenderent, sicut factum est in ipsius Natali, ac resurrectione cum ingenti splendore, canticisque lætitię: expulit dæmones ex hominum corporibus cum magno imperio, in despectum ipsorum, & reparauit omnia dãna quæ illis intulissent. *Secundum* opus fuit circa ipsos cœlos, cùm in ipsius passione c *obscuratus est Sol, & tenebræ factæ sunt in vniuersa terra*: & in ipso Baptismo fuit etiam aliud prodigium, quod Euãgelista exponit cum dicit d *apertos fuisse cœlos*, cum *descendit Spiritus Sanctus sicut columba, & venit super eum & vox de cœlis audita est*. *Tertium* fuit circa elementa, cùm imperauit e *mari & ventis quiescere*; & f *ambulauit super aquas*, nec mersus est; & g *terra ipsa mota est* in ipsius pas-

a *Ioan*. 5. 37.
b *c*. 3. 8.

1
S Thom. 3. *p*. *q*. 44.

2
c *Luc*. 23. 44. & *Matth*. 27. 45
d *Matth*. 3. 6.

3
e *c*. 8. 26.

4 sione, & petræ scissæ sunt, & monumẽta aperta. *Quartum* fuit circa mixta insensibilia: conuertens h *aquam in vinum*, & i *multiplicans quinq; aut septem panes, vt pasceret aliquot millia hominum*. *Quintum* circa plantas, cum maledixit ficulneæ, quæ arefecta est continuo. *Sextum* circa pisces, cùm fecit vt bis Petrus plurimos piscaretur, vbi prius nulli erant; & iterum hamo iussus est capere piscem, in cuius ore inuenturus esset staterem. *Septimum* fuit circa humana corpora varijs morbis afflicta; sanauit enim cæcos, mutos, claudos, Paralyticos ac Leprosos. *Octauum* circa mortuos, quos resuscitauit educens viuum Lazarum ex sepulchro ligatum pedes & manus institis: in quo genere suprcmum miraculorum fuit, quod seipsum, postquam fuisset in cruce mortuus, ac sepultus, resuscitauerit.

h *Ioan. 2. 8.* i *cap. 6. 11.* *Mat. 14. 19.* 5 6 7 8 9 10 11

Nonum, cũ speciali gloria glorificauit aliqua corpora, sicut & suum in die Trãsfigurationis, adducens ad se Moysem & Eliam cum magna gloria & maiestate. *Decimum* circa ipsosmet hostes suos, cùm factus inuisibilis, transibat per medium eorum; & cùm venientes ad ipsum comprehendũ, vnico solo verbo prostrauit ad terram. *Vndecimum* fuit circa animas, remittendo eis peccata, & sanando interiores infirmitates simul cũ exterioribus. Et quoniam hoc miraculum erat inuisibile, reddebat eius testimonium edens aliud visibile; sicut fecit cùm dixit Phariseis: vt sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico: *surge, tolle l. ctum tuum, & vade in domum tuam*. *Vltimum* opus fuit, quod in momento mutaret spiritum hominis, illustrans eius intellectum, & permouens voluntatem, tantum sapientiæ lumen infundens, vt relictis omnibus ipsum sequeretur. In quo opere prodigiosissingulariter eluxit Magisterium Saluatoris. Nam (vt ait S. Thomas) non solùm suam doctrinam exteriùs proponebat, sicut alij Magistri faciunt, sed etiam cum volebat, summâ efficacitate ita intellectum interiùs illustrabat: vt caperet; & conuinceretur, ac persuaderetur de veritate, quam ei proponebat.

Matt. 9. 6. 12

3 *p. q. 31. a. 1. ad 2.*

Hi fuerunt duodecim primi lapides summi splendoris, qui satis clare manifestabant veritatem & doctrinam Saluatoris: sed alteram inijt viam ad eam exornandam alijs duodecim pretiosioribus, adeòque splendentibus, vt, etiam præteritis deficientibus, sufficerent ad veritatem & doctrinam suam confirmãdam, vt ipsemet Dominus protestatus est, dicés Iudæis: *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Hoc est, aliquam excusationem suæ incredulitatis haberent: saltem ipsa ignara populi multitudo. vt autem intelligerent hæc miracula non adeò necessaria esse, vt eius doctrina sine eis digna non esset, quam ipsi reciperent: hæc verba præmisit: *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Nam ego doctrinam

Ioan. 15. 24.

Vers. 22. Ita Toletus in eum locum.

ctrinam meam eis proposui tanta efficacitate rationum, tot illustrationibus internis, & eiusmodi exẽplis puritatis & sanctitatis vitæ: vt reipsa sufficerent ad eis persuadendũ, vt eam reciperent. Nam si vita S. Ioannis Baptistæ, *nullo edito miraculo*, satis fuit ad confirmandam & stabiliendam eius prædicationem: quantò magis sufficere deberet excellentissima vita Saluatoris, in quo splenduerunt omnes virtutes in summo gradu? Et nominatim duodecim illæ quas Apostolus *fructus spiritus* appellauit: qui sunt fructus cœlestis eius doctrinæ. *Charitas* scilicet, quæ Deum diligit super omnia; & proximum, sicut ipsemet eum dilexit, exponens vitam propriam, vt ei subueniret; *Gaudium* spirituale, quod fundatur in solo Creatore, reiectis creaturis; *pax* conscientiæ, quæ innititur victoriæ passionum & cordis mundicieì; *patientia* in aduersis, ea aggrediendo, & cum adueniunt gaudendo; *benignitas*, quæ bene facit, omnibus etiam inimicis & ingratis; *bonitas* quæ se reddit amabilem ob bonam voluntatem, quam ostendit expeditam ab omni duplicitate & malitia; *longanimitas*, quæ non defatigatur tolerando & faciendo quod oportet, propter temporis diuturnitatem; *mansuetudo*, quæ iram comprimit, & hominem reddit blandum & affabilem omnibus, etiamsi ab eis ad indignationẽ prouocetur; *fides* heroica, quæ magnâ fiduciâ sperat, & aggreditur egregia facinora, & expectat diuinarum promissionum expletionem; *modestia*, quæ humiliter & grauiter moderationem adhibet in omnibus rebus hominis exteioris ad omniũ ædificationem; *continentia*, quæ abstinet â multis rebus etiam licitis, minus tamen perfectis; cohibetque propensiones & passiones suas; ac denique *castitas* Angelica, quæ in carne viuit cum puritate spiritus. In his duodecim virtutibus consistit veritas vitæ, quæ doctrinæ veritatem & celsitudinem confirmat; & preciosis hisce lapidibus adeò exornatur & splendida ac pulchra redditur: vt audientes alliciat ad accipiendam & amplectendam. Ex quibus oriebatur admirandus ille modus, quo Christus Dominus noster prædicabat ac docebat, *sicut potestatem habens* magna scilicet authoritate, & tanquam Dominus, & magna spiritûs libertate: non prætermittens dicere veritatem propter humanos respectus: quemadmodum etiam ipsius hostes fassi sunt dicentes ei: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum*: hoc est, omnibus dicis liberè quod sentis; non respiciens; diuites nè sint, an pauperes; magni, an parui; docti an idiotæ: sed quasi omnibus superior, ita loqueris.

Ioan. 10 41.

Gal. 5. 22.

Math. 7. 29

c. 22. 19

Super omnes prædictas excellentias habuit supremus noster Magister aliam valde præstantem, potestatem scilicet faciendi Magistros excellentes, qui ipsius doctrinam eodem docerent modo, quo ipse eam docebat, in quantum poterant ipsum imitati. In quem finem duodecim ele-

git Apostolus, qui fuerunt primi Magistri, ac prodicatores Euangelij, lapides preciosi & fundamentales Ecclesiæ: in quibus (vt ait S. Ioan.) *erant nomina duodecim Apostolorum Agni*; qui etiam significabantur per duodecim lapides preciosos, *qui erant in Rationali iudicij Summi Sacerdotis*, in quo erant *sculpta nomina duodecim filiorum Israël*. Noster enim Sum̃us Sacerdos Iesus, habuit illos semper sibi coniunctos & vnitos; eisq; cõmunicauit excellens suum Magisterium: vt progrederentur in opere, quod ipse inchoauerat; & post illos successerunt alij in eodem officio, fundantes (vt dixit Apostolus) doctrinam suam super *fundamentum Apostolorum, & super lapidem angularem, qui est Christus.*

Apoc. 21. 14 19.
Exod. 23. 17
Ephes. 2, 20,

§. II.

HOc exemplar, quod sibi debent ob oculos ponere omnes Magistri & prædicatores Euangelici: vt quantum fieri poterit, eis conforment: tam quoad doctrinæ substantiam, quàm quoad modum eam docendi & confirmandi, sculpentes in corde suo inscriptionem illam: *doctrina & veritas*, cum eo iudicio, ac prudentia, & modo quẽ illa exigit, & præstanti illo ornatu, quem illa habet. Pro cuius explicatione supponendum est, triplicem (vt ait S. Hieronymus) esse veritatem, vnã vitæ alteram iustitiæ, tertiam doctrinæ. *Prima* (vt ait S. Thomas) in eo consistit, vt vita conformetur cum summa veritate, quæ est Christus Dominus: conformando cogitationes, verba & opera sanctæ ipsius legi, & reliquis obligationib. statûs & officij vuiuscuiusque. Hoc enim est quod Rex Ezechias appellauit: a *ambulare in veritate coram Deo*: & idem voluit S. Ioannes, cùm dixit: b *maiorem non habeo gratiam* & gaudium, quàm *vt audiam filios meos in veritate ambulare*. conformantes vitam & mores suus veritati, quam illis prædicamus: nam qui aliter viuunt, non in veritate, sed in mendacio ambulant: degenerant enim á Fide & Religione quam profitentur; & vocantur mendaces, deceptores, aut hyprocritæ, de quibus dicitur c *quod non intrabuut in cœlum, qui faciunt mendacium*. Veritas hæc spectat vniuersim ad omnes Christianos, estque reliquarum duarum virtutum fundamentum.

1
Apud S. Thom. 2. 2. q. 2. 09 a. 3. ad 3 & a. 2. ad 2.
a *Isai. 38. 3.*
b *Ioan. Epist. 3. 4.*
c *Apoc. 21. 27. & c 22. 15.*

SECVNDA veritas, quæ dicitur IVSTITIAE, consistit in seruanda plenè iustitia erga proximos confirmando scilicet omnia sua dicta & facta cum ijs, quæ leges erga obseruanda constituunt. Et hæc magis proprie spectat ad Tribunalia Ecclesiastica & spiritualia: in quibus iudicatur & fertur sententia iuxta ea, quę intelliguntur esse vera secundum ipsas leges; nulla facta alicui iniuria, & absque acceptatione personarum nec flectendo veritatem & iustitiam ob timores aut respectus humanos. Et quoniam sacerdotes antiqui erãt iudices, ad quos populus accedebat in suis controuersijs, qui *iudicabant iudicij veritatem* cum magna puritate: vo-

2
d *Deut. 17 9.*

te: voluit Dominus noster locum illum, in quo erat illa inscriptio: *veritas & iustitia*, vocari *Rationale iudicij*, hoc est locum, in quo iudicium fit secundùm rectam rationem ac prudentiam; imitando supremum iudicem de quo dicit Apostolus: e *Scimus quoniam iudicium Dei est secundum veritatem.* ita vt nunquam eius curam deponat, sed vnicuique det quod secundùm opera sua est promeritus: & seruet leges, quas in eum finem constituit. Pertinet quoque hæc veritas ad aduocatos, qui patrocinari debent causæ, quam iudicant esse veram, ac iustam, iuxta legem iustitię: vtentes scientiâ sua ad eas non destruendas, sed defendendas; & proferentes in lucem ipsam veritatem, vt ei deferatur: propterea enim Spiritus Sanctus simul vocatur *Paracletus*, quod significat aduocatum, & spiritum veritis: vt Iurisperiti intelligant se ita debere causas suscipere, vt sint Spiritus veritatis, cui nunquam repugnent.

e *Rom.* 2.2.

3

Tertia doctrinæ veritas pertinet ad Magistros ac Doctores, qui eam alios docent. Et hæc veritas consistit in eo, vt sit ei conformis, quam dictat lumen tam naturale rationis, quàm fidei: ita vt nunquam recedat ab ijs rebus, quæ vtroque hoc lumine notæ sunt, & reuelatæ, sed in omnibus sese conformet cum ijs, quæ sérit ac docet Ecclesia Catholica, quã Apostolus f *vocat columnam & firmamentum veritatis*: quia gubernatur à Spiritu Christi, qui est veritas infallibilis & fundamentũ veritatum ac virtutũ omniũ, quas habere ac docere debẽt ipsius Doctores ac prędicatores: dicente Apostolo: g *fundamentum aliud nemo potest ponere, prater id quod positum est, quod est Iesus Christus.* Qui statim subiungit: *iustos superædificare super fundamentum hoc, aurum, argentum & lapides pretiosos.* Quod explicat S. Thomas de operibus quæ spectant ad veritatem & sanctitatem vitæ; verborum & rationum, quæ pertinẽt ad veritatem & puritatem doctrinæ: Veritas enim & bonitas vitæ in eo consistit, vt ædificetur super Christum Dominum nostrum aurum charitatis, & amoris Dei; & contemplatio diuinarum ipsius perfectionum; & argentum puritatis cõscientiæ. & meditatio verborum Dei, ac diuinorũ eius operum; & pretiosi lapides obedientię diuinis eius pręceptis, simul cũ exercitio variarũ virtutũ. Studendo in his omnibus confirmare se cũ vita ipsius Christi D.N. & igniti eius gratię & auxilio, nõ autem industrię proprię. Super idem fũdamentum collocari debet veritas doctrinæ, quam docet, reducendo eã ad tres alias res similes. Nam aurum est doctrina rerum pertinentium ad diuinitatem & Trinitatem Dei: ad magnitudinem eius perfectionum & ad mysteria sanctissimæ eius humanitatis: vt sic tradatur populo illa cognitio de qua ipse Saluator dixit: h *hæc est vita æterna: vt cognoscãt te solũ Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Argentum est doctrina, quæ interpretatur & explicat verba Dei, quæ sunt in Scriptura Sacra: tam ea

f 1. *Timot.* 3. 15.

g 1 *Cor.* 3. 1 *ibi lect.* 2.

h *Ioan.* 17. 3

quæ

quæ locutus est per vnigenitum filium suum, quàm quæ dixit per suos Prophetas, Apostolos, & Euãgelistas: de quibus dixit Dauid: i *eloquia Domini esse argentum igne examinatum septuplum*, propter puritatem & veritatem, quam continet absque vllius falsitatis, aut malitiæ admixtione, & de iusto ea docente ait Salomon: k *argentum electum lingua iusti*. eò quod magna cum sapientia & prudentia loquatur. Lapides pretiosi sunt doctrina, explicans quidquid pertinet ad Virtutes, Sacramenta, Sacrificia, Præcepta, & reliquas res, quæ sunt media necessaria aut conuenientia ad nostram salutem & perfectionem: & quemadmodum inter res corporeas aurum, argentũ, & lapides pretiosi eam habent præstantiam, & eminẽtiam, vt sint solidi, pleni, clari & splendentes iucundi, pulchri, & magni valoris apud homines: ita etiam vita ac doctrina fundanda supra fundamentum adeò excelsum & præstans, atque est Christus, debet esse solida, splendens, pulchra, valdeque preciosa: vt benè correspondeat pulchritudini & valori ipsius fundamenti, & cũ eius exemplari sese conformet.

i *Psal.* 11. 7.

k *Prou.* 10. 20.

LATET autem aliquod mysteriũ in verbo *superædificandi*, quo vsus est Apostolus, voluit enim significare, quod quẽadmodũ ędificiũ non fit ex vna aliqua re tantũ, sed ex diuersis materialibus aptatis & ordine suo collocatis: ita etiam vita iustorum, & doctrina, quam Magistri & Concionatores in Lectionibus & Concionibus suis tradunt, debet esse tanquam ędificium quoddã, non ex auro solo aut argento, aut pretiosis lapidibus, sed ex omnibus simul magno ordine ac dispositione collocatis, aptatis singulis, & eo ornamento accommodatis, quo par est: eum in modum quo dicitur in canticis, l *Murenulas aureas faciemus Sponsæ, vermiculatas argento*: coniungendo scilicet charitatem, obedientiam & doctrinam de diuinitate & humanitate, ac de operibus & virtutibus ipsius Dei: additis etiam vmbris vitiorum, & humanarum miseriarum: vt virtutes & beneficia diuina magis emineant & splendeant.

l *Cant.* 1. 11.

EX QVO fit, vt cum Magistri & Prædicatores non possint ordinariè authoritatem sibi conciliare, nec doctrinam, quam prædicant, confirmare duodecim pretiosis lapidibus miraculorum, quæ noster Saluator edidit: quia huiusmodi neque sunt nunc inter Christianos necessaria, nec omnibus facultas conceditur ea patrandi: curare debẽt eam opinionem doctrinæ suæ adferre, eamque confirmare duodecim alijs pretiosissimis virtutum lapidibus, quas ille præstitit: in quibus consistit veritas & sanctitas vitæ: imò vicem subeunt miraculorum ad authoritatem Magistro conciliandam, eiusque doctrinæ veritatem confirmandam, iuxta illud Apostoli: m *signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigijs, & virtutibus*. vbi signa sui Apostolatus vocat nõ solum signa & prodigia, sed etiam patientiam in omnibus aduersitatibus, &

m 2 *Cor.* 12. 12.

per-

persecutionibus,& opera virtutum heroicarum,quæ excedunt ipsa prodigia: nam illa, etsi opinionem adferant doctrinæ, quæ traditur: non tamen semper opinionem generant ipsius,qui illa edit:cùm etiam n *improbi faciant interdum vera miracula* ad confirmandam fidem: at insignes ac excellentes virtutes vtrumque præstant, valdeque disponunt ad hoc vt Christus Dominus noster communicet sex illas diuini sui Magisterij excellentias,in quibus perfectus docendi modus consistit. Quæ excellentiæ sunt *authoritas* apud authores,ad loquendum cum eis cum potestate & superioritate: *libertas* spiritus in dicendo, quod sentit;*prudentia* & discretio in docendo vuũquęq; quæ ei conueniunt,iuxta eius capacitatem; *vis* in persuadẽdo & conuincẽdo intellectu fortissimis rationibus;*efficacitas* in permouẽdis volũtatibus,& cordib. ac deniq; *iustitia* & rectitudo in sentiẽdo & iudicãdo absque personarũ acceptione,& humanis respectib. quemadmodũ ipse Saluator dixit Pharisæis: o *quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatẽ dico vobis,quare nõ creditis mihi?* Quasi dixerit:attẽdite quod vitæ innocentia, & veritas doctrinæ authoritatem adferant Magistro,vt fides ei adhibeatur;& ex seipsis persuadent,conuincunt,& ad credendum impellunt: ita vt magna cum libertate liceat ei incredulum reprehendere. Ac propterea Apostolus scripsit discipulo suo Tito,dicens: p *in omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum,in doctrina,in integritate ingravitate?* & paulò post subiecit: *hac loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.* Virtutum enim præstantia & excellẽtia etiamsi tu sis iuuenis adfert senectutem, authoritatem,& libertatem ad hæc omnia. In quæ verba ait S. Gregorius: Apostolum non loqui de imperio, quod oritur ex superbia, sed ex bonitate & veritate vitæ ac doctrinæ:*cum imperio*,inquit,*docetur,quod prius agitur quàm dicatur*. Nam doctrinæ subtrahit fiduciam: quando conscientia præpedit linguam;nam mala conscientia hominem reddit elinguem & cor timidum. Ac propterea Redemptor noster cum summa q *potestate prædicabat*: quia ab omni peccato mundus erat,& r *potens in sermone*, quia talis etiam erat *in opere*. Hæc S. Gregorius.

n *Mat.* 12. 22.

Sex Magisterij excellentia.

o *Ioan.* 8. 46.

p *Tit.* 2. 7. 15

Lib. 23. *Moral c.* 7.

q *Mat* 7 29. r *Luc.* 14. 19

Denique cùm ad Christum D. N. pertineat(vt diximus)suprema potestas creãdi Magistros sibi similes, & qui ipsum in doctrina & modo eam tradendi imitentur: ad ipsum est recurrendum, vt vtrumque hoc largiatur, & communicet. Nam si volens ædificare arcam testamenti,& vasa Tabernaculi,vocauit & elegit artifices aptos & peritos,& de quodã illorum dixit: *s impleui eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, ad excogitandum quicquid fabrefieri potest ex auro & argento & gemmis* &c. Cui etiam assignauit alium socium eisdem donis exornatum: quantò igitur magis Christus Dominus noster, quos vocauit & elegit ad

s *Exod.* 31. 3

ſpirituale animarum ædificium fabricandum, implebit ſpiritu ſuo ac donis, quæ vocamus Sapientiam, Intellectum, & Scientiam: vt ex auro, argento, & precioſis doctrinæ ſuę lapidibus conficere poſſint ſuas conciones & exhortationes; & quicquid opus eſt ad lucrandas animas, quæ ſunt arcæ viuæ, & vaſa electa: in quibus deponit ipſe theſauros gratiæ ſuæ. De hoc enim multum gloriabatur dicens Sancto Iob: t *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiã? vel quis dedit gallo intelligentiam?* Annon ego? Per gallum autem (vt explicat S. Gregorius) intellexit Prædicatorem Euangelicum: qui dormientes & oppreſſos ſomno peccati, aut pigritiæ, excitat & ſtimulat: cui Deus largitur ſcientiam, & modum docendi ſicut oportet: vt finem conſequatur, quem intendit. *Gallo*, inquit, *intelligentia deſuper tribuitur: quia Doctori veritatis virtus diſcretionis vt nouerit quibus, quid, quando, vel quo modo inſerat, diuinitus miniſtratur*, ita hæc quatuor attendens, & accommodans: vt eius doctrina fructum auditoribus adferat. Quamuis autem quicquid diximus ſit Dei donum: ſunt tamen etiam neceſſariæ induſtriæ noſtræ, & in ſingulis rebus multæ ſunt circumſtantiæ de quibus in particulari agemus in capitibus ſequentibus.

t *Iob* 38. 36

Lib. 30. *Moral. c.* 1. *& p* 3 *Paſtoral. c.* 5. *&* 6.

CAPVT VIII.

PRVDENTIA ET DISCRETIO IN SEPARANDA Doctrina precioſa à vili, docendo & prædicando precioſam tantúm & vtilem, accommodatam capacitati & neceſſitati auditorum.

IVRE OPTIMO DEVS DOMINVS NOSTER requirit, vt doctrina & veritas, quam Magiſtri, Prædicatores, & Eccleſiæ Prælati docere debent, reponatur in tali pectore, quod poſſit appellari *Rationale iudicij* prudenti ſcil. diſcreto, & cauto, quod gubernetur à ratione & attenta conſideratione; diſcernendo inter ea quę docturum eſt, & ſeparando doctrinam veram à falſa, bonã à mala; grauem ab inani; vtilem à noxia & precioſam à vili & contempta, iuxta illud Ieremiæ: a *ſi ſeparaueris precioſum à vili, quaſi os meum eris.* Doctores & Prædicatores ſunt os Dei, per quos loquitur ipſemet Chriſtus ſpiritus Patris eius cœleſtis: & quemadmodum Chriſtus Dominus noſter, & ſpiritus Sanctus nunquam loquuntur doctrinas falſas, impias, vanas, aut impertinentes; ſed veras, ſanctas, graues, valdeque conuenientes

a *Ierem.* 1519.

uenientes iuxta ſapientiam, ſanctitatem, & amplitudinem loquentis: ita eius Prędicatores & Magiſtri nec loqui debent, nec docere, niſi quod dignum ſit quod Deus per illos loquatur, ac doceat præcipuè cùm quicquid loquendum eis eſt, fundari debeat ſupra precioſiſſimum fundamentum, quod eſt ipſe Chriſtus: ſuper quem ſolum eſt ædificandum aurum, argentum, & lapides precioſi, ſicut Apoſtolus dixit, & proximo capite retulimus: eſt enim ingenti eius prędſtantia & excellentia indignũ ædificare ſuper illud b *ligna, fœnum, & ſtipulam*; per quæ tria S. Thomas intelligit nõ ſolum peccata, quæ ex diuitiarum cupiditate, voluptatibus, vanisque honoribus proueniunt; ſed etiam viles & contemptas doctrinas, quæ aliquo modo ſunt affines ſapientiæ illi, quam ſuperiùs appellauimus *terrenam, animalem, & diabolicam*. *Ligna* cenſentur eſſe doctrina terrena, docens opiniones valde laxas in materia morum; præbendo occaſionem labendi in cupiditates, & ambitiones, ad acquirendas diuitias & honores. *Fœnum* viride, eſt doctrina iucunda, & grata appetitui carnis tendens potiùs ad placendum auribus, quam ad imprimendas veritates pluriſque facit verborum virorem, quàm ſententiarum præſtantiam: ideòque fabulas & nugas miſcet, hoc eſt figmenta rerum admirabilium, ad recreandum ſolum, abſque alio in moribus fructu. *Stipula* eſt doctrina inanis & vacua, quæ ſolum habet aliquid in ſpecie, & primo affectu, vt dicitur: quam aliqui Prędicatores miſcent cum doctrina ſolida fidei, adinuenientes explicationes ſcripturæ, ſententias & modos loquendi ex proprio iudicio, & phantaſia perturbata, quaſi ſomniante: quas tamen ſententias proponunt quaſi eſſet aurum, aut argentum, ac doctrina ipſius met Dei. Contra quos ait ipſe Dominus per Ieremiam: c *Propheta, qui habet ſomnium, narrat ſomnium: & qui habet ſermonem meũ, loquatur ſermonem meũ verè. Quid paleis ad triticũ? dicit Dominus.* Hoc eſt qui aliquam cõcepit in ſuis cogitationib. quæ ſunt tanquam ſomnia vana abſq; vlla veritate ac certitudine: quia procedũt ab alio humore aut capitis debilitate, & à cordepaſſione aliqua infecto: is inquam loquatur talia quaſi rem ſuam propriam, nec vllo modo dicat eſſe meam: qui autem ſermonem meum habet, ac doctrinam meam: loquatur & doceat illam verè, nullis admixtis fallitatibus, aut proprijs imaginationibus. Quid enim habet, quod agat palea & ſtipula cum tritico? doctrina mea eſt granum ſolidum, cibus hominum, & animarum alimentum: veſtra autem eſt palea vacua, & viride fœnum, propria eſca beſtiarum, quæ non ducuntur, niſi apprehenſionibus ſenſuũ. Cur igitur rẽ adeo vilẽ rei adeò precioſæ admiſcetis? & quod eſt merè ſomniũ cum ſolida veritate? Et quod eſt ſapientia vere cœleſtis cũ ſapiẽtia terrena & animali? Et cur audetis ſõnia veſtra quaſi veritates proponere, & ſtipulas veſtras quaſi grana? decipientes hoc modo populum

b 1. Cor. 3. 12

c Ierem. 23. 28.

lum simplicem? *Nunquid non verba mea sunt & quasi ignis, quasi malleus conterens petram?* verè enim quasi ignis illuminant & inflammant spiritum, & comburunt consumuntq; vitia & carnis passiones; & quasi malleus conterunt corda dura sicut petras; & comminuunt contritione ac dolore peccatorum. Quomodo igitur meam coniungitis cum doctrina vestra, quæ fouet carnis appetitum, & spiritum indurat? non penetrat corda, & solum hæret in auribus. Hæ sunt querelæ Domini Dei nostri contra falsos Prophetas, loquentes & prædicantes ex suo tantum capite, vt populo blandirentur. Quamuis & ipse populus particeps erat illius culpę: quia vt plurimum auersionem & odium quoddam contra veritatem habet, quæ pungit & mordet; ac proinde etiam contra ipsum Prædicatorem, eam proponentem: quia non vult audire nisi quod recreat: & magni facit diligitque Prædicatorem qui in hac re excellit, illumque ad id prouocat. Quemadmodum refert Isaias: g *qui dicunt videntibus, nolite videre; & aspicientibus: nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Ijs enim quibus ex officio suo incumbit attendere, studere, & alios docere: dicunt: ne laboretis in quærendis rebus iustis, quas nobis proponatis, sed dicite res iucundas, & quę nos recreent, etiamsi falsæ sint: non enim in eo laboramus vt sciamus: an sit verum, an falsum quod dicitis; sed: an sit nobis iucundum, aut graue, aut molestum illud audire. Potius enim volumus audire quod falsũ est, modo sit dulce ac iucundum quàm quòd est verũ, si acerbum est ac displicet. Hoc quod Isaias dixit de sui temporis auditoribus, prædixit quoque Apostolus de temporibus futuris, dicens discipulo suo Timotheo: e *erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi Magistros prurientes auribus.* Et valde propriè, & ad rem (vt aduertit S. Thomas) vsus est Apostolus verbo illo *coaceruandi* Magistros: vt significet, quod eos accipiunt absque vlla electione, quamuis improbi sint, idiotæ, & homines triuiales, ac indigni tali Magisterio: vt nunc fit apud Hæreticos, nihil aliud cogitantes, aut attendentes, nisi vt placentia ac delectantia ipsis dicantur. *A veritate*, inquit, *auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu autem Timothee, vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple:* & f *permane in ijs quæ didicisti*, & eadem doce: g *& ineptas & aniles fabulas deuita:* quasi Prædicatori dixerit: stude prudenter preciosum à vili separare; doctrinam vtilem à fabulosa; cœlestem ac diuinam à terrena, & diabolica; aurum, argentum, & lapides preciosos à lignis, fœno, & stipula. Ministerium tuum imple. sermones tuos & lectiones doctrinâ verâ solidâ vtili, valdeque preciosâ absque admixtione inanis, inutilis, & contemptibilis: sic enim eris os Dei, ac dignus Iesu Christi Minister.

d *Isai* 50. 10

e 2. *Timo.* 4. 4.

f 2. *Tim* 3. 14.

g 1. *Tim.* 4 7.

§. I. Vt-

§. I.

VLTERIVS tamen progredi debet prudentia ac discretio Magistrorum, ac Prædicatorum, vt exactè suum impleant ministerium: eò quòd doctrina ad id requisita multa complectatur: quæ deducemus ex insigni illa Seruatoris nostri parabola, qua dixit: a *omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini Patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.* In qua præsupponit quemcunq; Magistrũ ac Prædicatorẽ eruditũ & prudentẽ debere in sua memoria & intellectu depositа habere multã doctrinã & magnã copiã veritatũ, quas suo tẽpore in lucẽ proferat suáq; doceat familiam: vnusquisq; n. de ijs loquitur, quæ in corde suo tepositа habet. Et b *bonus homo de bono thesauro profert bona; & malus homo de malo thesauro profert mala.* Prædicator autẽ Apostolicus nõ malũ sed bonũ thesaurum reconditũ habere debet: propterea enim appellatur *doctus in regno cœlorum*, cuius tota doctrina est de rebus ad regnum cęlorum pertinentibus. Ex quo plurima sciri possunt ac thesaurizari, & omnia valde preciosa. Et *Primum* quidem quod ad ipsum regem spectat, qui regnum ipsum instituit, & gubernat. Deus trinus & vnus, & Iesus Christus Saluator noster. *Deinde*, quod spectat ad ipsummet regnum, quod duas habet partes: alteram magis præcipuam, quæ est congregatio Beatorum in cœlo Empyreo: & vocatur Ecclesia triumphans: quia est locus, in quo verè triumphatur & redditur præmium & merces exhibitorum obsequiorum; & corona victoriæ obtenta in certamine. Altera pars est congregatio hominum in vna fide & Christiana Religione vnitorum, quam professi sunt in Baptismo, & vocatur Ecclesia Militans: quia est locus pugnæ & certaminis contra hostes, dæmonem, mundum, & carnem. Et in hoc regno sunt leges, quibus gubernatur; sacrificia, quibus honor Deo defertur; & Sacramenta, quæ sanctificant animas. Et quoniam in eo sunt boni & mali, habet in hac vita suum Tribunal, vt de illis iudicet; & in altera erit aliud iudicium multò seuerius; & duo carceres, alter temporalis, qui dicitur Purgatorius: in quo purificantur iusti, amici Dei; alter æternus, qui dicitur Infernus: in quo puniuntur peccatores. Denique varias habet scripturas: quædam sunt quasi Annales rerũ, quæ in ipso regno euenerunt. Alię continent leges, præcepta, & cõcilia, quę seruare debent viuentes in ea; aliæ explicant quicquid pertinet ad reliqua, quæ habentur in ipso regno, ad eius pulchritudinem & perfectionem. Totum hunc doctrinę thesaurũ habere debet Magister & Predicator doctus in rebus regni cœlorum, quas Christus Dominus noster duobus illis verbis *noua & vetera* complexus est. Et quamuis (vt S. Augustinus aduertit) si temporis ordinẽ aspiciamus, prius oportuisset *antiqua* ponere, quàm *noua*: si tamen respiciamus rerum dignitatem, *noua* fuerunt præferenda: si-

a *Matt.* 13. 52.

b *Matt.* 12. 3.

lib. 12. de ciuit. c. 4.

cut etiam ea prætulit sponsa in libro Canticorum, cum suo dilecto dixit: *omnia poma noua & vetera seruaui tibi*: In modo tamen ea in lucem proferendi nullus est certus temporis ordo: interdum enim aliæ prius, interdum autem aliæ sunt proferendæ. Et hic suam prudentiam ostendit peritus, & prudens Magister in hoc regno. vocatur autem non ine *S. tiba*, vt intelligat (iuxta mentem S. Hieronymi) se debere esse quasi Notarium & Amanuensem Christi Domini nostri, quem per manum ipsius Prædicatores scribit suas veritates in cordibus fidelium. Debet tamen esse Notarius dexter ac prudens, vt eas scribat sicut oportet.

c *Cant.* 7. 13.

1 *SS. Hieronym. & Hilar. ibi. S. Aug lib. qq. in Matt.* c. 16. *Tom.* 4. *S. Greg. Homil.* 11. *in Euang.* d *Exod.* 25. 20.

ET primum per *noua & vetera* intelligunt SS. Patres quæcunque nouum & vetus Testamētum complectuntur: in quibus debet peritus Magister esse benè versatus, & reposita habere in suis thesauris. vt ea depromat in suis concionibus, nunc hæc, nunc illa; nunc ostendendo admirabilem harmoniam & cōcordiam, quam vtrumque Testamentum inter se habent: quia alterum implet, quod alterum prædixit; nam ita sibi inuicem correspondent, quēadmodum corpus & vmbra; & veritas eiusque figura. Sunt enim sicut d *duo Cherubini* cœlesti sapientia pleni, *qui cooperuebant Propitiatorium*, Christum Dominum nostrum, & *respiciebant se* mutuò summa amicitia & concordia. Quòd si in aliquo videantur dissentire in rei veritate non dissentiūt: est autē magnæ prudentiæ ea cōponere & cōcordare. Interdum cōferet res vtriusq; Testamenti ad ostēdēdā excellētiā noui supra vetus in legib. legislatorib. præmijs, sacrificijs, Sacramētis, Prędicatoribus, & locis destinatis vtriusque sectatoribus. Nam in Testamēto veteri lex erat timoris, quę nullum faciebat perfectum. Legislator Moyses, seruus in domo ipsius Dei; præmia & motiua erant bonā temporalia; sacrificia, carnalia animalium; Sacramenta, elementa inania, quæ etsi gratiam significabant, non tamen eam largiebantur; Prædicatores, Prophetæ & Sacerdotes, qui non profitebantur consilia perfectionis, nec ea populo prædicabant; locus ad quem pergebant, erat limbus quia cœli portæ non erant apertæ. Omnia hæc merito appellātur *vetera*, quia non exuebant vetustatem hominis veteris; nec iustificabant eorum Professores. Quòd si quid boni & sanctitatis habebant, id proueniebat ex virtute auctoris noui testamenti, qui fuit Christus, verus Deus & homo. Cuius lex est amoris, faciēs homines perfectos; cuius motiua sūt bona & prędmia spiritualia & ęterna; Sacrificia sunt corporis & sāguinis ipsius Saluatoris infiniti valoris & precij: Sacramenta sūt plena gratia, & dāt quod significāt, & significāt quod dant; Prædicatores fuerūt Apostoli & erūt successores, profitētes celsissimā perfectionē; locus ad quē perueniunt, est regnū cœlorū, quo fruūtur statim post mortē Quę omnia sunt noua, & renouans animas ad similitudinem noui & cœlestis hominis.

Hæc

Hæc debet primo loco in lucem proferre Magister & Prædicator Euangelicus, eò quòd sint magis conuenientia & vtilia, & felicis nostri temporis propria: quod e *multi Prophetæ & Reges & iusti* antiqui *desiderarunt videre & non viderunt*: est autem magna felicitas ea iam vidisse & populo Christiano agnoscenda proponere & explicare: vt omnes f *exuant veterem hominem*, & antiqua opera; *induant verò nouum hominem*, opera eius.

e *Luc.* 10. 24.
f *Colos.* 3 10

2

Sed quoniam in vtroq; Testamento sunt etiam aliqua scripta, quę alio nomine *noua & vetera* dici possunt. S. Gregor. ait: *noua* vocari veritates spectantes ad amorem, & spem præmiorum æternorum in cœlo; *vetera* autem illas quæ spectant ad timorem & minas. Et vtręque sunt docendę populum Christianum, sicut ipsemet Saluator noster faciebat, proponens parabolas productas ex finitis sapientię suę thesauris. vult tamen primo loco proponi præmia, tanquam propria nouæ suæ legis, quæ est amoris. Ac propterea iussit suos discipulos pro argumento ac themate suæ prædicationis accipere sententiam illam, quam & ipse acceperat: g *pœnitentiam agite, quoniam appropinquauit in vos regnum Dei* In secundo autem loco ponit minas pœnarum, quando proposita prędmia non sufficiunt. Aptè autem eis competunt nomina rerum nouarum & veterum: senectus enim est miseria, ac dispositio ad mortem, quæ fuit pœna peccati; spes autem præmij renouat, & virorem ac vigorem tribuit pugnanti, vt victor euadat.

Homil. 11. *in Euang.*

g *Matt.* 4. 17 *Luc.* 10. 9.

3

Ex quo etiam prouenit, vt per res veteres intelligantur præcepta Legis naturalis, quæ sunt antiquiora, & etiam nunc durant (nam specialia legis veteris iam cessarunt) nouæ autem dicantur præcepta Legis Euangelicæ propria. Nam hoc nomine ea appellauit ipsemet Dominus, cùm dixit: h *mandatum nouum do vobis: vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Consilia etiam perfectionis noua sunt sicut ipsa lex. Hæc omnia doceri debent ac prædicari: & quidem noua, quæ sunt Euangelij primo loco: eò quòd sint nostri statûs propria. Quemadmodum ipsemet Saluator noster fecit in sermone illo, quem habuit in monte: in quo ponebat res veteres antiquorum; & statim nouas addebat, quas ipsius discipuli seruare deberent.

h *Ioan.* 13. 34.

4

Excipiendae præterea sunt ex hoc thesauro non solum veritates nouæ supernaturales, quas Deus Ecclesiæ suæ reuelauit; sed etiam veritates antiquæ scientiarum naturalium, quas Philosophi in suis libris docuerunt. Illæ enim (vt ait S. Clemens Alexandrinus) sunt quasi alterum vetus Testamentum illis datum, vt disponerentur ad veritates fidei Catholicæ amplectendas: &, vt dictum est, multum conferunt ad explicandas & confirmandas fidei veritates, Ac propterea rationi consentaneum est, vt Magistri eas scientiarum rationibus fulciant, & sic reddant credibiliores, vt magis conuincant humanum intellectum, qui adeò delectatur.

lib. 1. *&* 6. *Stromatũ*

tur ipsis naturalibus rationibus. Nam & ipsa Scriptura sacra vtitur sæpè his rebus naturalibus ex quibus similitudines accipit, & rationes aliquas deducit in eum finem, quem intendit. vt apparet in rebus, de quibus Dominus noster locutus est ad Sanctum Iob; & ex paraboliis, quas ipsemet Christus proposuit: Nam (vt S. Thomas ait) suppositâ firmâ voluntate credendi res fidei, valde ad rem est humanas rationes adducere, quibus illę fulciantur? & vti dictis grauibusque sententijs Philosophorum gentilium, quemadmodum Apostolus aliquoties fecit; & multi sancti, quorum supra fecimus mentionem. Quamuis id totum magna prudentia, & moderatione fieri debeat, & tanqnam condimentum cibi spiritualis adhibendum in quo præcipuè apponendi sunt recentes Sacræ scripturæ cibi; parum autem ex veteribus. Ad quod significandum non volebat Deus olim offerri sibi i *mel in Sacrificijs*: quāuis permittebat offerre eius *primitias*: quod erat modicum & selectū: Per mel autem (vt ait Glossa ibi) intelligebat eloquentiam gentilium, & doctrinam Philosophorum; cuius nos debet esse magnus vsus in Concionibus, & rebus Sacris: sed modicū & selectum quid adhibendum est. tanquam mel, quod saporem aliquem adferat, palato hominum, qui huiusmodi rebus delectantur præcipue cum aliquid tali videbitur necessarium, ad aliquos valde curiosos conuincendos. Quemadmodum Apostolus accepit sententiam cuiusdam Poetæ, vt Athenienſibus persuaderet, quod docebat. Et ipse Deus consueuit in hac re accommodare se audientium dispositioni; vt cùm veritatem docuit k *Philistæos per eorum Sacerdotes & Diuinos*; & per vnam l *stellam* vocauit ad se *Magos*, qui erant Astrologi.

2.2.q.1.a.10.

Cap. 1.

i *Leuit.* 2. 11

Actuū 17. 28.

k 1. *Reg* 6. 2

l *Matt.* 2. 2.

NVLLVS tamen ex prædicta Saluatoris Parabola & sententia accipere debet occasionem cogitandi, Magistrum, & Prædicatorem debere in eo ostēdere eruditionem suam, vt non doceat solum res veteres, sed adferat res nouas, nūquam auditas, nec ab alijs propositas; aut modum adhibeat adeò nouum, vt omnibus adferat stuporem; adferendo excusationem & prętextum, quod sic oblectentur Auditores, vt maiori cum attentione audiant, quæ dicuntur. Nam (vt suprà dictum est) tales nouitates potiùs sunt effectus cordis superbi, arrogantis, & inanis gloriæ studiosi: ob honorem suum & gloriam potiùs quærētis, quàm Dei; ac proinde dedignantis proponere res antiquas, & ab alijs iam propositas: ac propterea cōtendentis vt nouas alias adinueniat, vt magnam opinionem sapientis, & docti inter homines sibi comparet. Contra quos decretum fuit in sexta Synodo, vt populus doceretur Sacram doctrinā, explicando eam iuxta sēsum Sanctorum Patrum potiùs quàm recentioribus vijs & modis. Nullus itaque decipiatur existimās, se debere ex suo thesauro proferre res nouas in hoc sensu: nam in eo potius debet proferre vetera

c. 6.

9. 19.

& iam

& iamab antiquitate comprobata, & recepta; aut talia, quæ bona ratiocinatione ab eisdem deducantur, nec eis aduersentur: modus tamen potest esse nouus, in ratione scilicet pulchrè proponendi, in feruore spiritûs & eloquentia Christiana: eum in modum quo Dauid exhortatur vt m *cantemus Domino canticum nouum.* m *Psal.* 95. 1.

§. II.

VENIAMVS nunc ad præcipuum scopum, in quem respexit Christus Dominus noster, cùm dixit *scribam doctum proferre de thesauro suo noua & vetera*: vt scilicet intelligat, debere se habere copiosam doctrinam ad vtilitatem omnium, & suam prudẽtiam ostẽdere in proponẽdo vnicuiq; quod magis ei cõuenit, iuxta eius necessitatẽ, capacitatẽ, & qualitatẽ graduum q; personę: eũ in modũ, quo in cõuiuijs varia fercula proponuntur, vt quisq; sumat cibos suo palato magis conformes. Ac propterea dixit sponsa: a *omnia poma, noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi*: vt scilicet omnes fructus recentes, & antiquos distribuerem inter fideles ad gloriam ipsius domini, qui eos mihi dedit. In hac distributione obseruãdum est. quod, vt ait S. Clemens Papa, non quælibet doctrina præponenda sit vulgò, nec proferenda sint ex thesauro omnia simul. Eorum enim multitudo, ac celsitudo aliquorum posset obruere discipulos & auditores, nisi accommodentur eorum capacitati. Ac propterea S. Iob de Deo D. N. dixit: b *qui ligat aquas in nubibus suis vt non erumpant pariter deorsum.* Nubes ait S. Gregorius esse Prædicatores & Magistros, in quibus continentur aquæ sapientiæ: de quibus dixit Salomon: c *aqua profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons sapientiæ.* Huiusmodi igitur aquæ ligatæ sunt in his nubibus, ne pariter, & omnes simul erumpãt; nec omnem scientiam, quam habent, simul effundant: ne eius immensitas aliquos debiles submerget, sed f *super eos stillando eloquium* (vt dixit Iob) vt paulatim fluens, fructum adferat, si eorum imbecillitati fuerit proportionata. Idem etiam dixit Apostolus: g *non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis* comedere. Quemadmodum igitur infantibus lac datur, adultis verò panis, etiam cum crusta: ita alia doctrina tradenda est plebi rudi, aut in virtute Tyroni; & alia hominibus acutioris ingenij, aut qui magis in virtute profecerunt. Sicut h *in mensa templi ponebantur vasa diuersa in varios vsus, phialæ, cyathi,* & similia; quædam magna, quædam parua: ita (ait idem S. Gregorius) diuersi debent esse modi prædicationis, accommodãdo mensuram aliam paruis, aliam magnis. Qui enim proponit res excedentes capacitatem auditorum, ostendit, se proprium potius honorem quærere, quàm animarum vtilitatem: & deficit in prudentia, quam habere debet fidelis rerum Dei dispensator. Vt enim

a *Cant.* 7. 13.

Epist. 3. *S. Gregorius* 2 *P. Pastoral. c.* 4.

b *Iob* 26. 8. *lib.* 17. *Moral. c.* 14.

c *Prouerb.* 18. 4.

f *Iob* 29. 22.

g 1. *Corint.* 3. 1.

h *Exodi* 27. 16

lib. 2 *Moral c.* 1.

enim ipse Saluator dixit: i *fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, dat vnicuique in tempore tritici mensuram*: hoc est mensuram doctrinæ cuius est capax; & quidem ita in tempore, vt sit ei vtilis: paruis mensuram paruam, ne nimium onerentur; maioribus maiorem, ne esuriant si minus datur. Propterea enim dixit Apostolus: i *sapientiam loquimur inter perfectos*: arcana scilicet sapientiæ Diuinæ proponimus ijs, qui iam profecerunt, & sunt eius capaces: eo quòd k *sint ablactati à lacte, & auulsi ab vberibus*: ac propterea non sit illis necessaria. suauis & mollis doctrina, sicut infantibus ob suã imperfectionem est necessaria.

i *Luc.* 12. 41
S *Greg.* 3 p *Pastor* c 5. & p. 2 c. 4.
i 1. *Corint* 2. 5.
k *Isaiæ* 28. 9
Hebræ 5. 12

2 HOC meliùs explicauit idem Dominus, cùm interrogatus: cur non curaret vt ipsius discipuli ieiunarent sicut ieiunabant discipuli S. Ioannis Baptistæ: nam vtens eadem similitudine *nouarum & veterum* rerum, respondit duabus allatis rationibus: prima fuit: l *quia Nemo*, inquit, *immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus; tollit enim plenitudinem* quam adiecerat *vestimento, & peior scissura fit. Nec mitttunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conseruantur.* Ita etiam noua legis Euangelicæ consilia, quæ magno spiritûs feruore feruent, non sunt statim proponenda imbecillibus non habentibus humeros ad tantum onus portandum; alioquin proijcient illud in terram, & despondebunt animum, tantumque concipient horrorem, vt amplius suscipere nolint. Quare magnæ est prudentiæ, doctrinæ vinum accommodare ingenio personæ illam suscepturæ: ita vt debili non proponantur magni rigores, & seueritates, nec exactę perfectiones, donec sensim crescat, & robustior euadat. Secunda ratio, quam Christus Dominus attulit, fuit: m *nemo bibens vinum vetus, statim vult nouum; dicit enim vetus melius est.* In eundem modum qui mores habet in aliquo modo vitæ imperfecto inueteratos: non statim suadendum ei est, vt eos deponat, & alios induat magnæ perfectionis: repugnabit enim talia suadenti; dicetque melius sibi esse antiquos suos mores retinere. Quare magna prudentiæ est, tempori aliquid tribuere, hominisque imbecillitati cedere: donec tantum concipiat calorem, vt nouum Euangelicorum conciliorum vinum digerere possit.

l *Matt.* 9. 17
m *Luc.* 5. 39

3 SIMILEM huic prudentiam ostendit Christus Dominus in doctrina, quam suis Apostolis tradebat: quibus nocte ipsius passionem præcedente, dixit: n *adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò; cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* Hoc enim dicere voluit: quamuis vobis prædicauerim, multamque doctrinam, valde vtilem docuerim: multa tamen alia supersunt, quæ vobis ego non dico modò: quia nunc non estis capaces; donec veniens spiritus sanctus vos præpararet, & ipsemet vos docebit, quicquid ad ve-

n *Ioan* 16 12.

stri statûs perfectionem pertinet. Est verò merito perpendendum, quod paulò ante eisdem dixerat: *o iam non dicam vos seruos, sed amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* nunc autem eis dicit: se habere adhuc multa illis dicenda. & Spiritum sanctum ea dicturum: vt ex hoc intelligatur (vt Sanctus Chrysostomus explicat) Prædicatorem & Magistrum non deesse officio suo, cùm nõ dicit omnia, quę ipse nouit, modò ea dicat, quæ discipulos & auditores scire oportet; & in diuersis temporibus potest eis diuersa dicere, vt impleat capacitatem, quam tunc habent. Et ita Seruator noster suum ostendit amorem, cùm Apostolis in schola sua Tyronibus omnia dixit, quæ à Patre suo audiuerat, non quidem omnia, nullo excepto; sed omnia quæ illo tempore eos nosse expediebat: & postea Spiritus sanctus eosdem docuit reliqua omnia, quæ eos scire opus erat: vt perfecti Magistri euaderent, quæ plura erant illis, quæ Christus eis dixerat. In qua re ait Sanctus Gregorius Nazianzenus: & illis & cæteris Magistris normam propósuit, quam tenere deberent in ijs, quæ docturi erant. *Vides illuminationes paulatim affulgentes, Theologiaq; ordinem quem nobis tenere præstiterit, vt nec repẽte atq; confestim omnia in lucem efferamus, neque in finem vsque occultemus: illud enim inconsultum, hoc impium: illud alienos offendere, atque vulnerare queat; hoc nostros à nobis alienare.* Eandem regulam proponit Origenes, dicens: Non *in initijs statim discipulis de profundis, & secretioribus tradendum est Sacramentis: sed morum correctio, disciplinæ emendatio, religiosæ conuersationis & simplicis fidei prima eis elementa tradunt.* Hæchi Doctores dicunt, damnantes eos, qui, extrema tenent, siue prędicando semper res valde subtiles, etiamsi auditorium capax non sit; prætermissa interim vsitata doctrina, quæ spectat ad morum reformationem; aut hanc communem tritamq; semper proponendo, nec suis temporibus subtiliorem & excellentiorem adferendo, etiam cùm auditores eius sunt capaces.

o *Ioan.* 15. 14.

Homil. 76. *in Ioan. & Euthym.*

Oratione 5. *Theolog.*

Homil. 5. *in Iud.*

Debet etiam prudens prędicator proferre *noua & vetera*, accommodata temporibus, in quibus concionẽ suam habet: nam in diebus solennioribus ac festiuis Christi D. N. eiusque Sanctorum, instituere debet conuiuium præcipuè ex rebus nouis, quæ prouocant ad gaudium, amorem, fiduciam, & spiritualem aspirationem, addendo aliquid de veteri, vt magis emineat excellentia nouorum. tempore autem pœnitentiæ & planctûs plura debet vetera proferre, qualia sunt nouissima, quæ excitant Dei timorem, & ad vitæ emendationem impellunt: Eum in modum, quo Ecclesia initio Aduentûs proponit vniuersale iudicium; & in ipso Quadragesimę ingressu apponit cineres, & mortis memoriam excitat. Et postea sensim inserit aliquid noui, magisque suaue. Debet igitur in hoc imitari naturalem sapientiam quam Deus *Gallo* indidit: qui, vt suprà insi-

p *Iob* 38. 36. *lib.* 30. *Mor. c.* 43. *P. Pastoral. c.* 5.

nuauimus est symbolum Prædicatorum: nam (vt Sanctus Gregorius perpendit) media nocte, cùm somnus est profundissimus, cantat, rauca sed prolixiori voce; circa tempus tamen matutinũ cantat subtiliori ac molliori. Ita Prædicator cùm sermonem habet ad plebem dormitantem, & in suis peccatis induratam, debet in initio horrenda ac tremenda proponere de morte, iudicio, & inferno, alijsque supplicijs à iustitia diuina prouenientibus: vt huiusmodi minarum tonitru eos excitet. Quando autem plus lucis acquirunt, & ad virtutem propiùs accedunt: proponere illis debet res iucundiores, ac suauiores, de virtutum pulchritudine, diuinis beneficijs, ac præmijs æternis: vt sic eius sermo conuertatur in amorem, & conuersio sit solidior, virtusque ipsa profectior.

5 IN EVM finem edidit Sanctus Gregorius tertiam Partem sui Pastoralis, in qua allegat Nazianzenum, cum quo sese conformans, ait: *pro qualitate audientium formari debet sermo doctorum: vt & sua singulis congruant, & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat:* nam, quod aliquibus prodest, potest alijs nocere; & medicamentum, quod aliquos morbos reparat, erit pro alijs noxium & venenũ. Cuius rei praxim vt tradat, proponit triginta sex documenta diuersis statibus & hominum generibus accommodata. Et tandem concludit, quòd cùm ad idem auditorium conuenire soleant homines diuersorum ingeniorum, varijsque vitijs ita laborantes, vt quod contra vnum vitium dicitur, soleat detrimentum adferre altero vitio laboranti: oportet rationes, quæ adferuntur, ita moderari, vt damnum illud perueniatur, & euitetur. Ita auaritiam reprehendendo: vt prodigus non capiat inde occasionẽ pergendi in sua prodigalitate; & ne, volens extremum vnum vitare, incidat in cõtrarium. Hoc autem fiet, si aliquid semper dixerit contra vtrumque etiamsi ex instituto de altero tantum agatur. Verbũ Dei, inquit, more gladij bicipitis incidẽtis vtraq; parte: vt sic superbis prædicetur humilitas, vt tamen timidis nõ augeatur metus; sic timidis infundatur auctoritas, vt tamen nõ crescat superbis effrenatio; sic otiosis ac torpentibus prædicetur sollicitudo boni operis, vt tamẽ inquietis immoderatæ licentia nõ augeatur actionis; sic inquietis imponatur modus, vt tamen otiosis non fiat torpor securus; sic ab impatientibus extinguatur ira, vt tamẽ remissis ac lenibus non crescat negligentia; sic lenes accendantur ad zelũ, vt tamen iracundis non addatur incendium; sic tenacibus infundatur tribuendi largitas, vt tamen prodigis effusionis frænæ minime laxentur; sic prodigis prædicetur parcitas, vt tamen tenacibus perituratum rerum custodia non augeatur; sic incontinentibus laudetur coniugium, vt tamen iam continentes non reuocentur ad luxum; sic continentibus laudetur virginitas corporis, vt tamen

P. 3. Pastor. c. 3.

im-

in coniugibus despecta non fiat fœcunditas carnis; sic laudanda sunt bona summa, ne despiciantur vltima; sic nutrienda sunt vltima, ne dum summa cere creduntur, nequaquam tendatur ad summa. Et quoniam idem homo diuersis temporibus à vitijs oppugnatur contrarijs, ab vno quidem ob eius corruptam constitutionem, & naturalẽ aliquem humorem; altero verò propter occasiones, quæ incitant ad peccatum: necesse est etiam eadem discretione ita remedium applicare: vt vitium vnum curetur, alterum non augeatur. Hoc intendit Spiritus sanctus cum ait: d *custodite & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabis, neque ad dextram neq; ad sinistram,* vt in extrema vitiosa incidatis. Et qui absque fræno declinat ad dextram, tali cautela se retrahat ad medium, vt non perueniat vsque ad extremum manus sinistræ: declarando ei, cum quo loquitur, magis ad viuum pericula viæ, in qua pergit insinuando autem pericula extremi contrarij: vt sic à via illa desistens, & retrocedens, in ipso hæreat medio

d *Deut.* 5. 32

(·:·)

CAPVT IX.

AFFECTVS DEVOTIONIS AC FERVORIS spiritus; eloquentiæ Christianæ, & studij ac diligentiæ, quam debent Prædicatores adhibere, vt hæc omnia assequantur

Lib 4. de doctr. Christ. c. 1.

DVO AIT S. AVGVSTINVS ESSE NECESSARIA Prædicatoribus & Magistris, quibus ex officio incumbit munus prædicandi doctrinã Scripturæ Sacræ: *scil. inueniendi, quæ intelligenda sunt & modum proferendæ sunt intellecta.* Primum obtinetur studio ac diligentia, de qua superiùs cap. 3. posita, & reliquis iam dictis ad bonam doctrinam seligendam, auditorio ipsi accommodatam. Secundum autem addit aliam gratiam gratis datam, cuius etiam superius fecimus mentionem: quam Apostolus appellat a *sermonem sapientiæ, & sermonem scientiæ*, ad explicandum scilicet, quod eadem sapientiâ & scientia assecuti sumus. vt enim Dauid dixit: b *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa*, vt scilicet audientium corda permoueant, & insignes vitæ mutationes efficiant: ita vt neque hostes illos impediant. c Et inquit ipse Saluator, *dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Et cùm Ieremias Propheta conqueretur, quòd d *nesciret loqui, quia puer esset: ipse Dominus misit manum suam, & tetigit os eius, ac dixit: ecce dedi verba mea in ore tuo, & constituite* vt prædices gentibus; ipsemet Saluator, quà homo erat, dixit datam sibi à Patre e *linguam eruditam*, sapientem scilicet eloquentem, dextram & potentem ad docendum, consolandum & erigendum afflictos, & peccatores conuertendos. Eandem autem linguam communicat Deus Apostolis suis, & ijs quos mittit ad vtilitatem fidelium. Cùm autem Diuina prouidentia ordinariè agat cum suauitate & cooperatione suarum creaturarum: idcò, dum hunc sermonis modum alicui concedit, solet pro fundamento accipere dona ipsius naturæ, dans ei linguam expeditam, vocem claram, & auditoribus gratam, pectus robustum, linguam elegantem, & naturalem eloquentiam, ac in loquendo facilitatem, & similes alias dotes maiores, aut minores, iuxta diuinę suæ sapientiæ concilia: supplet autem quod in his deest duabus alijs vijs, feruore scilicet spiritûs, & industrijs, vt arte & modo Christiano eloquentia perficiatur.

Cap 1. a 1. Cor. 12.

b Psal. 67. 12

c Luc. 21. 15

d Ierem 1. 9

e Isai 50. 4.

§. I. *Affectus & pium studium.*

PRIMA via est sine dubio præstantior & efficacior. Nã, vt S. Bernardus ait, feruorem deuotionis esse animæ linguam ad colloquẽdum cum Deo: nam sine Deuotione esse quasi mutã, nec scire colloqui cum verbo Diuino: ita dicere licet: feruorem spiritus, inflammatum amorem, & affectum deuotionis esse animæ linguam, ad bene prędicandum hominib. & suggerere verba dulcia feruẽtia, & elegãtia ad eos permouendos. Qua deuotione deficiente, Prędicatores manent quasi muti, & vix loqui norunt, ita vt corda permoueant. Feruentes amoris Dei, ac proximi affectus sunt quasi linguæ igneæ, in quibus spiritus Sanctus venit super Apostolos, iuxta illud Ecclesiæ in Hymno *Ignis vibrãte lumine* lin*gua figuram detulit, verbi vt essent profui, & charitate feruidi.* Et in alio dicit de hoc diuino igne: *Qui fida Christi pectora calore verbi compleat*, suggerens eis copiam verborum feruentium, & quasi ignis, accensorum. Et quemadmodum qui materiali vino inebriantur, solent esse loquaces, & eloquentes iuxta diuerbium illud: fœcundi calices, quem non fecere disertum? Ita hic certa veritas est, quòd inebriatio quæ fit hoc vino & musto Spiritus Sancti, quo fuerunt Apostoli inebriati, faciat Prædicatores eloquentes eloquentia diuina, vt stupendas faciant mutationes in Auditoribus: vt videre licet in primo sermone, quem S. Petrus habuit, quo conuertit tria millia animarum. Deficiente autem igne hoc, & calore in corde Prædicatoris, verba prodibunt valde frigida, & auditores etiam manebunt frigidi. vt enim dixit S. Gregorius: *res quæ in seipsa non arserit, alium non accendit.*

Ad hunc feruorem & igneas linguas obtinendas, necesse est rem hanc remotius inchoare: ita vt Prædicatores non sint contenti studio speculatiuo; sed alterum addant, quòd affectiuum licet appellare: & consistit non solum in assequendis veritatibus Euangelij & reliquis Diuinæ Scripturæ; sed etiam in eisdem traijciendis in ipsa animæ viscera, sculpendo in ea omnes pios illos affectus, quos ibi assequuntur. Qui duas magnas adferunt vtilitates: alteram quod plurimum conferant ad Scripturarum sensum exactius agnoscendum, & penetrandũ. Nã vt ait Cassianus: qui permotus in se est affectu quo Psalmi & reliqui Sacri libri scripti fuerunt, facile eos intelligit; & ex eo quod in corde suo experitur, facile intelligit, quod est in libro scriptum. Et S. Gregorius ait, quod quemadmodũ rotæ, quæ erant in curru Ezechielis sequebantur motum spiritũs, ita Scripturæ Sacræ sese accommodant, & motus internos sequuntur, quos Spiritus sanctus in cordibus efficit; & lectio ipsa stimulat & fouet sensum cordis; & hic vicissim lectionis intelligentiam. Et hinc altera oritur vtilitas, de qua nunc agimus, quod plurimum iuuet ad prædicandum cum

Serm. 45 in Cantic.

in Hymno laudum.

In Hymno Matutin.

li. 8. Moral. c. 28.

Collat. 10. c. 10.

Homil. 7. in Ezechiel.

spiritu

ſpiritu ac feruore, optando ſcilicet imprimere in alijs eoſdem affectus amoris, triſtitiæ, aut lætitiæ quos in ſe ſentit. Quare poſt ipſum ſtudium, quod intellectum replet veritatibus: inchoandum eſt ſtudium meditationis, quæ hos accendit affectus, expendendo tantum temporis in ea, quantum ſufficiat ad eos accendendos: & ſolicitandus eſt Dominus noſter orationibus & colloquijs, vt cum lumine ſcientiæ dignetur coniungere ignem charitatis, ac deuotionis. Hoc ait S. Gregorius ſignificaſſe Chriſtum Dominum noſtrum in illo ſigno & miraculo nuptiarum, cùm iuſſit Miniſtros *f implere ſex hydrias aquâ*, quam ipſe conuertit in vinum. Facilè enim potuiſſet ipſe Dominus vinũ in hydrijs de nouo creare; ſed id non fecit, vt ſignificaret: Miniſtros & Prædicatores ſuos primùm debere potentias & facultates ſuas implere lectione & ſtudio ſacrarũ ſcripturarum, quæ eſt aqua illa, de qua dixit Eccleſiaſticus: g *aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum*: quam ipſe poſtea miſericordia ſua conuertit in vinum cùm communicat ſẽſus ſpirituales excelſiores; excitatque affectus amoris Dei & proximi latentes in cortice hiſtoriæ ſacræ. Sed quid nobis eſt faciendum, vt Chriſtus D. N. dignetur in nobis hanc facere conuerſionem, ne in conuiuio Prædicationis & concionis deficiat vinũ, & porrigatur mera aqua? In eodem illo miraculo inſinuatur huius neceſſitatis remedium, quemadmodum enim Virgo Sanctiſſima Domina noſtra, quæ nuptijs illis interfuit, ſtatim atque vini defectum agnouit, à filio ſuo petijt, vt ſubueniret, dicens ei: *vinum non habent*: ad cuius interceſſionem ſubuenit filius neceſſitati, & vinum dedit: ita etiam exiſtimare debent Prædicatores & auditores: Virginem Sanctiſſimam eſſe primam aduocatam, & quæ neceſſitati ſpirituali, qua illi laborãt; ſubueniat: quatenus interceſſione ſua cœleſte impetrabit remediũ. Et hæc cauſa eſt, cur Catholica Eccleſia in more habeat, vt in omnibus concionibus tam ipſe Prædicator, quàm populus præmittãt Angelicam Salutationem orãtes ſupremam hanc virginem, vt velit pro omnibus orare *nunc*, ad impetrãdam partem aliquam plenitudinis gratiæ, quam illa habet. Ipſi tamen Prædicatores multò ante quàm ſuam incipiant prædicationem, debent hanc Magiſtrorum Magiſtram orare, ac ſolicitare, vt ipſis impetret ſapientiam, & eloquentiam, doctrinam & verba, & reliqua ad ſuam Concionem neceſſaria. Si enim illa ſpirituali conuiuio intererit, in quo ipſi cibũ ſumunt, hoc eſt in ſtudio meditationis & orationis aut quem alijs ipſi præbent, concione ſcilicet aut lectione; videritque deeſſe viuum, permouebitur cõpaſſione miſeriæ eorum, & orabit filium ſuum, vt eis ſubueniat, & ab ea liberet. Neque enim vacat myſterio, quod Chriſtus Dominus noſter voluerit per matrẽ ſuam ſanctificare; & h *Spiritu ſancto* ſapientiaque *replere* primum prędicatorem, qui futurus erat vox ipſius, eiuſque aduentus Pręcurſor: vt Euangelij Prædicatores intelligerent, ſe per

Homil. 6. n Ezech. ielem.
f Ioann. 2. 2.
g Eccli. 15 3
g Luc. 1. 44

merita

merita & intercessionem Virginis sanctissimæ impetraturos gratiam & donũ sapientiæ, eãq; docturos. Ad hoc autẽ maximi est momenti consilium, quod suprema hęc Magistra dedit Ministris ministrantibus ad mensam illam nuptialem. Dixit enim: *quodcunque* filius meus *dixerit vobis, facite.* & ita, iubente Christo, impleuerunt hydrias aquâ vsque ad summum: ex quibus hauserunt vinum, quod inter conuiuas distribuerunt. Ex quo discent Prædicatores, debere se omnia sua ministeria fundare in obedientia Christo Domino nostro exhibenda, & ex eius voluntate colligere scientiam studio suo, eamque in concione distribuere: tunc enim felicem habebit exitum, vt mox dicemus. Hæc tamen obedientia debet esse *vsq; ad summũ*, hoc est, vt faciant ex parte sua summum, quod possunt, in omnibus, quæ ad ipsorum officiũ spectant, iuxta illud Apostoli ad discipulum suũ Timoth. *i ministerium tuum imple*: ea scilicet plenitudine, quã illud exigit, in scientia, eloquentia, & sanctitate: & spera in diuina liberalitate, quòd si tu hac aqua ministerium impleueris, ipse Dominus eam conuertet in vinũ, addens quod defuerit, ad perfectum ministerij finem

c. 10.

i 2. *Timoth.* 4. 5.

§. II. *Superiora explicantur exemplo libri quem Ezechiel & S. Ioannes comederunt.*

Qvæ dicta sunt, amplius explicabuntur exemplo illo, quod præbuit Deus Dominus noster erga duos insignes Prædicatores, quos repleuit scientiâ rerum, quas erant prædicaturi, & cum affectibus ab eis prouenientibus. Quos iussit comedere quendam librum, in quo scriptæ erant Prophetiæ, ac veritates, quas eos docebat, vt prædicarent; eratque liber ille figura scripturę Sacrę, in qua continetur præcipua materia. quæ doceri debet & prædicari populo Christiano. Et *liber* quidem, quem vidit Ezechiel, *erat inuolutus* in modum latæ cuiusdam membranæ: quem manus quædam *euoluit*, & extendit coram ipso Propheta. Ad significandum, (vt ait S. Gregorius) Diuinam Scripturam difficilem esse, quæ intelligatur ob sententiarum profunditatem. Manus autẽ potens ipsius Dei, eam detegit & explicat suis electis. De qua etiam Scriptura intelligitur sententia illa Dauidis, qua dixit: b *Deus extendit cælum sicut pellem.* Cœlum est diuina Scriptura, in qua manet Sol Sapientiæ cœlestis; & Luna scientiæ rerum inferiorum; & stellæ virtutum exemplaque Sanctorum Patrum. Hoc cœlum euoluit Dominus noster, cùm aperit ac docet quod continet, Magistros per propriũ ipsorum studium; & reliquos fideles per eorum prædicationem. Qui *liber scriptus erat intus & foris* continet enim historiam rerum externarum, & allegoriam internarum; corticem, & spiritum; præcepta rerum, quæ præstari debent aut vitari, & promissiones rerum inuisibilium ac cœlestium; doctrinam de Deo incarnato, & facto homine visibili; doctrinam Dei immensi, & in-

a *Ezechi.* 2. 9. & c. 3. 1.

Hom. 1. 9. *in Ezechi.*

b *Ps.* 103. 3.

uisibilis. Præcipuè verò continet tria capita rerum insignium ac solennium, quas vocat *Lamentationes, & Carmen, & Væ. Lamentationes* sunt doctrina veræ pœnitentiæ, qua deflentur peccata ad obtinendam eorum veniam; etiam sunt res omnes aduersæ, & lædentes, quas Christus D. N. pro nobis est perpessus: & impellunt nos ad flendum ac lugendum, eò quòd occasionem dederimus eius doloribus. *Carmen* est doctrina rerum iucûdarum, quæ iustos exhilarant; magnalium ipsius Dei, & operum admirabilium; diuinorum beneficiorum, præmiorum æternorum, ac temporalium: quibus bona opera remunerantur. *Væ*, est doctrina horrendorũ suppliciorum, quæ Dei iustitia inferet peccatoribus in hac & in futura vita, nisi pœnitentiam agant. Ad hæc tria capita reuocantur quęcunque sunt prædicanda: ac proinde in omnibus illis debent Prædicatores esse valde exercitati: penetrantes studio suo & meditatione, quicquid de vnoquoque scriptum est intus & foris; ita vt nouerint quod ipsa historia præferat; & mysteria occulta, quæ sub ea latent. Sed quoniam non satis est scire, quocunque modo, adiecit Dominus statim, dicens Prophetæ: *fili hominis comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel.* quod idẽ est atque si ei dixisset (vt explicat S. Gregorius) *comede, & pasce, saturare, eructa; accipe, & sparge; confortare, & labora.* Quasi dicat, ob duos potissimùm fines librum hunc tibi ostendo, ac trado: ad vtilitatem scilicet tuam, & multorum aliorum: quare comede & pasce &c. Cogita studium tuum, quod Concioni præmittis, esse tanquam cibum quendam spiritualem, in quo comedas doctrinam, quam facias tibi ipsi propriam, incorporando eam tecum ad animæ tuæ sustentationem, & cordis confortationem. Ac propterea os tibi aperiendum est, vt fecit Ezechiel: ait enim: *aperui os meum, & cibauit me volumine illo.* Aperire os, est valdè seriò desiderare sapientiam, eamque feruenti oratione à Deo petere, qui potest illam dare, iuxta illud Dauidis: c *os meum aperui, & attraxi spiritum* sapientiæ. Quæ oratio ac desiderium quò fuerit feruentius, eò anima reddetur aptior ad ipsum donum suscipiendum. Desiderio enim applicat se ad labores studiorum; oratione autem obtinet, quod desiderat à manu Domini, qui dixit: d *dilata os tuum, & implebo illud*: dans intellectui tuo pastũ, & alimentum veræ doctrinæ, quam desideras: quia solis tuis viribus non poteris eam obtinere. Omnipotens Deus toties ad os cordis nostri manum porrigit, quoties nobis intellectum aperit, & cibum sacri eloquii in nostros sensus immittit. Deus, vt dixit Ecclesiasticus e *cibat nos pane vitæ & intellectus*, dãs vnicuiq; sufficientẽ portionẽ, quã illi ponit in ore, vt ea deglutiat, & ex ea accipiat nutritionem. ac propterea dixit Ezechiel: *fili hominis venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi.* quasi dixerit: non debet liber in ore manere, sed transire vsque ad

Hom. 10. in Ezechielem

c *Psal. 118, 131.*

d *Psal. 80.*

D. Gregorij.

e *Eccl. 15. 3.*

D. Gregorius.

sto-

stomachum, vt repleat omnia viscera tua. os librum comedit per lectionem, cùm legit Scripturam Sacram, & Sanctorum interpretationes; trāsit verò ad ventrem, hoc est intellectum, per meditationem & studium recollectum, cùm quod legit, intelligit, penetrat, ac sentit. Complent viscera, cùm amat, & amplectitur, & opere exequitur opera virtutum, quas meditatus est in Scripturis: cùm autem immittit in sua interiora omnes affectus, si legit, studet, aut meditatur *lamentationes* & planctus ob dolores Saluatoris: repletur affectibus lacrymarum; & ipse flens faciet etiam alios flere. Si meditatur *Cantica* aut *Væ*, implet suum spiritū affectibus lætitiæ, aut timoris; & cùm prædicat, etiam eos imprimit in auditoribus: cor enim in se commotum, etiam mouet; & tenerum emollit; ac tremens, etiam alios tremere facit; & cor accensum, alios quoque accendit.

Hoc adhuc clarius explicat Angelus, qui S. Ioanni dedit librum, vt illum deuoraret; & adiecit: f *faciet amaricari ventrem tuum.* vt prædicator Euangelicus intelligat, quòd antequam ad prædicandū accedat, debeat cor suum replere amaritudine, dolore & pœna propter propria & aliena peccata: & propter supplicia, quæ propter illa timet: debet quoque seipsum amaricare, & carnem suam pœnitentijs & asperitatibus corporalibus affligere, vt pro suis peccatis satisfaciat, & veniam pro alijs obtineat; & fauorem, quo possit illos iuuare. Præterea debet seipsum præparare ad tolerandas amaritudines, & labores, qui sunt cum ipso officio coniuncti: qui sunt satis graues. Propterea enim quando Christus D. N. librum hunc S. Paulo dedit apertum, initio suæ conuersionis excæcauit oculos corporis eius: vt meliùs posset legere & intelligere librum oculis animæ, ac dixit de illo: g *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, ratione prædicationis quam illi imponam. Et ipsa experientia docuit, quòd liber amaricasset eius cor: semper enim in spiritu affligebatur igne zeli; in corpore autem cruce mortificationum. Quemadmodum autem S. Ioannes nihil horrens amaritudines, deuorauit librum ab Angelo sibi porrectum, obediens cælesti voci dicenti sibi, vt illum ab Angelo peteret: ita prædicator Euangelicus, quem Deus elegit, & ad hoc munus vocauit, obedire debet eius diuinæ inspirationi, & acceptare quamcunque amaritudinem, & pœnam suo ministerio annexam: vt sic placeat Domino illud ipsi imponenti. Accipiens enim à Deo & Sancto eius Angelo doctrinam. eamque in cor suum immittens eo modo, quem diximus: bene collocatus censendus erit quicunque labor, quem in ea prædicanda posuerit. Præcipuè cùm Ezechieli & S. Ioanni dictum sit, quòd liber esset in ore futurus dulcis sicut mel. Quo significatur præsens auxilium, quod suauissimè largitur Prædicatoribus cum dulcedine solatiorum cœlestium, cùm obeunt munus suum sicut debent: exultāt enim

f *Apoc.* 10. 9

g *Actuum.* 9. 16.

Homil. 11. in Ezech.

cùm vident se Dei voluntatem exequi, dum prædicant; & dum videre fructum, qui in multis auditoribus prouenit. Quę tamen libri huius dulcedo in ore comedẽtis multò magis significat (vt S. Greg. ait) gratiã declarãdi Diuinas Scripturas: easq; prędicandi cũ tanta dulcedine & suauitate, vt Euãgeliũ in ore eius dulce sit sicut mel, ob dulcedinẽ & iucunditatẽ qua illud docet; eò quòd illud habeat animæ suæ infixum & impressum. Ipsi de omnipotẽte Deo sciunt suauiter loqui, qui didicerint in cordis sui visceribus veraciter amare. In eius ore Scriptura sacra dulcis est, cuius vitæ viscera mandatis eius replentur; quia ei suauis est ad loquendum, cui interiùs impressa fuerit ad viuendum.

CAPVT X.

PRAXIS CHRISTIANAE ELOQVENTIAE ex Sancto Augustino.

SVPEREST EXPLICARE, QVOD SPECTAT ad humanam industriam, vt prædicatio fiat modo conuenienti. Quod faciemus colligentes aliqua documenta ex S. Augustino in eius quarto libro de doctrina Christiana. Præsupponimus autem, eum in illo libro non intendere docere Rhetoricam more scholarum secularium; (quamuis & hæc sit vtilis) sed quod pertinet tantum ad Magistros, & Prædicatores, siue Oratores Ecclesiasticos: vt officium suum exactè, & cum excellentia præstent. Quod officium in eo consistit, vt eos doceant qui scire opus habẽt; aut si iã sciunt, vt eos moneant, & exhortentur ad amplectendum bonum, & fugiendum malum. Dando operam, vt ad vtrumq; beneuolos, attentos, ac dociles reddant auditores: ac proinde ad officium prædicatoris pertinet, ita loqui, *vt doceat, vt delectet, & flectat: docere necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victoriæ.* Docere est in primo loco tanquam dux, & complectitur quidquid est *docere bona & dedocere mala*, retegendo deceptiones, quibus aliqui sunt decepti; & resoluendo dubia eis, qui in aliquo hærent dubitantes; & amplius eos confirmantes in bono iudicio, & rationis dictamine, ita clarè & perspicuè res proponendo, vt auditores eas percipiant, & bene intelligant. Nam *is* (inquit) *est primus docendi modus, quo sit, vt qui audit verum audiat; & quod audit intelligat.* Parum enim prodesset veritates eas di-

Lib. 4. de Doctri. Christia.

c. 12.

c. 41. i.

c. 10.

ceret,

cere, nisi verbis ita claris & vsitatis proponerētur, vt possint bene intelligi, siquidem scopus eius quod dicitur, est, qui audit, intelligat, *qui ergo docet, vitabit omnia verba, quæ non docent.* Verba enim quæ apta non sunt ad propositum finem docendi, etiamsi splendida sint, & elegantia, non sunt ad rem: ob suam enim obscuritatem non docent. Ex quo, inquit, prouenit, quòd sit pulchri ingenij: *in verbis verum amare, non verba.* Parum enim prodest aurea clauis, si nobis nō aperit quod optamus; nec nocet, quod sit ferrea, si reserat quod erat obseratum. & manifestat, quod erat occultū: ita igitur, cui vsui erunt splendida verba; si non manifestant veritatem? Et quid nocebunt cōmunia & vsitata verba, si rem plenè aperiunt? Postquam autem primum scopum docendi attigit, qui est, vt intelligatur quod dicitur: non expedit nimis sæpè illud inculcare: nisi forte id opus esset, vt magis memorię infigeretur. Nam *sicut gratus est* (ait) *qui cognoscenda enubilat, sic onerosus est, qui cognita inculcat*: quamuis non sit molestū audire, quod scitur: cùm non tam ad rem ipsam attenditur, quàm ad modum quo dicitur.

c. 11.

c. 10.

Delectare eloquentia & suauitate verborum eò tendit, vt auditores libēter audiant, & doctrinam meliūs recipiant, & admonitionem: nunquam autem propter seipsam est quærenda, sistendo scilicet in ea: sicut illi qui suaui & iucundo modo dicendi oblectantur, etiamsi res dicant valde absurdas. contra quos dixit Deus per Ieremiam: a *Stupor & mirabilia facta sunt in terra, Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in nouissimo eius?* Auertat hanc temeritatem Deus, cuius adeo seuera ratio exigetur in die iudicij. Nunquam res absurdæ & impiæ proferantur, etiamsi oblectent; sed semper, quæ veræ sunt, ac iustæ, etiamsi non adeò delectent. Vera enim eloquentia tantò est terribilior, quantò purior, & quantò solidior, tantò vehementior: eò quòd b *verba Dei* sint *quasi malleus conterens petram* Et iam illa suauitas non delectat; qua etsi dicantur res non malæ, sunt tamen res exiguæ & minutæ: tali tamen apparatu verborum proponuntur, vt etiamsi res fuissent grauiores, non fuissent decens, & grauis talis ornatus. Neque his delectatur populus grauis, de quo dixit Dauid. c *in populo graui laudabo te.*

2
c. 14.

a *Ierem.* 53.

b *Ierem.* 23. 24.

c *Ps.* 34, 14.

Mouere Auditores appellat S. Augustinus Flectere, inclinare scilicet intellectum, vt assensum præbeat auditis; & voluntatem, vt ea amplectatur & exequatur. Consistit autem in hoc, vt ab auditore impetres; vt diligat, quod promittis; timeat, quod minaris; detestetur quod reprehendis; amplectatur quod commendas; tristetur aut lætetur ex eo quod prædicas dignum tristitia aut lætitia; compatiatur ei, quod proponis dignum compassione; fugiat tremenda, quibus illum terres; & acce-

3
c. 12.

ptet quæcunque alia ei proponis: non vt nouerit quæ facienda sunt; sed vt exequi velit quæ nouit. Et huic motioni siue flexioni tribuitur victoria: facilè enim eueniet, vt auditorium doceatur & oblectetur, non tamè flectatur, & permoueatur ad exequendum. *Oportet ergo eloquentem Ecclesiasticum, quando suadet aliquid, quod agendum est, non solum docere, vt instruat, & delectare, vt teneat; verum etiam flectere, vt vincat.* Ex quo fit, vt in rebus omnibus, quas dicit & proponit (quæ semper esse debent verę, iustę, ac sanctæ) debeat operā dare, *vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur.*

c. 15.

♀ Oratio 4.

QVOD si huius voti compos velit euadere, intelligat, id futurum pietate potiùs orationum, quam eloquentia Oratorum; orando pro seipso, & pro iis, quos docebit & quibus prædicabit: *vt prius sit Orator quam Dictor.* Quare præter orationem collectā, quæ cum ipso studio præcedere debet: in ipsa etiam hora (ait S. Augustinus) qua ad prædicandum accedit, prius quàm linguam suam soluat, eleuare debet ad Deum animam sitientē: vt quod hauserit, eructet; & effundat id quo fuerit repletus. Cum enim plurima dici possint, & multi modi sint ea dicendi, etiamsi Prædicator hæc omnia nouerit: quis tamen, nisi solus Deus, qui omnium nouit corda, nosse poterit quid hoc tempore magis dicere conueniat, aut alios audire? Et quis est qui efficit, vt dicamus quod expedit, & modo cōuenienti, nisi Dominus ille, in cuius manu & nos sumus, & res omnes nostræ? Quare æquum omnino est, vt Prædicator studeat, sciatque omnia quæ dicturus est; & modum ea proponendi, sicut oportet: cùm autem ea sint dicenda, intelligat esse magis consonum bono spiritui, cogitare quod dixit Dominus: d *nolite cogitare* (cum anxia scilicet sollicitudine) *quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini; sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Quod si Spiritus Sanctus loquitur in ijs, qui traduntur persequētibus Christū, *cur non etiam loquetur in ijs, qui tradūtur discentibus ipsum Christum?* quod si e *Esther Regina à Deo petijt, tribui sibi sermonem compositum in ore suo, in conspectu Regis,* vt pro suo populo loqueretur; & eum à temporali morte liberaret: quantò magis orare debet Prædicator, vt sermo compositus sibi detur, quem proponat ad liberandum populum à morte spirituali? Huc accedit, quod siue sint homines, siue Angeli qui docent: nullus bene discit quæ ad obsequium Dei pertinent, nisi ab ipsomet Deo doceatur: cui dixit Dauid: f *doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Et g *bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.* Quemadmodum enim corporales medicinę ęgrotantibus à medicis applicatę, non prosunt, nisi Deus velit illos sanari, qui sine eis sanare posset, quamuis illę nō sine eo: & nihilominus applicantur, estq; opus misericordię ac beneuolētię eas applicare: ita etiā doctrinę subsidia ab homine applica-

d *Math.* 10. 19.

e *Esther* 14. 13.

c. 16.

f *Ps.* 142. 10

g *Ps.* 118. 66 c. 30.

ta, tunc

ta, tunc tantum prosunt, cùm Deus cooperatur, vt prosint: qui suum Euangelium dare potuisset homini, qui non ab hominibus, nec per homines illud acciperet: sicut dedit S. Paulo: vult tamen vt Prædicator ex parte sua studeat docere, delectare & flectere, orando, & laborando: vt possit intelligi, & ipsi obediatur in eo, quod docet ac præcipit. *Galat. 1. 12.* *c. 17.* *c. 18.*

Refert etiam accommodare stylum rebus dicendis, hoc est *parua submissè, modica temperatè, magna granditer dicere*, sicut faciunt Oratores in rebus politicis, ac ciuilibus. Hoc tamen Ecclesiasticus Doctor aduertat, quòd quæcunque docet, præcipuè ex suggestu, sunt verè magna: quia tendunt ad salutem hominum, non temporalem, sed æternam, & ad damnationem æternam vitandam. Et quamuis videatur res parua, agere de pecunijs comparandis, aut creditoribus soluendis: non censenda est talis, sed magna: non enim est parua iustitia, quæ etiam seruanda est in parua quantitate. Cùm dixerit Christus D. N. h *qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est.* Quod parum est, in seipso est parum: *at in minimo fidelem esse magnum est.* & si de eo agatur in Tribunali iustitiæ, vt sententia feratur, quæ statuat cuius esset, fuisset res exigua: cùm autem agitur de eadem re, vt ab æterna morte liberemur, & gloriam consequamur: vbicunque causa agatur, siue in concionibus, siue in particularibus colloquijs, cum vno, aut pluribus; cum amicis aut inimicis; in libris, aut litteris prolixioribus, aut breuioribus, semper iudicanda res est magna. Nisi fortè dicas, quod i *calix aquæ frigidæ*, quæ res est valde parua & vilis, eam iudicet talem Dominus ille, qui dixit, *quicunque illum dederit suis discipulis, non perdet mercedem suam.* Nunquid, cùm Prædicator hac de re sermonem instituit, debet rem iudicare adeò paruam, vt de ea non loquatur granditer? nunquid, cùm de ea prædicamus, (ait hic sanctus) & Dominus astitit, vt dignè diceremus: non erupit ex hac frigida aqua aliqua ignis flamma, quæ frigida hominum pectora accendit, ad exercenda opera misericordiæ cum spe æterni præmij? Hoc autem non obstat, quò minus res etiam grandes non semper granditer dicat, sed stylo plano, cùm docetur; moderato cum laudatur, aut vituperatur; grandi verò ac terribili. quando dirigitur ad permouendum & flectendum aliquem durum ac pertinacem. Hæc confirmat S. Augustinus varijs exemplis S. Pauli in suis Epistolis S. Cypriani, & S. Ambrosij in suis libris: qui multa documenta adferunt varietates obseruandę in hoc genere dicendi; & alterum cum altero miscendi: ne totum sit valde grande, nec valde planum; sed accipiendo semper quod magis expedit ad finem qui quæritur, docendi, aut permouendi, reprehendendi, aut laudandi. h *Luc. 16. 10* i *Matt. 10. 42.* *c. 19.* *c. 20. & 21.* *c. 22. 23.*

Sed aliud documentum addit valde magni momenti, dicens vt Cõ- *c. 27.*

ciona-

cionatori obediunt auditores, plus prodesse insignem prędicantis vitam, quam sapientiæ & eloquentię magnitudinem. Quamuis sit verum, quòd hac sapientiâ, etiamsi eius vita sit improba, possit in aliquo alijs prodesse, dicens, quòd non facit sicut Scribæ & Pharisęi: pluribus autem prodest, si faciat, quod dicit ac prædicat. Improbi enim ex mala eius vita occasionē accipiunt ad non obediendum dicentes intra se, imò etiam verbo in colloquijs: cur tu non facis, quod mihi dicis? Et quid mirum, si non audiant cum obedientia eum, qui seipsum nō audit, nec suæ prædicationi obedit ideoque sicut tradentem doctrinam contemnunt: ita & ipsam doctrinā, vt itaque Prædicatori auditores obediant, & vt ipse granditer dicat: necesse est ipsum compositam omnino ducere vitam, nec bonam suam timam contemnere; sed benè viuere, & benè agere coram Deo & hominibus. Et in ipsa concione, inquit, *malit rebus placere, quàm verbis: neque existimet dici melius, nisi quod dicitur verius; nec Doctor verbis seruiat, sed verba Doctori*, quibus ille vtatur ad veritatem explicandam: cùm dixerit Apostolus l *se esse missum vt Euangelizaret, non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi*; & ad Timotheum scripsit, m *noli contendere verbis*, quasi qui non contendat errorem veritate vincere; sed studeat alterius eloquentiæ suam præferri. Cum tamen in rei veritate finis verborum esse debeat, vt *veritas pateat, veritas placeat, veritas moueat*, ad præstandum, & exequendum quod prædicatur.

c. 28.

l 1. Cor. 1. 17

m 2. Tim. 2. 14. c. 29.

7

TANDEM concludit magnus hic Doctor, insinuans varia Prædicatorum genera. Nam quidam, inquit, sunt, qui sapientiam habent & eloquentiam: & hi sunt prestantissimi; alij solam habent Sapientiam: quæ quoniam optima pars est, loquantur secundū eā optimo, quo poterunt, modo; alij eloquentiam habent, sed nō sapientiam: nec per seipsos inuenire possunt, quod sunt docturi: & si ipsi illud in libris legant, vbi sapienter & eloquenter scriptum est; & memoriæ illud mandantes, ita alijs prædicant, atque si essent, qui illud scripserūt: non malè faciunt; neq; est quod timeant minas Dei contra eos, qui n *furantur eius verba vnusquisque a proximo suo*: Furari enim est accipere alienum: verba autem Dei nunquam censentur aliena ab eo, qui obedit Deo; sed potiùs potest illa accipere, vbicunque fuerint, tanquam propria: quandoquidem sunt Dei, qui ea per vnū aliquem tradit alteri. Quare solum censenda sunt aliena respectu eius, qui loquitur quidem benè, sed viuit malè. Quamuis enim verbo Deum confiteatur: opere tamen negat ac protestatur, ea, quæ dicit, non esse Dei. Alij tamē sunt, qui neq; scientiam habent, neque eloquentiam: quibus illud superest remedium, vt ita vitam suam instituant, vt præmium magnum sibi comparent; alijs verò bonum præbeant exemplum: *Et sit eis quasi copia dicendi, forma viuendi*; & prædicent exemplaribus operibus,

n *Ierem.* 23. 30.

quod

quod nō possunt verbis efficere. Hi oēs indigēt oratione pro se & pro ijs à quibus accipiūt quod est prædicandū; & pro ijs, qui sunt ipsos audituri: sicut dictum iam est. Ob successum autem felicem, quem sic habebunt, gratias reddent Domino, à quo illum acceperunt. vt o *qui gloriatur, in Domino glorietur*, in cuius manu & nos sumus, & nostræ Conciones ac verba.

In hoc & præcedenti cap. 01. Corin. 1.31.

Haec summa est documentorum S. Augustini de hoc argumento. Sed quoniam aliqua illorū maiori indigent explicatione, ad finem perfectionis, quam intendimus illa explicabuntur amplius in subsequentibus capitibus.

CAPTT XI.

RECTA ET PVRA INTENTIO IN PRAEDICANdo, & varij actus humilitatis contra superbiam & inanem gloriam, aliaque vitia quæ ipsam intentionem impugnant.

CVm Docendi ac Praedicandi Ministerium adeo sit glorioſum, & Ecclesiæ vtile: ideo vehementer oppugnatur a *à ruſo illo dracone ſeptem capitum*, qui perſequitur myſticam illam *mulierem parturientem*, quæ ſignificabat congregationem Prædicatorum Apoſtolicorū machinando contra eos vehementes tentationes, vt fructum deſtruat miniſteriorum eorum per aliquod ex his ſeptem vitijs: per *ſuperbiam* ſcilicet & præſumptionem de ſeipſis; per *inanem gloriam* ac deſiderium obtinendi laudes ab hominibus; *ambitionem* dignitatum & præeminentiarum; *iactantiam* laudando inaniter res ſuas; *inuidiam* de maiori talento & pluribus dotibus, quas alij habent, aut de copioſiori fructu, quem illi colligunt; quandam *puſillanimitatem*, aut animi deiectionē, niſi concio aut fructus, quem deſiderant, benè eueniat; *contentiones* cum alijs eiusdem officij & miniſterij, quod vident ſibi præferri; & *cupiditatem* commoditatum & vtilitatum temporalium. Qui his vitijs ſuccumbunt, intentiones ſuas flectunt ad fines terrenos; maculant & adulterant verbum Dei, & doctrinam Euangelij: & quod in ipſis eſt, auferunt ei vim virtutis & valoris; & oppugnant ac reſiſtunt fidelibus operarijs; non ſeipſos, ſed Chriſtum quærentibus, & bonum animarum. Quod proteſtatus eſt Apoſtolus, dicens: b *quidam quidam & propter inuidiam & contentionem: quidam autem & propter bonam vo-*

a *Apoc. 1.2.3*

b *Phili. 1.5.*

b *Philip.* 1. 15.

luntatem Christum prædicant. Quidam ex charitate, vt me adiuuent. *Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur. & in hoc gaudeo, sed & gaudebo*: quamuis enim eorum intentio sit praua, doctrina tamen vera est, & vtilis. Hæc dicebat Apostolus, aperiens celsitudinem suæ charitatis, & malitiam eorum, qui prædicabant intentione ac fine adeò terreno. Qui finis ordinariè solet esse duplex; *Alter* cupiditatis, qui prædicatione sua negocia-

c 1. *Timot.* 65.

tur, & (vt ait Apostolus) c *existimant quæstum esse pietatẽ*: vt pallio prædicationis tegant lucrum temporale. quamuis enim licitè accipiatur eleemosyna siue stipendium honestum pro sustentatione, vt inferiùs dicetur, cùm agemus de Prælatis: ministerium tamen accipere, & obire per viam negotiationis ad acquirenda lucra temporalia: res est indigna Euangelica puritate. *Alter* finis est superbiæ, omnium vitiorum ducis, quæ persuadet Prædicatoribus, quod habeant magna talenta & maiora quàm alij, & quod ipsorum conciones sint excellentiores, ac digniores, quæ audiantur. Et hoc quidem occultè tribuunt suæ potius industriæ, quàm Deo: à quo tamen procedunt omnia talenta & animi dotes. Quibus tamen ipsi vtuntur ad erigenda idola honoris, & vanitatis, quæ mundus magni facit. Contra quos S. Bernardus ait: væ illis qui acceptâ gratiâ sentiendi & & loquendi benè de Deo, quæstum æstimant pietatem, & conuertunt

Serm. 41. *in Canti.*

d *Osea.* 2. 8.

ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperant erogandum. Horreant ac tremant, quod dixit Deus per Oseã: d *ego dedi eis argentũ & aurum suum, ex quo ipsi fecerunt Baal.* Aurum est donum sapientiæ, & argentum eloquentiæ, quæ ipsi sacrificant idolo Baal: quod explicat S. Hieronymus significare *superiorem*: quia sibi attribuunt se esse alijs superiores in scientia ac propterea quærunt præferri alijs & laudari ab hominibus. quæ autem maior stultitia esse potest, quam ex donis adeò preciosis idola sibi facere cũ ipse verus Deus ea dederit, vt ipse per ea honoraretur? Et meritò Baal significat etiam deuorationem: quia tales superbi deuorabũtur ab inferno; & cùm cogitant in altum ascendere, deijciuntur in abyssum. Hos,

Colla. 14. c. 17.

c *Luc.* 6. 35.

ait Cassianus, esse vsurarios, qui, etsi Christus Dominus noster iusserit, e *mutuum dare, & nihil inde sperare*: illi tamen mutuum dare nolunt, nisi temporale aliquod lucrum vltrà recipiant: & sic amittunt lucrum æternum. Ita qui argentum veri Dei alijs offerũt, vt ab hominibus laudentur: fraudabuntur mercede æterna. dixit enim Christus Dominus Noster, quod

f *Matt.* 10. 8.

f *gratis accepistis, gratis date.* Quod si negotiatione vestra lucrum aliquod quęrere vultis, illud sit lucrũ animarum pro gloria ipsius Creatoris.

HVC accedit, quòd hæc talenta sint arma, quæ Deus militibus suis largitur, ad pugnandũ contra Dęmonem & peccata. Quanta igitur eius

temeri-

meritas & proditio, hęc omnia arripere: & contra ipſummet Deum conuertere? Nam S. Gregorius ait: qui accepta dona ſibi arrogat, ſuis contra Deum donis pugnat. Præterea Concionator, laudum humanarum cupidus innumeris (vt ait S. Chryſoſtomus) doloribus & curis ſubiacet; eiusq; cor, eſt inſtar procelloſi maris, in quo nunquã fluctus ceſſant: qui eò ſunt vehementiores, quò maiorem acquiſiuit opinionẽ: nam eò magis ſtudet hominibus placere, vt eam conſeruet & augeat. Et totus eſt in rebus nouis adinueniendis; vt ſic magis auditoribus placeat; timet ea proponere, quæ apud alios inueniuntur: ne propterea contemnatur; eadem autem, quæ aliquando dixit, repetere non audet, ne irrideatur; ac ſemper in ijs, quæ dicit, reſpicit potius vt auditoribus placeat, quam vt illi fructum ex ipſius dictis hauriant: & quia ſemper pendet ab illa cogitatione: quid homines dicent? magnas ſuffert procellas, nunc lætitiæ, nunc triſtitiæ moroſæ; iam valdè erigit animum, iam valdè deijcit: nam quod hi laudant, alij vituperant; & quod placet ſapientibus, qui inter auditores ſunt pauciores, ſolet vulgaribus diſplicere, qui multò ſunt plures; & quod hi extollunt, illi parui faciunt. ſicut euenit pictori elegantiſſimam pingenti imaginem, quam publicè ponit omnibus ſpectandam: nunquã certè deeſt, qui aliquem in ea defectum notet; & vnius contemptus magis illũ turbat, quàm multorum laudes exhilarent. cumque ſemper ſint alij, qui ipsũ in aliquo excellant: mox erũpunt inuidiæ, æmulationes & murmurationes ad eos opprimendos, ne inferior illis cenſeatur. Inanis etiam gloriæ cupidi, nõ ſunt liberi in reprehẽdendis vitijs, cùm timẽt iacturam facere gloriæ, quam quærunt; & quoniam ſeipſos quærunt, non loquuntur ad cor audientium, neque imprimunt eis crucem. Chriſti Alia multa damna & incommoda pergit narrare S. Chryſoſtomus, & tandem concludit: nullum debere munus hoc ſuſcipere, qui non eſſet laudibus ac contemptibus ita ſuperior, vt neque illæ inanem eum reddãt; neque hi animum & ſpiritum tollant. Difficilè valdè eſt non ſentire triſtitię affectus ex contemptu: aut lætitiæ ex laudibus. *Suis* (inquit) *laudibus audiendis nihil inde delectari, neſcio an cuiquã mortalium contigerit.* Illud tamen eſt maximè neceſſarium, non dedere ſe huiuſmodi affectibus: nec propter illos detrahere quicquam integritati & puritati miniſteriorum, cum ea animi libertate, qua dicebat Apoſtolus: *an*, in ijs quæ prædico, g *quæro hominibus placere? ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*: Cũque h *nemo poſſit duobus dominis ſeruire*: qui quærit hominibus placere propter ipſoſmet, aut propter ſeipſum vt ab eis laudetur, ſeruus eſt ipſorum hominum: & ab eis exſpectat mercedem, laudis ſcilicet, quam ei propter obſequium præſtitum reddunt: ac proinde in hoc non ſeruit ipſi Chriſto.

libr. 6 Mor. c. 3. lib. 3. de Sacerdotio.

g *Galat. 1. 10.*
h *Matt. 6. 24.*

§. I.

a 1. *Thessal.* 2. 3.

HOc amplius explicauit Apostolus grauissimis his verbis: a *exhortatio nostra non fuit de errore, neq; de immunditia, neq; in dolo, sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euāgeliū: ita loquimur nō quasi hominib. placentes sed Deo, qui probat corda nostra. Neq; enim aliquādo fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neq; in occasione auaritiæ: Deus testis est: neq; quærentes ab hominibus gloriam, neq; à vobis, neq; ab alijs.* Et in alio loco ait: b *ad hæc quis tam idoneus: non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei; sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo in Christo loquimur.* In quibus verbis collegit Apostolus quicquid pertinet ad puritatem intentionis in hoc ministerio; & ad remedia contra fines obliquos. Quæ tangit in illa sententia: c *adulterantes verbum Dei.* Duplex enim est adulterij modus: alter interior in intentione; & alter exterior in verbis: qui (vt Sanctus Gregorius ait) varijs modis eueniunt. Nam *adulterare verbum Dei*, est, aliter de eo sentire, quàm sit in rei veritate; aut per illud quærere fructus adulterinos laudis humanæ, aut temporalis auctorius vtilitatis, ac terrenæ. Et quemadmodum adulterium non quęrit precipuè filiorum generationem, sed propriam voluptatem: ita superbus Prædicator nō desiderat spirituales filios Deo gignere, sed propriam sui voluptatem, in ostensione scientiæ & eloquentiæ suæ: vt quasi sapiens & eloquens laudetur, aut aliud emolumentum, aut commoditatem propriam temporalem. Ex quo prouenit, vt verba Dei ex ore eius prodeant *adulterata*, & permixta cum proprijs laudibus, adulationibus aut verbis prophanis, aut stylo parum graui, aut cum aliquo lepore & facetijs, aut cum alijs similibus minus decentibus excessibus: quæ non minus arguunt vanitatem in dicente, quàm leuitatem eorum qui delectantur eis audiendis. Quod explicat S. Hieronymus perpendens dictum illud Ecclesiastis: c *verba sapientum audiuntur in silentio, plus quàm clamor Principis inter stultos. Quemcunque,* inquit, *videris in Ecclesia declamatorem, & cum quodam lenocinio & venustate verborum excitare plausus, ac risus excutere, auditoresque in affectum lætitiæ concitare: scito signum esse insipientiæ tam eius, qui loquitur, quàm eorum, qui audiunt.* Hæc omnia debent esse procul à Prædicatore Euangelico, studente prædicare *ex sinceritate* in sentiendo, in loquendo, in intentione, in modo loquendi. Nam (vt ait S. Gregorius) *ex sinceritate loqui, est, nihil extra quàm oporteat quærere:* ita vt nihil admittat, quod huius ministerij puritatem inficiat: siquidem d *eloquia Dei* sunt *eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum, terra purgatum septuplum,* hoc est ab omni puluere & scoria septies, exactissimè scilicet mundatum; ita vt qui ea profert, mortificet septem prædicta vitia.

b 2. *Cor.* 2. 17. *Cap.* 4. & *Cap.* 4. 2.

c *Eccles.* 9. 17.

d *Psal.* 11. 7

Hoc persuadet Apostolus tribus efficacissimis rationibus, quas (teste S. Thoma in eum locum) insinuat tribus illis verbis *ex Deo, coram Deo, in*

Chri-

Christo. Prima igitur ratio est ob infinitam eius, quem referunt, dignitatem: cuius Legati sunt cùm prædicant: est autem rationi consentaneum, eos in sua legatione nõ aliam intentionem habere quàm habeat ipse Deus, cuius nomine eam proferunt; nec alio modo, aut verbis, quam ipsemet Deus velit, & inspirare solet fidelibus suis ministris. & hoc est prædicare *ex Deo*, hoc est quasi homines, qui loquuntur permoti à Deo, & cum spiritu Dei; & qui acceperunt à Deo, quod proferunt. Sicut *ex Deo* loquitur (ait S. Gregorius) qui scit se non à se habere, sed ex Deo accepisse, quod dicit; & cum humilitate fatetur, quod dicit, non esse suum; sed Dei, qui illud dedit: bona enim doctrina, & aptus eam proponendi modus, e *datum optimum donumque perfectum est, descendens à Patre luminum* Quare humilis Prædicator dicere debet, sicut ipse Christus: f *mea doctrina non est mea; sed eius, qui misit me*; g *qui à semet ipso loquitur* (hoc est proprio spiritu ac iudicio) *gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam Dei, qui misit eum, hic verax est.* g *Ego à meipso non loquor. sed Pater qui misit me:* nam ipse proscripsit mihi quæ dicturus & locuturus essem. Decet itaque Prædicatorem, consilium sequi S. Petri dicentis: h *si quis loquitur, quasi sermones Dei:* ita scilicet loquatur, sicut qui Dei verba prædicat, attendendo cum reuerentia, quòd sint Dei: ac propterea dicenda ea intentione, eoque modo, quem exigunt verba tanti Domini: *vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum*

c *Iac.* 1. 17
f *Ioan* 7. 16.
g *cap.* 14. 10
h *1. Pet.* 4. 11

2

Secvnda ratio est, propter authoritatem Domini, in cuius conspectu prædicatur: hoc est *coram Deo*, qui prædicare iubet, & iudex ac testis est, quo modo id fiat; estque paratus Prædicatorem adiuuare, vt prædicet sicut oportet; nisi ipse sibi desit. Est autem horrenda inurbanitas, & irreuerentia in eius conspectu quærere potius hominibus, quàm ipsi placere & ita loqui, vt eis placeat, etiamsi displiceat Deo. Nam vt benè S. Basilius perpendit: si inter auditores esset aliquis Princeps, alijque magni Domini: certum est Prædicatorem conaturum potius illis placere, quàm ipsi plebi, cuius paruam tunc duceret rationem. Si igitur in auditorio ipso est ipsemet Deus, & Angeli eius: æquum omnino est, vt intentionem suam Prædicator dirigat, & studeat ita loqui, vt eis placeat: si enim Deus reprobat quod ipse dicit: parum illi erit vtile, quòd ab hominibus laudetur. Et hæc inter alias fuit ratio, cur Christus Dominus noster, cum suos Apostolos mitteret ad prædicandum omnibus gentibus, dixerit: *iecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad cõsummationem sæculi.* Quare attendite, quo modo officium vestrum præstetis; & quod iubeo, adimpleatis, respicientes ad fauorem & beneuolentiam meam, quam sentietis ex mea præsentia:

Regula 5. ex fusis.

i *Matt.* 28. 30.

3

Tertia ratio est, propter Sanctitatem & materiæ puritatem, de qua

in Conciniobus agitur: & hæc eſt *in Chriſto*, hoceſt de ipſo, eiuſque myſterijs. Decet autem materiæ & argumento adeo grandi, atque eſt Chriſtus, nihil admiſceri eo indignum; nec dici aliquid cum intentione aut modo ab ipſius Chriſti puritate alieno. Cumque Chriſtus D. N. fuerit humilitatis Magiſter, & ſuperbiæ ac iactantiæ hoſtis: qua facie poterit Prædicator de Chriſto loqui ob inanem gloriam? Et quænam eſt maior ſtultitia, quàm ſuperbè prædicare contra ſuperbiam & inanem gloriam damnare: ſi eam damnans, eandē quærit? Et quomodo poteſt quis prædicare de Chriſto Cruce affixo, & in Cruce ita contempto: ſi honorem quærat, dum de eius opprobrijs prædicat? Hoc itaq; ſtatuat Prædicator, vt in Concionibus ſuis ſit, ſicut Apoſtolus, qui dicebat: k *prædicamus Chriſtum crucifixum*. Et l *non iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtū & hunc crucifixum*. Ex his deducere poſſumus, quòd, vt Concio ſit, qualem Deus vult habere: debeat habere quatuor comites, quos ſic Apoſtolus commendat: vt ſcilicet prædicetur cum *ſinceritate* intentionis, & abſque aliquo fine minus recto; non animo adulandi, aut decipiendi, aut quærendi quæſtum aliquem, aut commodū; cum humilitate & obedientia, quaſi qui loquitur, non quod ſuū eſt, ſed quod eſt *ex Deo* lequēdo eius directionē in omnibus, quæ dicit modeſtè ac circūſpectè, ſicut qui loquitur *coram Deo*; magnum induens animum, & fortitudinem ex diuina præſentia, ad loquendum hominibus abſque timore, ſed ita accomodando quæ loquitur *in Chriſto*, vt ſtudeat omnia, quæ dixerit, eſſe de eo, aut in ordine ad eum; non diuertendo ad res contrariast, aut alienas à Saluatore, & ſalute, quæ nobis per eum euenit.

k 1. *Cor.* 1. 23

l *c.* 2. 2.

§. I I.

SED quoniam virtus humilitatis eſt, quæ valde diſponit Prædicatorem prædictis omnibus conditionibus: opportunum erit ſummam quandam facere præcipuorū actuum in hac materia. quorundā quidem in ordine ad Deum; aliorum verò in ordine ad proximos: illis ſuppoſitis, qui ſuprà capite quinto de omnibus viris peritis fuerunt notati. *Primus actus* eſt, ex corde confiteri, quòd quicquid boni Prædicator in ſe videt, gratias acceperit de manu Dei; ac propterea ei tribuere pro omnibus gloriam, nihil prorſus de eo ſibi tribuendo. Etſi enim Prædicator debeat ex parte ſua diligentiam aliquam adhibere: Deus tamen eſt, qui ad eam adhibendam iuuat; eiuſque induſtrijs præbet efficaciam: vt apertè dixerit Apoſtolus Corinthijs: a *Ego plantaui*, fidem ſcilicet in vobis; *Apollo*, ſua prædicatione, *rigauit: ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum*, & fructum, *dat Deus*. Et b *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: qui & idoneos nos fecit Miniſtros Noui Teſtamenti*. Quare omnis aptitudo & ſufficientia, quam habent operarij Euangelici; & fructus,

a 1. *Cor.* 3. 6

b 2. *Cor.* 3. 5.

quos

quos proferunt, Dei sunt ab ipso per eos producti. Eum in modum, quo idem Apostolus dixit: c *gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundentius illis omnibus laboraui; non ego autem, sed gratia Dei mecum:* qui eius sum tanquam instrumentum. Hinc pergere debet ad *secundum actum*: hoc est, non solum non tribuere meritis suis feruorem aut spiritum, cum quo prædicat; aut fructum, quem facit; sed etiam (vt S. Gregorius ait) totum tribuere meritis aut bonę dispositioni auditorum aut voluntati & propensioni Dei ad benè illis faciendum: quorum causa docet, & exhortatur Prædicatorē, vt superius fuit dictum. Quo humilitatis actu Concionator subijcit se ipsismet auditoribus: non reputans se eius dignum quod in se habet, nisi propter illos.

Tertius *actus* est: nihil omnio dicere eo solo fine, vt ab hominibus laudetur; aut opinionem magnam apud illos acquirat: cuius actus indicium est, si quæcunque dicit, in audientium vtilitatem dirigit. Ex quo facilè deducitur: vanitatis indicium esse, talia prædicare, quæ auditorum capacitatem excedant; &, omnino res nouas, aut valde curiosas, & prorsus inutiles in Concione proponere. Sed vlterius progredi debet humilitas, diligenter attendendo, ne patiatur ab humanis laudibus se abduci, etiam cum sibi, eas non quærenti, offeruntur. Debet enim statim ad interiora sua se recipere, & ex corde suo, tanquam earum indigno, retrudere. Exterius tamen licebit eas permittere, non honoris sui causa, sed vtilitatis proximorum: qui libentiùs eius doctrinam amplectuntur; quem vident magnificri, & ad omnibus laudari. Et in eum finem dat Dominus noster Sanctis Concionatoribus, tanquam additamentum, honorem & laudem, quantum expedit, ad suum ministerium benè obeundum. Ita tamen eas acceptare debent (vt ait S. Chrysostomus) vt, si desint, non debeant illas quærere; nec tristari, quòd non offerantur. Abundans enim illi fuerit laborum solatium, idque omnium certè maximum, si sibi ipsi conscius esse potuerit: ad hanc se rationem, doctrinam, eloquentiāque suā composuisse atque adaptasse, vt Deo illa placens. acceptaq; fiat: quia hoc summum reputat solatium ac præmium.

Hinc *quartus* oritur humilitatis *actus:* optare scilicet concionari non vbi sit magis laudādus, sed vbi Deus magnis glorificetur, & proximus proficiat, cuius vtilitatis causa non minus delectari debet, quòd in ignobilibus locis concionetur, quàm in magis & amplis; & apud Auditores paucos ac plebeios; sicut apud multos valdeque nobiles. Memor, quod Christus Dominus noster non sit dedignatus Euangelium suum prædicare, vel soli vni d *mulieri Samaritanæ.* vt autem intelligeretur, quantum referat prædicare etiam vni soli, quamuis abiecto, & contēptibili, voluit illam mulierem esse instrumentum, quo tota Ciuitas ipsum audiret, &

1 *Hæc fusius in proximo c explicantur.* c 1 *Cor.* 15. 10.

2 *Lib. 23. moral. à Principio Tract 3. c. 5*

3

lib. 5. de Sacerd.

4

d *Ioan. 4. 2.*

conuerte-

conuerteretur. Ita vt in illo casu, & alijs similibus implereturquod ipsemet Dominus dixit: Regnum Dei eiusque doctrinam e *similem esse grano synapis, quod cùm sit minimum omnibus seminibus, crescit, & fit* magna arbor. Memor item, quòd idem Christus Dominus iusserit suos Concionatores f *vocare ad cœnam magnam claudos, cæcos, debiles, & pauperes:* vt intelligerent, quòd non debeant dedignari Conciones suas ad paucos habere, ac docere plebem etiam totius mundi abiectissimam. Et per Isaiam iubet, g *Angelos ire veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam: & ad populum, post quem non est alius.* Quia omnes animæ sunt ipsius, precioso suo sanguine redemptæ: & tanti illi stetit anima cuiusuis pauperculi, atque diuitis, & vilissimi mancipij, atque Monarchæ huius mundi.

c *Matth.13. 31.*

f *Luc.14.21*

g *Isai.18.2*

5

HINC oritur *quintus actus* non inuidendi, neque ægrè ferendi, quòd alij Concionatores frequentius habeant auditorium, aut maiorem fructum colligant; sed potiùs gaudendi & exultandi ob gloriam quæ Deo exhibetur & vtilitatem suorum proximorum, imò etiam de propria humiliatione: in eum modum, quo humilis Christi Præcursor, cùm eum discipuli ipsi dicerent, quòd omnes venirent ad Christum, respondit: h *illum oportet crescere, me autem minui:* ita, inquam, decet Concionatorem dicere: rationi consentaneum est, vt Concionator ille crescat in omnium opinione; ego verò imminuar: crescat Dei gloria, id que fiat per medium quod ipse voluerit. Quod si alij æmulationem & contentionem cum ipso habeant: ne tristetur propterea, sed gaudeat potiùs cum Apostolo, i *quod modò Christus prædicetur,* præsturam ipsi faciant.

h *Ioan.3.30*

i *Philip.1.13*

6

SEXTVS humilitatis *actus* est, concionari semper cum timore periculi, cui exponitur, sese prodendo: quia quantum in se est, tacere potius vellet, quàm loqui: vt à periculo tutior esset. Hæc omnia collegit S. Gregorius dicens: Prædicator spiritualis indignum se omnibus iudicat, etiam cum digniùs cunctis viuat. Scit enim quòd bona, quæ innotescunt hominibus, sine peiculo esse vix possunt. Et quâuis sapientè se esse sentiat: nõ tamẽ talis esse videri vellet: &, si liceat, tacere appetit: eosq; se feliciores putat, quos intra sanctã Ecclesiã locus inferior per silentiũ occultat: & tamẽ vt Sanctam & Ecclesiã defendat, ad loquendũ vi charitatis impellitur; & ex necessitate quidẽ officiũ locutionis suscipit; sed ex magno desiderio otium taciturnitatis quærit. In hunc sensum conciliat Sanctus hic Doctor dicta duo Salomonis, quæ videtur sibi contradicere, ait enim: k *Deriuentur fontes tui foras & in plateis aquas tuas diuide: habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.* Ait enim S. Gregorius: hoc Salomonem significare voluisse: ita doctrinam tuam multis propone, vt gloriam ab eis non quæras. & ita serua tibi sapientiam tuam, vt alieni, hoc est Dæmones, non sint eius participes, nec lucrum aliquod ex ea reportent, propter tuam superbiam

lib. 23. moral. in Prolog. ad f.

k *Prou.5.16*

perbiam; sed ita cum multis age, atque si solus esses, cupiens in verbis tuis soli Deo placere. *Septimus actus* est, subijcere intellectum & iudicium suum occultis Dei iudicijs, circa euentus Concionum, ita vt aduersos tribuat proprię suę indignitati: quando in aliquo loco nolunt homines eũ recipere, neque audire; aut, cum consuetam adhibuisset diligentiam, nõ tamen ita possit loqui, sicut aliàs consueuit; aut cùm enanescit ei fructus, quem iam obtinuerat. Non negamus verum esse quod S. Gregorius dixit, hęc scilicet omnia ex varijs causis solere prouenire: nunc ob peccata populi; nunc ob ipsius Prædicatoris propria; & aliquando propter vtriusque: sicut etiam bonus euentus concionis conceditur propter vtriusq; merita. Et multis euenit, quod dixit Deus Ezechieli: l *linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus Israel exasperans est: cùm autem locutus fuero tibi aperiam os tuum, & tunc dices, quæ dicam tibi.* Et Christus D. N. dixit S. Paulo, vt m *exiret ex Ierusalem: quia non essent recepturi testimonium, & prædicationem eius.* A diuina itaque prouidentia dependet pręcipuè hæc euentuum varietas, in pœnam, aut præmium auditorum, aut Concionatorum. Voluit tamen Deus id esse occultum: vt omnes *vnam certam gratiam teneamus humilitatem,* studentes tam auditores, quàm Concionatores attribuere quod bonum est meritis aliorum; proprijs autem peccatis, quod fuerit aduersum. Nec auditores contemnant Concionatorem, ob tepiditatem qua loquitur; neq; Concionator auditores, ob duritiem quam ostendunt: fortè enim vterque est causa defectus alterius. *Cur ergo* (ait S. Gregorius (*quilibet de doctrina superbiat, qui occulto iudicio, vel cui quando detur, vel quando cui subtrahatur, ignorat.*

Lib 30. moral. c 1 & Hom. 12. in Ezechiel.

l Ezech. 26.

m Act. 22 18.

Hom. il. 12. supr. 3.

Lib. 30. mor. 1l. ad finem.

8 Homil. sup.

Octavvs *actus*, est frequenter ingredi intra seipsum ad examinãdos ac discernendos motus cordis sui; & se ipsum puniendũ ob inordinatos, quos inuenerit. Hoc (ait idem Sanctus) significare, quod euenit Ezechieli postquam ex mandato Domini egressus fuit in campum vbi vidit gloriam Dei, qui dixit ei postea: n *ingredere, & includere in medio domus tuæ.* Hoc est: postquã alijs prædicaueris, & gloria Domini manifesta fuerit operibus tuis, tuque eâ fueris delectatus, colligere te humiliter intra cor tuum; ne effundaris ad quærendum extra te testimoniũ & laudes hominum; sed quietem tuã repone in testimonio conscientiæ tuæ, quæ soli Deo placere cupit. Ratio & fructus horum actuum in proximo capite fusiùs ostendẽtur. Sed imponamus huic finem aduertentes: nõ esse contra virtutem humilitatis conseruare authoritatem, & honorem officio suo debitum; modò id non fiat ob vanitatem, sed vt ministerium ipsum in honore habeatur, vt par est: & sequatur fructus, qui intenditur, in hoc enim sensu dixit Apostolus: o *quamdiu ego sum Gentium Apostolus, ministeri-*

n Ezech. 3 24.

o Rõ. 11.13.

um meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. Qua sententia manifestè ostendit se cupere opinionem & authoritatem promouere ministerio suo Euangelizandi, vt & Gentiles & Iudęi fructum ex eo caperent & proficerent. Ex quo fit, vt non sit contra humilitatem (vt ait S. Gregorius) referre suas virtutes, & opera, ac beneficia, quæ Deus in illos contulerit: quando id erit necessarium ad bonam suijpsius, & officij sui opinionem, suæque doctrinæ authoritatem cõparandam. quemadmodum ipse Apostolus fecit in suis Epistolis ad Corinthios, Galatas, & ipsemet Deus magnalia sua recenset, quę aliàs sciri nõ potuissent. Attendit autem in hoc ad bonum, quod homines ex eorum notitia hauriunt. Est tamẽ in hoc magna cautela adhibenda, neque nisi rarissimè & in graui necessitate faciendum est; & quidẽ adhibitis mille repagulis, ac munimentis aduersus vanitatem: vt apparet in verbis, quibus Apostolus suas referebat reuelationes, inserendo peccata vitæ suæ præteritæ, & adferendo causas & excusationes, cur eas recenseret: p *factus sum* inquit, *insipiens; vos me coëgistis.* quasi dixerit: videbor fortè vobis insipiens, quòd laudes meas narrauerim: sed vos estis in causa, qui videntes meam doctrinam cõtemni, non oppositis vos pro eius defensione. Ne igitur doctrina mea periclitaretur, opus fuit vt referrem magnalia, quæ audiuistis.

Homil. 9. in Ezechiel.

2. cor. c. 11. & 12. Gal. 1

p 2. corint. cap. 1 2. 11.

CAPVT XII.

OBEDIENTIA ET FIDVCIA IN DEVM, AC DIFFIDENTIA suijpsius multum iuuant ad piscandas multas animas retiprædicationis; adferuntur multa documenta circa hæc virtutes.

INTER VIRTVTES PRÆDICATORIBVS EVANGELICIS necessarias, ad munus suum cũ proximorũ vtilitate obeundum, valde eminent OBEDIENTIA & FIDVCIA: cùm illud obeũt, vt obediant Deo, sìve per Superiores siue Prælatos iubẽti; vel per suas inspirationes, siue per dictamen rationis, fidei, & charitatis, (quę vices Dei obeunt) insinuanti: confidendo omnipotentiæ Dei, quòd felicem daturus sit laboris ipsorum exitum, prout magis ad ipsius gloriam expediet. Vtraque virtus & felices earum exitus depicti sunt in eo, quòd euenit S. Petro, cum Dominus illum vocauit, vt reti suæ prædicationis fieret piscator hominum. Cum enim ipse Christus

ex ipsi-

ex ipsius Petri naui Concionem ad populum habuisset: vt cessauit loqui, dixit ad Simonem: a *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Cui respondens Simon dixit: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cæpimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.* Similis alia piscatio euenit eidem Petro, & sex alijs eius socijs: qui, cùm post Christi resurrectionem piscatum iuissent, & tota nocte nihil prendidissent: b *manè facto stans Iesus in littore* discipulis ignotus, *dixit eis: mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis, quod cùm illi fecissent, iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.*

a Luca 5,4.

b Ioan. 21.6

Vt autem excelsa mysteria in his duabus piscationibus latentia innotescant, est aduertendum: munus Prædicatorum esse piscari homines; & ex mari huius mundi eductos ponere intra nauem Ecclesiæ. Non tamen sunt piscatores, qui vtantur hamo, lædente & pungente pisces; sed reti, quod viuos, & sanos, absque læsione aliqua eos capit: non enim armis aut violentiâ eos conuertunt; sed rationibus, & Spiritûs sancti impulsibus; relinquentes illis vitam, & salutem, & quicquid boni naturalis & moralis habent. Et vocabulum græcum c *erit homines capiens*, quo Christus Dominus vsus est ad S Petrum, significat: *viuos capiens*, vel *ad vitam capiens*. Aduertit tamen benè S. Iustinus Martyr metaphoram piscationis in eo consistere, quòd quemadmodum piscatores piscantur quidem pisces viuos, non vt ita maneant, sed vt eos mactent: ita Apostoli & Prædicatores piscantur homines; & ex huius mundi mari extrahunt, vt peccato & vitæ veteri moriantur, quàm prius ducebant. Quoniam autem similitudo non fuisset plena, adiecit Saluator: *eris capiens homines* ad vitam: nam mors illa dirigebatur ad meliorem vitam illis impertiendam. Hoc ampliùs explicat Origenes, dicens: quemadmodum pisces etsi moriantur, comeduntut tamen ab hominibus; quibus incorporati vitam accipiunt nobiliorem, quàm in seipsis haberent: ita qui conuertuntur, simul (vt Apostolus dixit) d *moriuntur peccato*, & spiritualiter comeduntur, & incorporantur Christo, in quo e *absconditi viuunt ipsi Deo.*

S Amb. lib. 5 Examer. c.6 & lib. 3 de virginit. vide To.

c Luc. 5.10 Tolet. ibi. In qq. Gentium q. 40.

Homil. 16. in Genes.

d Rom. 6.2.
e Colos. 3.3.

§. I.

AD feliciter peragendã hanc piscationẽ, illud fundamẽtũ est pręiaciendũ, vt piscatores omnino sibijpsis diffidant, nec pręcipuè innitantur proprijs industrijs: sed sibi persuadeant, quòd quemadmodum S. Petrus, eiusq; socij in vtraque piscatione nec vnicum piscem tota nocte prẽdere potuerũt, quantũuis essent aliàs piscationis periti, & bona haberẽt retia, quę cũ magna industria laxabant, & in loco valde commodo, & tempore aptissimo, hoc est de nocte, felicem piscationem: ita etiam

I

quamuis prędicator omnes habeat dotes, ac talenta, quæ desiderari possunt; omnemque adhibeat diligentiam & industriam in sua Concione pręparanda, & in frequenti auditorio habenda: persuadere sibi debet, si innitatur sibijpsi, laborem suum fore inanem; ideoque solâ tuâ diligentiâ nec vnã quidẽ animam capturũ totâ huius vitæ nocte. Id enim prępuè dependet à Diuina misericordia, mouente & impellente pisces, vt ingredi velint illud rete. Cum enim sint libri, nec sine ipsius consensu & auxilio vllus conuertatur: non potest Concionator per seipsum illos tuhere, nisi Deus adiuuet: in cuius manu omnia sunt corda. Diffidentia hęc suijpsius est filia humilitatis, de qua in proximo capite actum est; quũ Prædicator persuadet sibi se nihil aliud esse, quàm Dei instrumentum, & quemadmodum instrumentum, etsi aliàs aptum beneque præparatum, non potest perficere opus, nisi artifex in manum illud accipiat, eoq; pro suo arbitratu vtatur: ita ipse, quamuis præclaras habeat dotes, non potest illis fidere; nec fructum vllum faciet, nisi Dei manus eum moueat, & ad fructum capiendum iuuet. Ac propterea ipsemet Saluator seipsũ, qua
a *Is.* 49. 2. homo est, suosque Prędicatores appellauit, a *quasi gladium acutum*, & sicut *sagittam electam*. Quemadmodum enim gladius non potest seipsum è vagina educere, nec alium lædere, aut scindere, nisi manus hominis eum educat, eoque vtatur; nec sagitta exire potest ex pharetra, nec seipsam iacere, aut ad scopum tendere, nisi sagittarij manus eam extrahat, & arcu iaciat: ita nullus Concionator potest per seipsum benè, & cum aliorũ vtilitate munus suum obire nisi potens Dei manus adsit, & in ijs quæ loquitur, & agit, dirigat: ac proinde necesse est, diligentiæ & industriæ suæ diffidere, in quantũ ipsius sunt; nisi velit eas esse inanes. Quamobrem sępè Dominus noster permittit operarios suos per multos dies, & etiã annos absque fructu laborare: vt experientia discant suam imbecillitatem ac debilitatem: & tunc accedit, vt iubeat eos piscari in ipsius nomine, vt eius virtus tunc appareat: quemadmodũ euenit in prædictis duobus casibus S. Petri.

SVPER hoc fundamento exurgere debent duæ illæ virtutes *obedientiæ* & *fiduciæ* in Deum: ita vt ipse Concionator statuat, non aggredi piscationem ex propria, sed ex Dei voluntate: persuadens sibi id placere Deo, ac de eius omnipotentia confidens, quod cùm ipse id velit ac iubeat, daturus etiam sit auxilium & efficacitatem, vt res feliciter eueniat. Hoc enim est quod S. Petrus respondit Christo Domino iubenti laxare retia:
b *Luc.* 5. 5 b *Præceptor, tota die laborantes, nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.* Agnoscimus, inquit, imbecillitatem nostram, propter quam tota nocte inutiliter laborauimus: nunc autem, quia tu id iubes, confidens verbo tuo & potentiæ, *laxabo retia*, sperans, me multos pisces capturum. Et ita eue-

niat

nit, remunerante Domino illam obedientiam & fiduciam copiosâ quadam, valdeque prodigiosa piscatione. Quare vbi hęc duæ virtutes comitantur ipsam prædicationem, cum ea diligentia & industria, quam Concionator meritò adhibere debet: ipsi Deo incumbit prosperum dare exitum in eo gradu, qui ad ipsius gloriam magis expediet, siquidem omnis fructus, quem Apostoli collegerunt, ex vtraq; hac virtute originem duxit. Deus enim illos mittebat, suaq; omnipotentia adiuuabat, in qua ipsi collocabāt suam fiduciam, quia non aliter existimabant, quàm se esse instrumenta & sagittas Dei, iuxta illud Dauidis: c *sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum.* Excussos siue eiectos, ait S. Hilarius, vocari Apostolos: eò quòd in Mundo quasi eiecti oberrarent ab vno in alterū locū: nunc quòd hostes & persecutores illos expellerent ab hac Ciuitate; & ideò illi ad alterū accederent; nunc quod ipsemet Dominus iuberet, eos ad varia loca se conferre. Hi sacri Apostoli & reliqui eorum filij, qui in officio prædicandi eis succedunt, sunt quasi sagittæ in manu potentis Dei, quia ipse eas ex pharetra educit, & iubet recollectionem suam deferere; & sua omnipotētia illos iacit, & per eos penetrat corda, & vulnerat dolore peccatorum & amoris Dei; & facit, vt se obsequio diuino subijciant. Si autem viribus suis fiderent, diceremus: d *sagittæ paruulorū factæ sunt plagæ eorum.* nam paruuli tales mittunt sagittulas, vt neq; occidāt, neq; lædant, & vix aliquod signū relinquant: sed strepitum tantùm parum edunt: quia non penetrant cor, neque terrent, nec bona in eo desideria excitant. Si autem innitantur Dei potentia stupendos faciunt effectus, iuxta illud Dauidis: e *emisit sagittas suas, & dissipauit eos: fulgura multiplicauit & conturbauit eos:* quod idem est (vt explicat S. Augustinus) atq; si dixisset: misit Deus Prædicatores suos tanquam sagittas, virtutum alis volantes; non suis, sed mittentis viribus innitentes: & sic destruxit peccatores, quà tales: quia in eis eorum peccata extinxit. Sed & tanquam *fulgura* misit illos, cœlestibus donis ac miraculis splendentes: & operatus est per eos mutationes stupendas. Glorientur itaque Prędicatores, se esse filios Apostolorum, imitantes eos in obedientia & fiducia: & statim erunt *quasi sagittæ* in manu potentis, sicut fuerunt ipsorum parentes, cum admirādo feruore & efficacitate in suis ministerijs. Quod etiam significatur in translatione S. Hieronymi, qui loco verbi illius: *filij excussorum*, legit. *filij iuuentutis*; & Theodocion legit: *filij adolescentiarum.* Ad significandū, quod quemadmodum filij parentum inuenū solent esse fortiores, acriores, bustiores, suisque parentibus similiores: ita filij Apostolorum haberent magnum feruorem, & virilem fortitudinem in suis operibus, in virtute mittentis eos quasi sagittas.

c *Psal.* 126 4.

d *Psal* 93. 8.

e *Psal* 17. 15 *ibidem.*

Sed vt appareat qualis esse debeat hæc obedientia Deo exhibenda, cui

fiducia innititur: referemus hic circũstantias eius, quã S. Petrus in his casibus exhibuit. Prius enim quàm retia laxaret, dixit ei Christus Dominus noster: f *duc in Altum.* Potuisset Christus D. efficere, vt pisces venirent ad locum prope terrã, vbi erat nauis, vt ibi caperentur: sicut fecit secunda vice post suam resurrectionem: vbi non iussit nauim mutari, sed vt in eodem loco manentes, mitterent retia ad dexteram nauigij. Nunc tamẽ id noluit, sed vt nauis duceretur in altũ, vbi prius frustra retia laxauerant: vt sic magis emineret miraculum, ac discipuli obedientia probaretur; simul, vt ostenderet duos modos, quibus talis piscatio euenire solet. Alter est, vt ipsi piscatores eant ad locum, vbi sunt pisces, hoc est, vt Deus iubeat Prædicatores ire ad loca, in quibus ille paratas iam habet animas, quas Prædicatores suâ prædicatione lucrentur. Alter modus est, pellendo pisces ad locum, vbi sunt piscatores: efficit enim Deus vt peccatores accedãt ad eorum conciones audiendas. In vtroq; tamen modo laxanda sunt retia ex obedientia: vt prospera sit piscatio. Et quamuis locus ad quẽ eos miserit, valdè sit remotus: debent illi meritò obedire. Ni id ait S. Augustinus, significare, quòd Christus Dominus noster prius dixerit S. Petro, vt *nauim à terra reduceret pusillum*; & postea, vt vlterius *duceret in altũ*: vt intelligeret, quod esset ipsos missurus concionatũ primùm ad Regiones propinquas; & postea ad remotiores: & in omnibus deberẽt ipsi obedire. Et quò obedientia perfectior erit absque replicis, repugnantia, aut pertinacia proprij iudicij: ex eo in hac parte erit efficacior ad finẽ intentum, Ac propterea Saluator noster iussit septem discipulos *mittere rete ad dexteram nauigij.* licet enim parùm referret mittere ad dextram vel ad sinistrã nauiculæ in mari adeò magno: multũ tamen referebat, facere quod iubebantur; subijcientes propriũ iudicium, vt melius obedirent imperanti. Quoniã autem manus dextra, est iudicium tranquillitatis ac prosperitatis: voluit Dominus significare, piscantẽ ex obedientia, habere bonã manum dexterã, & prosperum exeo euentũ: in quo locũ haberet illud Salomonis: g *vir obediens loquetur victoriã.* Nam loquẽdo & prædicando ex obedientia, victoriam obtinet animarum. Et ipsemet Dominus dixit: h *quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse mea mater est:* quatenus spiritualiter ipsum generat in animabus fidelium, quibus ipsius prædicat doctrinam. Ex quo intelligitur, quòd quemadmodum Apostoli, si in eo casu rete misissent ad sinistram, nullum cœpissent piscem, eò quòd fecissent cõtra obedientiam, quę iubebat mittere ad dextrã: ita bonus prędicationis exitus non ex eo pendet, quod locus sit magnus aut paruus; sit aula siue pagus: sed vt sit ille quẽ Deus prescribit & illa erit manus dextra nauigij ipsi Prędicatori. Si enim ipse sua voluntate locũ eligat etiamsi valdè magnũ; erit ipsi manus sinistra, nec exitũ bonũ habebit.

f *Luc. 5. 4.*

lib. 2 qq. Euang q. 2.

g *Prouerb. 21. 28*
h *Matt. 12. 50.*

DEBET

Debet etiam obedientia prælucere in materia docenda, & prædicãda, præcipuè cùm illa est futura excelsior & eminentior. Talis enim non voluntate propria, inani, aut curiosa eligenda est; sed quæ intelligatur esse conformis voluntati Domini, qui Sancto Petro in prima piscatione dixit: *duc in Altum*. Nam, vt S. Ambrosius interpretatur, *in altum* significat *in profundum disputationum generationis Diuinæ*. Mare enim in diuinis scripturis non solum mundum significat in quo capiuntur, & ex quo educũtur homines; sed etiam scripturam sacram, qua aluntur & viuunt. Et hęc littus suum habet prope terram, doctrinam scilicet planam, & simplicẽ, quæ proponitur omnibus fidelibus, magnis & paruis: estq; illis necessaria ad salutem; sed habet quoq; altitudinem & profunditatem immensam, ob altissima & profundissima mysteria, quę in se continet, ac docet. De quibus necesse est Magistros aliquando agere ac disputare ad conuincendos mundi sapientes, illa negantes, & oppugnantes. Et tunc expedit cũ bona facultate, & approbatione ipsius Domini, & vt ipsi obediat Prędicator, talem materiam tractare, vt ab eo adiuuetur: sine cuius auxilio nec tutò posset in talem profunditatẽ intrare, ñec alicuius momenti piscationem facere. Cum quo tamen auxilio, siue in alto, siue apud littus piscatio est futura copiosa: vtraque enim doctrina confert ad conuersionem & perfectionem animarũ. Latet autem magnum mysterium in eo, quod in prima piscatione Apostolorum facta in alto mari, dicat Euãgelista: captã fuisse piscium multitudinem copiosam; nõ exprimens tamen, an essent magni, vel parui, quamuis credibile sit ex omnibus fuisse: secũda tamen piscatio non fuit in alto, nec procul à littore (cum ipse Saluator in eo stans loqueretur cum piscatoribus, & illi audirent) vbi alioqui magni pisces nõ solent capi, dicit tamẽ Euangelista i *rete* fuisse *magnis piscibus plenũ*. Ex quo prędicatores intelligant, sępè doctrina plana & sincera, & absq; tot subtilitatibus & profunditatibus, capi etiã viros magnos valdeque eruditos; modò adsit spiritus Dei ipsi dicenti. Cuius rei bonũ testimoniũ est, quod euenit in Concilio Nicæno: cùm Episcopi & Doctores nunquã potuerũt suis rationibus ac disputationibus conuincere magnũ quendam Philosophum Gentilem, qui cum aliquibus alijs accessit ipsum Concilium. Quod cũ videret S. quidam Episcopus nomine Spiridion, surgens corã omnibus, proposuit simpliciter & candidè fidei doctrinam, absque disputationibus, & digressionibus rhetoricis; dixitque Philosopho: *credis hoc?* Et sic in momento piscatus est magnum illũ piscem; & Philosophus statim se dedidit, confitens quando virtus Dei loquitur, non posse hominem resistere. Cui rei si attenderent Prædicatores, nõ tantum studij ponerent, vt in profundũ disputationum mare ingrederentur; quantum in obtinenda Dei virtute ad feliciter piscandum, etiam ad littus & simplici ac sincera doctrina.

Serm. 1.

i *Ioan.* 21. 12

Eusebius

Sed vite-

5 SED vlterius adhuc progreditur virtus obedientię in hiſce piſcationibus, in quibus fuit quiddã valde inſigne. Nam in prima piſcatione obediuit S. Petrus in laxandis retibus, agnoſcens ipſum Chriſtũ, qui laxari iubebat; in ſecunda autem obediuit dicenti vt laxaret, non tamẽ ſciens quis eſſet, qui id ei ſuaderet, quamuis reuera eſſet ipſemet Chriſtus, habitu indutus quaſi hominis volentis piſces aliquos emere. Quæ obedientia fuit multò perfectior & cum quadam ſancta cæcitate, & promptitudine iudicium ſuum alieno ſubijciens etiam cũ experentia docuiſſet, fruſtra ipſos laboraſſe. Vt intelligantur duo modi obedientiæ, qui in his caſibus eueniunt; *Alter* manifeſtus ac certus, cùm ipſemet Chriſtus inſtat Apoſtolos ire prædicatũ in mundum; aut per reuelationes, aut impulſus vehementes cùm eos ad prædicandum in aliquo loco impellebat. *Alter* eſt, cùm idem præcipit per prælatos, in quibus ipſe latet; aut cùm ipſemet fideles ſalutis animarum ſuarum cupidi, id petunt: nã & in illis eſt Chriſtus; & per eos petit, vt laxent retia ad conuerſionem peccatorũ. In vtroq; autem modo neceſſe eſt Chriſto Domino noſtro obedire. Et qui obediendi ei cauſa concionatur, ſperare poteſt proſperã ſuã piſcationẽ.

6 SED aliud quoque myſteriũ latet, quòd in prima piſcatione fuit Chriſtus D. N. cum Sancto Petro in ipſiuſmet naui, omnibus videntibus; in ſecũda autem fuit procul à naui in terra, & ita rectus vt nõ agnoſceretur: vt ſic duos alios modos ſignificaret, quibus ſuis adeſt Prędicatorib⁹, eosq́ iuuat. *Alter* eſt, cùm manet valde propè illos, ſeſeq́; adeſſe & auxilium illis præbere aliquibus iudicijs manifeſtat. Quod euenit, cùm authoritatem prædicationi adfert, gratiã edendi miracula: quæ ſunt certa teſtimonia præſentiæ ipſius Saluatoris; aut cùm tantos fauores & interna dona eis communicat: vt ex eis certò agnoſcant, Deum cum ipſis eſſe in naui animarum ipſorũ, dirigens ipſum miniſteriũ, quod obeunt. De quo dixit Apoſt. k *an experimentũ quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?* Quaſi diceret ſatis multæ ſunt experientiæ huius rei, ex admirandis operibus q⁹ per me eſt operatus. Sed *alter* eſt modus eos iuuandi valde occultus: cum videtur abeſſe à naui animę, ſeſeq́; occultat nec præbet ſenſibilia ſuæ præſentiæ indicia: ſine quibus tamen magnam præbet efficacitatem, ad viriliter concionandum. Eò enim obedientia & fiducia maior cenſenda eſt quò innitur fidei puriori, magiſq́; ſubiectæ, abſq; ſignis externis: ac proptereà dignior eſt, cui Dominus faueat, dans ei piſcationem copioſiorem.

k *1. Corint. 13.3.*

§. II.

SED nunc videamus quid S. Petro euenerit poſt has piſcationes. Nam priori, ſtupefactus miraculo illo, procedit ad genua Ieſu, dicẽs a *Luc. 5 8.* *me, quia homo peccator ſum, Domine.* Procul omnino erat vt ſuis meritis piſcationem attribueret, qui ſe tantum agnoſcit peccatorem, vt non putet

ſe dignum

se dignum, qui in Christi præsentia maneat, neque illum in sua retineat naui: eum in modum; quo eidem Domino dixit Centurio: b *Domine nõ sum dignus, vt intres sub tectũ meum. Admirabatur*, inquit S. Ambrosius *dona Diuina, & quo plus meruerat, hoc præsumebat minus*: & timens euanescere, ait: *exi à me*. Non rogat, vt deseratur, sed ne infletur, ne amittat quod acquisiuit: vt ex hoc facto Prædicatores discãt, quid agere debeant in prosperis euentibus: seipsos scilicet coram Deo humiliantes, eosq; diuinæ bonitati & omnipotẽtiæ tribuere: nullo autem modo proprijs meritis; imò indignos potiùs se debent iudicare, quibus Deus assistat ad opera adeò egregia. Quòd si timeant vanam gloriam, possunt cũ reuerentia dicere: *exi à me Domine*, ne talia per me edas facinora: quia magnus sum peccator superbus, & inanis gloriæ cupidus, & arrogans: & fortè gloriam, quæ tibi debetur mihi attribuam. In qua re non petunt reuera, vt Dominus ab ipsis discedat; sed ne ipsos in superbiam incidere patiatur. Et quemadmodum Christus D. N. non solum non exiuit à Petro, propter eius dictum; sed potius eum consolatus est, & maiori affecit honore, dicens ei: *noli timere, ex hoc iam homines eris capiens*: ita etiam, qui ex humilitate se subducit, non est propterea abiectus; nec Deus admittit vt se subtrahat; sed potius eum consolatur, erigitq; ne, vt in piscatione sua progrediatur.

b *Matth. 8. 3 in hunc locum S. Luc. lib 3 de virgin.*

Sed quis non admiretur consilium Dei, ad tuendam & asserendam humilitatem suorum piscatorum? in hoc enim euentu tanta fuit captorum piscium multitudo, vt *nauiculæ penè mergerentur*: timens autem Petrus ne id omnino accideret propter sua peccata, (vt ait Euthymius) dixit: *exi à me Domine, quia homo peccator sum*: ne submergatur nauicula ob temeritatem meam, qua simul tecum esse audeo. Quid autem hoc aliud est, nisi nobis insinuare, quod soleat Dominus noster permittere suos Concionatores post felices huiusmodi euentus incidere in aliqua pericula tentationum aut afflictionum, qui instar saburræ eos humiliet & timore afficiat, ne euanescant? Adeo enim miseri sumus homines, vt ex mirabilibus, quæ Deus per nos operatur, superbiẽ sumamus occasionem; nisi Deus aliquid à nobis prodire permittat, quod nos confundat, & ad misericordiam petendam impellat.

In Luc. 5.

Ivsti tamẽ nõ semper tenduntur hac via timoris; nec propterea desinunt esse humiles. In secunda enim piscatione, agnoscẽs S. Petrus ex miraculo totp: scium captorum, esse Christum D. N. qui erat in terra, & iusserat retia laxare: non solum non fugit ab eo, sed magno potiùs feruore *proiecit se in mare*, vt citiùs ad eum perueniret, iudicans nauiculam valde tarde progredi. vt ex hoc intelligatur, quod aliquando Prædicatores bene iam in humilitate & diffidẽtia de seipsis fundati agnoscant amplius virtutem Christi; & excitẽtur animum que accipiant, vt per intimum amorem

rem & internam familiaritatem magis cum ipso vniantur. Iudicantes autem ordinarium aliorum gressum esse tardiorē; illo relicto, extraordinarium induentes feruorem, studeant maiori cum perfectione Deo seruire. Quare admiranda quadam harmonia in prosperis euentibus, nunc humilitatem exercent, fugientes inanem gloriam; nunc augetur in eis fiducia, cum maiori feruore charitatis. Et in vtroque debent semper Domino huic esse grati, gloriamque & gratias referre propter piscationem: siquidem facta est in nomine & virtute Diuinæ eius misericordiæ.

SED quoniam obedientia & fiducia non excludit prudentiā, quæ moderatur occupationes: necesse est Concionatores diligenter attendere, ne patiantur adeò se ab illis opprimi: vt se periculo exponant omnia amittendi. Et hoc est, quod S. Lucas insinuat in prima piscatione dicens: *Luc. 5. 6.* *rumpebatur rete* ob copiosam piscium multitudinem, qui illud sūt ingressi, quamuis re vera ruptum non fuerit, quia Dominus voluit miraculo integrum & illæsum conseruare. Quid autem est, rumpi rete in tanta piscium multitudine: nisi quòd Prędicatores & Operarij Euangelici moneantur periculi in quo versantur, quando nimium progrediuntur in suo officio: ne ob Concionum, & Confessionum & negotiorum multitudinem, quibus se implicant, eis eueniat, vt officium retardetur, & iactura faciāt integritatis & puritatis ministerij sui; sanitas lædatur, spiritus suffocetur, & propria deficiat perfectio. Et hæc eueniūt ex nimio & indiscreto feruore: quia transgrediuntur limites ab ipso Domino cōstitutos. Et vt plurimum in hoc admiscetur aliquid vanitatis, quæ hominem vrget ad maiores labores, quā ferre possit, propter gloriam ex eis sibi obuenientē. Et dęmonium meridianum impellit ad tot labores, vt rūpatur rete, & cesset piscatio, nec animas lucretur, quas illo piscabatur. Qui tamen ex obedientia progrediuntur, veraq ue fiducia, & continent se intra mensuram iuxta dictamen prudentiæ, non debent esse timidi & pusillanimes in re tanti momenti; sed magno animo aggredi quicquid vult Deus. Quietā adiuuabit, ne rete rumpatur, nec frangatur ministerium, nec salus deficiat, aut spiritus propriæ perfectionis intepescat. Quòd si ex aliquo indicio aduertant rete rumpendum: accipiant ex eo occasionem, vt prudenter occupationem suam moderentur; non verò, vt piscationem omnino deserant: Deus enim misericordiā & benignitate sua detrimentum imminens auertet & ipso exercitio vires augebuntur, taliaque opera edet, talesq; proferent fructus reti integro permanente, nec indicium fractionis edente: sicut dixit S. Ioannes de secunda piscatione, quod cùm d *Ioan. 21. 12* *es tot essent, ac tanti non tamen est scissum rete.*

AD hanc prudentiam pertinet, quod S. Petrus fecit in prima piscatione. videns enim quod rete rumperetur, & quod ipse solus cum suis illud ex-

trahere

trahere non posset: e *annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos.* In quo apparet prudentia operariorum Euangelicorum, cùm recens accedunt ad aliquam Prouinciã, aut ciuitatem; tantam q; aduertunt esse messem, & piscationem adeo copiosã, vt eorum vires non sufficiant ad totam colligendam. Nam vt illa nõ pereat, aut fructus qui colligi possit negligatur: rogant alios idem institutum & talentum habentes, vt veniant ad ipsos iuuandos, donec messis tota colligatur, & pisces omnes capiantur; & animas omnes lucrentur, quas Deus per ipsos tangere, & vocare est dignatus. Hic fuit semper stylus Apostolorum, & virorũ Apostolicorum, qui eis successerunt: reuocantium semper in memoriam dictum illud Saluatoris: f *messis quidem multa, operarij autem pauci: rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Præcipuè enim orandus est Dominus messis, ipse scilicet Deus, & Christus Seruator noster, vt inspiret operarijs, ac permoueat eos, vt socios suos iuuare velint: eò quòd ipsi sint ad tantam messem pauci. Imò nostris etiam temporibus, qui laborant in Indijs Orientalibus, & Occidentalib. & in Regionibus Septẽtrionalibus apud Hæreticos, clamantes petunt operarios, qui ipsos adiuuent ad piscationem, quæ illis occurit faciendam aut ad conseruandam, quam iam fecerunt. Cuius ratio est: qnia si non est prudentiæ tantùm velle laborare in piscatione colligenda, vt rete ipsum rumpatur & ministerium deficiat; neque decet permittere illam perire: æquum ergo erit alios vocare socios, qui adiuuent. Quod si ex inuidia eos non voceni; aut, ne ipsi aliqua parte gloriæ defraudentur, volentes totam soli habere: id sane valde est à charitate & humilitate Christiana alienum; & genus quoddam crudelitatis permittere animas perire: negligendo vocare cooperarios, & coadiutores ad earum conuersionem; verum est tamẽ quòd ipsamet prudentia dictat: non quoscunque esse vocandos; sed, vt dixit Euang. lista: *annuerunt sociis*, suæ scilicet Professionis: de quibus certi sint, quod possint illos iuuare, & non impedire; sed simul sese coniungere ad piscationem perficiendam, & per eadem media animas lucrandas. Si enim existimet, alios accedentes, potiùs impedituros suis dissensionibus, & diuerso modo prædicandi: expedit eos non vocare. Si enim venerint, citiùs iuuerint vt rete rumpatur, propter schisma & discordiam inter ipsos operarios. Tali tamen periculo cessante, tenenda est regula ab ipso Christo Domino suis Apostolis tradita, cùm illi dicerent: l *Magister vidimus quendam in nomine tuo eijcientẽ dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum.* Ipse autẽ Dominus dixit eis: *nolite prohibere eũ. Qui enim non est aduersum vos pro vobis est.* Hoc, qui idem facit quod vos, nec vobis aduersatur, vestros conatus adiuuat; ide oq; non expedit auxilium eius reijcere.

Ex quo fit, vt quemadmodum piscatores sancti Petri socij, qui in alia erant naui, statim atque signa vocantium viderunt, accesserunt cum cha

c *Luc.* 5. 7.

f *Luc.* 10. 2.

l *Luce* 9. 49. *Marci.* 9 37

6

ritate ad eos iuuandos, ostendentes etiam in hoc suum obedientiæ modum, & subiectionis, sancti Petri signis; & omnes simul rete extraxerunt cum tot piscibus, vt impleuerint ambas nauiculas: ita qui amorem Christi, zelumque salutis animarum habent, cum audiunt adfectum operariorum in alijs regionibus; & signa ac petitiones aduertunt petētium auxilium, cum magna promptitudine sese offerunt ad eos iuuandos. Et simul manentes pręclaras faciunt piscationes, vt impleant omnia sua desideria circa fructum faciendum: quia Dominus remunerat eorum obedientiam ac fiduciam euentu illo felici. Est enim insignis obedientia offerre sese ad egregia huiusmodi facinora; & sociorum vocem audire, quę est vox Christi per eos clamantis. Estque quidam modus crudelitatis, quod qui potest eos iuuare, nec legitimè impeditur, non se ad id offerat, ne animę pereant ob defectum adiutorum. Hoc enim est de quo lamentabatur Ieremias, quòd m *paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

m *Thren.* 4 7

DENIQVE, vt obedientia magis splendeat, cessentque perplexitates, schismata, ac dissensiones quæ in ijs ministerijs esse possunt: dirigit Christus D. N. sermonem suum in hac piscatione ad Petrum, dicens ei soli: *duc in altum*; & ille omnium loco respondet: *in nomine tuo laxabo rete.* volebat enim Christus Sanctum Petrum facere totius nauis Ecclesiæ & piscationis animarum caput vniuersale, suumque vicarium in eodem officio dirigendi & gubernandi reliquos piscatores: ita vt eius auctoritate & gubernatione reliqui omnes progrederentur, retiaque laxarent ad eius nutum, sicut ipse Petrus ipse laxauit ad nutum Christi. Quicunque autem Sancto Petro contradixerit, eiusque successoribus; aut ab eorum gubernatione se subduxerit, is Schismaticus est; & quantum est in se, contendit rumpere rete, & diuisionem ac turbationem ponere in ipsa naui. Deo autem ipsi incumbit eam sua protectione tueri, vt rete S. Petri, hoc est eius doctrina, & prędicatio non deficiat, neque rumpatur; neque eius nauis, quæ est Ecclesia, vnquam pereat, etiamsi multa patiatur.

Ex quo oritur, quòd authoritate Successorum S. Petri, hoc est, Romanorum Pontificum vnaquæque Religio mendicantium, instar cuiusdam nauis multorum piscatorum animarum, Prælatum & caput vnum habeat, illos omnes gubernās; cuius cōsilio ac directione distribuuntur Prędicatores ad suam piscationem; & religiosi eunt prædicatum in varias Prouincias, aut Ciuitates aut oppida, & varias alias stationes. Quod si Religiosi felicem suæ piscationis exitū habere cupiunt: necesse est valde esse obedientes, & subiectos, laxantes retia in locis sibi designatis; fidentes Deo, quòd ibi sit eis auxilium daturus; & quòd ibi sint ipsi futuri n *sicut sagittæ in manu potentis, & sicut filij excussorum.* vbi S. Chrysost. legit: *alligatorum.* Hi enim filij, qui terrena omnia negotia à se excusserunt, seipsos

n *Psal.* 126.

4 *Ibidem.*

tamen

tamen alligarunt: tribus votis; Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ: vt ministerijs suis melius attenderent, erunt sicut sagittæ in manu potentis Dei, qui vehementi impetu eos iaciet, vt ingentem faciant fructum animarum. Et S. Augustinus aduertit quò brachium est fortius, ac robustius: eò remotius iacere sagittam: cùm autem Dei brachium sit omnipotens: ideò Apostolos proijcit vsque ad vltimos fines terræ. Propterea enim Apostolus dixit de eis: o *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et etiamnum Prælati Religionum, quorum brachium est Christi brachium, proijciunt filios suos etiam vsque ad vltimos fines terræ, & illi tanquam filij obedientiæ, & sagittæ electæ, & manui mittentis subiectæ, proficiscuntur magna cum animi voluptate ad designatum sibi locum, & per eos operatur Deus multa præclara in bonum animarum: vt per eius diuinam misericordiam vidimus in Religiosis Societatis Iesu, qui sagittarum instar sinunt se in manu suorum Prælatorum, & summi Pontificis, cum voto speciali proficiscendi absque vlla repugnantia, quocunque ille voluerit eos mittere, siue ad infideles, siue ad hæreticos: & ita huic obedientiæ confidentes, insignes effecerunt conuersiones hominum in toto mundo.

Ibidem.

o *Roman.* 10. 18.

Svperest itaque solum, vt supplices oremus Dominum Deum nostrum, vt dignetur Ecclesiæ suæ de huiusmodi piscatoribus ac sagittis prospicere: quales iam depinximus, vt animarum lucrum accrescat. Absque vllo enim dubio familia huiusmodi operariorum potest se felicem reputare; & beatum illum cẽsere possumus, cui sunt illi commissi: de quo dixit Dauid: p *Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis*, aut vt S. Chrysostomus legit: *Beatus qui impleuit pharetram suam ex ipsis*, scilicet sagittis. Ac proinde felix ac beata Religio, quæ in modum pharetræ plena est selectis adeò sagittis, & beatus illæ Prælatus, qui sua directione eas potest educere, & per mundum in varias partes mittere: vt in virtute Dei peccata occidentes, peccatores conuertant, Ecclesiam amplificent, & cœlos reploant.

p *Psal.* 129.

(··)

CAPVT XIII.

QVO ZELO ET ANIMI FORTITVDINE PRAEDICANDA sit veritas & vitia reprehendenda.

QVONIAM EVANGELICA DOCTRINA ADEO ADVERSATVR erroribus infidelium, vitijque mundanorũ, & omnium peccatorum repugnantium ac pertinacium: necesse est Prædicatorum errores illos impugnantem ac dissoluentem, ac de vitijs monentem & reprehendẽtẽ homines, magnas pati persecutiones & aduersitates; nec posse munus suum, vt oportet, obire: nisi feruenti zelo, magna animi fortitudine, patientia munitum: vt veritatem, etiamsi displiceat, auditoribus liberè prędicet, conculcatis omnibus timoribus, quos Dæmon, mundus, & caro adinueniunt: vt eis se opponant, ac resistant. Zelus hic valde eluxit in omnibus Prophetis, prædicantibus quæcunque Deus iubebat, pectore adeò inuicto, vt auderent suum os Regibus ac Principibus ostendere: nihil dubitantes eo nomine in carceres mitti, serrâ scindi, & crudelissimis cruciatibus vitâ spoliari. Prætereamus exemplum zelantis Eliæ, quod supra recensuimus; & aspiciamus Micheam Prophetam qui eodem tempore officium suum præstitit. Is enim adeò imperterrito animo veritatem affirmabat, vt neque Rex Israel, neque quadringenti Prophetæ Baal contrarium asserentes, neque falsi Consiliarij ad annuẽdum Regi cum falsis Prophetis ipsum inducentes, efficere potuerint, vt veritatem, quam à Deo cognouerat, occultaret. Ac propterea Rex Israel loquens cum Rege Iosaphat de Micheadixit: a *Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* Infelix enim ille Rex id tantum reputabat bonum, quod esset suis votis conforme; etiamsi aliàs esset falsum; malum autem vocabat etiam quod esset verum, si palato suo aduersaretur: ideoque oderat Prædicatorem verum ipsi dicentem. In huiusmodi enim locum habet vulgare prouerbium: *veritas odium parit* adulatio verò comparat amicos. Ex quo fit, vt qui de tali amicitia gloriantur, gerant se sicut nuntius ille missus à Rege Israel ad ipsum Micheam, vt responderet: an esset iturus ad quoddam bellum, quemadmodum quadringenti Prophetæ Baal illi suadebant: dixit enim nuntius Micheæ: *ecce sermones Prophetarum ore vno Regi bona prædicat, sit ergo*

Tract. 4. c. 7

a 3 Reg. 22. 8

sermo

sermo tuus similis eorum. & loquere bona sic.n. excipieris cum honore à Rege & à tota eius aula quemadmodum reliqui Prophetæ. Sed quid illi verus Dei Propheta respondit: *viuit Dominus* (inquit) *quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar*, siue illud placeat, siue displiceat, siue prosperũ sit, siue aduersum: etiamsi intelligã, omnes contra me insurrecturos: ac propterea à Regis gratia me excasurum, & à totius populi fauore & amore; & libertatem meam, honorem ac vitam amissurum. Qui quemadmodum se facturum iurauit, ita opere impleuit: quamuis propterea fuerit *percussus* à quodam falso Propheta *in maxillam*, & iussu Regis *missus fuerit in carcerem in quo sustentaretur pane tribulationis & aqua angustiæ*; hoc est, pro cibo haberet cruciatus, & angustias pro potu.

§. I.

2

HAVD dissimilis fuit Ieremias Propheta, quem Deus in suum elegit Prædicatorem: & cum eum ad prædicandum mitteret, dixit ei: a *accinge lumbos tuos, & surge & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi. Ego quippe dedi te hodie in Ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum. super omnem terram Regibus Iuda, Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduersum te, & non præualebunt: quia ego tecum sum, vt liberemus te* Iure optimo Dominus noster suum Prædicatorem vocat *Ciuitatem munitam* sicut vocauit Apostolus: b *Ciuitatem supra montem positam.* Debet enim habere in se exercitium virtutum, & sanctorum operum, quæ instar castrorum eum protegant ac defendant; debetque esse munitus & corrobaratus omni genere armorum spiritualium, quæ Sanctus Apostolus vocat c *armaturam Dei*, cum dixit: *state succincti lumbos vestros in veritate* (amplectentes veram castitatem & puritatem) *& induti loricam iustitiæ, & calceati pedes* (mortificantes affectus vestros terrenos) *in præparatione Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam* & spem *salutis assumite; & gladium spiritus, quod est verbum Dei*, quod prædicaturi estis. His armis munitus Prædicator, erit quasi *Ciuitas* benè *munita*, & *columna ferrea*, & *murus æreus*; coniungens vitæ, morumque celsitudinem cum fortitudine & firmitate, ad Ecclesiam doctrinâ sua sustentandam ac defendendam Ita vt quamuis magnates, statûs seculares & Ecclesiastici, & multitudo plebis contra eum exurgant, præualere non possint: quia habet secum Deum protectorem, & adiutorem præcipuum. Nec censebuntur præualere, etiamsi ipsum capiant, torqueant, & mactent. Id enim totum fecerunt Principes & Sacerdotes Iuda contra Ieremiam: nec tamen contra eum præualuerunt: quia non potuerunt efficere, vt desineret veritatem prædicare iuxta Dei mandatum: in quo ipse contra eos præualuit.

a *Ierem.* 1. 17

b *Matt.* 5. 14.

c *Ephe.* 6. 13.

QVID igitur dicemus de Propheta Ezechiele: cui Deus tantam dedit

animi

animi fortitudinem, ad prædicandum ipsius verbum genti rebelli & cõtumaci Israel, vt diceret ei: d *ecce dedi faciem tuam valentiorem facieburum; & frontem tuam duriorem frontibus eorum. vt adamantem & vt silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos neq; metuas à facie eorum: quia ego tecum sum.* Atque si ei dixisset: quamuis populus, ad quem ego te mitto, sit temerarius, fortis ac durus in peccando: ego te audaciorem, fortiorem, ac duriorem reddam ad prædicãdum, & reprehẽdendũ eorum vitia, si forte audiant & conuertantur. Perpendit autem S. Gregorius, quòd Deus conferat faciẽ & Prædicatoris cum adamãte, qui est lapis pretiosus, & magni ornamenti; & cum silice, lapide scilicet vili & conculcato: vt intelligat, quòd erga potentes, qui ipsum honorant, debeat esse solidus quasi *adamas*, seruãs magnã authoritatẽ, & animi libertatẽ, ne propter eorũ respectum deficiat in ijs, quæ præstare debet; cum alijs autem, qui ipsum, contemnunt & quasi calcant: debet esse durus sicut *silex*, ad tolerandum nec deflectendum propter humanum timorem ab eo, quod ex officio præstare debet. Et quemadmodum silex est igneæ naturæ, & emittit scintillas cum excussorio ferro percutitur: ita facies Prædicatoris, accensa esse debet igne amoris & zeli contra peccata, ad accẽdendos peccatores amore Dei: seipsum verò defendendum, ne repugnantium iræ & minæ ipsum terreant aut noceant. Ad idem propositum tendit, quòd Deus iusserit eundem Prophetam, cùm prædicaret contra rebellem Ierusalem, e *sumere sartaginem ferream, & ponere eã in murum ferreum inter se & Cant.2.* ciuitatẽ. quæ sartago (vt ait idem S. Gregorius) significat vehementẽ zelum gloriæ Dei & salutis animarum, quemadmodum enim cibus frigitur in sartagine: ita anima zelantis Prædicatoris frigitur in ipso zelo: cum ita est accẽsus sicut Apostoli dicentis: *f quis scandalizatur, & ego non vror?* Qui zelus est instar muri ferrei protegentis Prædicatores aduersus pertinaces, qui ipsis resistunt; & in Die iudicij reddet eos tutos, cum exigetur ab eis ratio de præstito suo officio.

4

TRANSEAMVS nunc ad nouum Testamentum, & faciamus initium á Sancto Christi Præcursore, qui g *præcessit ante ipsum in spiritu & virtute Eliæ*, imitans zelum huius Prophetæ? quo incẽsus asperè reprehendebat vitia Phariſæorum, appellans eos h *genimina viperarum*: & postea ostendit animi sui fortitudinem in Regem Herodem, dicẽs ei: i *non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Quamuis autem *Herodes, eum libẽter audiebat*; & ipse intelligebat, propter huiusmodi reprehensionem Regis amicitiam se amissurum, & venturum in odium & iram Herodiadis: non tamen propterea ab officio suo destitit, neq; à Rege cum libertate reprehendendo. Quocirca ipse Christus de eo dixit, quòd nõ esset k *arundo vento agitata*: non enim erat inanis aliquis homo, quærens honorem suum; mutabilis, aut

incon-

d Ezech. 3.8

Hom. 10. in Ezech.

e Ezech. 4.3

Homil. 12. in Ezech.

f Corint. 11. 29. Et 2. Pastoral. C. p. 10.

g Luc. 1.17.

h 3.7.

i Marc. 6.18

k Matt. 11. 7.

inconstans sicut Luna; non euanescebat prosperitatibus: neque aduersitatibus animum abijciebat: non flectebatur potentium fauore, neque ob eorum minas spiritum suum relaxabat; sed potiùs in suo splendore l *sicut Sol* permanebat. erat colũna ferrea inuicta, quasi vna illarum quas posuit Salomon in templo. m *ex ære fusili*, quas vocauit Iachin & Booz. hoc est firmitatẽ & fortitudinem quarum præclaras proprietates postea explicabimus. Eius quoque facies erat *sicut adamas & silex: adamas* quidem ob vitæ perfectionem, & præstantiam: quæ, n *cum ipse nullum signum fecisset*, sufficiẽs tamen fuit vt ab omnibus in honore haberetur, & magnificeret, multosque conuerteret peccatores: *silex* autem propter insignem suam humilitatem, simul cum igne & zelo charitatis: qua tenebatur ad propugnandum honorem Saluatoris. Quemadmodum apparuit cum tactus excussorio ferro illius interrogationis: o *Tu, quis es?* Respondit zelo humili, & humilitate zelante se neq; Christum esse, neq; Eliam; sed *vocem clamantis in deserto: dirigite viam Domini*. propter quæ ipse Saluatoreum appellauit: p *lucernam ardentem, & lucentem*: ardebat enim igne charitatis, & feruentis zeli, ac desiderij gloriæ Dei, lucebat autẽ prædicatione, qua proximorum bonum promouebat. Cuius ardor & lux tanta fuit, vt aquæ persecutionum, quas Herodes in ipsum excitauit, non potuerint eam extinguere. Quamuis enim vitam ei abstulit, quamdiu tamen illa perduranit, nunquam eius flamma passa est aliquam imminutionem.

l *Eccl.* 27. 12 m 3. *Reg.* 7. 15. 12 *Tract.* 7. n 13

n *Ioan.* 10. 41.

o *Ioan.* 1. 20 23.

p *c.* 5. 35. *S Gregorius Homil* 11. *in Ezechiel.*

Hoc primum exemplar est Prædicatorum Euangelicorum, quorum officium est esse præcursores Saluatoris; & præparare corda hominum. quæ ipse inhabitet per fidem & charitatem. In cuius rei signum q *misit ipse discipulos suos tanquam præcursores ante faciem suam in omnem locum, quò ipse erat venturus*. Nam (vt S. Gregorius explicat) Christus Dominus noster sequitur suos Prædicatores; & prædicatio præuenit ac præparat hospitium animæ, in quam ipse per suam gratiam ingreditur: ac propterea omnibus competit illud Isaiæ: r *parate viam Domini*; & illud Dauidis: *iter facite ei, qui ascendit super occasum*: vt illuminet manentes in occidente peccati. Ad quod munus obeundum, vt oportet, necesse est, eos imitan zelum ac fortitudinem magni Ioannis Baptistæ; & esse lucernas ardentes, & illuminantes ita firmiter & constanter, vt nulla tribulatio extinguere eam possit.

q *Luc.* 10. 1 *S Gregorius Homil* 19. *in Euang.*

r *Isaiæ*, 40. 3 f *Psalm.* 67. 5.

Præclarius tamen adhuc est exemplar ipsius Christi nostri Saluatoris ac Magistri: cuius in hunc modum aduentus fuit eo tempore & occasione; vt ostendere potuerit magnũ suũ zelũ & fortitudinẽ qua restitit & opposuit se innumeris peccatis, quæ tunc maxime in populo illo Hebræo feruebant; & errantibus doctrinis Scribarum, Pharisæorum, &

t *Luc.* 11.53 Pontificum, ac Sacerdotum, qui eius erant Magistri. Qui cum ferè non possent graues ipsius Domini reprehensiones: calumniabantur, & persequebantur eum, vt S. Lucas ait: t *cœperunt grauiter insistere, & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius, vt accusarent eum.* Quāuis autem multùm illi laborarent, vt os eius obstruerent: nunquam tamen libertatem & authoritatem eius opprimere potuerunt. Et quamuis ipsimet discipuli, præ timore seueritatis, qua illos homines tractabat, voluerint eum à proposito auertere: ipse tamen non destitit. Et cum quidam Phariſæorum semel ei dicerent: u *exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. ipse dixit eis: ite & dicite vulpi illi:* me ipsius causa non cessaturum ab officio meo, donec consumar. Et sic perseuerauit vsque ad mortem in cruce sub manibus hostium suorum.

Matt. 15.14 u *Luc.* 13.32.

§. II.

NE TAMEN exemplum hoc Saluatoris occasionem præbeat zelantibus minus prudentibus, & audacib. alicuius lapsûs, aduertendū est. in duobus casibus ostendendum esse zelum & fortitudinem vsque ad sanguinis effusionem. PRIMVS est, in prædicanda & docenda vera doctrina fidei Catholicæ, & morum proborum aduersus eos, qui falsè eam impugnarent aut impedirent. Tunc enim (vt ait S. Thom.) nunquam est desistendum, aut de feruore remittendum, propter minas, aut humanos timores; neque ob scandala, aut tumultus, qui exurgerent: quemadmodum & ipse Saluator fecit, cùm suam doctrinam prædicabat; & eius Apostoli ipsum imitantes infracto pectore ac zelo fecerunt. Nam cum Principes Sacerdotum mortem eis minarentur, si Christi doctrinam prædicarent: magno animo responderunt: a *si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum: iudicate, non enim possumus, quæ vidimus, & audiuimus non loqui:* neque enim tam estis cæci, vt non iudicetis præstare, vt Deo ipsi potius obediamus, quàm hominibus. Non dixerunt eis, vt attenderent an iustum esset in proprijs ipsorum oculis; sed in *conspectu* & coram oculis *Dei*: nam Prædicatores & Magistri non debent adhibere pro regula ac directione sensus ac iudicij, quod verum ac iustum appareat in oculis humanis, laborantibus, superbiâ, inuidiâ, & cupiditate; sed quod verè iustum est in oculis purissimis Dei qui nunquam decipiuntur; & semper iudicant pro veritate & iustitia: quam vbi satis cognitam habēt, dicere debent: *non possumus, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui,* & prædicare. Hoc est quod lumine rationis ac fidei nouimus, & quod Deus iubet vniuersō mundo publicari, nō possumus nō loqui. Quodsi hoc nomine cōparabimus nobis inimicos, eò quòd *veritas odium pariat*: illud accipiant pro solatio, quod Deum sibi faciant amicum; dum, quod ille iubet, promulgant. Ita euenit S. Paulo Apostolo, cùm Galatis prædicabat, non esse amplius

2.2.q.43 a. 7.ad 2. & 4

a *Act.* 4.19.

obseruan-

obseruandam legem antiquam. b *ergo*, inquit, *inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Nec tamen propterea destitit verum dicere, ac docere eos, ac reliquos, donec caput suum pro Catholica veritate exposuit. b Galat. 4.16.

2.

Idem adhuc melius intelligitur, proposito secũdo casu, qui frequentior est: ostendendo scilicet zelum & animi fortitudinem in reprehendendis vitijs: quamuis non fiant cum intellectus errore contra veram doctrinam, sed ex sola malitia & voluntatis prauitate: vitia enim publica, quæ detrimentum adferũt communitati, magno & imperterrito animo sunt reprehendenda: quamuis aliqui particulares, cuiuscunque illi sint qualitatis & conditionis, turbentur & indignentur. Nam (vt ad hoc propositum dixit S. Thomas) communitatis bonũ cuiusuis particularis hominis paci & quieti est præferendum. Quare cùm aliqui deprauata sua vita & malo exemplo, ac detestandis colloquijs plebem scandalizant, eamque incitant ac prouocant, ad eos in similibus peccatis imitandos: non debent doctores ac prædicatores vereri indignationem, & offensionem, quam illi ex ipsorum reprehensione sibi accipiunt. Et quamuis illi scandalizentur, accipientes ex huiusmodi prædicatione occasionem vltionis, & grauium aliorum peccatorum: hoc scandalum (vt idem S. dixit) non actiuum est, sed passiuum: hoc est, non prædicatores illud præbent, sed peccatores iniuste illud sibi accipiunt. Et de huiusmodi dixit S. Gregorius: si de veritate scandalum sumitur, vtilius permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur. Et huiusmodi fuit scandalum Pharisæorum: propter quod noluit Saluator desistere à suæ doctrinæ prædicatione: sed potiùs cum Discipuli ei dicerent: c *Magister, scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt? ipse respondit: sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum, cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* quasi eis dixerit: ipsorum id culpa fit, & plebis eos sequentis: non decet autem me præterire admonitiones & exhortationes ad illos, vt tandem aperiant, oculos, & cæci esse desinant; quod si facere nolint, incident & peribunt in fouea scandali, quod ipsimet sibi accipiunt. 2. 2. q 43. a 1 ad 4. Homil. 7. in Ezechiel. c Matth 15.14

3.

Hoc idem confirmat S. Bernardus his præclarissimis verbis: cum carpuntur vitia & inde scandalum oritur: ipse sibi scandali causa est, qui fecit quo argui debeat. Neque cautior, inquit, sum viro illo Sancto, qui dixit: melius est vt scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur. Quanquam nescio quid profit: si quod mundus clamat, ego tacuero: omniumque passim naribus iniecto fœtore, solus dissimulo pestem. Hoc idem intendit Apostolus, cùm Sancto Timotheo dixit: d *peccantes coram omnibus argue: vt & cæteri timorem habeant.* Sed an non (ait S. Chrysostomus) scandalum augetur, si peccata coram hominibus reprehendantur? imo dico maius fore scandalum, si peccata publica ab omnibus aduertantur; & Epist. 78. S. Gregorius „ „ „ „ d 1. Timoth. 5.20. ibi.

tamen nec reprehendantur. nec puniãtur. Quemadmodum enim medici accipiunt sibi facultatem peccandi, quando impunè peccant: ita cum peccata reprehenduntur, & puniuntur multi student esse virtuosi. Et quo deducit S. Thom. Prædicatores teneri corripere & punire huiusmodi delicta: siue pœnâ iuncta impediat illa in ipso delinquente, siue illo culpâ suâ nolente abstinere, saltem præueniat detrimentum communitatis, & alios reddat cautiores. vt enim Salomon dixit: *pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Quamuis autem verum sit, habendam esse aliquam rationem authoritatis eius, qui peccat: propterea enim dixit Apostolus discipulo suo Timotheo: f *seniorem ne increpaueris; sed obsecra, vt Patrem.* Hoc tamen (ait S. Gregorius) intelligi: cùm seniorum culpa non est iunioribus mortis occasio: si tamen senior malo suo exemplo eos destruit & corrumpit, debet seuerè ac fortiter reprehendi. Nam (vt ait S. Thomas) Apostolus loquitur de illis senioribus, qui sunt tales non solum ætate, sed authoritate etiam, & morum grauitate. de quibus Dominus dixit Moysi elige g *senes* in iudices populi, *quos tu nosti, quòd seues sint.* Quando autem ætate senes, sunt moribus iuuenes; & senectute sua vtuntur tanquam armis ad iuuenes scandalizandos: corripiendi sunt pectore intrepido, quemadmodum increpuit Daniel duos illos senes, appellans eos h *inueteratos dierum malorum.* Denique ita strictè hoc reprehendendi munus Prædicatores obligat, vt Deus de illis conqueratur, qui ob humanos respectus illud negligunt, vocans eos i *canes mutos non valentes latrare*; hoc est, videntes lupos discerpentes oues, non audentes contra eos latrare; nec reprehendere impia illorum exempla; nec monêtes oues, vt eos fugiant. Et per Ierem. dixit: k *Prophetæ tui non aperiebant iniquitatem tuam vt te ad pœnitentiam prouocarent.* Nam (vt S. Gregorius explicat) non aperiebant claue reprehensionis peccatum tuum; quod etsi alijs notum ac manifestum, tibi autem erat occultum, aut parui illud faciebas: ac propterea negligebas pœnitentiæ remedium adhibere. Etiã Apocalypsi Deus grauiter reprehendit Episcopos, qui patiebantur publicos huiusmod peccatores, vt postea videbimus.

SED quoniam in hac vitiorum publicorum correctione potest Prædicator prudentiæ limites excedere: aduertendum est, quòd cum huiusmodi vitia tantùm sunt in paucis aliquibus, & quidem sine periculo inficiendi populi multitudinem: expedit adhibere correptionem secretam publicæ prætermissa: maximè, si timeatur, quod publicè adhibita, illi fient deteriores; & noua aliqua scandala exurgant, & turbationes, aliaque damna maiora sequentur, quàm quæ nunc sunt. Nam (vt ait S. Thomas) in hoc casu non obtinetur finis correptionis, quæ in bonum proximi dirigitur: si, vt diximus, credatur potiùs proximus euasurus

deterior

c *Proner.* 19. 25.

f 1. *Timoth* 5. 1.

Lib. 7 Epist 2. refertur c paulus. 2. q 7.

3 p. q 42 a. 2 ad 3.

Numer. 11. 16.

h *Daniel.* h. 3. 52.

i *Isai.* 56. 10

k *Thren.* 2. 14. *lib. 2. past.* c. 4.

Tract se quenti: c. 12. & 15. a

2. 2. q 33. a 6

deterior si publicè corripiatur iuxta illud Salom. l: *noli arguere derisorem ne oderit te.* Et Ecclesiasticus idē amplius explicauit, dicens m: *non incendas carbones peccatorum, arguens eos: ne incendaris flammâ ignis peccatorum illorū:* Quemadmodum enim carbones extincti nō nocent; quando autem accenduntur & fouentur comburunt accendentem, & attrectantem; ita cùm Principes aut personę publicę sunt quasi carbones mortui, ac turpes in seipsis propter sua peccata; sed sine aliorum detrimento: non expedit publica reprehensione, irâ & indignatione magna eos accendere, ita vt ipsum reprehendentem accendant, & comburant, addentes etiam peccata præteritis maiora. Et ita S. Augustinus ait sæpè Doctores Ecclesiæ prætermittere correptionem peccantium, non ex negligentia: sed quia verentur illos in maiora mala lapsuros: prætermittere autem, inquit, correptionem spe melioris occasionis, & opportunitatis; aut ex timore, ne illi deteriores fiant, aut aliorum debilium bonum impediant: non erit indicium cupiditatis, aut timiditatis; sed charitatis consilium. Ad idem propositum explicat S. Hieronymus illud Amos Prophetæ: n *prudens in tempore illo tacebit: quia tempus malum est.* Ecclesiasticus enim vidēs peccata publica, quę ob multitudinem & grauitatem suam opprimunt iustitiam; nec, potest ipse remedium adferre: tacet prudenter, & prætermittit prædicationem: o *ne sanctum det canibus* qui censeatur *illud conculcaturi*; & inde accepturi occasionem, vt peiores euadant. Idem consilium approbat S. Greg. exemplo Samuelis, qui postquam Saulem Regem reprehendisset ob eius inobedientiam: cùm tamen Saul respondisset: p *peccaui: sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum: Samuel, reuersus, secutus est Saulem.* Nam si post illam reprehensionem eum reliquisset, & publice tanto pudore affecisset: forte ille occasionem inde arripuisset adorandi etiam idola. Quare, ait S. Gregorius, quandoq; mala Regum & terrę Magnorum toleranda sunt ne exasperati ad maiora dilabantur. Quare sic inquit damnanda est iniquitas potentium, ne exasperentur; & bonum, quod adhuc superetur, abijciant: sæpe enim in occulto sunt mali; & bonum, quod exteriùs præferunt, cedit in vtilitatem multorum, qui libenter eos imitantur. Quare si charitatem illi amiserunt, non sunt ira irritandi, vt etiam fidem abijciant; & inobedientiam, quā exhibent Ecclesiæ veræq; Religioni.

Prouerb. 9.8
m *Eccl.8.13.*

Serm.36. de Sanctis
Lib.1. de ciuit c.9.

n *Amos, 5 13.*

o *Matth 7. 6.lib. 6. in 1.Reg c.2.*

p *1. Regum 15 30.*

§. III.

AD hanc animi fortitudinem zelumque vehementem obtinendum, necesse primum est Prædicatorem valde liberum esse à peccatis, quæ velit in alijs reprehendere. Neque enim feruenter poterit culpam reprehendere, qua ille laborat: facile enim dicetur ipsi: a *medice cura teipsum*; & cur cum eodem morbo labores, non assumis tibi medi-

a *Luc 4 23.*

camentum

camentum, quòd alijs in prędicatione tua porrigis? applica igitur tibi priùs cauterium, quod alios inuris. Attende, quòd b *in quo iudicas alterum teipsum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas.* Et c *quid vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides?* vitium enim quod in communi plebe est festuca, censetur esse trabs in Prædicatore, & Magistro, qui magis tenetur bonum præbere exemplum. Et (vt S. Gregorius ait) ordo erectionis in bono est, vt primum contra nos, postmodum contra alios erigamur: memores dicti illius Saluatoris ad accusatores mulieris adulteræ: d *qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Prius, inquit, reuocantur ad conscientiam; vt prius propria corrigant, & postea aliena reprehendant. Quare S. Iob amicis suis dixit: quæcunque dixi, vera sunt. e *Quod si non est ita, quis* vestrum *me potest arguere esse mentitum?* Qua sententia (vt explicat S. Greg.) insinuauit: quod quamuis qui mentitur aut falsitatem aliquam profert, sit reprehensione dignus: qui tamen huiusmodi aliis subiectus est, non est aptus ad aliena reprehendēda, donec propria exuat, seseque purificet.

b *Rom.* 2.1.
c *Matt* 7.3.
lib. 14. *Moral. c.* 13
d *Ioan.* 8.7.
e *Iob* 24.25.
lib. 16. *moral. c.* 7.

2.

Ex hac cordis puritate, magna sanctitate exornata oritur libertas spiritûs, ad vitia reprehendenda, etiam quorumcunque Magnatum. Nam vt ait hic Sanctus Doctor, temporalis amplitudo non est excelsa in oculis Sanctorū, qui ad culmē sanctitatis eleuati, sub se quasi aspiciunt quod in mundo resplendet. Hinc libertas illa animique magnitudo profecta est, qua Moyses cum Pharaone loquebatur, eiusque duriciem reprehendebat; & simili libertate Nathan Propheta corripuit Dauidem; & Elias Regem Achab; Elisæus Regem Ioram; S. Paulus Principem Sacerdetum; & S. Stephanus Iudæos. Quamuis autem multæ ex his reprehēsionibus valde essent asperæ, fierentque verbis magnę authoritatis: non tamē procedebant ab animo superbo, sed à zelo veritatis. Nam ijdem humilitatē suam in alijs actionibus ostendebāt, vt ipsorum animus agnosceretur, & increpatio mitiùs exciperetur. Superbia enim generat odium; humilitas autem amorem. Et interdum, ait S. Gregorius, solent ipsimet coram omnibus fateri proprias aliquas culpas: vt omnes aduertāt (ueritatem, qua seipsos reprehendunt. Quamuis ita id moderentur, vt alij vtilitatem capiant: nec tamen ipsi authoritatis officij sui iacturam aliquā faciant. Eum in modum, quo S. Apostolus cùm quasdā suas laudes narrasset, adiecit: f *factus sum insipiens; sed vos me coëgistis.* Et vniuersim loquendo verbis superioribus, & cum authoritate prolatis, inserenda sunt alia mollia, & humilia: vt ita magis constet amor interior, quo reprehendunt; & quod nō deponant interiorem cordis dulcedinem, etiamsi exteriùs asperitatem ostendant. Nam iusti, inquit, cùm se vere corrigunt, internæ dulcedinis gratiam non amittunt. Et eodem modo interius seruare debent reliquos

vide apud S. Gregoriū varia exempla lib. 14. *moral. c.* 9. & 10.
f 2 *corin* 12. 11.

affectus

affectus amoris, opinionis bonæ, & amicæ confidentiæ erga ipsos reprehensos: ita vt despiciendo non despiciant, & desperando non desperent. nam videntur despicere ac desperare, vt peccatores terreant: interiùs tamen non ita se habent: quia optant illis prodesse.

3.

In hoc tamen correptionis modo adhibenda est illa dexteritas, quam superiùs proposuimus de g *Gallo* scilicet cui Deus dedit *intelligentiam* in suo cantu. Peccatores enim quasi sepultos, & obstinatos reprehendere debent verbis asperioribus, ac seuerioribus; vt oculos aperiant, suasque miserias & pericula agnoscant; & ex infelici illo statu exire contendant. Hoc modo Isaias Israelitas appellauit h *Principes Sodomorum, & populum Gomorræorum*; & S. Ioannes appellauit i *genimina viperarum*; & S. Stephanus dixit esse k *duræ ceruicis, & semper restitisse spiritui Sancto*; & Apostolus vocabat l *Galatas insensatos*; & principē Sacerdotū m *parietem dealbatum*. Qui autem nobilioris sunt ingenij, nec in suis sceleribus indurati blandius sunt corrigendi, & verbis vrbanis vt fructus sequatur; in quem correptio dirigitur. sicut fecit Christus D.N. in reprehensionibus, quas misit *ad Episcopos Asiæ*, in quibus varia insinuat ad id documenta, vt postea videbimus, Et S Gregorius addit, quando illi habent aliquid laude dignum, expedire vt illud præmittatur, imitando chyrurgum, qui vlcus emollit priusquam scalpello illud aperiat. Hunc in modum Apostolus exorsus est scribens ad Corinthios primam Epistolam, laudans eos de aliquibus virtutibus ipsorum; & postea aggreditur reprehensiones propter schismata, quæ inter eos erant.

c. 7
g *Iob.* 38. 36

h *Isai.* 1. 10
i *Luc.* 3. 7. *Matt.* 3. 7
k *Actuum.* 7. 51.
l *Galat.* 3. 1.
m *Act.* 23. 3

Apocalyp. 2. & 3. *Tract.* 7. c. 9 *& sequētib.* cc cco

Multvm etiam refert, vt ipsa reprehensio fulciatur authoritate infallibili ipsiusmet Dei, & verbis ipsiusmet Christi, sententijs Apostolorum, & Sactorum Doctorum: vt sit efficacior, & auidiùs excipiatur. Quod ipsemet Saluator aliquoties fecit, dum reprehenderet Pharisæos, & suam doctrinam confirmaret authoritate Propherarum, vt cum dixit: n *Hypocritæ bene prophetauit de vobis Isaias dicens: populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me*. Et Ecclesiastes dixit: o *verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à pastore vno*. Propterea enim verba sapientium sæpè sunt quasi stimuli & calcaria, quæ tepidos faciunt currere; non adulantur peccatoribus, sed reprehensione eos pungūt, vt à peccatis mundentur. Nec solùm sunt sicut stimuli, qui dum pupugerunt extrahuntur; sed sunt sicut claui valde accensi in intimum cordis defixi, in quo manēt constantes, solicitant, & nunc timoris: nunc amoris punctūris impellunt ad ea, quę sunt Diuini obsequij omnia tamē hæc verba ita adferri debent, quasi accepta ab vno vero Pastore, qui est Christus, & Deus noster, per Doctores, & Magistros, qui in suis consilijs & cōcilijs ita decreuerunt & explicarunt. Quę si hoc modo proferantur, erunt stimuli & claui magis penetrantes & vtiles.

4.

n *Matt.* 5, 8.
o *Eccl.* 12, 11
S. Gregorius supra.

DE NI-

Homil 9. in Ezechiel

DENIQVE aliam regulam magni momenti tradit S. Gregorius, assignans discrimen inter reprehensores, cùm scilicet sunt prælati & virtute gnæ authoritatis; aut cùm sunt subditi, & homines inferioris conditionis. Nam inprimis ait splendere debere humilem authoritatem: in alijs verò liberam humilitatem. Authoritas prælatorum adiungere sibi debet humilitatem: ne correptio oriatur à superbia & indignatione; & vt sit grenum ac moderatio zeli: humilitas autem minorũ sibi debet adiungere libertatem, ne reprehẽsio omittatur ob animi pusillanimitatem, & timores humanos. Ac propterea Deus Dominus noster, cùm Ezechielẽ mitteret ad prędicandum & reprehendenda vitia populi, simul appellat illi

Ezechiel. 2. 6.

filium hominis, vt solidiùs in humilitate fundaretur, ac ioscens, quòd ex ipso esset imbecillis, & miserijs cæterorum hominum subiectus: iubebat tamen etiam *p non temere, etiamsi maneret inter incredulos, & subuersores & scorpiones*: vt sic animi fortitudinem seruaret; & has duas virtutes simul coniungeret: ex quo præcipue prouenit. vt reprehensio nec reprehendenti, nec reprehenso noceat; sed vterq; vtilitatem capiat.

CAPVT XIV.

PATIENTIA HABENDA IN OMNI EVENTV aduerso & laborioso ministerij docendi & prædicandi.

QVOD PERFECTIONEM MAGISTRI ET PRAEDICATORIS EVANGELICI obsignat, est PATIENTIA in omnibus rebus aduersis & molestis in ipso munere euenientibus. De eo enim speciatim intelligitur, quod dixit Dauid: a *iustus vt palma florebit: sicut Cedrus Libani multiplicabitur, & adhuc multiplicabitur in senecta vberi*, producens copiosum animarum fructum, quas, glorioſis victorijs de suis hostibus reportatis, Deo lucratur. Et statim subiungit: &*bene patientes erunt: vt annuntient* hoc est beneficijs, quæ à Deo accipiunt, erunt apti beneque dispositi ad eius magnalia prædicanda: & sic erunt *benè patientes* in tolerandis laboribus ipsius prædicationis; aut vt S. Augustinus legit: *Tranquilli erunt, vt annuntient*: tranquillitas enim & pax sunt fructus patientiæ. Et quoniam pati est commune

a *Psalm. 91. 13.*

In quo consistat esse bene patientes

boni & malis; perfectis & imperfectis: patientibus cum culpa, aut sine illa; potestque aliquis pati bene aut male; cum vtilitate aut detrimento: ideò dixit: *bene patientes erunt*, animo scilicet quieto, & conformi voluntati Dei patientur, continentes nimiam tristitiam, quæ oritur ex aduersis: & euitando externa omnia indicia impatientiæ; iræ, & vltio-

nis

vltionis contra adferentes molestias, dolorem, aut pudorem, & ignominiam; non conquerētes aut murmurantes de eis; nec præbentes aliquod signum amaritudinis aut rancoris. Adhuc tamen multò amplius eminet id quod dicimus *bene pati*, cùm fit animo lubēti, & hilari in perpetiendis persecutionibus propter iustitiā. Imo quamuis ipsum pati proueniat ob peccata propria, possunt bene simul esse dolor de ipsa culpa, & gaudium de pœna quæ propter illam infertur: exhilaratur enim animus ob Dei iustitiam, quæ in tali pœna inferenda resplendet. Ex quo fit vt ad *bene patiendū* sit necessariū rectā adiūgere intentionē. Nam & hypocritę patiūtur, edentes signa lætitiæ: qui tamē non bene patiuntur, quia talia signa edūt non ob Dei gloriam, aut bonum ipsius patientiæ; sed vt ipsi Sancti & patientes habeantur. Hæc patientia maximè est necessaria operatiis Euangelicis, quibus dixit ipse Saluator: b *ecce ego mitto vos sicut oues, & c agnos in medio luporum*: quibus pro armis dedit innocentiam, mansuetudinem, & patientiam. Quibus muniti (vt ait S. Chrysostomus) etiamsi mordeantur à lupis, non solū nō vincentur, sed potiùs ipsi euadent victores; & lupos conuertent in agnos: Nam lupi stupentes ad prodigiosam adeò patientiam, studebunt imitari virtutem, quam admirantur. Et ita ait S. Gregorius: qui locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet; sed tolerare, vt ex sua mansuetudine iram sæuientium mitiget, & peccatorum vulnera, ipse in alijs afflictionibus vulneratus, sanet.

b *Matt.* 10. 16.
c *Luc.* 10. 3

Homil 34. *in Matth.* *Homil* 7 *in Euangelia.*

Ex quo fit, vt huiusmodi PATIENTIA locum suppleat miraculorum, ad authoritatē Prædicatori conciliandam, & vt idem S. Gregorius ait, illa est miraculis maior: *ego*, inquit, *virtutē patiētiæ tanti Patris signis & miraculis maiorem credo.* Ac proinde eadem plurimum valet ad confirmādam doctrinam, quæ prædicatur: cùm dixerit Salomon: d *doctrina viri per patientiam noscitur.* hoc est: tunc doctrina noscitur esse vera, cùm eam tradēs insigni est *patientia* præditus. Et ideò Apostolus inter signa sui Apostolatus e *patientiam* præmisit *prodigijs*, vt supra retulimus. Nam (vt Cassianus ait) admirabilius est hominē reprimere & continere sese in motibus iræ; & gaudere in aduersis: quàm sanare morbos corporis: & adducit exemplum cuiusdam Monachi quem Gentiles quidam mille iniurijs Alexandriæ vexabant: nam ab eis interrogatus, quæ miracula Christus Dominus edidisset propter quæ ipsi credere deberent, eius doctrinam esse veram? respondit: Quæ maiora miracula requiritis, quàm quod videatis me tot iniurijs à vobis affectum, adeò tamen in eis lætum, & hilarem? ere hoc miraculum tantum est, vt emollire soleat, & corda, instar lapidū dura, cōmutare. Quis enim cor boni latronis in cruce permutauit, nisi heroica Christi Saluatoris in cruce pendentis *patientia*? iudicauit enim hominem adeo rarę & inauditę patientię, non posse non esse veracem in ijs

2

3 *Dialog.* c. 2.
d *Prou.* 19.11

e 2. *Corint.* 12. 12.
cap 6. *Collat* 15. c 7, 8 & 9 *Collac.*

quæ de seipso diceret. Cumque ille dixisset, se esse filium Dei, & regem Israel: id sine dubio verum esse. In historijs Iaponensibus scribitur, quòd cùm homines societatis Iesu diu in quadam ciuitate essent concionati absque fructu, euenit quodam die, vt vnus ex nostris frater in foro concionaretur, & quidam Gentilis in contemptum expueret in eius faciem. Et frater ille cum magna patientia sputũ ex facie purgaret, in sua concione progrederetur, nullo indicio iræ aut impatientiæ edito: eo facto tantũ attulit viro cuidam Iaponi graui & honorato, qui tunc aderat, stuporem, vt iudicauerit non posse non esse cœlestem doctrinam, quæ tam insigni patientia prædicabatur. & inde occasionem accepit, vt instrui voluerit in rebus fidei, & ita fuit conuersus: per cuius conuersionem aperta fuit porta ad aliorum multorum gentilium conuersionem.

Ex quo etiam apparet PATIENTIAM in iniurijs esse medium aptum ad animas conuertendas, quod expendit S. Gregorius exponens sententiam illam Sancti Iob: f *numquid potest aliquis gustare, quod gustatum adsit mortem. Durum*, inquit, *est appetere quod cruciat, sequi quod vitam fugat: sed plerumque iustus ad culmen se virtutis culmen extendit, vt apud se internarum nis arcæ præsideat, & quorundam foris stultitiam tolerando conuertat. Nunquid ad fortia trahere nitimur: eorum necesse est, vt, in firma toleremus: quia nec iacentem erigit, nisi qui status sui rectitudinem per compassionem flectit*, vt manũ ei porrigat. Quare necesse est Prædicatorem aliquid de suo iure cedere, & illatam sibi iniuriam tollerare. Hac enim compassione & patientia iniuriantem curabit, & culpæ huius vulnus restituet sanitati.

f Iob. 6. 6 l. 7. Moral. c. 4.

4

ADHAEC *patientia* est ornamentum omnium actuum Prædicatoris, quibus modũ quendã efficacitatis impertit, qua illi efficiuntur viliores: Propterea enim Apostolus dixit discipulo suo Timotheo: g *prædica verbũ, insta opportunè, importunè argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*: hoc est, in prædicatione verbi ita omnẽ patientiã serua, vt nihil eius perfectioni desit; prædica illud cum instantia & feruore; sed simul cum omni *patientia*: ne videatur ira, aut furor; prædica omni tempore ad id apto, etiamsi peccatoribus extra tempus videatur; sed adhibe etiam *patientiam* ne illis displiceas, & illud audire negligant; argue errores, exhortare ad virtutes, vitia increpa, sed omnia cum *patientia*: ne per impatiẽtiam boni impedias, quod verbi prædicatione intendis. Prædicator enim, & Magister meritò debet esse perfectus, siquidem profiteatur perfectionem. Quòd si patientiam amittat, manifesta præbet indicia, quod sit procul à perfectione, quam docet; poteritque illi dici, quod dixit quidam amicus Iob: h *vbi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum*. In quæ verba ait S. Gregorius, quòd timor Dei generet fortitudinem, quæ maxime apparet in aduersis cum *patiẽtia* tolerandis; & pati-

g 2. Timoth 4. 2.

h Iob. 4. 6. lib. 5. Moral c. 1. 3.

entiam esse vltimum gradum perfectionis. Nam ille, inquit, perfectus est, qui erga imperfectionem proximi impatiens non est: nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, patientiam deserit: ipse sibi testis est, quod perfectè nondum profecit. Ac proinde Prędicator impatiens seipsũ afficit dedecore, & iniuria; & indignum se reddit officio quod gerit; & vita officio suo indigna efficit doctrinam suam minus vtilem.

Denique cum docendi & prædicandi officium adeò sit difficultatibus & laboribus refertum, & ex eo oriantur occasiones magnarum contradictionum: necesse est eum bene munitum esse Patientia, qui vtiliter illud vult obire. Si enim desit patientia, aut officium deseretur, ne tanta toleret; aut fiet absque fructu, & minus recte, vt labor euitetur.

§. I.

Operae precivm tamen erit particularia etiã insinuare, quæ sũt in hoc officio toleranda. *Primum est*, vani hominum rumores, & errantia iudicia circa ipsum Prędicatorem, eiusque Concionem, ac doctrinam: quamuis enim exacta illa sit & præstans non deerit qui male sentiat & loquatur de eo. Nã quis excellentior Prædicator ipso Christo Domino nostro? quẽ tamẽ aliqui laudabant dicentes: a *nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* cum tanto scilicet spiritu & prudentia. Alij tamen dicebant: b *Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis?* Imò eius noti voluerũt tenere eum, cùm scilicet nõ abstineret à prędicatione feruentiori. Dicebant enim: c *quoniam in furorem versus est*, & quasi stultus factus: & cùm S. Paulus sermonem haberet coram Rege Agrippa & Festo Prędide, tanto feruore, loquebatur vt Festus magna voce ei dixerit: d *Insanis Paule, multæ te litteræ ad insaniam conuertunt.* & iterum Athenienses eundẽ appellarunt *seminiuerbium*, hoc est hominem garrulum, & quasi nihil aliud habentem quà verba. Et reliquos Apostolos, cùm Dei magnalia prædicarent ipso die Pentecostes, Hebræi dicebant esse f *musto plenos*, hoc est ebrios musto: quæ ebrietas vehementior est quàm quę oritur ex vino. In his tamen iniurijs, & opprobrijs neque Christus Dominus noster, neque eius Apostoli patientiam & mansuetudinẽ amiserunt: sed summa cum mansuetudine & suauitate responderunt sincere veritatẽ: apparet in responsione sancti Pauli, cùm summa reuerentia dixit inferenti ipsi iniuriam: g *non insanio, optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor.*

Persvadeat itaque sibi Prædicator. quòd licet ipse sit alter Paulus suoq; munere exame fungatur; etiamsi ab aliquibus laudetur: permittet Dominus noster, vt vituperetur, & irrideatur ab alijs: vt si ex laudibus euanuerit, ex irrisione humilietur, & probetur eius patientia. Quam in huiusmodi casibus semper debet ostendere, non reddendo malum pro malo, nec malè loquẽdo de vituperantibus ipsius Conciones, sed potiùs

a *Ioan* 7.46
b *Ioan.* 10. 20.
c *Marci* 3. 21.
d *Actuum* 26 24.
e c. 17. 18.
f c. 2 13.
g c. 26. 25.

cum eis amicè agendo, & reddendo sui ac doctrinę suę rationem cũ pace & tranquillitate: vt sic exempla imitetur Saluatoris & Apostolorum eius; & felicem se existimet, dum aliquid patietur, sicut illi.

2 HAEC patiendi occasio augetur multum cùm Prædicator, vt officio suo satisfaciat, vitia publica reprehendit. ex quo fit, vt qui reprehenduntur, excitent contra ipsum persecutiones verbis & rebus, vt eius imminuant opinionem: ad quod patienter ferendum non exigua requiritur virtus. Nam (vt dixit Ecclesiastes): h *calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius* & Dauid Deo D.N. dicebat i: *redime me à calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua.* Nam (vt ait S. Ambrosius) qui opprimitur calumnijs, difficilè potest illa custodire. Et quamuis expediat in huiusmodi calumnijs rationem sui reddere, pręcipuè cum agitur de doctrina, vt remoueatur scandalum, quod ex tali calumnia procedit, vt monet S. Gregorius: nunquam tamen amittere debet patientiam, & confidentiam in Deum, quòd ex tali calumnia, & murmuratione contra ipsum maius educet pro ipsius anima & reliquorum, qui ex ipsius patientia & doctrina fructum haurient. Quare nunquam ob timorem huiusmodi calumniatorũ desistere debet ab officio suo: id enim esset commodo & vtilitate bonos defraudare, ne ipse parua aliqua molestia ab improbis afficiatur. Nam (vt S. Augustinus dixit) *si formidaret Paulus irridentes: non perueniret ad credentes.* hoc est: si non tolerasset auditores, qui cùm ipse concionaretur, eum irridebant: etiam non fuisset locutus cum ijs, qui crediderunt. Nam si Euangelij seminator timeret semen suum iacere, eò quòd aliqua eius pars k *caderet secus viã, alia supra petrã, & alia inter spinas:* nunquam semẽ posset etiam ad terram optimã peruenire, vt itaq; aliqua pars in terram bonam perueniat, non est prætermittenda seminatio propterea quòd timeatur aliqua pars peruentura ad malam terram, quę proferat spinas, molestias ac tribulationes in ipsũ seminãtẽ: potius id consolationi esse debet: quod multiplicetur eius meritum bene faciendo aliquibus; & malum detrimentumque accipiendo ab alijs: quia Dominus remunerabit eius labores præmio, patientiæ promisso illâ sententiâ: l *beati qui persecutionẽ patiũtur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

h *Eccles.* 7 8
i *Psal.* 118. 134.
l *ibidem.*
Lib. 8. *Epist.* c. 45 & S. *Basilius. orat. de inuidia.*
Tractat. de Stoicis & Epicuræis. c. 2 *Tomo* 6
k *Matt.* 13. 4 *Luc.* 8. 4.
l *Matt.* 5. 10

3 HINC oritur tertia patiendi occasio, non exigua: cùm concionator multum & fideliter laborans, exiguum colligit fructum: quamuis enim aliquando possit ipse id suis peccatis aut negligentiæ tribuere: aliquando tamen agnoscere potest se non esse negligentem, sed pro viribus facere quantũ potest; & nihilominus, nihil proficere audientes: quod non potest non affligere habentem zelum Dei, & salutis animarum. Tales erant antiquorũ Prophetarũ querelę, cũ prædicantes populo nõ facerẽt fructũ suis concionibus. Isaias enim dixit: m *Domine quis credidit auditui nostro?*

m *Isai.* 53. 1.

& bra-

& brachium Domini cui reuelatum est? Et Michæas lamentabatur dicens: n *va mihi: quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desiderauit anima mea. Periit fructus de terra, & rectus in hominibus non est.* Quamuis autem fructus interdum fiat, quem Concionator nõ aduertit, vt suprà dicebamus, vt cum Elias existimabat o *se solum relictum esse ex Prophetis Domini*: cum tamen *reliquisset sibi Dominus septem millia virorum* sibi fideliter seruientium: interdum tamen reuera non est talis fructus, ob duriciem audientium, verbo Dei resistentium. Et tunc non est deserenda patientia, neq; cessandum à seminando: etsi enim tres partes sementis pereant: colligetur tamen quarta; quasi non statim potietur, cum patientia tamen fruetur ea: propterea enim Saluator noster dixit p *fructum afferunt in patientia*, expectando scilicet vno & altero, & pluribus diebus, non cedendo labori. De quodam Sancto nomine Abraham scribitur, quòd cùm commendata illi esset conuersio gẽtilium valde pertinacium cuiusdam pagi, eò se contulerit, & extra pagum pulchrum templum ædificauerit, in quo sacrum Missæ faceret, & alias orationes funderet: idola verò illorum ad terram proiecit, & confregit: ex quo irati gentiles, baculis eũ crudeliter percusserũt; & trahentes procul à pago, semiuiuũ reliquerũt. Ipse verè rediẽs ad se ferebat inuictâ patientiâ has, & alias iniurias & cruciatus, quos frequẽter accipiebat, spatio triũ annorũ: nec destitit illis prędicare, & beneuolè amanterq; cũ illis agere. In quo munere tã diu perstitit, donec illos sibi subijceret; & omnes cõuerterentur ad fidẽ, admirantes ac suspicientes tantãpatientiam ac perseuerantiam; multòq; plus ipsum postea amantes, quàm prius odio habuissent.

n *Micha. 7. 1*

1 tract. 3. c. 4.

o 3 Reg. 19 10. 18. Rom 11. 2.

p Luc. 8 11. Suriu. 16. Martij.

Sed estò ita eueniret, vt Prædicatore faciente quicquid posset, fructus tamẽ nullus sequeretur: non propterea patientia est abijcienda, cùm nec ipse meritum suum, nec Deus gloriam suam amittat; nec desinat eius labor Deo esse gratus. Admiratione dignum est ad hoc propositum, colloquium quod refert Isaias Propheta inter Christum Dominum Nostrum cum æterno suo Patre; cum ipsum tanquam *sagittam electam* misit in mũdũ, dicens ei: seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabar. Cui Saluator respondit: q *vacuum laboraui, & sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.* Sacerdotes enim & Pharisæi semper mihi contradixerunt, nec doctrinam meam receperunt: quomodo ergo verum est, quod ego seruus tuus sim, & in me glorificeris? sed mox addit: *ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo*, quasi dixerit: etiamsi labor meus adeò parum fuerit vtilis: ne propterea existimetis me non fuisse à Deo missum; aut Deum non glorificandum in me: omni enim dubio procul rotum studium, tota prædicatio, & opus meum est cum Deo ac de Deo; cum cuius auxilio ego operor; & ille in me & mecum operatur, quicquid ego facio,

q *Isai. 49. 3*

Aequum fuisset, vt me omnes audiuissent, meamque doctrinam sul-cepissent: sed quia non fecerunt: ego fructum mei laboris committo occultis Diuinæ prouidentiæ iudicijs. vt autē intelligeretur non propterea amitti, aut imminui gloriam Dei, addit: hæc dicit Dominus: *ex vtro-manus me seruum sibi, vt reducam Iacob ad eum, Israel tamen non congregabitur*: & nihilominus *glorificatus sū in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea*. cui omnis labor meus innitebatur. Hæc omnia verba dicit idem Dominus, etiam in persona suorum ministrorum, vt intelligant: bene posse simul accidere, vt & ipsi officio suo bene fungantur; & modicum fructū colligant. Quamuis autem tunc labor videatur inanis, non tamē est absq; magna Dei gloria, eiusq; Ministri; neq; sine ipsius Dei auxilio. Quamuis occultis sui iudicijs permittat, audientes esse rebelles: nec propterea ipsi Ministri patientiam amittere, aut ab officio suo desistere debent, donec vitam in eo studio & conatu finiant.

4

SED in hoc ipso casu occurit alia patiētię occasio magni doloris: quādo scilicet Prędicator magno suo labore aliquē in animabus fecit fructum; & propter aliquam exurgentem tempestatem, totus ille perit ita, vt deficiant in virtute, qui per ipsum aliquid in ea profecerant: quemadmodum euenit ipsi nostro Redemptori tempore passionis ipsius, cùm omnes qui ipsum propter ipsius prędicationem secuti fuerant, eum deseruerunt ac retrocesserunt. Ac propterea dixit: *in vacuum laboraui*. Hoc ipsum valde anxium reddebat Apostolum postquam Gahlathas conuertisset aduertisset verò eos redijsse ad vomitum: nec tamen propterea patientiam & confidentiam abiecit, sed prolixa quadam Epistola de eis ad rectam viam reuocandis cum illis egit. Et inter alia hęc eis dicit: *Timeo vos, ne forte sine causa laborauerim in vobis, filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis; vellem autem esse apud vos modò, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis*, aduertens vos deseruisse doctrinam meā; non quod mea sit, sed quod sit vera, in qua vestrum consistit remedium. Hoc Apostolus dicebat, ostendens necessitatem, qua Euangelici operarij patientia opus habent ad tolerandam mutationem filiorum spiritualium, quos in Christo genuerunt: sumendos in ipsis animum ad reparandum damnum illorum, nouo adhibito labore. Si enim Dæmon non defatigatur peruerendis iustis, nec Deus deficit expectans peccatores & huiusmodi sustinens mutationes: cur eius Ministri defatigentur, aut impatientes se in eis ostendant.

versu. 4.

1 *Galat 4. 11. 19.*

S. Iacobus 5. 6.

ALIA patientię occasio est, tarditas & mora aliquorum in dando loco rationi, & veritati, quæ illis prædicatur. Quod affligere solet operarios valde feruentes, & festinantes: qui tamen non debent propterea longanimitatem & patientiam suā deferre. f *Agriola* (inquit Sanctus Iacobus)

expectat

expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum. Ergo similiter Prædicatores magna patientia expectare debent fructum suorum laborum; siue temporaneum ex ijs qui statim seipsis dedunt; & eorum consilijs acquiescunt, siue serotinum, eorum, qui valde tardè se mouent, ac difficilè se omnino subdunt: memores eius quod diximus in parabola ficulneæ boni illius agricolæ, qui etsi per tres annos eam coluisset, nec illa fructum aliquem reddidisset: egit nihilominus cum Domino suo, vt adhuc vnum annum expectaret, nec abscinderet, ostendens se adhuc habere animum laborandi in eius cultura: si forte reliquo tempore fructum aliquem proferret.

§. II.

Transeamvs nũc ad res alias minutiores, quæ Prædicatorum patientiam exercent, præcipue cùm illi minus sunt perfecti, & aliquẽ retinent hominum odorem. Quis enim horum est, qui non libẽter habeat Conciones suas multum frequentari, & amplum habere auditorium? quò enim magis gaudent magna auditorum frequentia: eò magis tristantur, cùm parua est; & abijciunt animum loquendi, quando sunt auditores pauci. Et cùm magnæ sint in hoc mutationes: corda illorum eis subiacent. In sua enim concione non quærunt solum Deum, & sanctissimam eius voluntatem: quæ huiusmodi mutationibus caret. Studeat itaque spiritualis Prædicator, his omnibus esse superior: & eodem animo & spiritu concionetur paucis, & multis, aut certe patienter ferat cõtemptũ, quem apprehendit ex eo, quod pauci ipsius concionem frequentẽt vt ex hoc saltem ipse proficiat. Quod si in ipsa cathedra aliquod impatientiæ aut querelarum indicium daret, ob exiguam frequentiam auditorum, ex eo iam fructum amitteret, quem saltem in parua frequentia efficere posset; ob malum exemplum, quod præbet in ambitione honoris quam insinuat; quamuis studeat illam tegere pallio honoris, qui Deo accedit ex eius verbo frequenter audito.

Sed quid dicemus, quando in ipso auditorio aliquis oritur strepitus aut aliquid accidit, quod ipsum offẽdat, aut turbet? non enim id euenit casu in ordine ad prouidentiam Diuinam; quamuis eius author esset Dæmon, qui suas adhibet artes, ad prædicatorem & auditorium ipsum turbandum: vt concionis fructum impediat. Soletq; hic esse quasi Lydius lapis, vt Prædicator mansuetudinem, & patientiam suam ostendat. Si enim impatientem se exhibeat: iam hostis de ipso triũphat, & quodammodo voti sui sit compos: si autem sustineat, taceatq;: Deus prospiciet de aliquo qui damnum reparet: & ipse concionator retinet opinionem patientis; & bono suo exemplo ædificat auditores.

Eandem patientiam habere debet cùm aliquos auditores videt dormientes

mientes: id enim graue & molestum esse solet: eò quòd signum sit quòd parui faciant, aut non delectentur audienda eius doctrina: nullus enim dormit, audiens quod ipsum delectat: quamuis vere sit potius imbecillitas, ac tepiditas auditorum; & tentatio dæmonis, ad fructum concionis impediendum. Quod insinuauit S. ille Abbas Machetes, de quo refert Cassianus, quod videns Monachos in exhortationibus, & conferentijs spiritualibus dormitantes, cœperit referre quandam fabulam, & confestim illi euigilarint. Ex quo Sanctus vir occasionem accepit eos monēdi, quod somni illius author esset Dæmō: ne viles exhortationes intelligerēt, quos tam facilè excitabat ad otiosas fabulas audiendas. Neque id insuetum est, vt aliqui dormitent etiam cum Prędicator est valde feruens: siquidem etiam ipso Apostolo prædicante, cum sermo protraheretur, a *sedens quidam adolescens super fenestram, cùm mergeretur somno graui, ductus somno, cecidit deorsum; & sublatus est mortuus.* quod machinatus est Dæmon (vt aduertit S. Chrysostomus) ad turbandum auditores, & sermonis fructum impediendum, arrepta occasione ex torpore, & somnolentia illius adolescentis: quamuis statim Apostolus eum resuscitauit, & turbatio illa cessit in maiorem audientium vtilitatem: nam perrexit Apostolus in sua concione vsque ad lucem.

Lib. 5. instit. c. 31

a *Actuū 20. 9.*

ibidem

NON tamen expedit, vt ex hac Apostoli concione, quæ adeò fuit prolixa ob varias & iustas causas, accipiant Prædicatores occasionem, concliones suas nimium protrahendi; sic tentantes patientiā, & vigilātiam auditorum; & occasionem præbentes tædij, ac somnolētiæ cum tanta prolixitate. Nam & sibiipsis nocent, cùm sic se faciant graues & importunos, & sic voluntatē auferāt audientib. ad ipsos audiendos redeundi; & quicquid moderata patte concionis fructûs fecerant, nimia prolixitate amittūt. quemadmodum qui, quantum satis est comedit, esletq; illi vile nutrimentum; si comedendo pergat, solet totum eijcere, & remanet ei inappetentia & horror ad iterum comedendum.

ET IAM indiget Prędicator patientiâ ad seipsum ferendum, variasque dispositiones, quas experitur in seipso desiderio suo contrarias. Cum enim quicquid in officio suo præcipuum est, de cœlo descendat: vt inquale opus est: aliquando in vno quasi momento omnia, quæ dicenda sunt, inuenit in promptu, & quasi ad manum, iuxta ipsius desiderium: aliquando autem non attingit, neque assequitur, quomodo suam disponat concionem; neque occurrunt ipsi quæ ed tem sint; aut si occurrunt, non tamen potest ea ordinare. Etsi hæc omnia iam fecit: tempore tamen habendæ concionis inuenit se valde frigidum, & aridum, & ipsa verba quasi ei in ore concrescunt; & lingua adhærescit palato; vt videatur non posse loqui cum eo spiritu, & feruore, & expedite, vt alias solebat. Tunc

inquam opus illi est magna patiẽtiâ, vt seipsum toleret. Si enim tunc patientia deficeret, damnum duplicaretur, & redderetur ineptior. Sed oportet vt patientiæ subueniat soror eius humilitas: vt agnoscat nihilum, quod ex seipso habet: vt sic recurrat ad reparatorem omnium defectuũ ac miseriarum, vt & hanc reparet ipsiq; subueniat.

Denique cum Prædicatoribus Apostolicis loquitur insignis illa exhortatio Apostoli dicentis: b *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: vt seductores, & veraces sicut qui ignoti, & cogniti.* Hæc omnia dixit Apostolus: vt Euangelij Ministri intelligant quod debeant ministeria sua magna patientia fulcire ac munire; seseq́ue offerre ad ferendum omne genus laborum corporis, & animæ in materia honoris, fortunarum, solatij, delitiarum, sanitatis, & ipsius vitæ; abnegando propriam voluntatem omnesq́ue commoditates: vt obediant Deo, suumque munus perfectè obeant in quocunque loco, ab eo sibi designato, frangendo ac penetrando quodcunq́ue periculum, ac difficultatem occurrentem. Alias patientia deficiente, ipsa etiam deficiet obedientia, & perfectio ipsius ministerij: aut omnino illud euanescet.

b 1. Corinth 6. 4.

III. *Prædicta confirmantur exemplo Ionæ.*

Qvae dicta sunt, confirmari ac declarari possunt exemplo insignis illius Prædicatoris, & Prophetæ Ionæ: qui aliquẽ defectum ostendit in obedientia, humilitate & patientia: Deo id permittente ad cautelam aliorum. Iussit enim eum a *ire in Niniuen Ciuitatem* ad prædicandum: eo quòd ingens esset eius iniquitas. Ipse tamen loco obedientię accepit fugam à Deo ascendens nauem quandam, vt aliò se conferret. Quòd si causã huius inobedientiæ quæramus, inueniemus (vt ait S. Hieronymus) eam fuisse, quòd Niniue esset terra gẽtilium: ipse autẽ volebat suis Hebræis prædicare, quemadmodum faciebant cæteri Prophetæ; & fortè timebat persecutiones & pericula, quæ putabat sibi imminere ingredienti ciuitatẽ adeò peruersam, & cum minis eius subuersionis. Timebat quoque: si Niniue conuerteretur, fore deserendam nationem suam Hebræam: spiritu enim prophetico nouerat, quòd cùm Gentes conuerterentur, deserendi essent Hebræi à Deo; ideoq́ue recusabat esse instrumentum huius conuersionis, ne simul esset desertionis suorum. Sed pręcipua tamen causa fuit, quam sacer textus insinuat: quia timuit ignominiam, & amittere suum honorem, si ingressus in ciuitatem decerer:b

a Ionæ 1. 2. ibidem

Idem ait S. Greg lib. 6. Moral. c. 13. vido Riber. ibid.

b *Ionæ* 3.4. & c. 4.1.

ret: b *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* si postea id non eueniret retractante Deo sententiam propter pœnitentiam habitantium in ciuitate. Ne igitur deceptor haberetur, & Propheta falsus: noluit obedire, vt iret ad prædicandum in loco, ad quem Deus illum mittebat. Sed eius inobedientia fuit etiam ipsius carnifex: nam nolens pati, quod timebat, incidit in grauiora mala, quæ non præuiderat. Mare enim & venti insurrexerunt contra eum, conãtes submergere nauim, in qua vehebatur: donec fuit proiectus in mare, in quo piscis grandis eum deglutiuit, in cuius

c c. 2. 11.

ventre angustias passus est mortis. Et re ipsa mortuus fuisset, nisi oratio & pœnitentia eius veniam impetrassent; & vt c *piscis* ille *eum euomeret in aridam.* Et tunc secundò iussit Deus ire in eandem Niniuen ciuitatem, qui cautior effectus ex priori euẽtu, impleuit planè suam obedientiam, prædicans cum tanto feruore spiritûs, vt omnes facerẽt pœnitentiam à d *minori vsque ad maiorem, & vsque ad ipsum Regem, & Principes eius.* vt autem

d c. 3. 5.

appareat quàm sit detestanda superbia, & furiosus honoris appetitus; & quàm sibi inuicem contrarios affectus efficiat in hominibus, ob diuersas eorum cogitationes & persuasiones. Felix hic exitus, qui alios Prædicatores honoris cupidos exhilarasset, videntes ex prædicatione sua opus adeò glorioſum prouenire, non solum Ionam non exhilarauit, sed e *afflictus est Ionas afflictione magna, & ita iratus est, vt peteret à Deo mortem,* præferens eam vitæ absque honore, v t ipse iudicabat: putabat enim se habendum quasi impostorem. videns enim totam ciuitatem ad pœnitentiam cõuersam, cognouit Deũ vtpote adeò misericordem, sine dubio reuocaturum sententiam subuersionis Niniue. Et hac ita permotus secessit ad

e c. 4. 1.

remotum quendam à ciuitate locum, vbi iacuit sub vmbra hederæ, expectans quid ciuitati eueniret. Sed & ibi inuasit eũ impatientia: nam arefacta hedera, & sole ipsum adurente, iterum optauit mortem, dicens: se potiùs velle mori, quam in tanta afflictione viuere. Et quamuis id totum ipsa obtegeret pallio gloriæ Dei, in cuius honorem cederet, quòd eius

Ibidem.

Propheta & Prædicator verax haberetur: decipiebatur tamen (vt aiunt Theophylactus & Theodoretus) eò quòd non collocaret gloriam Dei, in quo oportebat, sed in quo ipse apprehendebat, tanquam rem magis honorificam; quærens reuera potius honorem proprium, quã Diuinum: Diuinus enim in eo consistit, vt Prædicator obediat Deo, in eo quod ille iubet; suamque pacem & honorem reponat in eo, quod libenter amplectatur euentum, quem Deus voluerit; præcipuè cùm ille est cum lucro animarum; etiamsi illud eueniret cum aliqua proprij honoris & opinionis iactura: optando, Deum ostendere se potius misericordem, quam seuerum iudicem in homines; & potiùs intercedendo, vt eis ignoscat; quã vt puniat. Et eo quidem amplius, quod Ionæ cogitatio & apprehẽsio

effec

esset falsa: cogitabat enim ipse se à Ninuitis habendum impostorem ac deceptorem: nam adeò seriò conuersi ad Deum, agnouerunt eum ipsis ob pœnitentiam peperciſſe; & potius honore erant affecturi Prędicatorem, per quem tanta felicitas ipsis aduenisset. Quare dum ipse Ionas exit ex ciuitate ob timorem amittendi honorem, potius ignarus euentûs fugit ipsum honorem, & in maiorem incidit ignominiam. Ex quo efficitur, quòd tota pax, honor, ac tranquillitas Ministrorum Euangelij consistant in sequendis Dei consilijs; & se ipsos exponendo ad tolerandum quicquid ipse Deus voluerit. Si enim Dei consilia ac directiones deserant, in maiores incident miserias, quas ipsa, inobedientia & impatientia duplicabit, & ita augebit, vt omni dubio procul passi fuissent multò minora incommoda, si viam obedientiæ tenuissent.

Etiam in hoc exemplo videre possunt Prædicatores, quod si quando tanquam homines aberrent, & ab eo quod Deus vult recedant: non debeant animum abijcere, quia vera pœnitentia potest omnia reparare, & redeuntibus ad suum ministerium dabit Deus prosperum euentum. Et quare adeò fuit felix & fortunatus Ionas cum sua prædicatione in ciuitate adeò contumaci ac detestanda? Licet certe dicere, id euenisse propterea quòd ingressus esset humilis & contritus, Deiq; ordinationi omnino subiectus & conformis: cuius gratia per tales Ministros egregia adeò efficit opera. Nemo tamen tutum se existimet post huiusmodi euentus: cum videat Ionam tam cito oblitum primi sui feruoris, vt cum tædio quodam vitæ mortem sibi optaret ac peteret; nulla enim in hac vita est securitas, nisi in eo pax reponatur: vt nec ad punctum à Dei voluntate discedatur. Qui adeò est misericors, vt sui Ministri, etiamsi imperfecti, commisereatur. nam & hic humanis & blandis rationibus Ionæ curauit impatientiam, dicens ei: f *si tu doles super hederam in qua laborasti, neque feciſſe vt cresceret: ego non parcam Niniue Ciuitati magni, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum innocentum?* Compatiaris & tu proximis tuis; & benè collocatum reputabis quemcunque laborem tuum, & ignominiam, vt remedium illis, possis adferre. His curatus est Propheta, & impleuit sui nominis significationem, quod significat columbam: induit enim spiritum quendam mitem, humilem, gratum ac purum: qualem solet Spiritus Sanctus suis Prædicatoribus communicare. Qui quamuis, vt homines, aliquas habeant imperfectiones: possunt hoc exemplo Ionę seipsos consolari: seruiunt enim Domino cuidam adeo pio, vt eorum misertus, ex ipsorum malis educat bona; ex erroribus, quæ recta sunt, reddens eos magis humiles, attentos, aptosque ac dextros in obeundis suis Ministerijs, vt magis prosint proximis, ad gloriam ipsiusmet Dei in æterna secula, Amen.

f *Iona. 4. 11.*

CAPVT XV.

ALIQVAE PERFECTONIS REGVLE QVAS CHRIstus D.N Apostolis ac discipulis suis tradidit; cum eos misit ad prædicandum diuersis gentibus; & quanti hæc sint momenti.

PRAXIM VIRTVTVM, DE QVIBVS HACTENVS egimus, cum varijs Regulis magnæque Perfectionis documentis, docuit Christus D.N. bis Semel suos Apostolos; & iterum septuaginta duos Discipulos cum eos misit ad prædicandum in diuersis locis Iudææ & Galilææ; simul docens reliquos eorum in hoc ministerio Successores formam & rationem, quam ad rectè & vtiliter illud exequendum seruare deberent. Et inprimis significauit illis, voluntatis suæ non esse, vt in vno semper loco hærerent, etiam valde amplo; sed, vt excurrerent ad varias ciuitates & oppida magna & parua, ad pagos & castella, ac priuatas domos: sicut ipsemet faciebat. de eo enim dicunt Euangelistæ: a *circuibat Iesus omnes ciuitates & castella*; b *& circuibat castella in circuitu docens*. Volebat enim omnes docere, suęq; doctrinę participes facere, nõ solum nobiles & doctos, qui ciuitates incolere solẽt; sed etiam paganos & pauperes operarios, habitantes in pagis, villis, prædijs: qui & doctrinâ magis indigent, & pauciores inueniuntur, qui ad eos instruendos se se applicent. Ac propterea c *septuaginta duos discipulos misit in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus*: vt plebem disponere inciperent, aliquam eis dantes notitiam doctrinæ, quam ipsemet Dominus docturus, & prædicaturus erat. Quia (vt S. Gregorius ait) Prædicatorum munus est, disponere corda audientium, vt Christus Dominus noster ad eos veniat: vt per fidem & gratiam in eis habitet. Cùm autem in quocunque loco etiam minimo Deus habeat aliquas animas, ad quas venire cupit, & in eis manere: ita etiam vult suos Prædicatores venire ad omnia loca, vt ipse ad habitantes in eis venire possit. Et qui cœlesti lumine hoc agnoscunt: cum magna animi voluptate in id incumbunt, dicentes cùm sponsa: d *veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*, docentes & prædicantes regnum Dei eos, qui ibi habitant. Qui in ciuitatibus manent sæpè habent plus doctrinæ, quàm opus habent: æquum itaque est etiam

excurrere

a *Matt.* 9. 35 *Luc* 13 22.
b *Marc* 6. 6
c *Luc.* 10, 1
Homil. 17. *in Euangelia.*
b *Cant.* 7. 11

excurrere ad angulos, quorum mundus memoriam nõ habet: in quibus maior est defectus doctrinæ, quam tamen illi esuriunt: quod si eam non appetant, eò sunt miserabiliores: ac propterea expedit adferre illis alimenta, ne pereant. Et quò illi minus quærunt salutem suam, eò magis Dei Ministri debent eos quęrere, eamque illis offerre: vt impleatur quod scriptum est: e *inuentus sum à non querentibus me; palam apparui illis, qui me non interrogabant.* Huic Saluatoris nostri voluntati innititur Ministerium Societatis Iesu, quod vocamus, ire ad Missionis per varia loca, concionãtes & Confessiones excipientes, & alia exercentes ministeria nostra, prout ibi licet erga proximos: & tunc fit ingens fructus ob specialem Saluatoris nostri erga suos operarios assistentiam. Ita vt ipsimet obstupescant, videntes adeò felices exitus; & admirantes dicunt, quod septuaginta duo Discipuli Christo dicebant: f *Domine, etiam Dæmones subijciuntur nobis in nomine tuo.* Virtute enim Christi expellunt Dęmones ex animabus in quibus valde permanenter habitabant. Nam qui erant quasi Dæmones ob superbiam, aut iram, aut inuidiam, admittunt illorum prædicationem, & mutant vitæ rationem. Quod ipsemet Saluator confirmat sua responsione, dicens: *videbam sathanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Hoc est, cùm vos prædicando, & alia ministeria obeundo occuparemini: ego aspiciebam quomodo Sathan ex celsitudine & potestate, quam habebat in animabus, cadebat tanta vi, quanta fulgur descendit de cœlo: ego enim per vos illum pellebam, & eijciebam. Imò idem euenit in nostris ciuitatibus & oppidis, in quibus Sathan quasi in throno suo sedebat, omnesque habitantes possidebat, eò quòd innumeris vitijs ac peccatis essent submersi. Christus autem Dominus noster illum ex throno eius deijcit per suos discipulos, & Ministros, qui in his Missionibus versantur. Et interdum tanquam instrumentum accipit aliquos mediocris tantùm eruditionis, & industriæ; quibus tantam confert authoritatem, vt etiam personæ, magni aliàs momenti, & potentiæ sese ipsis dedant, & subijciant: vt in eis impleatur Prophetia & promissio Isaiæ dicentis: g *Hæc dicit Dominus Redemptor Israel, & sanctus, eius ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum Dominorum: Reges videbunt & consurgent Principes, & adorabunt propter Dominum: quia fidelis est, & sanctum Israel, qui elegit te.* hoc est Deus animam apud homines contemptibilem, & populum abiectum erigit, dicens: ne diffidas, nec animum abijcias, quòd te videas abiectum: nec verearis mundi potentiam: ego enim per te efficiam, vt Reges & Principes videant, & credant quod tu prędicas; & subijcient sese, adorentque Dominum, qui fidelis est in suis promissis adimplendis; teque elegit, vt operâ tuâ ad ingens & egregium hoc facinus vtatur.

c *Rom.* Io. 20.
Isaiæ 65 1.
p 7 *Consti.* c 1. & 4.
in Tract. 7. c. 9 *punetur quæ Sententia S. Gre Nazi. ad hoc propositum.*
f *Luc* 10 17.
Ita Iansenius citans Thephylact.
g *Isai* 49. 7.

§. I.

VIDEAMVS nunc consilia Dei circa has Missiones. Nam in primis signauit illis loca, ad quæ essent ituri; & quidem præscriptis terminis ac limitibus, dicens eis: a *in viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues, quæ perierunt domûs Israel.* Summa enim sapientia voluit Saluator labores ac difficultates prædicationis accommodare facultatibus & viribus suorum operariorum. Cum que Gentilium & Samaritanorum conuersio esset ex se magis ardua, & plena maioribus difficultatibus; ipsi autem Apostoli tunc essent adhuc in virtute teneri, ac in ipsius schola ac doctrina quasi Tyrones: noluit statim in principio eos occupare in tali conuersione, sed (vt ait S. Chrysostom.) à facilioribus incipere, & tantùm in Iudæa prædicare, vbi erant omnes fideles, agnoscentes verum Deum. Post resurrectionem tamen, cùm iam fortiores essent, & Christi doctrinæ magis periti, dixit vniuersim: b *euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ; & c docete omnes gentes*, vt impleretur quod æternus Pater filio suo dixit per Isaiam: d *parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas Tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium: vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* quod per Apostolos impletum est, postquã Spiritus Sanctus eos repleuit sapientiâ & sanctitate perfecta. e *Accipietis* inquit, *virtutem superuenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, vsque ad vltimum terræ.* Hæc tamen Missio, quam nunc eis committit intra terminos Iudææ, erat quasi ad experiendum & probandum; vt in altera & experti essent & probati. Vsus autẽ est verbis illis: f *ite ad oues quæ perierunt domûs Israel:* & idem de seipso dixerat: vt intelligerent finem suæ prædicationis esse conuertere peccatores & quærere oues perditas; & errantes reuocare; eòsemper libẽtiùs accedentes, vbi maior esset necessitas. Ac propterea iussit eos ire non ad loca, vbi ipse iam prædicauerat: quia in ijs non erant adeò necessarij; sed g *quo erat ipse venturus*, recens ingredientes, vbi erat ignorantia doctrinæ ipsius: vt eis aliquam darent notitiam. Et hoc ipsum vult seruare nunc operarios Euangelicos: vt libenter velint accedere ad loca maximè indigẽtia: in quibus minor est Dei cognitio, & rerum ad salutem spectantium: iuxta illud Apostoli dictũ de seipso, quod ab Ierusalem vsq; ad Illyricum repleuerit Euangelium Christi, h *non vbi nominatus est Christus*, hoc est, *quibus non erat annuntiatum de eo.*

DESIGNATO iam loco, distribuit Saluator vtraque vice tam i *Apostolos* quàm k *alios discipulos, vt bini irent*, nolens vnum solum aliquò ire; sed vt vnus alium comitaretur. Primum (vt ait Origenes) vt consuetudinem seruaret accipiendi semper duos ad res magnas sui obsequij: sicut elegit

Moysen

a *Matt.* 10. 5

Homil. 3. *in Matthæum*

b *Marci* 6. 15.
c. *Matt.* 18. 19.
d *Isai.* 49. 6

e *Actuũ* 1. 8

f *Matt* 11. 24.

g *Luc*, 10. 2

h *Rom.* 15. 20.
i *Marci*, 6. 7
k *Luc.* 10. 1.
S. Thomas. in Catena S. Luca.

Moysen & Aaron, vt populũ ex Aegypto educeret; & Iosue & Chaleb, vt pro terra promissionis ad populum loquerẽtur, contra eius detractores: & quia quod duo asserunt, auidiùs excipitur: propterea enim in lege dicitur l *in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Et ipse Christus testes suæ m *Transfigurationis* adhibuit *Moysẽ & Eliam.* Et n *Paulum & Barnabam* nominauit, vt simul irent ad prædicandum gentibus Euangelium, & contra Antichristum mitter o *duos testes* Eliam & Enoch Prædicatores qui honorem ipsius tueantur & propugnent. Duos præterea (vt ait Theophylactus) associauit: vt alter alterum iuuaret, consolaretur, consuleret, & in laboribus, dubijs, ac periculis sese mutuò excitarent. Propterea enim dixit Ecclesiastes: p *melius est duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ. si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se. Si dormierint duo fouebuntur mutuo: vnus quomodo calefiet? Et si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistunt ei.* Et Salomon dixit: q *frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Et Sanct. Gregorius ait, coniunxisse Christum duos, ad significandam vnionem charitatis, quæ exerceri non potest, nisi minimùm inter duos; & vt per hanc coniunctionem mutuam agnosceretur doctrina Domini dicentis r *in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionẽ habueritis ad inuicẽ.* Et in hoc ipso eluxit etiã suauis Domini prouidentia: nam cum Apostoli tunc non essent perfecti, ita eos associauit, vt hanc Charitatis vnionem facilius seruarent: ac propterea coniunxit simul eos, qui erant aliàs germani fratres: vt naturalis illa fraternitas corroboraret vnionem charitatis. Quod ex eo deducitur, quòd S. Matthæus binos semper nominauerit & coiunxerit Apostolos, qui missi fuerunt ad prædicandum: quasi insinuans, quinam simul fuerint missi: & ita coniunxit s *Petrum & Andream*; postea *Iacobum & Ioannem fratrem eius*; *Iacobum Alphei & Thadæum etiam fratres.* Post aduentum autem Spiritûs sancti, cùm iam illi essent in charitate perfecti, ac diuiderentur per diuersas prouincias & regna: non fuit necessaria hæc coniunctio: sed vnusquisque Apostolorum ibat per se, quamuis secum acciperet aliquem ex alijs Discipulis: quia id semper decebat & expediebat, vt socium aliquẽ haberent. Et Sancti t *Paulus & Barnabas* diu simul proficiscebantur; & cùm ex quadam occasione u *ab inuicem discederent*, quisq; accepit alium discipulũ secum. Et aduertit S. Chrysostomus, quòd priusquam ab inuicem discederent, diuiserint sibi Prouincias ad quas essent ituri: sicut antea reliqui Apostoli fecerant: vt sciret quisque partem quæ ad ipsum spectabat; nec ex aliquo errore conuenirent omnes in vnum.

Postea assignauit eis Christus formam & modum in suis Missionibus seruandum, dicens: x *nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamen-*

ta, y sed

l *Deuter.* 19. 15. *Matth.* 17. 16.
m *Matth.* 17. 3
n *Actuũ.* 13. 2.
o *Apoc.* 11. 3. *In Marci.* 6.
p *Eccles.* 4. 9
q *Prouerb.* 18. 19.
r *Ioan.* 13. 35
s *Matt.* 10. 2 *Ita Iansenius c.* 15. *concordiæ.*
t *Act* 13. 2. v. c. 15, 38 *ibidem.*
x *Matt* 10. 9

y Marc. 6. 8 Luc. 9. 3. & c. 10. 4.

ta, y sandalia neque virgam, qua se defenderent, sed baculum cui inniterentur. In quo modo Missionis intendit Saluator noster quinque altissimæ perfectionis res siue partes, operarijs omnibus Euangelicis valde necessarias: quamuis non teneantur hęc præcepta ita seruare, vt verba sonant. *Inprimis* enim probare voluit obedientiam, fidelitatem, proprijque iudicij subiectionem suorum Apostolorũ: præscribens eis modum quendam proficiscendi adeò nouum ac difficilem; adeòq; alienum à receptis & vsitato hominum more, & à proprio suo, quem ante habuerant. Deinde in eis aperire voluit, & iacere fundamenta paupertatis Euangelicæ; eosque exuere omni genere cupiditatis nimiæque solicitudinis rerum temporalium, quoad pecuniam, alimenta, vestes & calceamenta: ita vt, superfluis omnibus præcisis, contenti essent necessarijs tantum ad vitam sustentandam. Et quoniam videbatur etiam aliquid imminuere in eo quod iudicabatur esse necessarium: voluit *tertio* (vt S. Hieronymus aduertit) vt inniterentur fiduciæ Diuinæ prouidentiæ, conijciendo in eam omnes curas suas: nam ipse Dominus in se recipiebat prospicere eis de omnibus necessarijs: nam *dignus est* (inquit) *operarius mercede sua*; altera quidem præcipua & magna, quæ est æterna in cœlo; altera autem temporali & necessaria, quæ est, vt ipsi prospiciatur de necessarijs ad sustentationem ex ipso labore suo. Ac propterea eis dixit: z *in quamcunque domum intraueritis, mea manete edentes & bibentes, quæ apud illos sunt.* Qua sententia voluit, eos certò sperare, quod ipse prouidentia sua effecturus esset, vt homines illos hospitio exciperent, & cibum potumque necessarium præberent. Quod adeò exacte ille præstitit, vt nocte passionis suæ interrogauerit eos: a *quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. Quarto* voluit Dominus, vt illi confidentes ipsius prouidentiæ, ita abijcerent omnes superfluas curas aliarum rerum, vt eam vnicam (vt ait S. Chrysostomus) curam sibi acciperent prædicationis, ac ministerij sibi commissi; nullum rebus alijs locum dantes, quæ ipsos ab vnica cura auerteret. Quod vt clarius exprimeret, dixit eis: b *neminem per viam salutaueritis*, hoc est (vt S. Ambrosius interpretatur:) ne hæreatis in rebus ad vos non spectantibus; neq; ad alia negotia attendatis: nisi ad illud, quod vobis est commissum. Eum in modum quo Eliseus Propheta cùm mitteret Gezi cum baculo suo, vt mortuum puerum eius contactu suscitaret, dixit ei: c *si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi.* Qui enim tendit ad negotium tanti momenti, quale est ad animas peccatis mortuas suscitandas; non debet se negotijs alijs humanis implicare, quibus à fine & scopo suo distrahatur.

z Luc. 10. 7.

a Luc. 22. 35

Homil. 33. in Matth.

b Luc. 10. 4

c. 4. Reg. 4. 29.

DENIQVE, vt intelligerent modum & rationem, qua essent alimenta accepturi, dixit eis: d *gratis accepistis, gratis date.* Qua sententia (vt S. Chry-

Chrysost. aduertit (simul reprimit superbiã & cupiditates. Reuocans illi in memoriam, quod miraculorum & Euangelium prædicandi, esset gratia ipsis à Deo collata, & quidem grauis, & absque illorum meritis: vt ita sese humilient: ideoque vult, vt gratis illam alijs communicent, & non pro temporali precio. Nam (vt S. Augustinus ait) indigna res est, rem adeò preciosam, atque est ipsum Euangelium tradere pro vili adeò precio quale est pecunia. Accipiat itaque Prędicator sui laboris præmium à Deo; necessarium verò alimentum ad vitam sustentandam ita à populo accipiat, vt non videatur, quod prædicare sit negotiari; aut quod fiat propter aliquod tẽporale lucrũ, cum aliqua specie auaritiæ. Cum enim talis species apparet: expedit potius dona non admittere, etiã quæ gratis offerũtur. Sicut Elizeus nunquã acceptare voluit, quod Naamã, qui fuerat leprosus, ei offerebat titulo gratitudinis, quòd esset ab ipso mũdatus: quãuis nõ ei offeret tanquam precium acceptæ mundiciei, sed ex liberalitate, dicens: e *obsecro vt accipias benedictionem à seruo tuo*: sed quia speciem habebat alicuius pretij, noluit acceptare, ne præberet occasionem cogitãdi, quod pro accepta gratia precium acciperet, cùm ea vteretur.

De Baptismo parvulorum.

Homil. 33. in Matthæum

c *4. Reg. 5. 16.*

Præcepta hæc à Saluatore nostro suis Apostolis & Discipulis proposita, moraliter interpretantes Sancti deducunt ex ijs multa documẽta prædicatoribus vtilia. Nam teste S. Remigio, videtur Christus D. N. illis præceptis voluisse Prędicatores exaltare ad primi hominis dignitatẽ, antequam in peccatum laberetur; cum solum cæli thesauros possideret, & omnia terrena in corde suo contemneret, nihili faciẽs aurum & argẽtum, & quæcunque mundus nunc magni facit: & S. Chrysostomus ad altius adhuc culmen rem hanc exaltat, dicens voluisse Christum Dominũ eos ex hominibus Angelos facere, liberos & ab omni temporali cura expeditos: vt solum attenderent officio suo prædicandi. Imò etiam à nimia cura circa ipsum officium eos liberauit dicens: f *nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis: spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.* hac ratione reddens eis facile ac iucundum, quod ex se fuisset alias graue, ac laboriosum; ijs præcipue, qui ab vno in alterum locum ratione officij transeuntes, locum non habent ad præparandas suas conciones. Ipse tamen Dominus eos iuuat, ac de spirituali alimento pro ipsis, & pro alijs prospicit; sicut circa alimenta temporalia facit. Quod (ait idem Sanctus) summæ est iucunditatis, & consolationis. Nihil enim est ita iucundũ, vt à cura & solicitudine erutum esse; & maximè cùm possibile fuerit ab hac erutos, in nullo minorari; Deo præsente & pro omnibus nobis effecto. ipse enim Dominus præsẽs omnia supplet Certum autem est nunquam defuturum aliquid ex parte Diuinę prouidentiæ, nisi fiducia in illam deficiat. Ac propterea Sanctus Gregorius

Refert S. Trom. in Catena

Homil. 33. supra.

f *Luc. 12. 11.*

dixit: Tāta Prædicatoris debet esse in Deo fiducia, vt præsentis vitæ sumptibus, quamuis non prouideat, tamen sibi hos non deesse certissimè sciat: ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minùs alijs prouideat æterna. Sed vt hæc fiducia vera sit: re ipsa ostendenda est, abijciendo quécunque excessum & imperfectionem, quæ per ea, quæ Christus Dominus prohibuit significatur. *Primùm non possidere aurum neque argentum in Zona inclusum*, teste S. Gregor. significat: non esse abscondendam sapientiā neque gratiam sermonis, sed liberaliter communicandam: non enim eā acceperūt pro se, sed pro alijs; & g *sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisq́?* *Non* ferre secum *calceamenta*, quæ ex animalib. mortuis conficiuntur, est, non se cooperire affectibus rerū improbatum; nec opera mortua facere. Permittunrur tamen accipere *sandalia*, quæ non tegunt pedem ex parte superiori, quamuis pedis plantam tueantur. Quod (teste S. Augustino) significat: ipsum Euangelium non esse occultandum, sed manifestādum omnibus; nec tamen debet terræ adhærescere, vt propter terrena commoda promulgetur. *Non* habere duas tunicas, dixit significare: eos non debere cum duplicitate sed cum simplicitate prædicare, & homines alloqui. Neque *virgam* debēt habere, quę significat defensionem: nam (vt ait S. Ambrosius) progredi debent cum spiritu mansuetudinis & clementiæ, & absq́ue vllo indicio iræ, furoris aut vindictę. Item sicut Apostoli tunc non erant pastores; nec Prędicatores, propterea quòd tales sint, sunt etiam Pręlati: ideo non habent virgam potestatis, ad peccantes castigandos. Hæc enim potestas ad solos superiores pertinet. Quamuis S. Marcus dicat permisisse Dominum, vt h *virgam in via tollerēt*, quę est potestas correctionis vitiorum; & ius exigendi necessariam pro seipsis sustentationem. Studere tamen debent (ait S. Hieronymus) ne virga conuertatur in serpentem; neq́; innitantur baculo arundineo; collocantes suum solatium in carneis delitijs.

Homil. 17. in Euangel.

g *Eccles. 41. 17.*

lib. 2. do Cōensis. Euang c 30

In Luca 10.

h *Marci 6. 8 Ita D. August. supra In Matth. 10 Tom. 9.*

§. II.

1 PRAESCRIPTA forma & ratione perfectionis, instruxit Saluator noster Apostolos ac discipulos suos, de modo se habendi, cùm Ciuitates, aut castella ingrederentur. Et primum ait: a *interrogate quis in ea dignus sit: & ibi manete donec exeatis.* Non dixit: interrogate, quis in ea sit diues, aut nobilis, aut quis bonam domum & commodam habeat habitationem: sed *quis dignus sit*, hoc est, bonus & pius. Et vult (vt S. Hieronymus ait) alios interrogari de bonitate ac virtute hospitis: ne Prædicatorum dignitas suscipientis infamia deturpetur; & ne accipiatur occasio (vt ait Sanct. Ambrosius) hospitium mutandi, & contristandi hospitem, praua illa retributione illum deserendi; & indicium detur leuitatis ipsius Prædicatoris. Ac propterea Sanctus Lucas dicit Christum eis di-

a *Matth. 10. 11. Supra.*

lib. . in Lucam S. Chrysostomus. Homil. 33.

xisse: b *nolite transire de domo in domum*: vt sic conseruetis amicitiam, grauitatem, & fidelitatem vestram erga hospitem, qui vos excepit. Perpendit etiam S. Hilarius verbum illud: *quis dignus sit*, qui scilicet vos in domo sua excipiant, vt ex hoc intelligatur: eum censendum esse dignum, *qui magis se nouerit accipere gratiam, quàm dare*: dat enim aliquod temporale bonum: accipit autem magna bona spiritualia. Et ipsemet Deus remunerabit centuplo opus illud: nam c *qui recipit vos*, inquit Christus, *me recepit*.

Etiam latet mysterium in verbo *dignus*, quo monentur ipsi Prædicatores de cautela, qua accedere debeant ad hospitium; ne scilicet ad domos in quibus tantùm sint fœminæ, sed aliquis etiam vir grauis, cuius præsentia omnẽ auferat suspicionem. Cui cautelæ adiungitur præclarum aliud documentum, cùm dixit: d *in eadem autem domo manete*: quasi dixerit cùm bini mittamini ne hospitium diuidatis; sed vterque in eadem domo hospitemini vt noctu diuque alter alterius sit custos, & mutuò vos iuuetis ad puritatem seruandam; & procul sitis ab occasione dandâ, malæ alicuius suspicionis; & vt seruetis mutuam vestram coniunctionem & amorem cum maiori ædificatione proximorum, qui vident vos tantâ charitate coniunctos.

Electione hospitij facta, ait Saluator: intrantes domum salutate eã dicentes: e *pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam.* quâ sententiâ (vt ait S. Chrysostomus) præbuit illis aliqua magni momenti documenta. *Primum*, ne, quòd Prædicatores & Magistri sint, existiment expectandum sibi esse, vt prius ab alijs salutentur; sed potiùs cum humilitate ipsimet priùs alios salutent, & ordinarijs honoribus ciuilitate præueniant. Cùm autem dicit: vt domum salutent, significat quòd omnes, qui in ea sunt, salutari debeant, magni & parui: vt omnium voluntates ad se alliciant. *Secundum* documentum est: vt intelligant salutationem suam nõ esse in solis verbis aut humanis cæremonijs; sed esse benedictionem cœlestem, & quantum in se est potentem, ad efficiendum, quod dicit, in volentibus eam excipere. Ad quod exprimendum dixit: si domus digna est, pax vestra veniet super eam. Et quod ait *vestra*, significat: non esse sermonem de inani & mundana pace; sed de diuina & Apostolica: quæ est reconciliatio cum Deo, remissio peccatorum cum communicatione gratię Dei, quę fructus est Euãgelicæ prædicationis. Ex quo S. Hieronymus deducit: hanc salutationem fuisse quoddam experimentum, aut testimonium dignitatis, aut indignitatis domûs, quã illi intrarent. Si enim pacem accipiebant, qui in domo erãt, bonum erat indicium, quòd illa digna esset: si autem imprecatam pacem reijciebãt; etiam signum erat indignitatis illius domûs. Et S. Chrysostomus addit: eam salutationem fuisse solutionem ac retributionem pro hospitali

b *Luc.* 10. 8 *in Matthæi* 10.

c *Matth.* 10 40

d *Luc.* 15. 7.

2 e *Matth.* 10 12. *Lucæ* 10. 6. *Homil.* 33. *in Matthæum*

Apud S. Thomam in Catena in Matth 10

In Catena in Luc. c. 10

tate. Nam pax quam offerebant, pluris æstimanda erat, quàm omnia quæ hospites illis dabant. Ne dicat hospes: ego expono meam rem familiarē excipiendo Prædicatorem hospitio: nam in ipso ingressu offert ille tibi donum pacis, *cui nihil est æquale: vt sciat te maiora, quam des, accipere: bonorum enim omnium mater pax, sine cætera fiunt inania.*

4 SED statim adiunxit Saluator: *si domus non fuerit digna: pax vestra reuertatur ad vos.* vbi etiam duo alia continentur documenta. *Primum*, quod non omnes pacem illam recipient, neque prædicationem eorum. Et quamuis intrent domum aliquam, quam dignam existimant: fieri potest, vt talis non sit; aut aliquos in ea esse dignos, & alios non. Et quamuis pax requiescat super dignum, qui vocatur *filius pacis*, hoc est qui facile se dedit, docilis est, salutis suæ cupidus, & audiendæ veritatis, de qua informetur: non tamen requiescet super indignum, filium scilicet dissensionis, contentiosum, ac turbulentum & resistentem prædicationi. Ne autem ipsi Prædicatores tristentur, videntes pacem suam non acceptari: *Secundum* addit documentum, quod scil. ipsi nihil propterea amittent de suo merito præmio, & corona: hoc enim significat, teste Sancto Augustino, quod dicitur: *pax vestra reuertetur ad vos.* nam quod illam hospites suo obtulerint, cedet in propriam ipsorum vtilitatem,

Serm. 42. de Sanctis & S Greg. Homil. 17 in Euang.

5 QVINTVM documentum est: f *manducate quæ apponuntur vobis*, in domo scilicet, in qua excipiemini: nō attendentes an sit modicum, crassum aut inconditum; sed contenti sint eo quod apponetur, nec meliores petant cibos, aut suo palato magis gratos: sic enim ostendent, se non venire ad prædicandum propter aliquam suam commoditatem, aut delitias: ideoque corporalem cibum se parui facere: quærere autem rem maioris momenti, salutem scilicet animarum: de qua dixit ipse Saluator: g *cibus meus est, vt faciam voluntatem eius qui misit ipsum*, ad conuertendos scilicet peccatores. Ac propterea nihili fecit cibum, ab Apostolis sibi oblatum, dixit etiam Christus: *manducate quæ apponuntur vobis*, vt bonum darent exemplum temperantiæ, ac modestiæ; essentque minus onerosi & graues ipsis hospitibus: nam hoc ipsum adiuuarum, vt illi ipsos libentius domi retinerent. Et quamuis constet, vbi est cibus, etiam esse debere potum: huius tamen Christus non fecit specialem mentionem: vt ex hoc intelligerent, quàm cautè ipsis esset circa hoc agendum; & contentos esse debere aqua, si non offerretur vinum; aut quocunque oblato vino; & quidem moderatè, ac parce bibendum,

f *Luc. 10. 8.*

g *Ioan. 4. 34*

6 SED quoniam Saluator noster non solum volebat prædicari suam doctrinam in ædibus priuatis: monet vt etiam publice eam tradant in ciuitatibus. in qua tamen re non præscribit ordinem seruandum: sed aliquando insinuat, vt ingredientes, publice prædicare incipiant toti ciui-

tati; &

tati; & postea hospitium quærant aliquando tamen contrà primum hospitium quærant, & à particularibus ciuibus incipiant: & postea in publicum prodeant, omnibusque prædicent duo præcipuè capita. *Primum* h *appropinquauit in vos regnum Dei*, hoc est Messiæ regnum ante promissum, eius doctrina, & Euangelium, & ingressus in regnum cœlorum, qui per eum aperietur. *Secundum* erat, vt i *Pœnitentiam agerent*, & vitam suam reformarent, meliores mores induerunt: vt cœlesti regno digni redderentur. sub his enim duabus rebus continentur omnia media necessaria, ad cõsequendam æternam vitam: quæ est vltimus finis omnium hominum.

Et quoniã aliquæ ciuitates non erant susceptura prædicationem, iubet, vt k *exeuntes ex domo vel ciuitate excuterent puluerem de pedibus suis l in testimonium illis*. & dicerent: m *etiam puluerem, qui adhæsit nobis in Ciuitate vestra extergimus in vos: tamen hoc scitote: quia appropinquauit in vos regnum Dei*: in signum (vt aiunt SS. Hieronymus & Chrysostomus) laboris, quem in prædicatione Euangelij subierunt. vt ex hoc intelligatur, incredulitatem non prouenire ex causa Prædicatorum, qui suum officium obierunt; sed ex culpa ciuium, qui illis restiterunt. Excutiunt autem puluerem, in signũ, quod eorũ labor fuerit apud ipsos inanis & inutilis; tum etiam in signum (vt ait S. Hilarius) quòd omnis pœna & culpa esset rebellibus ob suã repugnantiã, tribuenda. Item extergebant puluerem, qui ipsis adhæserat ex tali ciuitate, in testimonium, quod sua prædicatione non quæseuerint aliquid temporale ab illa; nec proprias commoditates, neq; aliquid aliud; ne quidem eius puluerem. Denique, vt intelligerent, quam essent detestabiles, qui illos audire nolebant: siquidem nihil secum accipiebãt: eò quòd tanquã maledictum & anathema illud reputabant. Ne tamẽ Ciuitas illa excusationẽ aliquã prætenderet, iussit Christus: vt quando exirent ex ea, ei iterum dicerent: etiamsi à vobis recedamus, non possumus tamen vos non monere: *quia appropinquauit regnum Dei*. Imò se se vobis offert, & ad vestras domos accedat. quamobrem attendite quid agatis, cum illud repelletis. veniet enim super vos ira Dei; tradetq; regno Dæmoniorum. Hoc enim significat. quòd adiecit Saluator, cum dixit suis discipulis: n *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorreorum in die iudicij, quam illi ciuitati*: Nam (vt S. Hieronymus ait) maior fuit Ciuitatis incredulitas & impœnitentia, cùm vestram prædicationẽ audientes; & miracula videntes, quibus eam confirmabatis; & cum eis peccatorum remissionem offerebatis; ac docebatis facilitatem, qua his bonis vti poterant, ac potiri: omnia tamẽ contẽpserunt ac conculcarunt. Sodoma quidem & Gomorra fuerũt ciuitates abominandæ: nõ tamen habuerunt talẽ prædicationẽ, nec talis beneuolẽtia est illis exhibita: & hoc nomine minor fuit earũ rebellio. Et o *si in Sodoma* (ait Christus) *factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt*

h *Luc.* 10. 9. *Matth.* 10. 7

i *Marc.* 6, 12

k *Matth.* 10, 14.
l *Matth.* 16 11.
m *Luc* 10 11 *Homil* 33 *in Matthæum Victor Antiochenus in c.* 6. *Marci Cano.* 10. *in Matth. SS Hieron. & Chrysost*

n *Matth.* 10 15 *Luc.* 10, 12

o *Mat c.* 11. 3.

in Iudæa: fortè manſiſſent vſque in hanc diem: quia non reſtitiſſent; ſed pœnitentiam egiſſent.

8 p *Matth.* 10.14. DENIQVE iuſſit Chriſtus, Diſcipulos p *exire* foras *de tali domo* vel ciuitate: quia non vult tempus teri, vbi fructus non eſt, nec ſpes apparet, aut via illum colligendi; ſed vt migrent ad aliam Ciuitatem, aut locum, in quo poſſint cum fructu prædicare: quemadmodum fecerunt SS. Apoſtoli Paulus & Barnabas, cùm eis reſtiterunt Iudæi habitatores q *Antiochiæ Piſidiæ: qui excuſſo puluere pedum in eos, iuerunt Iconium,* dicentes repellentibus ipſos: *vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes,* quæ illud recipient.

q *Actuum* 13.51 & 6.

9 r *Luc.* 9 10. & 10.17 t *Marc.* 6.30 FINITA Miſſione (quam licet credere fuiſſe ad limitatum tempus, ab ipſo Chriſto præſcriptum) r *redierunt duodecim Apoſtoli,* & s *ſeptuaginta duo Diſcipuli* ad ſuum Magiſtrum, reddentes rationem eorum quæ euenſſent; & t *renunciantes omnia quæ egerant, & docuerant.* vt ipſe iudicaret ex eius monita ſeruaſſent in rebus agendis, & in ipſa doctrina: & approbaret rectè facta; corrigeret verò ea in quibus eſſet erratum: & ita ipſos ſenſim inſtrueret in Miniſterio obeundo: vt quando ad illud aliàs redirent, magis eſſent periti: & ita oſtendebant promptitudinem ad idem Miniſterium obeundum, quandocunque ſibi committeretur, iuxta illud quod dixit Deus Sancto Iob: u *nunquid mittes fulgura, & ibunt; & reuertentia dicent tibi: adſumus?* Fulgura, ait S. Gregorius, eſſe Prædicatores Euãgelicos, ob doctrinæ ſplendorem, & ignẽ charitatis: quos mittit Deus, vt illuſtrent, & accendant homines: & ipſi cum ſummâ velocitate & hilaritate exequantur ſibi commiſſa. Opere autem expedito, redeunt ad ipſum mittentem, & geſtorum rationem reddunt: tribuentes ei gloriam de omnibus, agnoſcentes, ſe non ea præſtitiſſe viribus proprijs; ſed Domini, à quo miſſi fuerunt. Et ita ſeptuaginta duo Diſcipuli redeuntes dixerunt: x *Domine, etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo,* non autem in noſtro: quia virtus, tua eſt, nõ noſtra. Quia tamen hi Diſcipuli tanquam imperfecti aliquid fortè ſenſerunt inanis gloriæ ex eo quòd Dæmones ipſis ſubijcerentur, etiam in nomine ſui Magiſtri: voluit eos reprimere, ac dirigere: ac propterea dixit eis illa verba: *videbam Sathanã ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Quorum ſenſus (vt explicant SS. Cyprianus & Gregorius) etiam eſt; cauete à ſuperbia: nam propter eam vidi Sathanam de cœlo cadentem tanquam fulgur. Attendite ergo, etiamſi ſitis fulgura in prædicatione: ne euaneſcatis, aut ſuperbiatis: ne cadatis in terram in modũ fulguris, quod deſcendit in profundum. Quamuis valde credibile videatur, Diſcipulos gaudium illud habuiſſe abſq; aliqua culpa, gaudentes de poteſtate à Deo ſibi collata; & beneficio abſq; proprijs meritis accepto;

u *Iob.* 38. 35 *lib* 30. *Mor.* c. 2.

x Luc. 10, 37.18

Serm de Tẽtat & Ieiunio lib. 23. *mor.* c. 4. *Homil* 19 *in* Ezechi. l S. *Chryſoſt. Homil* 33. *in Matth.*

ne de

ac de gloria, quæ ſuo magiſtro inde proueniebat; ac denique de fructu in proximis facto. Hæc enim omnia ſunt materia gaudij, quod eſt charitatis fructus, & præmium laborum, quos prędicatores in ſuo munere ſuſtinent. Quemadmodum enim dolent ac flent ob iniuriam & contemptum Dei, quem oſtendunt peccatores obſtinati: ita poſſunt ac debent gaudere propter honorē, qui accedit Deo ex eorum cōuerſione; & ex eo quòd videant, ſe adhibitos tanquam inſtrumenta Diuinæ ipſius gloriæ.

Imponamvs tandem finem, referendo quæ fecit Saluator, poſtquam redierunt Apoſtoli ex ſua Miſſione: & rationem audiuit, quam illi reddebant. Nam (vt S. Lucas refert) y *aſſumptis illu ſeceßit ſeorſum in locum deſertum, qui eſt, Bethſayde.* Et S. Marcus refert, dixiſſe: z *venite ſeorſum in deſertum, & requieſcite puſillum.* Vt intelligeretur paterna eius prouidentia erga ipſos; & quam meritò Prælati habere debent erga huiuſmodi operarios, & quam ipſimet par eſt vt habeant, poſtquam per dies aliquot in huiuſmodi Miſsionibus, & agendo cum proximis poſuerunt, ſecedē-tes per breue aliquod tempus, ad quietem ob duos fines. *Alter* eſt, vt ipſum corpus aliquantulum ſubleuetur, & recreetur, eiusque vires repatentur: vt redire poſsit ad eundem laborem. Vt enim dixit S. Ioannes Euangeliſta: prudentiæ eſt, arcus chordam ad tempus relaxare, vt extendatur, quando opus erit ſagittam iaculari: vt in alio loco dictum eſt. *alter* finis eſt, ad reparandas ſpiritus vires, quæ valde obtunduntur externis occupationibus, etiam ſpiritualibus, & in bonum proximorum. Ac propterea expedit (ait S. Gregorius) poſt exercitia prædicationis ſecedere ad deſertum, & ſolitudinem contemplationis: in qua nouus feruor & vires recentes recipiantur, vt redeatur ad eundem laborem. Et in eundem ſenſum explicat illud, quod Deus dixit Iob: a *nunquid mittes fulgura, & ibunt; & reuertentia dicent tibi: adſumus?* Hæc fulgura, inquit, hoc eſt prædicatores, non exeunt in mūdum, vt maneant ſemper apud proximos, cum ipſis occupati; ſed vt aliquo tempore cum eis laborantes, redeant poſtea ad agendum cum Deo familiariter in eius præſentia, vt ſupra eſt dictum. Sed neque diu in ea ſeceſsione manēdum; ſed, vt dixit Saluator: b *puſillum*, quantum ſcilicet ad vires recuperandas ſufficiat: expectant enim illos eſurientes animæ. Ac propterea decet Domino dicere: *adſumus*; vt iterum quando placebit nos mittas. Ac propterea Euangeliſta expreſſit nomen deſerti *Bethſayda*, quod ſignificat *domum frugum*: ad inſinuandum: recollectionem huius vitæ ſemper debere attendere ad ſpirituales virtutum fructus colligendos in domo propriæ conſcientiæ: vt poſtea prodire liceat, ad metendam animarum meſſem, & colligendos fructus copioſos: qui reponuntur in domo & horreis cæleſtibus ad gloriam Dei in æternum Amen.

10

y *Luc.* 9. 10.
z *Marci* 6. 32.

Refert Caſſianus collat. 24 *c.* 21.

Tomo 1. *Tract.* 2. *c.* 21.

Lib. 28 *mo. ral. c.* 6. *poſt m:d.*
2. *Paſtor. c.* 7

a *Iob* 38. 35.

Tract. 3. *c.* 6.

b *Marci* 6 32.

TRACTA-

TRACTATVS SEPTIMVS.

DE STATV EPISCOPORVM ET PRÆLATORVM: ET OFFICIO animas gubernandi.

CAPVT I.

SVMMARIVM OMNIVM EXCELLENTIORUM virtutum, ac Ministeriorum spectantium ad Episcopos & Prælatos Ecclesiæ.

STATVS ET OFFICIVM PRAELATORVM ECCLESIAE, quod est huius Tractatus argumentum, plures gradus complectitur, alios alijs excellsiores: quorum supremum caput est Pontifex Romanus, Successor S. Petri, & vicarius Christi D. N. in terra; cui subsunt reliqui Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati peculiarium Ecclesiarum ac Religionum; in quibus etiam sunt diuersi Prælatorum gradus; ita eas gubernantium, vt alij alijs subsint: de quibus omnibus simul hic agendum, ob multitudinem magnam, quam in suis habent Ministerijs: quamuis cum hoc discrimine, quòd Prælatura in suis Episcopis habeat diuersi Statûs rationem, in reliquis autem non nisi officij. Nam, vt Primo Tomo dictum, Status dicit Stabilitatem & obligationem quandam perpetuam; Episcopi autem (vt S. Thomas)

nicent, vt ad perfectionis Christianę celsitudinem illos dirigant. Ex quo prouenit, vt status hic sit in Hierarchia Ecclesiastica supremus, & complectatur tres præcipuos actus, quibus illa (vt S. Dionysius ait) tendit, quantum fieri potest, ad conformitatem & similitudinem cum Deo. Cuius proprietas est, quòd sit summa puritas, summa lux, & summa perfectio; & purificare, illuminare, ac perficere suas creaturas, Angelos & homines. Et in his omnibus imitari eum debent Prælati; studentes in primis habere in seipsis magnam mundiciem ab omni genere vitiorũ, passionum, ignorantiæ, errorũ, ac imperfectionum; magnum verò lumen, & splendorẽ scientiarũ ac virtutum: ita vt creseãt & proficiant in eis, donec perueniant ad culmen & perfectionem omnium: & tũc iuxta rationem officij sui purificare debẽt, illuminare, docere, ac perficere suos subditos: quod est in Hierarchia supremum. *Nihil enim*, inquit, *diuinius quàm esse Dei adiutorem*, ostendendo in seipso splendorem Diuinorum operum, ad Deificandos homines, & faciendos homines Diuinos. Quamuis autem aliquid horũ pertineat etiam ad Sacerdotes, & alios Ecclesiasticos Ministros, de quibus hactenus egimus: plenius tamen & excellẽtius pertinet ad Episcopos & Prelatos; qui Magistri sunt, duces ac pastores fidelium; nec solum secularium, sed etiam reliquorum Sacerdotum, & Ecclesiasticorum in eorum officijs.

S. Thomas 2.2.q 183. a.6 ex 5 de Angel Hierarch.

Angelica Hierarchia a 1. Cor. 3.

§. I.

EX hoc fit, vt quemadmodum alios ducturo per diuersas vias, expedit, vt illas nouerit non solum ex aliorum relatione, sed etiam ipsâ experientia: ita a *vt eas* sæpius *ipse ambulauerit*, quemadmodum S. Angelus Raphael dixit Tobiæ, cùm illum voluit itineris sui ducem accipere: ita etiam, cùm Prælati sint duces fidelium, sicut b *pastores ouium*: necesse est, vt omnes vias ambulauerint, per quas illi solent incedere. Quæ viæ sunt tres, quas vocamus viam *purgatiuam, illuminatiuam*, & *vnitiuam*: quæ respondẽt tribus gradibus ipsius charitatis, & tribus Statibus iustorum, quos Sanctus Thomas vocat *Incipientium, proficientium*, & *perfectorum*. Et vnaquæque harum viarum propria sua habet exercitia destinata ad purificandum se à vitijs; aut virtutibus exornandum, aut coniungendum se Deo, amore & charitate perfecta. Et secunda includit exercitia primæ, tertia autem vtriusque. Quarum trium mentionẽ fecit Apostolus, cùm dixit: c *finis præcepti est charitas de corde puro, & de conscientia bona & fide non ficta*: quia amatur puritas animæ & splendor bonorum operum, & fides ac fidelitas in coniungendo se firmissimè cum Deo. In quibus tribus rebus ait S. Bern. debere prælatis Ecclesiæ esse valde eminẽtes. Ac propterea Christus D. N. ter Petrum interrogauit: d *amas me?* vt hominum piscatores intelligant, se debere esse eminẽtes in cordis puritate;

2

a *Tob. 5. 8.*

b *Ioã 10. 3.*

2. 2. q 24. a 9 & q 183 a 4.

c *1 Tim. 1. 5.*

Serm de Trib. ordinibus Eccl. dicã 21 1.

d *Ioã 21.*

& ab omni culpa & imperfectione liberos, quantum humana fragilitas ferre potest. simul etiam habere debent conscientiam heroicis operibus in omni virtutum genere exornatam; non solum in rebus, quæ sunt præceptæ (nam sine his non est puritas) sed etiam in ijs, quæ tantum sunt de consilio, & maiorem adferunt ipsis Prædicatoribus splendorem. Ac denique fideliter seruare debent vnionem cum cœlesti sponso, qui dixit c *Sponsabo te mihi in fide, & in iustitia, & misericordia*, cum summa Charitatis perfectione. Et quemadmodum anima hominis cum magna excellentia complectitur perfectionem aliarum formarum, & animarum inferiorum, tribuens esse corporale, augmentum, & sensum; quæ reliqua corpora, plantæ, & animalia habent; & super hæc omnia habet etiam esse intellectuale Angelorum: ita Prælatus debet cum excellentia habere virtutes *Incipientium*. qui ambulat viam *purgatiuam* & *proficientium* in via *illuminatiua*; & *perfectorum*, in *vnitiua*: quæ spiritum nostrum transfert & commutat in Diuinum. Et cuique dare debet pastum & alimentum aptum & conueniens viæ, quam ambulat. Et quoniam hæc alimenta sunt triplicia: ideo Christus Dominus noster *ter dixit S. Petro, vt ipsius agnos, & oues pasceret*. Debet enim pascere Tirones qui sunt tanquam agnelli Christo regenerati; & proficientes, qui sunt tanquam agni crescentes & proficientes; ac denique perfectos, qui sunt quasi oues, potentes alios regenerare, & eorum esse matres.

c *Osea.* 2. 2c

3

Ex quo fit quod Prælatus excedere debeat, ac subditos suos superare, sicut Magister Discipulos, & pastor oues suas. Quod perpendens S. Chrysostomus ait: Prælatum debere reliquos excellere non corporis proceritate, sicut f *Saul* qui *ab humero & sursum eminebat super omnem populum*; sed in virtutis magnitudine, quę per eam significatur, vt suo loco diximus. Ita vt proportione quadam, tantum distet Prælatus & gubernator ab eis, quibus præest: quantum Pastor distat ab ouibus, brutis animantibus. Hoc amplius explicans S. Gregorius sic ait: Tantum debet actionem populi actio transcendere Præsulis: quantum distare solet à grege vita pastoris. oportet namque vt metiri se solicite studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cuius æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo, necesse est, cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, prę cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus, per humilitatē socius, cōtra delinquentiū vitia per Zelū iustitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam internorum solicitudine non relinquens. Hæc omnia dixit S. Gregorius, Angelicam potius quandamquàm humanam delineans perfectionem. ¶Nec mirum id quidem: quemadmodum enim animantium

f 1. *Regū* 92 *Tomo.* 2. *Tract.* 4. *c.* 1

2. *Pastor. c.* 1.

pasto-

pastores, non bruti sicut illæ, sed homines rationales esse debent: ita rationalium hominum pastores, non puri homines, sed Angeli esse debent non quidem in natura; sed in sapientia, & sanctitate, ac donis gratiæ. Ac propterea ipse Dominus in Apocalypsi eos vocauit g. *Angelos*, vt postea videbimus. Et quemadmodum Angelorum (teste S Dionysio) munus est, purificare, illustrare, ac perficere homines, quorum gerunt curam: ita Prælati eadem officia erga suos subditos præstare debent, modo quodam Angelico.

g *Apocal.* 1.10.

Hanc ipsam excellentiam Prælatorum explicuit etiam cœlestis noster Magister in celebri illo sermone, quem ad suos Discipulos habuit in móte, tanquã ad futuros sui gregis pastores: accipiens pro argumẽto & themate octo beatitudines, volens eos monere, quod deberent esse h *pauperes spiritu, esurientes & sitientes iustitiam*, lugentes eius defectum, *misericordes, mundi corde, pacifici, & patientes persecutionem propter iustitiam*: eo quod absq; harum virtutũ excellentia nõ possunt munus suum perfectè obire. vt autem scirent quale munus illud esset, explicuit prædictos tres actus per varias similitudines, dicens: quòd ipsi essent *sal terræ* quam purificarent à corruptione vitiorum; *lucem mundi*, quem veritatum ac virtutum splendore illustrarent; & *Ciuitatem super montem positam*, ad perficiendos sibi commissos: vt superius explicatum est, cùm egimus de Prædicatoribus. Cùm autem illos nominauit Ciuitatem supra montem, voluit nominatim significare: ita debere Prælatum subditum suum excellere, sicut ciuem excellit ciuitas. Nam quemadmodum Rex totum suum regnum ita repræsentat; vt quod ille facit, dicatur facere totum regnum: ita Prælatus representat totam suam Ecclesiam, ita vt, quod omnes Episcopi in Concilijs statuunt, censeatur tota Ecclesia constituere: ac proinde æquum omnino est omnium virtutes simul collectas ipsi in se habeant. Item quemadmodum Ciuitas (teste S. Augustino) est congregatio multorum hominum alicuius amicitię vinculo coniunctorũ: ita cor Episcopi habere debet intra se congregationem omnium sibi commissorum, eos protegens & in omnibus bonis eorum exercitijs adiuuans. Propter quam inter alias, causam dixit sapiens: i *in veste poderis* quam habebat summus Sacerdos, *totus erat orbis terrarum*, quasi totum illum intra seipsum gestaret, cuius ipse erat Sacerdos. Ac propterea gestabat etiam in humeris & pectore nomina duodecim Tribuum, vt mox videbimus.

h *Matt.* 5.8

Trad. 6. & 4

Lib. 15 *de ciuit. Dei* c 8.

i *Sap* 18.24

Denique quemadmodum author naturæ ita prouidit, vt in capite hominis & reliquorum animalium sint collecta instrumenta omnia, quę pertinent ad gubernationem, conseruationem, ac perfectionẽ corporis in eius actionibus; ac propterea in eo continentur quinque sensus qui ad illas rectè obeundas iuuant: ita etiã in capite corporis mystici Ecclesiæ,

quasi collecta continentur omnia officia & ministeria, ad eius consecrationem ac perfectionem necessaria: ac proinde omnes etiam excellentię ac virtutes necessariæ ad ea, vt oportet, obeunda. Ac propterea S. Gregorius Nazianzenus dixit: quemadmodum caput & cor excedunt reliquas corporis partes: ita Prælatum excedere debere reliquos fideles: nam ipsum debere esse tanquam cor, ex quo reliquorum vita procedat; & tanquam caput, quod in suis officijs eos gubernet. Ac propterea etiam ad Episcopum spectant officia sacrificandi, orandi, confessiones excipiendi, docendi, prædicandi, gubernandi, ac iudicandi; ac propterea confirmandi baptizatos, ordinandi Sacerdotes, ac Ministros; & alios consecrandi, qui præstent idem officium, quod ipse: vt ex hoc intelligant, debere se habere omnes perfectionis gradus, qui in alijs sunt distributi.

In Apolog. de fuga.

§. II.

VT QVAE hactenus dicta sunt distinctius intelligantur, subijciemus imaginem quādam & exemplar veteris Testamenti valde propriū, Summi Sacerdotis scilicet, qui prę ferebat magnitudinem & sanctitatem officij sui in ornatu vestium Sacerdotalium; & nominatim in duabus rebus valde ad nostrum institutum accommodatis. *Altera* quod esset textæ ex preciosissimo stamine, quod esse poterat, cum admiranda varietate, a *ex byssо retorta, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto*, & in aliquibus etiam inferebantur aliqua fila aurea. *Altera* quod exornarentur varijs lapidibus, valde preciosis, in ipso rationali quod pectus cooperiebat, erant: *duodecim lapides in quatuor Ordines distributi, tres in singulis inclusi auro, & in eis sculpta erant nomina filiorum Israël; in singulis lapidibus nomina singulorum per duodecim Tribus.* Alij quoque *duo lapides* preciosi *erant in vtroque latere superhumeralis: in vno lapide* ad humerum dextrum *erant sex nomina filiorum Israel* natu maiorū; In lapide ad sinistrū *nomina aliorū sex* natu minorū: & lapides erāt *inclusi & circūdati auro.* Hic totus ornatus figura erat heroicarū virtutū quæ prælucere debebāt in Iesu Christo D.N. Sūmo Nouæ legis Pontifice, & in Episcopis ac Prelatis; quos ille erat in sua Ecclesia collocaturus. Quemadmodum ipsamet affirmat in consecratione Episcporum, ornans Deum in quadam collecta: vt *quicquid illa velamina infulgoris auri, in nitore gēmarū, & in multimodi operis varietate signabant, hoc in eius moribus actibusq; clarescat.* Prælati enim non in vna tantùm virtute, sed in omnibus prælucere debent; conando semper præstantioribus earum omnia sua opera texere; seseque eis induere ac exornare. Et primum quidē (vt S. Gregorius ait) splendere in eis debet *byssus retorta*, puritas scilicet cōscientiæ; adhibita mortificatione omniū earū, rerum, quæ possū eam

a *Exodi 28, 5. 9. 17.*

2. *Pastor. c. 3*

aliquā

aliquâ culpa maculare. *Hyacinthus* item rectæ intentionis, quę respicit cælestia, nõ flectendo ad fines terrenos. *Purpura* quoq; patientiæ regia, quę dominium præbet homini suijpsius; & pectus ac robur ad magnas persecutiones & molestias tolerandas, satisfaciendi causa officio suo, eiusque obligationibus. *Coccus* etiam *bis tinctus* charitatis cum vtroque suo actu, amoris scilicet Dei & proximorum: ita vt omnia sua opera duplici hoc amore perficiat. *Aurum* denique sapientiæ cœlestis, contemplando scilicet res æternas; & cautè administrando temporales.

Adhvc tamen distinctius apparent hæ virtutes in duodecim preciosis lapidibus auro cælatis: ad significandum (vt ait Beda) quòd sapientia cælestis, siue charitas, quæ est regina virtutum, eas ambit, tuetur, & exornat; tribuitque perseuerantię coronam: sunt autem in quatuor ordinibus, in singulis tres: præcipuè enim exornari debent quatuor virtutibus, quas vocamus Cardinales, fundatas super fidem trium Diuinarum personarum, *Quatuor*, inquit, *ordines gemmarum habet in pectore Sacerdos: quando omne, quod cogitat, prudentiâ circumspectum, fortitudine firmum, iustitiâ eximium, temperantia à malis omnibus fuerit secretum.* Sed ijdem ordines trinas habẽt gemmas, cum eadem prudentia, fortitudo, iustitia, & temperantia, sanctæ Trinitatis fuerint fide consecratæ, & S. Hieronym. addit: ex contritione harum quatuor virtutum reliquas omnes procedere, per duodenarium numerum significatas. Nam (vt S. Thomas dixit) omnes virtutes morales ad has quatuor reducuntur. Sed quoniam spiritus Sanctus non frustra duodecim hos preciosos lapides elegit ac designauit, advestes Sacerdotales exornandas: de quibus lapidibus dixit S. Ioannes in Apocalypsi, b *quod essent duodecim fundamenta ciuitatis* cœlestis: explicabimus hic breuiter heroicas virtutes per lapides illos significatas, seruato quadruplici ordine earum, in quibus Prælati debent prælucere.

In primo ordine erant *Sardius*, *Topazius*, *Smaragdus* Sardivs qui coloris est ignei, terretque feras, est feruens zelus, qui ignis instar contendit; omnia vitia adeò strenuè comburere, vt metum incutiat peccatoribus: ipsosque Dæmones exterreat. Topazivs quem Plinius omnium lapidum preciosissimum appellat, est incensus Dei & proximi amor: actus scilicet charitatis, ex qua oritur zelus, estque omnium virtutum præstantissima, splendens varijs coloribus, valde accensis, auri præcipue præstantissimi: habetque in se omnium splendorem: cui propterea Apostolus tribuit omnium illarum opera. Smaragdvs excellentissimi coloris viridis, est virtus spei, visum reficiendis ac recreantis, erigitque cor ad firmam fructus laborum suorum ac præmij spem. Hæ tres virtutes adeò debent esse Prælatis propriæ ac familiares, vt eas meritò debeant primo loco collocare, sese eisdem exornare: vt eâ quam eorum Status exigit excel-

apud Lipoman in Catena Exodi 28.

Epistola ad Tabiolam.

2.2. fere per totam.

b *Apocal.* 21 14. *vide Alcazar ibi annot. 6 & sequent. Riber. in c. 21. Apocal. Lib. 33. c. 8. 1 Cor 13 4.*

ent iâ & amplitudine ſplendeant. His tamen lapidibus accedebat ſecundus ordo, in quo erant *Carbunculus, Sapphirus, & Iaſpu.* CARBVNCVLVS, qui nocte ſplendet, & circumſtantes illuminat, eſt virtus donumque ſapientiæ cæleſtis: cui coniungitur ſcientia humana, vt nouerit Prælatus, ſubditorum errores, & ignorantias diſſoluere, eoſque in miſeria huius vitę nocte illuſtrare. SAPPHIRVS, qui eſt coloris cæleſtis habeque aliqua punctula, auri eſt ſerenitas, & quies cõſcientiæ, & vitæ quædam cœleſtis, ad ſimilitudinem cœleſtis Adami, multis ac varijs amoris affectibus inſertis: quibus anima pulchrior & elegantior redditur. De quibus Ieremias dixit antiquos: c *Nazareos fuiſſe Sapphiro pulchriores.* IASPIS, qui eſt lapis ſolidus, & fortis ad columnas & ędificia (nam Sloanes dicit: ſtructuram muri ciuitatis cœleſtis eſſe ex lapide *Iaſpide*, quem inter duodecim lapides primo loco collocat) ſignificat virtutem Fidei, quæ fundamentum eſt vitæ Chriſtianæ ac perfectæ; & omnium eorum, qui ſunt futuri columnæ Eccleſiæ, eiusque pondus ſuſtentaturi. Et quoniam IASPIS (teſte S. Hieronymo & Gloſſa Interlineali) prodeſt contra phantaſias, ſiue phantaſmata: etiam in hoc ſymbolum Fidei, quę inanes hæreticorum phantaſias & apprehenſiones euaneſcere facit; ſicut omnium ſuperborum arrogantium ſibi, quòd valde ſint ſapientes. Perſuadeant itaque ſibi Prælati, quòd ad benè fungendum officijs ſuis, debeant eſſe ſolidi ac fortes in fide ſicut *Iaſpis*; quieti & pulchri in ſpiritu, ſicut *Sapphirus*; & ſplendentes in verbis & operibus ſicut *Carbunculus*.

c *Thren.* 4. 7.

In Iſai. 54. *In Exodi.* 28

ADDENDVS tamen tertius eſt precioſorum lapidum ordo, in quo collocantur *Ligurius, Achates, & Amethyſtus.* LIGVRIVS ſiue Lincurius coloris cærulei, ſiue electri (quem S. Iſidorus ait fieri ex vrina lyncis congelata) ſignificat virtutem humilitatis, quæ etſi valde ſit precioſa, oritur tamen ex cognitione propria noſtrarum vtilitatum ac miſeriarum. Ad quã tamẽ producendam opus eſt lynceis oculis, quibus quis ſeſe agnoſcat, & contemnat, etiamſi magna habeat Dei dona, conijciens oculos in ſuum vile principium ac finem: ſiquidem verè eſt puluis, & in puluerem conuertendus. ACHATES, qui niger eſt lapis cum aliquibus circulis albis, ſignificat virtutem pœnitentię, luctus & planctûs ob peccata propria & aliena proximorũ qui nos aliquo modo cõtingũt. Nõ tamẽ eſt adeò merus luctus, ac deſolatio, vt nõ reſpiret aliquãtulũ ob cãdoré indulgentiæ, quę tali medio obtinetur. Amethyſtus, qui eſt coloris purpurei ſiue ſanguinei eſt virtus patientiæ, tolerãtis innumeros labores ob Dei gloriã & bonũ animarum, vſque ad proprij ſanguinis effuſionem: vbi ad reſiſtendum peccatis, aut ob ſalutem ſuarum ouium, opus erit. Hæ virtutes perficiuntur tribus precioſis lapidibus quarto ordine collocatis, *Chryſolitho, Onychino, & Beryllo.* CHRYSOLITHVS ſiue Tarſis, qui videtur aurũ pellucidum, ſi-

Lib. 17. *Etymolog.*

ſimilis

simile colori marino, est paupertas spiritûs, & contemptus rerum omnium huius mundi cũ excellenti quadam cordis generositate; quia omnia reputat tanquam stercus & sordes, vt Christum lucrifaciat. Quamuis enim retinere possit res aliquas temporales, sitque ei viuendum in pelago curarum, quas negociorum varietas adfert: nihil tamen eorum debet ipsi adhærescere; sed tanquam preciosus lapis debet super omne, quod terrenum est eminere: sicut Angelus ille, quem vidit Daniel, cuius d *corpus erat quasi Chrysolithus*: quo significabatur excellentia eius super omnes, qui viuunt in corpore carneo. Onychinvs est figuræ & coloris cuiusdam vnguis cum ingenti candore: & significat virtutem castitatis & puritatis corporis & spiritûs: vt in carne viuatur, non seruatis legibus carnis, sed cum ea e *cordis mundicie, cui Dei visio promittitur*. Qui lapis tanti est momenti pro Sacerdotibus, vt cùm Summus Sacerdos ex reliquis lapidibus singulos tantum gestaret; huius tamen gestabat duos super humeros: ad significandum puritatem, quam Sacerdotes custodire debent in omnibus suis actionibus, & oneribus officij sui. Aduertit autem S. Isidorus: aliquos ex his lapidibus tres habere colores; in parte infima nigrum, in media album, in suprema sanguineum. Qua varietate significatur: quòd per tristitiã peccatorum obtineatur candor & puritas animę; & hęc perficiatur virili ac generoso animo pugnãdi, vsque ad sanguinem, ad obtinendam victoriam. Vltimus lapis erat Berillvs coloris flaui siue pallidi & quasi diluti, nec splendet nisi elaboretur in formam sex angulorũ: & tunc ait, habere colorem inflammatum ad instar aquæ, in qua Sol reuerberatur. Estque figura virtutis temperantiæ, & abstinentiæ; comprimentis impetus & propensiones carnis. Quæ temperantia, vt splendeat, elaboranda est, & polienda mortificatione sex circumstantiarum quę illã reddunt perfectam. quantitatis scil. & qualitatis ciborum, circumstantiarum temporis, loci, modi ac finis: in quo cibus sumitur. Tunc enim anima temperata, fit quasi aqua crystallina, in qua radij Solis iustitiæ reuerberantur per gratias & fauores ei exhibitos.

Isidorus lib 17 Etymolog. c. 14. Vide Ribeiram supra.

d *Daniel. 10. 1*

e *Matt. 5. 8*

lib 16. Etym. c. 8.

§. III.

Hae sunt virtutes, quæ in Prælatis prælucere debent, tanquam signa sanctitatis status eorum propriæ, vt officio & muneri suo satisfaciant. Quod significabatur solenni illa inscriptione in medio lapidum duobus illis verbis: a *Doctrina & veritas*, quæ verba explicuimus, cùm de prædicatoribus ageremus. Quamuis multò plura significent verba Hebræa: *Vrim & Tummim*. quæ alij interpretantur *illuminationes, perfectiones, seu puritates*: ad significandum, quod Prælati intra cor, & pectus suum habere debeant magnam lucem, puritatem, & perfectionẽ in veritate & doctrina; in virtute & sanctitate; ad purificandos, illuminandos ac perficiendos sibi subditos. Et quemadmodum Deus noster olim per

a *Exodi. 28. 30 Leuit. 8. 8. Tract 6. c. 7 Vide Lipoman in locum Exodi.*

Sacer-

Sacerdotem indutum Ephod, respondebat dubijs, quę ipsi proponebantur: ita nunc per Prælatos & Pastores Ecclesiæ docet, illuminat, ac dirigit Christianos omnes in ijs omnibus, quibus ad salutem consequendam opus habent. Ac propterea S. Gregorius dicit: locum in quo hæc verba cum lapidibus preciosis erant, vocatum *Rationale iudicij*: in testimonium rectæ rationis, iudicij, prudentiæ & sanctitatis, quibus ornatus esse debebat in sua gubernatione.

2 P. Pastor c 2.

IN harum omnium virtutum ac Ministeriorum exemplar accipere debet Prælatus non solum Christum D. N. vt dictum est, sed antiquorum etiam Sanctos, qui in eis præluxerunt. Et hoc ait idem S. Gregorius, significare quod b *in duodecim pretiosis lapidibus Pectoralis sive Rationalis inscripta essent nomina duodecim Patriarcharum Israel*. sicut etiã c *nomina duodecim Apostolorum* inscripta erant *in duodecim* lapidibus seu *fundamentis ciuitatis celestis*; ad significandum, Sacerdotem & Prælatum debere ante oculos suos, & pectus suum cum magno amore & affectu portare vitas exemplares duodecim Apostolorum, & reliquorum Sanctorum Episcoporum, ac Doctorum Ecclesiæ, ad præclaras eorum virtutes imitandas, & modum gubernandi, quem tenuerunt. Et quemadmodum sponsa faciebat sibi d *fasciculum myrrhæ* ex ijs, quæ dilectus eius fecit, ac perpessus erat; & retinebat illum *inter vbera* sua vt ea aspiceret & imitaretur: ita Prælatus meritò sibi faciet fasciculum alium lapidum preciosiorum, virtutum scilicet Sanctorum Prælatorum, qui præcesserunt, illumque ponet ante pectus suum, vt præclara eorum exempla inspiciat & imitetur, & nitatur talis esse, quales illi fuerunt, preciosis scilicet lapis ac fundamentalis Ecclesiæ.

b Exod 28 21. 29. idem Beda apud Lipomanũ

c Apocal. 21. 14.

d canti 1. 13

Ex S. Greg. lib. 28. Moral. c 6.

DENIQVE, quemadmodũ nomina duodecim Patriarcharũ Israel significabant etiã duodecim Tribus & familias totius populi Hebræi, erantq; sculpta non solùm in lapidibus preciosis, qui erant ad pectus Sacerdotis, sed etiam in duobus alijs qui erant super eiusdem humeros: ita significabant, Prælatum ratione officij sui debere omnes suos subditos in sua memoria, &. vt Apostolus dixit, e *in corde suo* præsentes habere; vt eos Deo offerat, pro eis oret, & singulos tanquam valde preciosos lapides magni faciat. Debet quoque super humeros suos portare onera omnium, subueniens eis, & in eorum periculis ac difficultatibus eos ita subleuans, deque earum remedio apud Deum ita agens, atque si difficultates illæ ipsorum essent propriæ. Aduertat tamen Prælatus: non satis esse, quòd suos subditos gestet in pectore, nisi etiam in humeris eos portet; neque enim posse commodè super humeros portare; nisi etiam gestet in pectore: simul enim debet eos diligere, iuuare, & sustinere ac tolerare. Non sufficiet amor sine opribus; neque opera aderunt, vbi non est amor; nec tantum ora-

Ita Lipomanus. 5.

e Philip. 1. 7.

tum ora-

tum onus ferre poterit, nisi amet. Hæc summa est virtutum ac Ministeriorum, quæ ad perfectos Episcopos ac Prælatos pertinent. quoniam autem singulæ harum rerum plures alias complectuntur ad huius status perfectionem, & animarum gubernationem necessarias: agemus de ijs quæ maioris sunt momenti in subsequentibus capitibus.

CAPVT II.

ONERA, DIFFICVLTATES AC PERICVLA Prælationis

CVM EXCELLENTIIS STATVS PRAELATONIS operæ precium erit coniungere onera & obligationes eius, ac pericula ei annexa: vt quæ desideria aut timores alia excitant, temperent ac moderentur alia. Neque nimium censendum est, quod proximo capite dicebamus: Prælatos esse debere tanquam Angelos: siquidem S. Tridentinum Concilium Ecclesiarum regimen siue Prælationem appellat *onus Angelicis humeris formidandum*. Horrendum enim est tot animarum onus portare, & earum omnium rationem reddere debere. Sentiebat Apostolus hoc onus, cùm ad Corinthios scripsit *cum timore & tremore multo fui apud vos*, Quòd si Apostolus (ait S. Chrysostomus) timet hoc onus; & qui ad tertium cœlum fuit raptus, tremit ad illud; & qui plus omnibus laborabat, & præstabat plura, quàm teneretur, tantæque erat charitatis, vt infirmaretur cum his, qui infirmabantur; ac diceret: optare se anathema esse à Christo pro salute fratrum suorum: quomodo igitur non trement; qui nec illud præstant, quod præceptum est; magisque inclinant ad ea, quæ sunt ipsorum propria, quam ad bonum ouium suarum. Si iuberer, inquit, nauem ingestimabilibus diuitijs repleram gubernare per mare turbatissimum, innumeris piratis refertum: timerem certè talem gubernationē susciperē: ne inter tot pericula, nauis periret, & ego cum illa. Quomodo igitur non tremam accipere Episcopatum, cui incumbit regere Ecclesiæ nauem, tot animabus oneratam: cùm talis dignitas ab innumeris tentationū fluctibus, & horrendis hostibus oppugnetur? Qui autem hi fluctus: nisi inundationes cogitationum, desideriorum, & curarum, quas excitat inanis gloria, desiderium placendi hominibus, ambitio honoris, prouentuum cupiditas, propensio ad delicias, pigritia, & laxitas in ipso officio, resistentia & contradictio hominum, & ira, quæ erumpit ad sumendam vltionem? Et quis

2

Sess 6 decreto de Reform c.1.

a 1. Cor. 2. 3.

Lib 3. de Sacerdotio. ante mediū

poterit aduersus tot fluctus prævalere,& non periclitari in tãtis periculis? Quodsi quando, vt, homo, impingat; ingens est damnum quod suo scandalo adfert: quæ omnia ipsius periculũ adaugent. Hominum enim priuatorum peccatum multa sunt quæ contegunt,& occultant: at Prælatorum, vt qui publicæ sint personæ, multa sunt, quæ manifestant: illorum peccatum, si manifestetur, non multum nocet: horum autem si clatur, magnum infert vulnus suo scandalo. Semper enim seculares magnum illud reputant: quia eius grauitatem ex peccantis dignitate & amplitudine æstimant. volunt enim: Prælatos viuere tanquam Angelos; & statim murmurant, offenduntur, scandalizantur ex quacunque imbecillitate aut defectu, quem in illis aduertunt. Quis igitur tutus erit in Babylonica hac fornace, circundatus ingenti adeo igne ambitionum, inuidiarum, æmulationum ac murmurationum: nisi spiritum talem habeat, quale corpus b *tres* illi *pueri* habuerunt, qui *in medio ignis* existentes ab eo non lædebantur? Quid autem dicemus de lignis, quibus fouetur hic ignis? rebus scilicet quę occurrunt, dum huiusmodi dignitates quæruntur & postquam obtentę iam sunt, in designandis officialibus ac ministris, in cura subditorum, & virginum recollectarum, quę ipsis incumbit; & circa pauperes & egenos, tentatos, & afflictos, circa potentium intercessiones ac petitiones, circa visitationes, & mores alios huius mundi, circa lites ac discordias; & mille alia, quæ permixta habent innumera pericula, & anxietates: vt fusè prosequitur S. Chrysostomus, excusans se apud S. Basilium ab acceptando Episcopatu. suamque sententiam confirmat adducta comparatione Prælatorum ad ouium Pastores: nam horum, inquit, periculum est in rebus temporalibus, quarum detrimentum pecunia reparari potest; Episcoporum autem periculum est in rebus spiritualibus: quia agitur de animarum salute: quarum iactura nullo precio potest reparari. *Deinde*, cùm lupi gregem aggrediuntur, satis illis est, quod oues rapiant; fugientem autem Pastorem non sequuntur, vt ipsum occidant: lupi autem, qui animas persequuntur, sunt Dęmones astuti, ac feri; non satis habent, quòd oues ipsas perdant; sed ipsum quoque Pastorem inuadunt, vt & illum destruant: quem si ad fugam impellunt, vel hac ratione ipsum vincunt: quia gregem deserit sibi commissum. Morbi etiam ouium facilè agnoscuntur, & curantur: quia illæ non resistunt Pastori: animarum autem morbi valde latent, & postquam deprehenduntur, difficilè curantur: quia hæc curatio multum dependet ab earum voluntate: quæ sæpe resistit, ac refugit cauterium correptionis; euaditque deterior pœnâ, quę pro antidoto illi imponitur. Item Pastor oues suas ducit quò vult, auferens illis hunc pastum; & aliũ præbens: & in omnibus ipsi parent: at Prælatus mille habet cõtradictiones in sua gubernatione; nec

oue

q *Daniel.* 3. 50.

Lib. 2. de Sacerd. ante medium.

oues eius semper volunt acceptare pastum, quem ipse offert; sed alium quærunt palato suo magis gratum. Cumque omnium illarum cura ipsi incumbat; gemit, vt ait Apostolus timens rationem, quam Deus ab illo pro omnibus ouibus exiget. quæ cogitatio facit Prælatos c *peruigilare*, & vt d *somnus fugiat ab oculis eorum*, multò magis, quàm fugerit à Iacob ob curam, quam habebat gregum Labã quia hîc multò maius est periculũ.

Sed, quis referre poterit e *gemitus*, Prælati officium comitantes? gemit enim cùm tanquam mater filios f *parturit, vt formet Christum in eis*? gemit cùm videt g *ruffum Draconem exspectantem partum, vt illum deuoret*: augetur autem gemitus, si videat, ex suis visceribus fœtum suum transferri à Dracone ad sua: Gemit, ob labores quos sustinent in filijs educandis, instruendis, & à vitijs præseuerandis, gemit, cùm eos videt inobedientes, ac rebelles & ipsa curatione adhibita, euadere peiores; gemit eò quòd tot animarum onus sit grauissimum: ideoque timet, ne culpâ suâ eas & seipsum detrudat in infernum, quàm aptè vsurpare hîc licet illud Iob: h *Gygantes gemunt sub aquis*. quemadmodum enim Balænæ, & magni alij marini pisces, quos hîc Gygantes appellat, gemunt in partu filiorum, in eis educandis, ac tuendis: ita Prælati, qui quasi gygantes sunt in magno hoc Ecclesię mari, circundati i *pluribus aquis, multu* licet *populis*, gemũt curâ & onere tot animarum ipsorum curæ commissarum. Quis non dicet: gygantem fuisse mulierem illam tantæ magnitudinis, vt cum k *Lunam haberet sub pedibus suis Sole esset amicta & capite* pertingerent ad ipsas *stellas*? Et nihilominus gemebat, & *clamabat parturiens, & cruciabatur* doloribus, *vt pareret*. Gygas erat S. Paulus, gemebat tamen pressus pondere Galatarum, dicens eis: l *iterum vos parturio* hoc est partus doloribus ita iterum afficior, vt cogar *vocem mutare*, ad ingentem dolorem ac sensum exprimendum. Et magnus ille pastor, qui vt m *gygas à summo cœlo egressus* venit *quæ erat perditam, & inuentam imposuit in humeros suos*: & quamuis gauderet, quod eam inuenisset; non tamẽ propterea non sensit onus: quod adeo fuit graue, vt præangustia n *sanguinem sudauerit*; & cum bainlaret crucem, ipsius causâ, præ nimia defatigatione in terram ceciderit. De eodem etiam dicitur, quòd o *principatus eius esset super humerum eius*, super quem etiam esset ponenda p *clauis domus Dauid*, ad significandum adeo eam fore grauem, vt opus esset eam super humerum portare. si igitur Gygantes sub hoc onere gemunt: quomodo non gement communes & ordinarij homines, si sensum & mentem habeant, ad eius pondus cognoscendum?

Ivcvndvm quidem videtur: q *super humeros gestare preciosos lapides auro inclusos, in quibus sculpta sunt nomina Tribuum Israel*, vt dictum est eo quòd inæstimabile sit precium animarum Iesu Christi sanguine redemptarum, præcipuè cum eius gratia sunt exornatæ: quas tamen si inspicia-

c *Hebr.* 13 17.
d *Genes.* 31 40.
e *Hebr.* 13 17 *ne gementes id faciant.*
f *Galat.* 4 19.
g *Apocal.* 12 3.
h *Iob.* 26 5. *Pinedare fert: Baleà faucibus filios abscondere vt ab aliarum belluarũ impetu sint tuti*
i *Apoc.* 17 15
k c. 12. 1.
l *Galat.* 4. 19.
m *Plas.* 18 7
n *Luc.* 15 5
o *Isaia* 9 6 p c 22 22
q *Exod* 28 9

mus iuxta mutabilitatem, quam ex seipsis habent; & iuxta miseriam per culpam additam: non est pondus plumbeũ adeò ponderosum & graue, atque est vel vnica anima. Quanto ergo grauiores erunt tot simul? Quod si percipere velis, attende: quid magnus ille Gigas & Pastor populi Hebræi Moyses dixerit ad Dominum: r *Cur afflixisti seruum tuum? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram pro qua iurasti Patribus eorum? Non possum sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* O quam fuerit graue pondus, quod virum adeo mitem, ac zelantem coegit, vt verba adeo grauia proferret ea mente & voluntate, vt se inde expediret ac liberaret! Rem iudicat intolerabilem nutricis munus obire erga filios non suos secundum naturam, cum sint adeo rebelles erga ipsos gubernãtes; & minus grauem existimet sibi esse mortem, quam pondus tale sustinere: verum est quidem: verba illa fuisse hominis in affectione constituti, qui memor non est auxiliorum & suppetiarum, quas habet à Diuina gratia: ostendunt tamen apertè, quantum sit pondus gestare s *homines*, quos (vt ait Dauid) *Deus imponit super capita nostra* Quod si hoc adeo grauiter fert, qui tanta erat charitate, ac zelo erga populum suum, vt diceret Deo: t *dimitte populo hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*: quid sentient, qui tepidam habẽt charitatem ac zelum? Quodcunque enim onus absq; charitate & amore feratur, censetur grauissimum. Quod si tepidi onus hoc leuiùs ferunt, id ex eo prouenit, quòd illud non agnoscant, nec perpẽdant quale illud sit; aut certe, quod non sint ipsi veri Pastores, sed mercenarij: & amor temporalis mercedis reddit illud eis leuius. Vbi autem est verus zelus charitatis, non potest nõ grauiter ferri tantũ onus: omnium enim onera quasi propria reputat; & omnibus sese onerat: quia cor eius illis vritur. Ideò enim dixit Dauid: u *Zelus domus tuæ comedit me: & opprobria tibi ceciderunt super me* Quid autem dicere: *comedit me*: nisi quòd Zelus ille, quasi ignis quidam eius viscera consumeret: cùm videret peccata populi, & ipse in se pœnas suscipere, quas illi erant promeriti? Et quemadmodum naturalis calor hominis, si proprium alimentum sumat, quo reparetur, sensim ipsum comedit & consumit ita zelus hic consumit cruciatq; zelantem Prælatum: nisi animas comedat, quibus famem exsatiet, qua illas esurit. Sed quid de hac tale alimentum sumẽdi difficultate dicemus; vox quędam cœlestis, cum S. Petro ostendisset linteum quoddã in quo erant quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cœli, dixit ei: x *occide & manduca*. Quis igitur non videat, quanta sit difficultas, semper luctuari cum viperis, & omni genere

serpe-

r *Numer.* 11.11.

s *Psal* 65.12.

t *Exodi.* 32.32.

u *Psal* 68.10 *Ioan* 2.17.

x *Actuum.* 10.13.

serpentum; cum pardis, leonibus, & omni genere ferarum; cum aquilis, miluis, & omni genere voluerum; impellendo subditum ipsum, & cogendo ad pugnam, donec illas inguler; & postquam occisæ erunt, vt eos comedat & in sua viscera immittat? multò autem difficilius est pugnare cum omni genere peccatorum donec vitia in illis extinguantur, & in Eccles viscera, etiam in propria immitantur, contrahendo cum illis familiaritatem & amicitiam. Quæ amicitia si esset diuturna, adhuc onus esset leuius: cùm autem illa innitatur charitati & amori Dei, qui peccato quolibet mortali euanescit: habet mille mutationes, quæ ipsum Prælatum non minus torquent, quàm si cibus semel sumptus, violenter ex stomacho extraheretur: vt opus sit peccatorem denuò expugnare vt comedere illum possit: renouando cum eo amicitiam & in eius conseruationem diligentiùs in posterum in vigilando.

Hanc solicitudinem ait Sanctus Gregorius, exaggerari & vrgeri à Salomone, cũ dicit: y *Fili mi, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera. quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina suscita, amicũ tuum: ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Quæ tota sententia in sensu mystico eò tendit, vt Prælatũ moneat de onere, quod cum suo officio sibi imponit, dum spondet pro animabus subditorum: obstringendo se Deo D.N. quòd daturus sit operam, vt illi debitum reddant ad quod tenẽtur, in obseruatione Diuinorum præceptorum, Et hoc (ait S. Gregorius) est *alienam animam in periculo suæ conuersationis accipere.* hoc est, ita alienæ animæ curam in se recipere, vt propriam periculo exponat: nisi, quod officium ipsum exigit, præstet. Ipse enim verbis proprij oris sese ligat; nam, dum se obligat: ad eis suadendum bonum quod facere tenentur seipsum etiam obstringit ad idem priùs præstandum: ne ipsa vita contrarium doceat, quam verbo suader. Ac propterea necesse est, ipsum semper magno feruore ac diligentia ita vigilare, vt neque ipse dormiat; nec eos dormire sinat, qui ipsius curæ sunt commissi: sed frequenter eos excitet, ad talem viram instituendam, vt ipsum à pollicitatione ac fidei iussione liberum faciant

(.·.)

3 p. Pastor. admon. 5. y Prouerb. 6. 1.

CAPVT III.

TALENTA AD PERFECTE GVBERNANDVM necessaria

EX OMNIBVS RATIONIBVS IN PROXIMO CAPITE positis deducere licet conclusionem illam, quam S. Gregorius Papa initio sui Pastoralis propositi dicens: *ars artium regimen animarum.* Et idem docuerat S. Gregorius Nazianzenus dicens: Ars artium, & disciplina disciplinarum, hominem vel regere, vel imbuere, qui certe est inter omnes animantes, & moribus varius, & voluntate diuersus. Artem artium vocant, ob summam excellentiam ac difficultatem, quam inter omnes artes habet. Excellentia eius deducitur ex præstantia obiecti ac finis, boni scilicet supernaturalis animarum, ad gloriam eius, qui illas creauit ac redemit; cupitque eas iustificare & glorificare. Difficultas partim oritur ex ipsis gubernandis, qui naturâ sunt mutabiles, inconstantes, liberi, iudicio proprio adhærentes, ac difficilè subiecti aliorum gubernationi: partim oritur ab ipsis gubernatoribus, qui naturâ suâ sibi ipsis non fidunt, ac decipi possunt circa res externas, quæ possunt sensibus percipi. Quanto igitur magis circa internas, quæ valde sunt absconditæ; etiam ipsi, in quo illę geruntur: vt ita solus a Deus *qui scrutatur corda* intricata, possit eas cognoscere ac manifestare. Quod si ars medica, quæ corporis tantũ morbis medetur, adeo est difficilis quanto erit difficilior quę animabus curandis attendit? maximè quod illa tantùm sit vnica, & respiciat præcipuè solos infirmos: quia b *illi & non sani* (vt dixit Saluator) *indigent medico*: hæc autem est ars artium: quia multas complectitur; ac dirigitur ad gubernandos infirmos & sanos; & dirigendos Tirones, & proficientes, ac perfectos. Nam Prælati non tantùm sunt medici, sed Magistri etiam, Iudices, Consiliarij, Gubernatores, Duces, ac Patres. Vocatur tamen ars: eò quòd non dirigatur ad sciendum tantum; aut docendum; sed ad praxim etiam & opus præstandum. Hinc est, quòd Prælaturæ officium, & ars gubernandi, ad sui perfectionem requirat c *quinque talenta*, quæ supremus Gubernator distribuit ijs, qui futuri sunt digni Ecclesiæ Prælati. Quoniam autem gratia requirit aptam naturam, *Primum* talentum est BONA CONSTITVTIO NATVRALIS, apta scilicet ad ea præstanda, quæ gubernandi officium exigit: tam quo ad bonum intellectum; & iudicium compositum; quam ad bonas propensiones, cum moderatione passionum vehementium, quæ iudi-

cium

1 p. Pastor. c. 1. *In Apologetico.*

a *Iere.* 17. 10

b *Luc.* 5. 31.

c *Matt.* 25. 15.

cũ illud solent perturbare. Hoc enim officiũ non bene cõmittitur ingeniis rudib. crassis, exiguę appręhensionis, ac iudicij circa res agẽdas; neq; ingenijs tumultuarijs, temerariis ac pręcipitatis; aut duris, pertinacibus inflexibilib⁹; nec ingeniis timidis, & pusillanimis, aut valde scrupulosis, angustis, & auxiis. Omnia enim hæc ingenia solent in gubernatione populũ destruere, sicut filius ille Salomonis de quo ait scriptura: d *Roboam erat rudis, & corde pauido, nec potuit resistere hostibus suis*: ac propterea non reddidit bonam rationem de regno sibi à patre relicto. Necesse itaq; est, gubernatum habere aptum fundamentum naturale, sicut ipse Salomon de seipso dixit: e *puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*; habebat enim ingenium docile, clarum, tranquillum, & facile, ac promptum ad discendum, & rectum ad iudicandum; & animam à natura bene propensam, cor generosum, magnanimum, robustum & ad plurima aptum.

d 2. *Parali* 13.7.

e *Sapien* 8. 19.

SED quoniam non sufficit, fundamentum hoc siue fulcrum bonæ naturalis constitutionis: nã vt plurimum habet multa inordinata, quę indigent mortificatione; & alia multa quæ in meliorem ordinem & constitutionem redigi possunt: necessarium est *secundum* talentum, quod est VIRTVTIS, de quo proximo capite dictum est, cum cæteris bonis habitibus, quos complectitur: idque non in quouis gradu, sed in perfectissimo: vt bene sint morificatæ, ac domitæ passiones carnis, & inordinati affectus ad delitias, diuitias, & honores: quæ sunt venenum huius statûs & totius gubernationis. Hoc S. Gregorius pulchrè his verbis explicauit: Pręsul, cùm populi curam suscipit, considerare debet, quod quasi ad ęgrũ medicus accedit. Si ergo adhuc in eius opere passiones viuunt: qua præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat? Ille igitur modis omnibus debet ad exemplum bene viuẽdi pertrahi, qui cũctis carnis passionibus moriens, iam spiritualiter viuit; qui prospera mundi postpononit, qui nulla aduersa pertimescit; qui sola interna & æterna desiderat: cuius bonę intentioni nec omnino per imbecillitatem corpus nec valde per contumaciam repugnat spiritus. Qui aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur. Qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur; sed nunquam plus quám deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat sed perpetrata ab alijs, vt propria deplorat. Qui ex effectu cordis alienę infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi sicut in suis profectibus lætatur. Qui ita se imitabilem cæteris in cunctis, quæ agit, insinuat: vt inter eos non habeat, quod saltem de transactis mens erubescat. Hæc & alia. S. Gregorius: quæ sunt effectus illius talenti, quod virtutem appellamus: virtutes enim ad huiusmodi opera impellunt.

2

1. *Pastoral.* c. 9. *ad fin.* & c. 10

NECESSE tamen est, tertium addere talentum: quod est SCIEN-

TIAE

TIAE: eaque non discipuli alicuius, sed magistri cum ea *sufficientia*, (vt ait Concilium Tridentinum) vt *idoneus sit ad eam alios docendam*, non enim bene poterit Prælati munere fungi, qui non sit bene institutus in omnibus. quæ Sacra Scriptura docet ad corrigẽda, & vitia diligendum in virtutibus; ad Diuina misteria, quæ in eis sunt reuelata, confirmanda: vt Sius S. Chrysostomus ostendit. Nam Prælati, vt dictum est. sunt animarum medici. Certè, inquit, humana corpora curantibus diuersa suppetunt medicamenta. Itemque instrumentorum apparatus varij & cibi ægrotantibus congrui; plerumque autem & sola aeris natura satis fuerit ad sanitatem laboranti restituẽdam: alias etiam somnus, qui opportune cõrepserit, medicum ipsum labore omni leuat, liberatque. Ad curandas verò animas, nihil huiusmodi comminisci licet: sed vna quædam ars, curationisq; via tenenda, sequendaque est: nempe per sermonem Euangelicum doctrinæ, & verbum Dei, quod nobis in scriptura sua reuelauit. Siquidẽ hoc demum instrumẽtum est, hoc cibus, hoc aeris temperamẽtum optimum, hoc medicamenti instar, hoc ignis loco, hoc ferri vice, quod cauterium imprimit, hoc scalpellus quo sanguis corruptus foras emittitur; hoc syrupus, & purgatio qua deprauatus humor extra animam expellitur: ac si vel vrere vel secare opus, hoc ipso vti necesse: & hoc iacẽtem animã suscitamus, & tumescentem compescimus; hoc & superuacanea amputamus, & quæ desunt supplemus; infirmam in fide hoc confirmamus, & animum ad perseuerantiam addimus: cæteraque omnia conficimus, quæ ad animi conferunt incolumitatem. Hic enim locum habet, quod Diuina dixit sapientia: *f neq; herba neq; malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia.*

Sessione 22 de Reform. c. 2.

lib 4 de Sacerdotio prope mediũ

f Sapien. 16. 12.

SVNT etiam Prælati spiritualis militiæ duces, in qua innumeri sunt hostes inuisibiles, milleque artibus & modis instructi ad ipsos & eorum milites, qui sub eorum vexillis militant decipiendos: ac proinde necesse est, eos omnium illarum artium scientiâ pollere: si enim Dæmon præsentiat, vel vnius illarum esse ignorantiam, illâ vtetur ad eos oppugnandos subtrahet se verò, cùm pastorẽ sensserit omni scientiâ esse præditum, insidiarumq; omnium suarum esse gnarum. Accedit, quòd etiam ipsa fides ab innumeris hæreticis oppugnatur multis variisque erroribus, & virtus vexatur à multis malis Christianis mille modis valde noxijs. Cum autem Prælato incumbat obligatio, illa auertendi, & impediendi, necesse est, eum habere valde perfectam omnium cognitionem. Ac propterea Apostolus commendat Timotheo Episcopo discipulo suo, vt *attendat lectioni, exhortationi, & doctrinæ*: & iterum monet eundem, *h vt permaneat in ijs quæ didicit: quia ab infantia sacras litteras nouerat. omnis enim*, inquit, *scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigen-*

g 1 Timoth. 4 13.

h 2. Timot 3. 14.

i Fid. 1. 9.

dum, &

dum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Et scribens ad Titum addit: vt i *potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere*, si enim ignarus & idiota sit, non poterit eis obstruere ora, nec resistere, nec subditos suos à deceptionibus liberare. Denique scientiâ suâ Prælati primum ferculum siue pastum præbent suis ouibus, docentes eas quod ad suam salutem ac perfectionem facere debent. Et hoc est officium ipsorum valde proprium, iuxta illud quod dixit Dominus: k *dabo vobis Pastores. & pascẽt vos scientiâ & doctrina.*

i *Tit.* 1. 9.

k *Ierem* 3. 1

Ex his deducitur etiam necessitas *quarti* talenti, PRVDENTIAE scilicet in gubernando: quę donum est à scientia distinctum, & multi valde eruditi eâ carent; estq; proprie illa sapientia, quam Salomon petijt & accepit à Deo, cum omnibus eius actibus & officijs: de quibus in secundo Tomo egimus. Et hæc magnam habet connexionem cum experientia, quæ annorum decursu obtinetur: cum videntur multa & obseruantur. Ac propterea Prælati deberent esse senes: nã absque veneranda senectute, & canicie hæc experientia non habetur. Ideoq; in Scriptura appellãtur l *Seniores*, quod significat viros maturos, ętate valde prouectos, valdeque expertos: quales esse debent medici, ac duces, vt rectè dextreque suo munere fungantur. Prętera prudentia Pastoris (ait S. Chrysostomus) eiusque solertia munit quasi murus ciuitatem Ecclesiæ, & ita illa est valde tuta. Etiam est quasi specula, ad obseruandas hostium insidias: imò est quasi quodlibet belli instrumentum aduersus eos. Prudentia enim & solertiâ suâ vnicuique applicat remedium conueniens iuxta eius necessitatem. Ac propterea Salomon dixit, quod cùm m *ciuitas* quædã *parua* obsideretur *à Rege quodam magno, inuentus fuerit in ea vir pauper & sapiens* (hic est Prælatus spiritu pauper, ac cœlesti sapientia Sapiens) *& liberauit vrbem per sapientiam suam*, à periculo in quo erat constituta.

l *Num.* 11. 16 *Act* 15 4 & c. 20. 17 *Supra.*

m *Eccles.* 9. 15.

Sed quoniam virtus, scientia, & prudentia hominum exiguæ sunt; & quòd sint in vasis fictilibus debilis ac fragilis carnis, opus habent quinto talento, dono scilicet orationis & contemplationis, quæ impetrat à Deo inspirationes, mentis illustrationes & auxilia copiosa, quibus reliqua talenta suos actus exercent; & contemplatio n *introducit* Prælatum *in cellam vinariam* Dei, & in intimos sapientiæ eius recessus, vbi discit scientiam gubernandi; recipitq; actus veri amoris ac zeli, quibus oportet gubernare. Item cum Prælati officium sit, vt dixit Moyses, o *esse Sequestrum & medium inter Dominum & homines*; & orare causamque illorum agere: necesse est, eum habere donum orationis cum fiducia, cui illa innititur: vt eius intercessio feliciter exaudaitur, & expediatur. Ille (inquit Sanctus Gregorius) aptus est vt fiat Prælatus, qui orationis vsu & experimento iam didicit, quod obtinere à Domino, quæ poposcerit, possit: quasi ei speciatim

n *Cant.* 1. 4. & c. 2. 6. *S. Bernar. Ser. serm.* 23

o *Deut.* 5. 5.

9. *P. Pastor c.* 10. *ad finem & c.* 11.

p Isai. 58, 9. Iuxta Lxx.

dixerrit illud Prophetę p *adhuc loquente te dicam, ecce adsum*: vt scilicet cōcedam quod petis. Ex quo infert hic Sanctus necessitatem, qua Prælatus tenetur esse valde iustus. Nam si quis offensum & iratum sibi habēs Principem, cum quo non haberem singularem amicitiam & familiaritatem, peteret á me, vt pro ipso intercederem, statim me excusarem, dicens, me non habere familiarem aditum ad illum Principē ad huiusmodi causam tractandā: si igitur homo refugit intercedere apud alium quem non nouit: quomodo audet officium obire intercessoris pro populo; qui in se nō habet indicia & aliquod testimonium, quod sit gratus Deo? Et quomodo audebit pro alijs veniam petere, qui existimat ipsum Deum sibi esse iratum? Potius enim vereri debet: temeritatem intercedēdi pro alijs, aucturam Dei contra se iram Prælati, ait S. Bernardus. tales esse debent, vt dexteritatem & vsum orandi habeant; ac de omni re, orationi plus fidāt, quā suæ industriæ vel labori, ita vt sperent Deum propter orationē daturum labori & industriæ efficacitatem necessariam, vt voti sui compotes euadant. Cùm autem contemplationis finis sit vnitio cum Deo per inflammatum amorē charitatis; hęc est pręcipuum talentum, quod valde supplet defectus perfectionis reliquorum. Ac propterea dixit Innocentius Papa; *etsi desideranda sit eminens scientia in pastore: in eo tamen sit competens toleranda: quia secundum Apostolum*; q *scientia inflat, charitas ædificat, & ideò imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis* iuxta illud Ecclesiast: r *anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circum spectores sedentes in excelso ad speculandum*: sanctitas enim illum erigit ad locum altiorem ad ipsum scilicet Deum. à quo supernaturali lumine docetur, quod humana scientia non assequitur. Præter hæc autem quinque talenta necesse est. Dominum qui illa distribuit, velle, vt illa huic officio & muneri applicentur: ex eius enim voluntate, eorum efficacitas dependet, vt in proximo capite dicetur.

lib. 4. de cōsideratione.

C Nisi cum pridem. De Renuntia. t

q. 1 Corin. 1.

r Eccl. 37. 18

CAPVT IV.

ABSQVE DEI VOCATIONE VALDE PERICVLOsum esse statum Prælationis procurare; aut etiam oblatum admittere; & ostenditur modus in electionibus seruandus.

EX DICTIS IN PRAECEDENTIBVS CAPITIBVS deducere licet modum ascendendi ad Statum & officium Prælati, sequendo scilicet ordinem Diuinæ vocationis; sine qua (vt Apostol. dixit) a *nullus assumere sibi debet hunc honorem*, sicut neque Aaron eum sibi accepit quemadmodum fusè dictum est in Tractat. de Sacerdotio: quicquid enim ibi dictum est, multò magis conuenit Episcopatui, & Prælaturæ, qui Status est virorum perfectorum, quàm Sacerdotum communium: eò quod esse debeant etiam aliorum Magistri, quos doceant perfectionem; & ob pericula, quæ secum adfert animarum cura. Quamobrem Deus D. N. nunquã vocat ad statum Episcoporum & Prælatorum, nisi eos, qui digni sunt & perfecti; aut quos sua vocatione tales efficit ex speciali priuilegio: quemadmodũ fecit cum Sancto Paulo, quem simul & in vno momento deduxit ad Statum gratiæ, & perfectionis; & vt esset eius Magister in toto mundo; S. Petrum autem prius vocauit, vt b *ipsum sequeretur*; eumq; cõtinuit per tres annos in sua schola: post resurrectionẽ autem, cùm ter eum interrogasset, an ipsum deligeret: illeq; respondisset c *tu scis quia amo te*: tunc illum Pastorem constituit ouium suarũ. Cæteros autem Apostolos etsi ad idem Ministerium elegit: noluit tamen, vt illud prius exercent quàm spiritus Sancti plenitudinem acciperent, d *virtute induerentur ex alto*. Dicuntur autẽ pleni spiritu diuino, eò quòd (vt S. Thom. explicat) tantã à Deo D. N. gratiam & auxiliũ accipiant, quanto opus habent ad implendum, quæ Status & officium sibi cõmissum exigit. Quæ gratia, vt sæpe dictum est, venit cum ipsa vocatione & electione Dei. In cuius testimonium, cùm Moyses conquereretur, quòd non posset solus totius populi onus portare, ac Dominus iuberet, eligi septuaginta viros de senibus Israel; qui ipsum iuuarent dixit: e *auferam de spiritu tuo tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi*. Sic enim insinuauit, iuxta distributionẽ oneris distribui ẽt spiritũ & auxilium ad illud portandũ: nulli n. vult Dominus noster onus maius imponere, quã ferre possit: f *Propterea talẽta distribuit seruis, vnicuiq; secundũ propriã virtutem*

a *Hebr.* 5.4.

Tract. 1. c. 6.

Actuũ 9.15.

b *Matth.* 4. 18. *Ioan* 15.16.

c *Ioan.* 21.15

d *Luc.* 24. 49. 3. p. q. 45. a. 10.

e *Numer.* 11 17.

f *Matth.* 25 15

hoc est iuxta vires quibus indigent ad munus obeundũ quod illis committit Quare ijs, quos elegit, vt sint Prelati, tradit quinq; illa talenta, quę proximo capite retuilmus in eo gradu, qui cõuenit vnicuique Quamuis aliquibus cum maiori præbeat excellentia, quam alijs præueniens eos aliquibus auxilijs ad eos alliciendos prius, quàm officium aggrediantur. Præterea sanctum Ordinis Sacramentum, cùm habeat plures gradus in suis ministerijs: diuersos gratiæ gradus eis proportionatos præbet in ipsorum Ministrorum consecratione. maiorem enim præbet gratiam Sacerdotibus, quam Diaconis; & Episcopis, cùm consecrantur multùm auget gratiam ad noua ipsorum ministeria. Quæ gratia non solùm est illa, quæ sanctificat; sed etiam complectitur inspirationes, illustrationes, & reliqua necessaria auxilia ad suos obligationes plene præstandas.

§. I.

VT autem discernatur modus quo Diuina vocatio in his auxiliis innotescit: supponendum est, Deum D. N. rarò aut nunquam ad prælationẽ vocare inspirationibus aut impulsibus vehementibus, quibus solet vocare ad statum gratiæ aut Religionis, cuius immitit desideria; & impellit ac stimulat, vt eam amplecti studeant: potiùs vt plurimùm inspirat cum vehementia quadam suis electis, vt huiusmodi officia, quantum in ipsis est subterfugiant: sic enim fouet virtutum humilitatis, quę est lapis Lydius ad veras inspirationes dignoscendas. veri enim humiles iudicant se indignos præcelso huiusmodi statu, qui magnam requirit puritatem, & humeros Angelicos. Iudicant, se non esse sufficientes ad reddendam bonam rationem de animabus aliorum, timẽtes seueritatem, qua Deus rationem ab eis exiget in die iudicij. Timent etiam pericula, quæ secum adfert honor huiusmodi dignitatum; & possessio Bonorum ac Reddituũ, quæ illis est annexa. Ac propterea virtus humilitatis eos impellit ad eas fugiendas, cum ad eas eliguntur ab hominibus, abdũt sese, & omnẽ possibilẽ dãt operã, ne illas admittãt: donec ipsis clariùs de diuina volũtate cõstet: cui tãquã filij obedientię nõ volunt pertinaciter repugnare. Huius veritatis testes sunt Sancti Episcopi Nicolaus, Martinus, Ambrosius Augustinus, Chrysostomus, & multi alij: qui tantum laborarunt, vt subterfugerent dignitatem, quantum multi nunc laborant, vt eam obtineant. Admirandus omnino est Dialogus S. Chrysostomi cum S. Basilio, quem ipse refert in sex liberis de Sacerdotio: in quibus multis rationibus, quarum fundamenta in præcedentibus capitibus proposuimus persuadet plurimum sua interesse fugere Episcopatum Idem fecit. S. Greg. Papa: qui reddit facti sui rationem, dicens in suo Pastorali: *Christum* D. N. *fugisse in montem, cùm homines vellent facere eum Regem*: qui tamen b *venientibus ad ipsum capiendum, vt crucifigerent, obuiam*

S. Greg. 1. p. Pastoral. c. 6. & 3.

1 *p. Pastor. c. 3.*

a *Ion. 6. 15*

b *c. 18. 4.*

proceßit. vt exemplo ſuo nos doceret, fauores huius mundi fugere, timentes eius proſperitates, non timere autem eius terrores, ampelctentes potius eius aduerſitates. ſæpe enim ſtatus & officia honorifica cor extollunt ad ſuperbiam, vitijs maculant, & ſui ipſius obliuiſci faciunt; & vt iacturam faciant virtutis & profectus, quem in ſtatu humili ſibi compararuerant: vt apparuit in infelici Saule, qui viſus eſt præuidiſſe talem ruinam, cum eſſet in ſtatu humili. Cum enim ſciret, Deum ipſum in Regem elegiſſe: cum quæreretur vt regnum acciperet, c *non inuenieba ur; ſed abſconderat ſe domi*. Huius factum moraliter exponens S. hic Doctor, dicit: prælationem habere bonorum exteriorum, onus verò interius: Prælatus enim honoratur quidem à ſuis ſubditis, ſed eiſdem oneratur. Quamuis ipſemet honor ſit magnũ onus: quodſimul debet contemnere & amplecti: conténere quidem ob vtilitaté propriã ne ex eo euaneſcat; amplecti verò, ob vtilitatem ſubditorum: vt æſtimare illi norint, quod ipſe dixerit. Adeò tamen eſt difficile, vtrumque hoc coniungere: vt melius intelligi poſſit, quàm explicari: eſtque fere impoſſibile, imbecilles ferre fortiter aliorum onera, acceptantes honorem, boni ipſorum gratiã, quin tali honore ſuſcepto euaneſcãt. Ac propterea viri Sancti horrent has dignitates ſuſcipere; abſcondunt ſeſe, ac fugiunt, cùm commodè poſſunt, ne eas acceptent. Hoc etiam modo Moyſes, cum Deus curam populi Iſraelei commitebat, excuſabat ſeſe cupiens eam non acceptare: vt debiles intelligant, quàm grauiter errent, ſponte ſe offerentes ad has dignitates; & humeros ſupponentes alienis oneribus, qui vix poſſunt propria ferre. Prædicta ſunt S. Gregorij. Idem autẽ confirmat S. Cyprianus, & S. Leo Papa dicentes: eos qui à Deo eliguntur ad hæc officia, ſemper eſſe tales, vt non ambitioſè ea quærant; ſed demiſſe, quiete ac modeſtè potius fugiant, quàm aggrediantur. Ex quo facile intelligitur: magna deſideria, quæ aliqui in ſeipſis ſentiunt, tales dignitates & officia habendi, antequam Dei voluntatem de ea re nouerint, ordinariè non eſſe impulſus ſpiritûs ſancti; etiamſi ſpeciem habeant zeli & charitatis; ſed potiùs cenſenda eſſe ſuggeſtiones dæmonis, ſpiritus ambitionis & cupiditatis, qui honore & redditibus temporalibus fouetur. Neque eſt quòd ſe tueantur Apoſtoli ſententiâ dicẽtis: d *qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*. Nam (vt S. Gregorius explicat) de eo loquitur Apoſtolus, qui non honorem & temporalia Epiſcopatûs bona deſiderat; ſed eius labores, crucem, & onus, in eo tempore, quo Epiſcopum eſſe, erat offerre ſe ad martyrium, & exponendam vitam pro ſuis ouibus. Tunc temporis enim bene cenſeri poterat, tale deſiderium eſſe à Deo inſpiratum in bonum Eccleſiæ ſuæ: ſicut & nunc deſideria aliquorum Religioſorum eundi ad loca hæreticorum, aut infidelium ad Euangelicam veritatem promulgandã. Eoq; magis, quod S. Thomas perpendit, non dixit Apoſto-

c 1. Reg. 10. 22.

1 p. Paſtor. c. 7.

»
»
»

Lib 4 Epiſt 2. vel Ep. 12 S Leo Epiſt 84 c. 5.

d 1. Timot. 3. 1. 1. p. Paſtor. c. 8.

lus: qui Episcopatum desiderat, bonum habet desiderium; sed bonum opus desiderat. Quo loquēdi modo insinuauit: quamuis res, quæ desideratur, bona sit: desiderium tamen eius posse esse prauum, & ambitiosum. *Episcopus* enim, vt ibi dixit Apostolus, *debet esse irreprehensibilis*: hoc est vitam adeò sanctam ducere debet, vt nullus in ea aduertat, quod possit reprehendere. Atque ita idem Angelicus Doctor ait. regulariter loquendo esse superbiam, ac præsumptionem, desiderare esse Episcopum: quia idem est atque existimare, se perfectum esse & vitæ inculpabilis. Cùm igitur nemo certus esse possit, quod talem vitam ducat; nec se vires & humeros habere ad tantum onus ferendum: non debet sibi persuadere, desideria, quæ in se sentit ad illud quærendum, esse à Deo: cuius spiritus omnibus dicit e: *noli quærere à Domino ducatum, neque à Rege cathedram honoris*. vt autem bene percipiatur noxia radix, ex qua tale desiderium oritur quo se quis iustum ac sapientem reputat, addit: *noli te iustificare ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est: & penes Regem noli velle videri sapiens. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates:* abijciendo scilicet eas primùm à te & postea ab alijs. Hoc Spiritus Sanctus suadet: vt intelligamus, huiusmodi dignitates neque à Deo orationibus esse petendas, quia dicet nobis quod filijs Zebedæi: f *nescitis quid petatis*; neque apud Reges procurandas, ad quos spectat, proponere promouēdos; neque; tribuendum nobis esse quòd coram Deo digni simus qui eas habeamus; neq; merita nostra hominibus proponenda; imò neque acceptandas etiam oblatas, donec satis nota sit virtus, & facultas propria, & multò amplius Dei voluntas nobis innotescat; à quo omnis rei huius rectitudo depēdet. Ipsius est enim, eos eligere & quærere: ipsis nihil tale quærentibus; vt videre licet in euentu reprobationis Saulis ob eius inobedientiam. dixit enim ei Samuel: g *Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum: & præcepit ei Dominus, vt esset Dux super populum suum*, In quem locum perpendit S. Gregorius: retulisse Samuelem, quod Deus facere cogitabat, quasi iam factum ad significandum, quòd ab æternitate sua id disposuisset. Dicit autem: *Deum quæsiuisse* hunc *virum iuxta cor suum*, vt doceret: Prælatos esse quærendos, ipsis non se immiscentibus ambitiosè: & addit. quod *Dominus ei præceperit*: vt intelligatur, eos potiùs esse cogendos, vt acceptent; quàm lolâ suâ voluntate accedere debere. Præ omnibus tamen maximè est perpendendum, quòd dicantur debere esse viri *iuxta cor Dei*, ob vitæ excellentiam, & eminentiam Charitatis. Hoc explicari commode potest parabolâ illa, quam Christus D. N. Pharisæis proposuit: h *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: ille fur est, & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt. Ego sum ostium ouium. omnes quotquot venerunt* & per me non intrarunt fu-

1 *Tim.* 3.

2 2 *q.* 185. *a.* 1.

e *Eccli.* 7. 4

f *Matth.* 20

g 1. *Reg.* 13. 14

Lib. . *in c.* 3.

h *Ioan.* 10. 1

res, sunt

res sunt & Latrones, In qua parabola, omisso principali eius sensu, eaq; ad propositum nostrum applicata, Christus D.N. seipsum Appellat vnicum ostium, quod viri ac perfecti Pastores ingredi debent in ouile ouium eius rationalium, quod est Ecclesia & communitas, quam sunt gubernaturi. vocatur autē ostium, quatenus ex eius electione, & ordinatione; hoc est iuxta leges & regulas, quas ipse præscribit, ingreditur quis dignè ad dignitates & Prælationes. Est tamen i *angusta porta, & arcta via*, qualis est, *quæ ducit ad æternam vitam*: quæ nō capit superbos, tumidos, ambitiosos, & cupidos huius mundi; sed humiles & paruulos, qui imitantur ipsum Dominum dicentem: k *discite à me quia mitis sum & humilis corde*. Reliqui aliam quærunt viam quâ ascendant. Neque absque aliquo mysterio vsus est Christus D.N. verbo illo: *ascendit aliunde*, vt insinuaret, omnes illos accedere permotos à spiritu superbo ascendendi; vt pluris apud homines fiant, quærentes honorem ac temporalem vtilitatem, etiam cum detrimento ouium: etiamsi ipsi nec virtute, nec scientia, nec alijs talentis præditi sint. quæ tale officium exigit. Ac propterea digni sunt qui appellentur *fures & latrones*: quia cōtendunt furari quod nec ipsorum est, nec eo sunt digni, sed ad id obtinendum adhibent media illicita ac detestanda contra voluntatem Dei, & eius Ecclesiæ. His igitur ostiarius, qui est spiritus Sanctus non aperit, aut (vt ait S. Augustinus) est ipsemet Christus, quà Deus: cuius clauis est Diuina eius inspiratio: qui nec vocat eos, nec allicit, nec inspirat ingressum in ouile: sed contra eos potiùs dicit illud Prophetæ: *ipsi regnauerunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognoui*. Horum autem aliqui nec veri sunt Pastores, nec veram habent iurisdictionem; sed nomen tantum: quia tale ius per Symoniam vsurpant, ementes ipsam dignitatem, & pecunijs eam comparantes. De quibus propterea dixit S. Gregorius: Quicunque hoc pretij studet datione mercari, dum non officium, sed nomen attendit, Sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. Alij sunt veri pastores quo ad dignitatem & officium: censentur tamen mercenarij, eò quòd illud quæsierint propter ambitionem & cupiditatem, & per media ex pessimis huiusmodi radicibus orta: nec habentes dotes, & talēta ad illud requisita, vt apparet ex eorum fructibus, de quibus Dominus per Ezechielem dixit: m *greges sed semetipsos pascebant*, lacte scilicet & spolijs eorum. Denique omnes hi non intrant per ostium, quod est ipse Christus: quia eum non imitantur in modo, quo ipse ingressus est in Pontificatum suum. Nam, vt dixit Apostolus: Christvs *non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum*, optimè sibi notum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Sic insinuans, rectam pastoris electionem præcipuè ad Dominum nostrum pertinere: qui, vt dixit Moyses in hoc ipsum propositum

i *Matt.* 7. 14

k *Matt.* 11. 20.

Tract 46. *in Ioannem*

l *Osea.* 8. 4.

libro 7. *Epist.* 110 *Refertur* 1. *q.* 1. *c. Quicunque*

m *Ezechi.* 4. 2.

n *Hebr.* 5. 5.

o Num. 27. 16.
p Act. 1. 24
q 2. Cor. 36.
c. 4. 5. & 6.

situm, o *est Deus spiritum omnis carnis*; & nouit, quid sit in vnoquoque, & vt Apostoli in electione S. Matthiæ dixerunt: p *nouit omnium corda*: ac proinde scit quis sit aptus ad talia officia, aut qui ingenium & industriam habeat, vt cum ipsius Dei auxilio facultates sibi comparet, quibus aptus reddatur. Ipse enim est, qui (vt ait Apostolus) q *idoneos facit Ministros Noui Testamenti*, & solet manifestare voluntatem suam & electionem, quam ab æterno disposuit in pectore suo per aliquam ex quatuor illis vijs fusè positis in primo Tract. Tomi 2. in quibus omnes modi insinuantur ingrediendi per rectum ostium ad huiusmodi dignitates.

§. II.

1

PRAEMISSIS quę ibi sunt dicta, explicemus nũc paulo ampliùs hos electionis modos, ex ijs quę habentur in Actis Apostolorũ: vbi non legimus, quòd qui eligebantur sese ingesserint, aut quæsiuerint suã electionem: sed ipsemet Deus per se, aut per eos homines, ad quos spectabat eligere aut Electoribus offerre ipsos eligendos: qui semper erant optimi inter ipsos; & præmissa oratione, & consultatione, cum magna consideratione: vt videre licet in tribus insignioribus Electionibus, quæ ibi referuntur. Quarum *vna* fuit Antiochiæ: vbi erant multi Prophetæ ac Doctores, qui cum die quodam ministrarent Domino, dixit illis spiritus Sanctus a: *segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Vbi Deus manifestauit æternam suam electionem per expressam reuelationem: quam tamen reuelationem non ostendit ipsis electis, sed reliquis Prophetis ac Doctoribus, qui *impositurі* erant *manus super illos*, quod iuxta multos Doctores, fuit ad consecrandos eos in Episcopos.

a Act. uuũ. 13
Vide Lorinũ ibid.

2

ALTERA Electio fuit in Cænaculo in Ierusalem, vt constitueretur Episcopus & Apostolus loco Iudæ. Et consilio ac directione S. Petri qui caput erat Ecclesiæ, b *statuerunt duos, Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui* ob insignem Sanctitatem *cognominatus est iustus & Matthiam*: (de quo facilè est existimare quàm fuerit Sanctus, qui Barsabæ fuit prælatus) quos cum supremo Electori Deo proposuissent, ipse voluntatem & æternam suam electionem sorte manifestauit (aut vt S. Dionysius ait) aliquo alio Diuino indicio, siue fuerit radius aliquis lucis visibilis, (vt existimat S. Antonius) siue columba aliqua, siue alicuius Angeli vox (vt insinuat Cartusian.) quia simile quid euenit in alijs Sanctis Episcopis, vt testatur Apostolus de Timotheo discipulo suo: c *noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbiterij per prophetiam*: hoc est (vt S. Thomas explicat) per reuelationẽ & inspirationem spiritûs Sancti: qui inspirabat & manifestabat, qui essent tali statu digni. Vt nouę Ecclesiæ planta talium Pastorũ feruore foueretur, & cresceret: quia eis deficiẽtibus, & ipsa esset defectura. Et in eum sensum adfert Sanctus Thomas, quod prædixit Salomon: d

b Actuum. 1. 23.
Eccl. Hierar. c. 5. p 3 tit 6. Cor. 2 ibid. c 1 Timoth. 4. 14. & c. 1 18. In cũ locum & Glossa. d Prouer. 29 18.

cum

cum Propheta defecerit, dißipabitur populus: tum, videl. quando Prælatorum electio non fiet inſpiratione Dei ſed hominum arbitratu. Quamuis autem nunc non ſint expetendę miraculoſę reuelationes: expedit tamen ad imitationem S. Petri, vt antequam fiat electio; aut poſtquam nominati & propoſiti fuerint aliqui, qui digni iudicentur: recurratur per feruentes orationes ad Dominum D.N. & humiliter ei ſupplicetur, vt dignetur inſpirare electionem ſuam; & lucem præbere, vt iuxta illam electio fiat. Ac propterea ipſemet Chriſtus D.N. cùm ex Diſcipulis ſuis voluit duodecim eligere in Apoſtolos, prius e *pernoctauit in oratione Dei*, hoc eſt in oratione altiſſima, & valde prolixa. Et S. Ambroſius videtur inſinuare Chriſtum Dominum hac vice non oraſſe ſolum, vt in more habebat. ſed cum ſuis diſcipulis, vt nos doceret: ad grauia adeo negotia, & quæ multorum bonum concernunt, coniungi debere orationem multorum. Ac propterea Sacrum Concilium Tridentinum ſtatuit, vt cum primum Eccleſia vacauerit, ſupplicationes ac preces publice priuatimq; habeātur: atque à Capitulo per ciuitatem & Diœceſim indicantur: quibus Clerus, populusq; bonum à Deo Paſtorem valeat impetrare. Quod ſi quis quærat cur Chriſtus D.N. poſtquam orationem elegerit Iudam inter duodecim Apoſtolos, quem ſciebat non redditurum bonam rationem de tali munere? Reſpondent SS. Ambroſius & Cyrillus & alij Patres: Iudam cum fuit electus fuiſſe bonum, ſicut Saul; & voluiſſe Chriſtum inſinuare: ad prudentem electionem ſatis eſſe ſi is qui eligitur, tunc iudicetur dignus eſſe ac bonus: quamuis poſtea culpâ ſuâ ſe reddat indignum.

e *Luc. 6. 12 Lib. 5. in luc. Seſſ. 24. c. 1. de Reform. In Epiſt. Roma c. 6. Lib. 4. in Ioan c. 30. vide Lorin. in Actus 1. 23.*

Sed ne ſilentio prętereamus tria ſingularia, quæ inſinuantur in electione S. Matthiæ, relicto Barſaba, qui cognominabatur Iuſtus. *Primum*, vt intelligamus, quòd licèt Electores debeant iuxta Sancti Apoſtoli doctrinam attendere, vt qui eligendus eſt f *teſtimonium habeat bonum*: non tamen ſemper tali teſtimonio eſt fidendum, vt propterea ſtatim alijs præferatur. Facilè enim euenire poteſt, vt alius non tanti nominis eum excellat in ſanctitate, prudentia ac doctrina, quas ipſe maiori cum humilitate occultat, ac propterea refert multum recurrere per orationem ad Deum, vt dignetur Diuino ſuo lumine efficere, vt ille agnoſcatur: ipſius enim eſt manifeſtare bona talenta, quæ humiles ſtudent occultare; ſicut Sanctitatem Matthiæ manifeſtauit: cuius humilitatem ſignificabat ipſum nomen quod interpretatur: *Dei paruus*. quod idem eſt atque humilis, quia ſcilicet paruum ſe reputabat in oculis Dei. Ac propterea Eccleſia in eius feſto canit Euangelium, in quo Chriſtus Dominus Noſter gratias Patri agit, quòd Diuina myſteria g *paruulis reuelauerit*.

f *Timoth. 3. 7.*

Gloſſa. Actuū. 1. Matth. 11. 25. In c. 1. Actuum. & c. 4. ad fin.

Volvit etiam Chriſtus D.N. prætermittere Barſabam (vt aduertit Nicolaus Liranus) eò quod eſſet ipſius cognatus ſecundū carnem, filius

Alphei. Et hac ratione docere voluit Electores Ecclesiæ suæ: Ecclesiasticas dignitates non esse tradendas alicui, titulo & prætextu carnis & sanguinis: ita vt, si alius adsit tali cognato dignior, is debeat ei præferri, esseq; crimen acceptionis personarum; indignum, aut minus dignum digniori præferre, titulo cognationis. Et æquè est contra rectum ordinem, quòd quis hoc solo titulo velit ad has dignitates eligi: nam apte ei respondebit Saluator, quòd filijs Zebedæi: h *Nescitis quid petatis*; neq; meum est hoc nomine vobis dare, quod petitis. Illud tamen etiam est verum: quòd cognati, si digni sint, non debeant propterea excludi: cùm ipsimet Redemptor elegerit etiã aliquos suos cognatos ad Apostolatũ: quia ipse poterat eos dignos reddere; & talenta sufficientia dare ad illud munus. Electores autem, qui hanc sufficientiam non habenti, dare eam non possunt, & alias valde propendẽt ad sibi carne & sanguine coniunctos, merito huiusmodi electiones suspectas habere debent propter periculum: ne affectus peruertat rationis iudicium; ac persuadeat: cognatum esse dignum, etiamsi reuera talis non sit: & ita repleat Ecclesiam suis cõsanguineis in præcipuis Dignitatibus ac Præbendis. In quos Electores licet accommodare illas Dei minas, quas per suos protulit Prophetas, dicens: i *Væ qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate.* Illi enim ciuitatem Sion, hoc est Ecclesiam in sanguinibus ædificare censentur, qui in ea collocant cognatos & sanguine sibi iũctos: nõ attendẽtes neq; curantes quod improbi sint. ideoq; dicũtur in iniquitate ædificare: quia iniustitiã faciunt subtrahentes pauperibus eleemosynas, vt suos cognatos & consanguineos ditent; vt supra est dictum. Ad cuius rei confirmationem horrẽdum referam exemplum Prælati cuiusdam, ad suos cognatos valde affecti, & propensi: in cuius morte quidam eorum, iter faciens, horrendam hanc habuit visionem, cum pro more antequam exiret ex hospitio orare vellet, vidit in suo Cubili præparari lectum splendido operculo auro intexto coopertum, in quo iacebat Prælatus ille Pontificalibus indutus, & in circuitu lecti multi ipsius consanguinei, quos ipse ad beneficia, & Ecclesiasticas Dignitates promouerat. Qui omnes flebili voce ei maledicebant dicentes: maledicta promotio tua & exaltatio tua: tu enim es meæ perditionis causa. Ipse autem omnes circumspiciens magno furore dixit: maledicti vos sitis à Deo: quia vestri causa damnatus ego sum ad ignem æternum: quibus dictis visio disparuit, quam voluit Deus defuncti Episcopi consanguineo ostendere; quia designatus erat, vt ei in ea Dignitate succederet: vt ex aliena infelicitate cautior ipse redderetur, cum intelligeret: inordinatum Prælatorum erga suos cognatos affectum, in causa esse, cur vtrique damnentur. Cognati quidem, eò quòd conentur obtinere propter cognationem, dignitatem, & locum, quo digni non sunt;

h *Matth.* 20. 22.

i *Michæ* 3. 10. *Habac.* 2. 12.

Tract. 1. c. 9

In speculo magno Exemp. V. Beneficium Ecclesiast Exemplo 7

ip

ipsi autem Prælati, eò quòd eodem illo sanguinis titulo eis eundem conferant.

Deniqve circa hanc S. Matthiæ electionem est aduertendum; si demus, factam illam esse per veras sortes: id factum fuisse ob tres singulares conditiones, quæ occurrerunt; & ad id faciendum Apostolos induxerunt: specialis scilicet Spiritûs Sancti inspiratio; quæ vt ita fieret suggessit: k *præmissa* magna *oratione* & multorum consultatione, & nominatis duobus viris adeò dignis, vt in vtrumlibet sors caderet: Apostolatus esset bene collocatus. Quod tamen Apostolorum factum (vt Beda aduertit) non debet in exemplum adduci, vt Ecclesiasticæ Dignitates sorte conferantur. Quare idem Apostoli post aduentum spiritus Sancti, non seruarunt hunc electionis modum, dum l *septem Diaconos elegerunt*: quæ Electio est in actis Apostolorum. In qua docuerunt ordinariam viam, & modum seruandum in Electionibus & præsentationibus quorumcunque Ministrorum Euangelicorum: attendendo scilicet, vt in eis conditiones illæ & qualitates inueniantur, quæ ibi exprimuntur: quas fuse explicuimus Primo Tract. c.3. Quòd si tales conditiones in Diaconis exigebant; quid existimandum est in Sacerdotibus eos fecisse? Et quid in Episcopis: qui esse debent totius gregis suæ Ecclesiæ Pastores? Eligendi procul dubio sunt, qui tales habeant proprietates; & eas; quas m *Apostolus proponit* cùm de eis instruit suos Discipulos o *Timotheũ & Titum*: ita vt illi sint optimi, & Spiritu S. pleni; ac donis & gratijs quæ iuuant ad officium suum præclare, & cum excellentia præstandum. Ac propterea electio & Ordinatio Sacerdotum, & Episcoporum olim fiebat coram toto populo, & cum eius approbatione: non quòd populus eligeret Pastores; sed quòd testimonium redderet sanctitatis eligendorum: vt sciant omnes (inquit Origenes) & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior ille eligitur ad Sacerdotium; & hoc testante populo, nequa postmodum retractio cuiquã, neque scrupulus resideret. Id totum confirmat idem author exemplo Moysis, cùm Deus illi significauit, imminere ipsi mortẽ videns enim ille, quàm esset necessarius bonus Successor in officium suum: non ausus est ipse suo iudicio aliquem eligere, neq; nominationem populo commisit qui solet passione aliqua duci, & subornari, ac prensari; neque cogitauit de nominando cognato aliquo suę Tribus: sed totum remisit ipsimet Deo cognitori n *spirituum omnis carnis*, & scienti omnium hominũ ingenia & talenta. Cui Dominus dixt: *tolle Iosue filium Nun, virũ in quo spiritus, & pone manũ tuã super eum*: is enim verè dignus est: eò quòd talem habeat spiritum. Nulla hic habita est ratio cognationis, aut humana amicitiæ; non ambitionis, aut subornationis: Procul enim fuit Iosue ab e-

k *Actuum*, 123 c. *Ecclesiade Sortileg. S. Thom* 2.2 2 q 9.5.a 8. *Bellar. to.* 1. *lib* 1 *de. clericis c.* 5.

3 *c. non statim & c. non exemplo* 26. *q.* 2 *ex S. Hieronymo: Quia priuilegia singulorum non possunt legẽ facere communem.*

l *Actuum* 6.11.

m 1. *Timo.* 3.2 *Titi.* 1.6 *Bellar.* 3.6.7 *Homil.* 6 *in Leuiticis & refertur c. licet ergo.* 1. *q.* *Homil.* 22 *in Numeros c si ergo* 8. *q* 1.

n *Numer.* 27.16.

munere ac dignitate quærenda: sed solum habita ratio est, quod ille esset plenus spiritu Dei, per quem ille populum gubernauit.

CAPVT V.

QVA RATIONE SEQVENDA ET ACCEPTANDA sit Dei vocatio: cùm præmissa ad eam cognoscendam consultatione satis, innotescit.

1

EX DICTIS IN PROXIMO CAPITE DEDVCEMVS TRIA valde vtilia documenta tam pro eligendis, quam pro electuris, acceptaque præcipuè ex ijs, quæ SS. Gregor. & Bernardus ad hoc propositum dixerunt. *Primum* est, vt qui prælationem aut dignitatem (ait S. Gregorius) non ad elationis pompam, sed, ad vtilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum eo quod est subiturus onere, metiatur: vt si est impar, abstineat: & ad eandem cum metu etiamsi se sufficere existimat, accedere. Tutissimum tamen est, dignitatem non acceptare, nisi consultis viris sapientibus, Sanctis, & qui ex tali promotione nullum commodum exspectent. Et tunc confidat in Deum: quòd per huiusmodi viros dignabitur ipsi aperire, quòd magis expedit, iuxta ea quæ diximus in Primo Tomo Tract. 1. cap. 6. In qua re valde cauti esse debent, qui consuluntur: ne in re tanti momenti temerè se se præcipitent: quemadmodum monet S. Bernardus respondens Brunoni electo Colonienſi Archiepiscopo, & quærenti ab ipso: an iudicaret, dignitatem illam acceptandam. Cui vir Sanctus, agnoscens interrogationis difficultatem, hunc in modum respondit: Quæris à me consilium, vir illustris Bruno: an volentibus te promouere ad Episcopatum acquiescere debeas. Quis hoc mortalium definire præsumat? Deus forsitã vocat: quis audeat dissuadere? Fortè non vocat; quis appropinquare consulat? vtrum verò vocatio Dei sit cum non sit: quis scire possit excepto spiritu, qui scrutatur etiam alta Dei: vel si cui forte reuelauerit ipse? Et postquam alias insinuauit difficultates, quæ in vtramque partem occurrere possunt, excusat se à dando consilio in re sibi non nota: vtra scilicet pars ei magis expediret. Remittit verò illum ad virum alium Sanctum, qui in eadem Colonienſi Ciuitate manebat: quẽ meliùs præsentem præsens de talibus interrogare poterat; & expeditius ab eo responsum accipere. Ex qua S. Bernardi responsione apparet, quanta cautela meritò sit adhibenda in proferenda sententia circa huiusmodi dubia: siquidem vir adeò illustratus à Deo; quali-

Lib. 7 Epist. 110. Refertur 1 q. 1. c Non est putanda. Epist. 80.

qualis erat ipse S. Bernardus, excusat se à tali consilio dando: præcipue cum consultatio, & consultantis notitia non nisi ex literis habetur: quæ nunquam par est ei, quæ ex colloquio & familiari aliàs notitia habetur. Mvlto tamen magis expedit ipsi electo, cupienti scire, quid sibi ad salutem suam magis conueniat: accedere ad viros cœlesti luce illustratos, qui bonum possit ei præbere consilium; Deumque D.N. supplicem orare, vt omnem propensionem & affectum ad rem, quę futura esset suę cõdemnationis causa, dignetur remouere. Hoc possumus duobus stupendis exemplis confirmare. Alterum refert S. Hieronymus de quodam S. Monacho in Episcopum electo, ac timente Episcopatus periculum, (quo inquit, grauius aliquid aut periculosius nequit cogitari: quia raro per gradus Dignitatem ascendit homo, qui in se multo grauiùs non descendat) quid de eo acceptando, aut reijciendo consuluit quendã Abbatem sanguine sibi iunctum, virum Sanctum, & Prophetiæ spiritu præditum. Qui operi ipso potiùs, quàm verbis ei voluit respondere: quem duxit ad excelsum quoddam tectum figura quadratum & absq; vllo repagulo: iussitque iacere super illud sese que voluere ac vertere. qui cum id aliquoties fecisset, cũm prope extremitatẽ sese voluendo venisset, cessauit: cumque Abbas ei diceret, vt pergeret: respondit: se non audere, quòd timeret ex loco adeò excelso cadere, & mortem sibi adsciscere. Statim eum deduxit ad locum alium demissum ac planum; iussitq; etiam in eo sese voluere, quod cum aliquandiu fecisset absque vllo timore, dixit ei Abbas: surge, & vade; & fac quod potius tibi videtur. Ex quo responso pius Monachus intellexit periculum, quod sibi immineret in Episcopatu: ac propterea illum recusauit acceptare. qui post paucos dies mortem obiens, apparuit Abbati valde lætus, ac dixit: gratias tibi ago, Pater, ob consilium mihi datum: *nam scito, quòd nunc essem de numero damnatorum. si fuissem de numero Episcoporum.* Hoc dixit eò quòd cũ Deus infinitâ suâ sapientiâ non solum agnoscat, quod futurum est; sed etiam quod futurum esset, si homines in talibus statibus, aut officijs & occasionibus ponerentur; solet beneuolâ suâ prouidentiâ confidentibus ei cum desiderio ipsi placendi, id auferre ac remouere, quod futurum esset eis perditionis occasio. Id quod facit Deus, aut per ipsos prælatos, qui gubernant; aut per bonos Consiliarios; aut per vehementes suas inspirationes. vnum tamen in hoc Prælationum ac dignitatum negocio addere ausim: vt cùm Cõsultores non suadent quod est ex se tutiùs pro salute ipsius eligendi, sed quod alijs est vtilius: si is, qui illos consulit, sentiret in se vehementes impulsus ad non acceptandã Prælationẽ: debet eos valde diligenter examinare. Quodsi deprehẽdat, nõ prouenire ex pusillanimitate, aut tepiditate; sed ex humilitate ac Dei timore, bono fundamento inniteri; simul vero adesse signa

In Reg. Monachorum. c. 15. Tomo 5

& iudicia diuinarum inspirationes: tales inquam impulsus præferendos esse iudicijs Electorum, & Consiliariorum: (excipio tamen semper ordinationem obedientiæ) tunc enim signum est, Deum. D.N. velle per se ipsum supplere defectum consiliorum humanorum; & suadere, quod est magis tutum ei, qui diuinæ ipsius prouidentiæ fidit. Quod licet videre in eo, quod euenit Canonico cuidã Regulari Parisiensi, virtute, nobilitate, ac eruditione insigni: qui cùm esset electus in Episcopum, noluit Dignitatem acceptare contra iudicium multorum, qui, vt acceptaret, suadebant. Is enim post multos annos è vita discedens, statim postmortem apparuit cuidam suo socio, cum quo fuerat arcta amicitia coniunctus: qui statim atque illum vidit, valde lætus ei dixit; se valde solicitum fuisse & anxium, timentem, ipsum diuturnas & graues Pœnas passurum in purgatorio, eò quòd Seniorum & prudentium virorum iudicio restitisset, reijciendo Episcopatum, in quo potuisset multum boni subditorum animabus fecisse: Ipse autem defunctus ab ea deceptione amicum suum liberauit dicẽs: In me hęc ordinauit Clementissima bonitas Saluatoris: quia extunc timui, & nunc scio quod si Episcopatus Cathedram ascendissem perpetuæ damnationis periculum incidissem. Quod cùm dixisset, cum ingenti quodam splendore ex amici oculis euanuit. Hęc exempla electis ad similes Dignitates vsui esse debent: vt in huiusmodi Dignitatibus acceptandis nec iudicium proprium solum sequantur, nec fidant quibusuis Consiliarijs, sed diligenter examinent impulsus & sensa, quæ percipiunt, & quibus illa fundamentis innitantur; & recurrant ad Dominum, oratione & fiduciâ magnâ petentes, ne permittat ipsos decipi in re tanti momenti, ad salutem suam pertinente. Quo nomine valde tutum est votum, quo Professi Societas Iesu sese obstringunt non procurandi neque admittendi huiusmodi Dignitates, nisi accedat obligatio obediendi ei qui potest id sub pœna peccati præcipere. Et S. Thomas hoc votum adprobat, vt in alio loco ostendimus.

In speculo Magno Exempl. verbo Prælatus Exemp. 6. Ex Thoma Cntiprat lib. 1 de propriet. apum. 9. c.

In constit. p. 30 §. 0. 2. 2 q. 185 a. 1. ad 3. Tomo 2. Tract. 6 c. 5

2 ALTERVM documentum S. Gregorij est pro ipsis Electoribus, vt conentur non reijcere excusantem se ab acceptandis huiusmodi Dignitatibus: sicut is inquit, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris Altaribus est admouendus: sic is, qui vltrò ambit, vel importunè se ingerit, est precul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid aliud nisi agit vt crescendo decrescat; † & ascendendo exterius, interius in profundum descendat? Idem confirmat S. Bernardus præclara alia quadam sententia ad Eugenium Papam: *Pro quo rogaris, si suspectus; qui rogat pro se, iam iudicatus est.* Parum enim interest, quòd quis per seipsum roget an per alium. Ne eligas volentes & currentes; sed resistentes ac fugientes. Hos coge & cõpelle officium acceptare: Nam fugientes honorem, ostẽdunt

Refertur c. sicut u. 1. q. 9

lib. 4 de cõderat.

dunt se illo esse dignos. Et ipsemet Deus, qui eis fugam ob humilitatem inspirat, gaudet quod Electores eos eligant, vtpote valde aptos ac sufficientes. Quamuis autem hic multa exempla adferre licuisset: vnicum tãtum referam Abbatis Fastradi, qui Sancto Bernardo successit. Is enim, cùm esset parui alterius Conuentus Abbas, electus fuit à monachis Clareuallensibus in Abbatem sui Monasterij, quod erat amplissimum. Quod cum ipse innotesceret, ex humilitate sua, timens illud onus, fugit & abscondit se per dies aliquot in quodam Carthusianorum conuentu. Vbi cõtinua oratione supplex Deum orabat, vt à tali periculo ipsum liberaret: Et die quodam fuit in spiritu raptus, videtque virginem Sacratissimam cum preciosissimo filiolo in vlnis. Et ipse statim procidens ad eius pedes supplicabat, vt ipsius misereretur. Cui Virgo sanctissima respondit: *Cur ita angeris homo?* & tradens ei infantulum suum Iesum sicut tradiderat S. Simeoni: adiecit *Accipe filium meum, & serua illum.* Et statim visio disparuit, Abbas verò ad seipsum reuersus ex visione intellexit. Dei voluntatem esse vt gubernationem susciperet illorum Monachorum, qui erant vina Christi membra ac fideles Matris eius serui, quæ talem se esse ostendit, impetrando ijs quos tanquam filios reputat, statum illum & officium magis ipsis expediens. Ipsorum verò est tanquam verè obediẽtium, illud acceptare, sicut sanctus hic vir fecit. Et hoc tertiũ est documentum magni momenti in huiusmodi vocationibus & Electionibus. Non enim est minus periculosum extremum illorum, qui cùm ex Dei voluntate eliganturElectoribus piè ac prudenter iudicãtibus, eos aptos esse, & habere talenta ad Prælationem; pertinaciter tamen Diuinæ vocationi resistunt & in Christiana perfectione, quam quærunt deficiunt: in ipsa scilicet obediendia, quę inclinat & impellit eos ad propriam voluntatem abnegãdam, vt diuinam expleant, & in humilitate, quæ ipsos instigat ad proprium iudicium abnegandũ, & alieno subijciendum; & in fiducia in Deum ipsum vocantem, qui non prætermittet auxilium suum ipsis præbere; defidunt item circa securitatem proprię conscientię: quę non consistit in angulo & recessu, sed in protectione ipsius Dei: cũ qua iustus est tutus in loco excelso; & sine qua etiã in infimo est periculo expositus; in charitate quoque & amore Christi deficiunt: vt qui recusent eius oues pascere; Ac denique desunt amori erga proximum, & ipsius Saluatoris oues: quibus nolunt præstare quod possunt. Et fortè ob nimiam resistentiam habentium talenta ac dotes bonorum pastorũ, incidit electio in aliquos indignos, qui sunt rapaces, aut cupidi mercenarij. Hoc nobis insinuat parabola illa a *lignorum, quæ iuerunt vt vngerent super se Regem, dixeruntque olivæ: impera nobis. Quæ respondit. nunquid possum deserere pinguedinem meam, & venire vt inter ligna promouear?* Cumque idem dicerent *fico*, illa quo-

In speculo Exemplorũ verbo Prælatus. Exem. 1 Ex Lib. de Exordio Ord Cister-

3.

S. Gregor. 1 p. pastoral c. 5. & 6.

a *Iudicum. 9 8.*

quæ repu-

quæ repugnauit; & idem fecit *vitis Videntes autem ligna*, arbores illas, quæ imperio dignæ erant, noluisse illud acceptare, decreuerunt illud offerre *Rhamno*: quæ statim acceptauit, ac dixit: *si verè me Regem vobis constituitis, venite & sub vmbra mea requiescite. si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno & deuoret cedros Libani.* Quid autem hoc ænigma significat, nisi quòd sæpè electores defatigati excusationibus. ac prætextibus iustorum (qui cùm alias apti sint, & talenta habeant ad prælationem resistunt tamen quietem, dulcedinem, & pios affectus deserant, quos in priuato suo recessu habent) illos relinquunt, & Deo sic permittente eò deuenitur, vt eligatur cupidus aliquis & ambitiosus, qui statim acceptat, & ingenti fastu & authoritate exercere incipit officium suum, eiaculans igneos ictus in aduersantes ipsius desiderio. Quamuis autem damnum hoc non sit frequens in officijs Prælationis, quia pauci oblatis resistunt, & potius magis ea obtinere contendunt; & qui apti sunt, statim atq; officiũ offertur, acquiescunt: Sed quoniam aliqui sunt valde timidi, & scrupulosi: expedit, eos excitare sese his & alijs rationibus, quas in Tractatu 4. c. 6. retulimus contra adferentes inanes excusationes, ne Diuinam vocationem acceptent. Post acceptatam tamen Prelationem & Episcopatum ex Dei voluntate, dare debent operam, vt contenti, quietique sint in eo statu, loco, & statione, quæ ex Diuinæ prouidentiæ consilio, sorte illis contigit, abiectis anxietatibus cupidis & ambitiosis mutandi stationem; ac dignitates, & beneficia noua obtinendi, non ob maiorem Dei gloriam, & animarum fructũ; sed ob sua commoda maioris honoris, plurium ve reddituum. Quæ mutationes nec queri debent, nec oblatę acceptari nisi priùs vijs prædictis de voluntate Dei ipsis constiterit: alioquin eadem incommoda facilè sequentur. Et speciatim si prima ad talis Ecclesię gubernationem vocatio fuit Dei: non est rationi consentaneum eam mutari ad libitum tantum carnis & sãguinis. Nam (vt Innocentius Papa dixit, etiam loquitur cum Episcopis sẽtentia illa Saluatoris dicentis b *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Quod si quando separatio facienda est: id fieri debet ex eiusdem Dei, qui illos coniunxit ordinatione. Qui voluntatẽ suã per suos vicarios manifestabit; & per easdem vias, quibus ostendit coniunctionem esse faciendam. Interim igitur necesse est magnam quietem, & pacem cum præsenti sua sorte habere, ob rationes in 2. Tomo ad idem propositum positas: studendo præstare officium cum maximâ, qua fieri poterit, excellentiâ vt sensim inferius explicabitur

(·.·)

De Transl. Episc. licet b. Matth. 19 9.

Tract. 1. c. 7

CAPVT

CAPVT VI.

EX COLEPE DEBENT PRAELATI PROFVNDAM humilitatem, non tamen ita vt labantur in pusillanimitatem.

ANTE OMNIA PRAELATI STVDERE DEBENT ALTVM IACERE humilitatis fundamentum, ex qua eorum securitas pendet: non enim satis est ad tantum officium cum humili subiectione volũtati Dei accessisse sicut Saul accessit: si postea eandem subiectionem non seruent: sed inaniter euanescant. Propterea enim (ait S. Gregorius) cùm Deus insignem aliquam reuelationem Ezechieli faciebat; aut grande quid iubebat: semper illum appellabat, *filium hominis*, quod erat nomen humile: vt suæ paruitatis & mortalitatis semper memor esset; neque euanesceret ex officij magnitudine, & præstantia. Et Christus Dominus Noster eodem nomine seipsum compellat: vt exemplum humilitatis præberet in excelsiori manentibus statu, docẽs eos ita agere sicut filios hominum, similes in miseri s reliquis hominibus Ac propterea sapiens dixit: *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Qui magnus est, non potest paruo coæquari, nisi humiliet & incuruet sese: vt ei sit æqualis. sicut *Elias & Eliseus* incuruarunt se, & *metiebantur* cum pueris defunctis, quos erant resuscitaturi. Ita Prælatus, qui excelsiorem tenet statum; humiliare se debet, suamque celsitatem flectere. seseq; communi modo agendi subditorum accommodare, magnã eis ostendens humanitatem, & suauitatem in agendo; & sese paruum exhibẽs paruis, *infirmum infirmis*, & quasi imbecillem ac debilem debilibus: faciens etiam interdum opera humilia, quæ alij faciunt. Nam quod in subditis non est opus humilitatis sed subiectionis, statui suo debitæ: in Prælatis erit humilitatis valde heroicæ: eò quòd demittant se plus, quàm eorum status exigat: sicut Christus Dominus noster humiliauit se, vt c *baptizaretur à Ioanne*, & d *lauaret pedes Apostolorum suorum*. Præterea cùm Prælati sint Magnates in Ecclesia Christi: propria eorum virtus debet esse magnanimitas: cuius munus est heroicâ humilitate magnos honores cõtemnere, iuxta regulam S. Gregorij dicentis: *subtilissima ars viuendi est culmen tenere & gloriam premere esse quidem in potentia sed potẽtem te esse nescire*: & ita gerere atque si talis non esses. Huc accedit. quòd cùn Prælati etiam premãtur supremam sanctitatem, & Christianam perfectionem neces-

Homil 12. in Ezechielem.

a *Ecclesia.* 32.1. 3 *Reg.* 17 2 4. *Reg* 434.

b1 *Cor* 9 19

c *Matth* 3. 15.
d *Ioan.* 13 5

lib 26 *moral.* c. 19.

se sit maius iacere humilitatis fundamentum; plus laboris eius causa obtinendæ adhibentes, eò quòd sit illis difficilior: cum dicat Bern. Ruanuis in terris, sicut cignus niger aut coruus albus, aut sanctitatem non perdere aut humilitatem sanctimoniâ non excludi: & ideo beata, quę vtrumque retinuit. Ac propterea beata fuit Virgo Sanctissima D. N. Mater, quæ & semper sancta & semper humilis fuit: Cuius rei ratio est: quòd cũ exercitio bonorum operũ occultè se insinuet & ingrediatur elatio animi & arrogãtia eorũ occasione. Ac propterea idẽ Sanctus dixit raram & ingentẽ esse virtutẽ quod præclara & magna operans, non te magnũ existimes: & cùm tua sanctitas omnibus pateat, te tamen solum latcat quod videaris alijs admirandus, & te iudices contemptibilem: hæc inquam admirabiliora sũt cęteris omnibus virtutibus. Verè es fidelis seruus, si nihil de gloriâ tui Domini tibi adhærescat: quæ etsi non à re prodeat, in te tamen apparet. Adde, quòd sanctitas magna soleat esse honori præcipuè in Prælatis & Personis altioris status. Et hoc ipsum reddit humilitatem difficiliorem: dicente ipsomet Bernardo: *magna prorsus & rara virtus humilitas honorata*, & non imminuta propter honorem, qui solet sensum inuertere, & propriæ vilitatis præteritæ obliuionem adferre: ita vt eò sanctiorem quo superiorem, me æstimem. Nam in alto positum, altum non sapere difficile est, & inusitatum. Ac propterea pauci norunt vtiliter præesse; & pauciores præsident cum humilitate. Quod tamen facile obtinebit, vt faciat, qui prudentiam habuerit ad discretionem, omnium virtutum matrem; & simul charitatis vinum, quod propriæ gloriæ contemptum adferat: ita vt sui ipsius obliuiscatur, nec res proprias quærat. Hæc omnia S. Bernard. quibus docuit, quã sit necessarium Prælatis hanc coniũctionẽ sanctitatis & humilitatis procurare in suis ministerijs, quę in hoc mũdo sunt in honore. Et ita idem Sanctus Eugenio Papæ de humilitate loquens dixit: nulla splendidior gemma, in omni præcipuè ornatu Summi pontificis: quo enim excellior cæteris, eo humilitate apparet illustrior, & seipso. Miro enim quodam modo humilitas efficit, vt excellat seipsum, contemnentem honorem, qui adeò videtur preciosus; ac propterea humilitatem debet existimare preciosissimum lapidem totius ornatus sui Pontificij. Quod totum optimè Christus Dominus significauit, cum Pastoris officium voluit S. Petro committere. examinauit enim eum in charitate & humilitate. Priùs tamen in humilitate interrogans eum: e *Simon Ioannis diligis me plus his?* Nouerat bene Saluator, Petrum non posse ad eam interrogationem planè respondere: cum enim ignoraret gradum amoris, quo alij Condiscipuli Magistrũ suũ diligebant, etiam non potuit scire an ipsius amor esset maior an minor. Sed quoniam in nocte cœnæ arrogauit sibi, quòd eum prę cæteris diligeret; & quod f *etiam si omnes scandalizabuntur in te, ego tamen*

Serm. 45. in Cantica.

Serm. 13. in Cantica.

Homi. 4 super Missus est & Epist. 42.

Serm. 13. in Cantica.

lib. 1, de consid. ad me-sium.

e *Ioan. 21. 15.*

f *Matth. 26 23.*

se tamen nunquam esse scandalizandus voluit nunc Christus Dominus hac interrogatione vti; vt ille omnibus manifestaret, quantũ esset mutatus, & quam bene in humilitate quę antea illi defuerat, profeciſſet. Et ita respondit: *etiam Domine tu scis quia amo te* Quasi dixerit: non fido cognitioni meæ, sed tuæ scientiæ id committo: quamuis enim scio, quod amem te: non tamen ingerere me volo, an plus, an minus amem, quàm cæteri; quia id non noui, & experientia noui imbecillitatem meam. Ex quo infert S. Thomas: vt quis Episcopatum acceptet, non esse necesse. vt se alijs meliorem existimet; aut quod Deum plus amet, quàm illi: hæc enim esset arrogantia contra humilitatem, cui sanctitas tanquam fundamẽto innitur: sed satis est, quod in se nihil deprehendat, quod ipsum reddat Prælati officio indignũ, & vt bene intelligat, se esse obstrictum ad conatum omnem adhibendum, vt sit perfectus, & alijs exemplum perfectionis: attendendo diligenter, ne propter talem honorem inanem admittat gloriam; addiscendo subtilissimam illam viuendi artem, quam cum Sancto Gregorio appellamus: *culmen tenere & humanam gloriam premere*. Quod explicatum est in 2. Tomo cum egimus de Principibus Secularibus: idem enim competit Principibus ac Pastoribus Ecclesiæ.

21. q. 185. a 3

lib. 26. moral. c. 19.

§ I:

Praemissis autem, quæ ibi sunt dicta, explicabimus hic quod est Prælatorum proprium, ex insigni quadam sententia Isaiæ Prophetæ: qui cùm prædixisset formam gregis futuri in Ecclesia Christi, in quo grege simul conuenirent in vna fide & vitæ ratione, a *lupus cum agno; & pardus cum hædo, & vitulus ac leo & ouis*: statim subiungit: *& puer paruulus minabit eos*. Quod ad literam explicat S. Hieronymus de Apostolis, eorumque Successoribus: qui fuerunt Pastores omnium fidelium, non solum hominum vulgarium & communium, sed etiam Imperatorum, Regum, ac Principum; qui fidem Catholicam suscipientes, subiecerunt se pauperum piscatorum gubernationi. Sed quoniam spiritus Sanctus non casu aliquo, sed studio vsus est phrasi illa, qua gregis sui Pastorem vocauit *puerum paruulum*: aduertendum est: Pastores nõ debere esse paruos ætate: non enim sufficerent ad gubernãdum Propterea enim Ecclesiastes dixit b *væ terræ, cuius Rex puer est*: peribit enim ob defectum gubernationis. Neque esse debent pueri in ipsa Religione, hoc est Tirones & Nouitij in virtute, sicut dixit Apostolus: vt non sint c. *Neophyti*, & recens conuersi: nam tales, accedente tentatione, facile succumberent. Ac denique vt idem Apostolus dixit, multò minus esse debent d *pueri sensibus*, & prudentia: tales enim facile deciperentur. Et de huiusmodi dixit Isaias: e *puer centum annorum morietur*. in his igitur tribus rebus Prælati esse debẽt verè senes, ac perfecti: ac propterea scriptura eos appellat *Seniores*, vt iam diximus. De-

a *Isaiæ. 16.*
Ibidem.

b *Eccles. 10. 16.*

c *1 Timo. h. 3 6*
d *Corin 14. 20.*
e *Isaia. 65. 20.*

bent tamen ijdem esse *pueri paruuli* in alijs tribus rebus. *Primum* in vitæ innocentia & puritate, ita vt sponte & studio nec culpas admittant, nec duplicitatem aut fictionem; sed agant & progrediantur intentione sincera, ac pura in omnibus suis rebus: vt insinuauit Apostolus, cùm dixit: f *malitia paruuli estote*: hoc est sine malitia. Debent etiam esse paruuli in humilitate & subiectione Supremo omnium Superiori, qui est Dominus. Nolle vt sinant se gubernari per ea, quæ ipse præcipit; & quod ratio ipsa dictat, quæ est ipsiusmet Dei vicaria. Et hinc oritur vltimum, vt sint paruuli in humilitate erga homines: ita vt corde seipsos interiùs subijciant ipsismet subditis: quamuis exteriùs suam seruent authoritatem, eum in modum quo Apostolus dicebat: g *facti sumus paruuli in medio vestri*, hoc est itame humiliaui inter vos, atque si paruulus essem, *tanquam si nutrix foueat filios suos*, cum quibus quodam modo repueraſcit. Christi enim Domini sententia est: h *quicunque se humiliauerit sicut paruulus, is maior erit in regno cœlorum*. Hæc est Sancta illa pueritia & paruitas, quæ virum iustum dignum facit Statu Prælati, & qui in eo vtiliter conuersetur, sicut insinuat Scriptura Sacra, cum de Saule dicit: i *filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset; duobus autem annis regnauit super Israel*. Quando enim regnare cœpit, etsi ætate vir iam esset, & corporis statura procerus, erat tamen purus, sincerus, obediens, subiectus, & humilis, atque si vnius anni esset infans. Et quamuis etiam diutiùs regnauerit: quia tamen duobus tantùm annis in ea infantiæ puritate perseuerauit: hi duo tantum ei computantur in oculis Dei reliquos nihilifacientis; quia Saul declinauit ab eius obedientia, & propria sua voluntate sese gubernauit conculcando diuinam. Secut Samuel eum monuit dicens: k *cum paruulus esses in oculis tuis caput in Tribus Israel factus es: quare ergo non audisti vocem Domini, & fecisti malum hoc in oculis Domini?* Quasi Dominus (vt S. Gregorius interpretatur) ei diceret: Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi; sed nunc quia magnus tibi es factus, es despectus mihi. Tanto ergo sit quisque vilior Deo, quanto, precioſior sibi: & tanto precioſior Deo, quanto propter eum vilior sibi: l *quoniam Dominus humiliat respicit, & alta à longè cognoscit*. Ex quo etiam infert: Saulem propter humilitatem fuisse electum: sed propter superbiam reprobatum. in cuius locum succeſſit Dauid adeò humilis, vt etiamsi sciret, se à Deo electum, vt ei succederet in regnum; ita tamen se humiliabat Regi superbo, vt in eius comparatione appellari sese m *canem mortuum, & pulicem vnum* Intelligant igitur Prælati, quamuis reliquos dignitate præcellant, esse tamen eisdem æquales in natiuitate, & fine huius vitæ: quia omnes facti sunt ex puluere, & in puluerem conuertentur. Et hoc (vt suo loco perpendimus) sufficere debet ad hoc, vt Domini sint humiles: quemadmodum Iob erat inter suos seruos & quod amplius est, possunt adhuc esse illis inferiores meritis. Et

f 1. *Corin. supra.*

g 1. *Thesal. 2. 7.*

h *Matth. 18. 4.*

i *Reg 13. 1.*

k 1 *Reg. 15. 17.*

l *Psal 137 6 & Pastoral. c 6. Lib 34. Moral. c 17*

m 1. *Reg 24. 15.*

Tomo 2. Tract. 3. c. 4

minores

minores erunt in oculis Dei, quò minus erunt humiles & magis elati, ac superbi: Cumque esse debeant alijs omnium virtutum exemplar, sint quoque eius virtutis, quæ omnium est fundamentum: vt subditis suis dicere possint, quod Christus dicebat suis: n *discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Accedit, quòd Prælati, vt subditos suos bene gubernent, opus habeant fauore Dei; & talentis, ac gratijs, quas ille ad id distribuit; & libenter largitur humilibus: aufert verò superbis Ac proinde maximè necessarium est, humilitatem conseruare. vt hos fauores Deus illis exhibeat, & augeat. Iudicent, se pueros esse in conspectu Dei: vt eos ipse doceat scientiam gubernandi; manumque suam porrigat, & in officij sui executione adiuuet. Ac propterea cum consecratur Episcopus, inter alia interrogatur: *vis humilitatem, & patientiam in te ipso custodire & docere?* Et ipse respondet: *volo.* Si enim in seipso humilitatem & patientiam non habeat: nec ipse poterit eam bene docere, neque eius doctrina erit vtilis; quia malo suo exemplo destruet, quod verbis bonis docet.

n *Matth.* 11.29.

Prae omnibus autem perpendant qualitatem gregis, quem pascere debent: siquidem in eo (vt Isaias dixit) non solum sunt *agni & oues & hedi*; sed etiã *lupi, leones, pardi,* & *vrsi.* Quomodo autẽ erit possibile, vt vnus homo naturâ suâ ignarus, imbecillis, & sicut puer pauidus: industriã habeat, fortitudinem, & animum ad talem gregem gubernandum, nisi fauore cœlesti iuuetur? Quomodo autem hoc cœleste studium obtinebit nisi verè sit humilis? Propterea enim ait Isaias, quòd *puer paruulus minabit eos*: humili enim sicut puero dabit Deus vires & facultatem ad id præstandum. Hoc apparebit meliùs si qualitates perpendamus subditorum, qui per hæc animalia significantur. si enim omnes essent humiles, mansueti, patientes & ingenij pacati; adeoque facile gubernarentur sicut oues, agni, hædi, ac vituli: non mirum esset, quod puer paruulus eos gubernaret: sunt autem multi ex se adeò terribiles, vt summa cum difficultate subijciant se alterius gubernationi. Nam alij sunt quasi *leones*, erecti & superbi, aut propter suam nobilitatem, aut scientiam aut potentiam temporalem: qui opponunt se suo Prælato, nisi ipse magis leo sit quã illi in excellentia & præstantia suarum qualitatum ac virtutum: nam erga paruulum in his virtutibus, facile reuerentiam & respectum amittunt, & suis rugitibus eum terrere tentant; vt ad id, quod ipsis placet, eum pertrahant. Alij sunt quasi *pardi*, Cholerici, & nihil volentes pati ob constitutionem suam furiosam, & indomitam; & conuertunt se contra ipsum Pastorem & baculum confringunt, quo vult illos punire. Alij instar *luporum* sunt cupidi, rapientes quicquid illis est commodum, etiamsi Charitatem fraternam lædant, & ipsam obedientiam erga suum Pastorem Alij tanquam *vrsi*, astuti & callidi fraudibus vtuntur, ad peccata sua ob

tegenda, & ita illudendos suos Pastores. Cùm igitur in hac grege tales sint ferę; necesse est, Dominum nostrum omnipotentiam suam ostendere in illis mutandis ac mitigandis, vt cum ouibus & agnis pacem seruent: potens est enim eius gratia ad has mutationes faciendas. Sed quoniam non semper eas facit Dominus per se ipsum, sed Pastoribus ac Prælatis tanquam instrumentis vtitur: necesse est, ipsos existimare se *paruulos pueros*, vt totam fiduciam suam in solo Deo collocent; eiusq; te gloriæ tribuant quemcunque bonum exitum, non autem suis viribus & industrijs. Propterea enim Apostolus dixit: quod o *Deus elegerit infirma & contemptibilia mundi, vt confunderet fortia: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Ex quò fit, vt humilitas cum patientia & mansuetudine sint Prælatorum arma, ad has feras perdomandas. Ac propterea Saluator dixit suis Discipulis: p *ecce ego mitto vos sicut oues & agnos in medio luporum*: quasi dixerit: etiamsi vos officio sitis pastores: debetis tamen oues esse & agni in humilitate & mansuetudine, vt patienter toleretis multorum furores, instar luporum. His enim armis victoriam de eis reportabitis. In hoc (ait S. Chrysostomus) ostendit Deus potentiam suam cùm ouibus lupi superantur. Et si enim ab eis sæpius mordeantur, non solum ipsæ non consumuntur; sed illos potius in oues mutant, quales ipsi sunt. Nam quam diu oues fuerimus, vincimus; etiamsi mille circumstent lupi, superamus & victores sumus. Quod si lupi fuerimus, vincimur. Tunc enim à nobis pastoris auxilium recedit, qui non lupos, sed oues pascit. Quæ de humilitate & mansuetudine gloriantur, quibus dignas se reddunt, in quibus Christus ipse vincat. Ac Propterea S. Bernardus dixit loquens de humilitate: Per hanc nonnulli possedere portas inimicorum. Quę enim virtutum æquè potest Dæmonum debellare superbiam, & tyrannidem hominum? cæterim cum omni indifferenter personæ hæc sit quędam turris fortitudinis à facie inimici, nescio quo pacto tamen vis eius maior in maioribus, & in clarioribus clarius comprobatur, Sed non absque mysterio Christus D. statim adiecit: *estote prudentes sicut serpentes; & simplices sicut columbæ:* quasi eos monens curæ ac diligentiæ adhibendæ, ne humilitas & mansuetudo degeneraret in pusillanimitatem ac torporem.

o 1. Corin. 1.27.

p Matt. 10.16 Luc. 10.3.

Homil 34. in Matth.

Lib. 2. de considerat

§ II.

PRAELATI ita debent esse *pueri paruuli* propter humilitatem & sinceritatem, vt simul viri strenui propter animi magnitudinem & fortitudinem, quando ad resistendum vitijs eam exercere opus est. Quod aliqui subditorum feros mores leonum, pardorum, luporum, & vrsorum retineant, non debent animum abijcere, nec eis cedere: sed inuicto pectore os illis ostendere:, ac resistere: vt illorum vitia superent, & ad modestiam Christianam illos deducant. Memores itaque sint Prælati eius,

eius quod Ezechieli dixit Deus; a *Fili hominis, attende quod habites cum scorpionibus. verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides.* Et ipse Christus ait: *estote prudentes, sicut serpentes.* Non, vt ad partes Scorpionum transeatis; sed vt eis vos opponatis eosque terreatis, confidentes potentiæ Dei, qui vobis, si humiles fueritis, auxilium præbebit opportunum. Non sine causa (ait S. Gregorius) cùm Deus D. N. benedixit Noe, & filijs eius, dixit: b *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli & pisces maris.* Eâ enim sententiâ significauit, quòd non debeant terrere reliquos homines: Prælati enim cum humilitate & blandè agere debent cum subditis, viam ducentibus hominum natura dignam: Si qui autem eorum essent Deo rebelles, vitamque ducerent ferarum, expedit metum eis incutere, a terrere: ita vt animum induant, vt cùm opus fuerit, etiam seuerè eos puniant. Eum in modum, inquit, qua S. Petrus coram. c *Cornelio centurione procidente ad eius pedes*, ipse quoque se humiliauit, agnoscens ac dicens: *se etiam hominem esse*, naturâ non ei superiorem sed æqualem Quando autem opus fuit, solo verbo d *Ananiam & Sapphiram* eius coniugem, vitâ priuauit, ita vt *factus fuerit timor magnus super omnes, qui audierunt.* Et S. Paulus aliquando loquens & scribens ad Corinthios, vocat se e *adiutorem eorum*, iudicans illos sibi in fide æquales; & omnibus sese humilians, appellat se f *omnium seruum*: aliquando autem ait: g *quid vultis? in virga veniam ad vos?* Nouerat enim, coniungere humilitatem cum authoritate; mansuetudinem cum seueritate: ita vt altera propter alteram nec periret, nec imminueretur. Hanc coniunctionem docuit Deus Ieremiam excusantem se ab accipiendo officio Prophetæ; ac dicentem, se *puerum esse, & nescire loqui*: dixit enim illi Dominus: h *Noli dicere: puer sum, sed vniuersa quæcumque mandauero tibi loqueris. Ne timeas a facie eorum: quia tecum ego sum, vt eruam te. Ego quippe dedi te hodie in Ciuitatem munitam, & in columnam ferream. & in murum æreum, super omnem terram, Regibus Iudæ, Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ, Et bellabunt aduersum te. & non præualebunt: quia ego tecum sum, vt liberem te.* Quasi ei dixerit: ne in hoc hæreas, quod iuuenis sis, & loqui nescias: potiùs enim propter ea quòd te puerum, ignarum, ac debilem agnoscis; volo ego in te ostendere valorem & fortitudinem meam, faciens te quasi ciuitatem bene munitam, & columnam ferream; adeòque firmum, vt mundi potestates non possint præualere aduersum te: Si pugnam hanc humanis tantum oculis aspicias dicet quidem Saul Dauid: i *non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum: quia puer es: hic autem vir bellator ab adolescentia sua*: si autem Diuinis oculis rem aspexeris, dicet paruulus ille se in virtute Dei præualuisse contra leones, & vrsos; Gygantem illum fore sicut vnum ex eis. Nam Dei esse bellum & victoriam ipse

enim

a *Ezech* 2.6.

2. *p. Pastor* c.6.

b *Genes.* 9.2

c. *Actuum* 10.26.

d .c.5.5.

e 2. *corin.* 2.13.

f c4.5.

g 1.*cor.*4.2

h *Ierem.* 1.7 18. i *Reg.* 12. 33o

en im efficit, Prælatum esse paruulum in sua opinione, Gygantem autem in fortitudine; diffidentem sibi, quasi paruulum; fidentem autem Deo animo virili & gyganteo. Et *accipiens baculum* Pastoralem *in manu sua, & peram pastoralē cum quinque limpidissimis lapidibus, & fundam in altera manu*, pergit contra hostem, quem, quantumuis ferum ac tremendum, deijcit in terram Consulens enim Dominus noster authoritati Prælatorum humilium; & efficacitati, quam Diuina verba in se continent: faciet illa adeò potentia, & efficacia, vt rebelles ac repugnantes deijciant; & etiam durissimos emolliant.

Ex dictis deducitur: Prælatos summo studio fugere debere duo vitia extrema, complacentiam scilicet, siue inanem gloriam; & pusillanimitatem, siue animi abiectionem: quæ coniungitur alijs duobus, præsumptioni scilicet, & confidentiæ propriæ, & diffidentiæ in Deum, orta ex propria indignitate. Contra quorum insultus inuicto pectore pugnare debent, ne succumbant. Si enim inaniter glorientur, fructus destruent suorum laborum; aut Deus illis eos non dabit: ne eorum gloriam sibi arrogent. Si autem sunt pusillanimes ac timidi, non audebunt, res magnas aggredi; & eandem timiditatem subditis communicabunt. Quemadmodū exploratores k illi missi ad explorandum *terram promissam*, qui redeuntes, timiditate sua ac diffidentia totū populum Israel turbarūt, & magno periculo exposuerunt: Prælati autem esse debent sicut Dux ille Iosue, qui ex vna parte adeò erat strenuus, & fortis; vt accepto exercitu à Dauide Rege, obsideret ciuitatem Rabbath, adeò fortiter, vt in eas angustias redegerit vt iamiam capere eā posset: ex altera verò parte adeò fuit humilis & moribus ingenuus, vt vocauerit ipsum Regem Dominum suum; vt ad concludendam expugnationem veniret, dicens: l *ne cum vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* Hunc in modum pugnent Prælati magna animi fortitudine, vt animas expugnent, vtentes exercitu virtutum, quas Christus D.N. in eum finem illis communicat. cùm autem voti compotes facti, victoriam obtinuerint: studeant libenter, dentque operam, vt tota gloria æterno Regi tribuatur: quia talia auxilia & arma illis tribuit quibus pugnarent, & in cuius virtute animas subiecerūt: dicentes cum Dauide: m *non nobis Domine non nobis sed nomini tuo da gloriam*; Et cum Apostolo n *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum N.I.Christum.* Et imitentur n *Seniores* illos Apocalypsis, tanquam figuram humilium Prælatorum, qui o *procidebant ante sedentem in throno, mittentes coronas suas ante thronum*, quasi tribuentes sedenti in eo omnia opera, quibus coronas illas sibi comparauerat. Et cum subditi morigeri ac subiecti ipsis erunt, & in ipsorū gubernatione profecerint: intelligant opus illud non ipsorum esse sed illius Domini, de quo dixit Dauid o *Dominus protector meus, & in ipso*

k *Num.* 13. 33 & 6.14.1

l 2. *Reg* 12. 29.

m *Psal.* 113. 9

n *Apoc.* 4.10

o *Psal.* 143. 2.

speraui, qui subdit populum meum sub me. Et facit, vt mihi obediat. Quod si viderit in grege suo pacem esse inter lupum & agnum; leonem & ouem; & quod ingenia alias sibi repugnantia valde concordent; & quamuis baculo reprehensionis & punitionis feriantur, non insurgant contra ipsum; sed ei potius sese subijciant: credere debent id totum esse Diuinæ gratiæ opus non verò ipsius proprium: nec ipse potest ex se ipse plus in tali opere habere, quàm puer aliquis paruulus habuisset in leone aut pardo domandi. Et vniuersim est verissimum quod Apostolus dixit: p *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed, qui incrementum dat, Deus.*

p 1. *Corin.* 3. 7.

CAPVT. VII.

CHRISTVS D.N. PROPONIT IN APOCALYPSI Prælatis exemplar quoddam magnæ perfectionis, in omnibus eorum Ministerijs; & in septem Epistolis docet eos modum & rationem suos subditos gubernandi,

EXCELLENTIARVM STATVS PRÆLATIONIS, & officij animas gubernãdi vna est, quod qui in eo statu sunt, gaudeant speciali quadam prouidentia Christi Domini nostri erga ipsos, & præclaris documentis ac monitis, quę nunc exemplis propositis, nunc verbis eis inspirat ac docet, ad propriam ipsorum salutem & perfectionem, & eorum quorum curam gerunt: vt videre licet ex ijs, quæ S. Ioannes refert in Apocalypsi sua, dicens apparuisse sibi Iesum Christum D.N. in habitu valde mystico, in quo quasi delineatæ, ac depictæ erant omnes eius excellentiæ, spectantes ad specialem prouidentiam, quam ipse habet de sua Ecclesia, eiusque Prælatis, in quibus vult, vt prælati ipsum imitentur. Cuius rei causa dictauit S. Euangelistæ septem Epistolas, quas mitteret septem Episcopis Asiæ: qui referebant omnes Ecclesiæ Catholicæ Prælatos. Et quoniam exemplum præmittitur verbo: prius in seipso exemplar depingit gubernationis: quod ipsius ministri sequi & imitari debeant. a *vidi* (inquit S. Ioannes) *septem candelabra aurea: & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum Podere; & præcinctum ad mamillas zona aurea. caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix; & oculi eius tanquam flamma ignis; & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti; & vox illius tanquam vox aquarum multarum; & habebat in dextra sua stellas septem: & de ore eius gladius vtraque*

a *Apocalyp* 1. 13.

parte acutus exibat: & facies eius sicut Sol lucet in virtute sua. Hæc erat figura Christi D. N. qua supremus erat Pontifex, & Episcopus Ecclesiæ, exemplar omnium Summorum Pontificum & Episcoporum eam gubernantium, quorum perfectio in eo sita est, vt similes sint huic filio Dei & filio hominis in excellentijs & virtutibus, quæ hic insinuantur.

S Gregorius Lib. 19. moral. c. 6. & Lib. 6 & Lib 1. c. vltimo. vide quæ dicta sunt Tomo 2 Tract. 1. c. 2.

PRIMVM igitur exornari debent Sacerdotali veste quã appellabant *Podéris*, quæ erat ex byssino candidissimo, & longa vsque ad pedes; angusta tamen: quæ significat iustitiam & sanctitatem vitæ, cum insigni candore & puritate; cũ magna mortificatione & abnegatione suiipsius, pergendo semper per arctam semitam perfectionis Euangelicæ cum perseuerantia vsque ad mortem, Si enim omnes b *Sacerdotes*, vt dixit Dauid, *induere* debent *iustitiam*: quanto magis Episcopi & Prælati, qui sunt eorum capita? Iustitia enim authoritatem conseruat, & honorem sui status propterea siquidem Ecclesiasticus sanctitatem appellat c. *Poderem honoru.*

b *Psal.* 13. 9

Eccl. 72. 9

QVAMVIS tamen hæc vestis angusta sit, debent etiam præcingere pectus suum zonâ aureâ, amplectẽdo scilicet perfectam castitatem, non solum quo ad opus; sed etiam quo ad cogitationes, & affectus impuros: ita vt renuntient omni generi voluptatum sensualium, tam earum quæ alijs sunt prohibitæ quam quæ alijs in matrimonio sunt licitæ. Debet autem hęc zona esse aurea, ob magnum valorem & æstimationẽ, quam habet ex vnaquaque virtute addita etiam charitate, quæ potens & efficax est ad præcingendos cordis affectus. Latet autem mysterium in verbo illo Euangelistę. *ad mamillas*, quod est pectus quasi fæmineum, ad quod lac confluit, vt filijs præbeatur. Hoc enim significat: Prælatos esse debere quasi matres suorum subditorum, eosque ad pectus suum nutrire lacte doctrinæ suæ. Præcingendum tamen est pectus zonâ aureâ quæ magnæ est pulchritudinis: vt sic fiant illis amabiles, eosque alliciant ad suam dilectionem amantes eos puro & casto amore absque vllo carnalis amoris odore.

AD hoc iuuat non parum, quòd S. Ioannes dixerit: *caput & capilli sui esse candidos tanquam lanam albam, & tanquam niuem.* Quod significat Prælatum debere esse senem: sapientem, prudentem, valdeque expertum, purum, & castum in suis cogitationibus ac desiderijs. Id enim totum significant d *cani* capitis, & *senectus venerabilis quæ non tam annorum numero computatur.* quam perfectione harum virtutum. Quamuis etiam ordinariè iuuet prouecta ętas, qua & castitas & scientia & experientia perficiuntur. Ac propterea Apostolus Episcopos vocauit e *maiores natu Ecclesiæ*, vt superius est dictũ. Sed capilli nominatim debent esse albi sicut lana, & sicut nix: vt Prælati in suis studijs & cogitationibus candorẽ coniungant cũ suauitate: & aliquibus sint quasi lana, contegendo debiles & pusillanimes; alijs verò quasi nix, reprimendo audaces & liberos ac insolentes.

d *Sapi.* 4. 8.

e *Act.* 20. 17

Ex quo

Ex quo fit vt eorum *oculi* esse debeant *quasi flamma ignis*, propter prouidentiam, & vigilantiam, quam in officio suo tenere debent: adhibentes summam curam in Ecclesiæ gubernatione; non dormitantes neque punctum neligentes, iuxta nominis sui significationem. vox enim EPISCOPVS significat Superintendentem & super alios vigilantem, quasi rationē de eis Deo redditurū. Debent igitur oculi eorū sicut flāma ardere quia eorū gubernatio ita debet zelo Diuini amoris inniti, vt amoris igne sibi subiectos accēdat; & sāctę irę igne puniat, vrat repugnantes ac rebelles. Sēper tamē esse debet flāma clara, absq; fumo excęcante, aut lachrymas educēte: in tota enim eius gubernatione (siue indulgeat & exhortetur; siue corripiat aut puniat) non debet esse fumus passionis, aut culpa ignorātiæ aut alicuius erroris, qui lædat, aut flere cogat malū perpetradū.

SED quoniam parum refert vigilātia & prouidentia, nisi feruor adsit & fortitudo, ad excusationem, dicit: *pedes* eius fuisse *similes aurichalo sicut in camino ardenti*: ad insinuādum, ingressus bonorum Postorum in explēdo suo officio, ex parte vna debere esse firmos, & fortes sicut æs: ita vt neque debilitentur, nec flectantur ob humanos respectus; ex altera autem parte debere esse accēsos, & ardēntes sicut oculos, cum eodē igne amoris ac zeli: ita vt magno feruore attendant, & accurrant ad omnia, quę ipsis incumbunt in bonum subditorū. Et quamuis ob hanc causam videant se caminum tribulationum ac molestiarum immersos: non propterea animum abijciant aut firmitatem suam amittant: potius splendeant magis, sicut æs igne obductum: nec propterea à suo desistant officio. His pedibus pergit ad prædicandū, cùm expedit: vt sic cōpetat ei illud Isaię: *f quam pulchri sunt pedes prædicantis pacem, prædicantis salutem!* eisdem pedibus pergit ad iudicandum & administranda Sacramenta, quę ipsi incumbunt; & ad visitandum gregem. In omnibus enim procedit affectibus & gressibus quietis, fortibus, & patientibus; nō tamē tardis, aut pigris; sed expeditis, quasi esset ignis scintillę resiliētes ex camino charitate accenso.

Et quoniam Prælatus officio fungitur Magistri & Prædicatoris Euangelici, *vox* eius esse debet, *tanquam vox aquarum multarum*, propter authoritatem & grauitatē; qua loqui debet, & sententias proferre altissimæ Sapientiæ: quasi nubes copiosam ex se dimittens pluuiam, ad irrigandam aridam terram cordium, eaque reddenda fœcunda bonorum operum.

EADEM ratione habere debēt in ore suo *gladiū vtraq; parte acutū* g *quod est verbum Dei*, quod prædicant: quo pugnare debent aduersus Dei hostes, vitia mactare, errores destruere, corda penetrare, h *faciendo in eis diuisionē* omniū affectuū: vt malos repellant; & retineant, aut inducant bonos. Et quoniam Prælatus simul est etiam IVDEX, debet in ore suo iustitiæ gladium tenere, vt reprehendat, & in suo Tribunali puniat rebelles delinquē-

f *Isai.* 42.7. *Rom* 10.15.

g *Ephe* 6.17

h *Heb.* 4 12.

tes. Gladius hic neque in manu est, neque in zona; sed in ore: & quidem non transuersus, sed quasi ex ore ipsum proijciat. ait enim: *gladius exibat ex ore.* Quo significatur: præcipua Prælatorum Ecclesiasticorum arma nõ corporalia esse, quibus mactantur & iugulantur homines; sed spiritualia, quæ per os iaciunt per sententiam Excommunicationis, & aliarum Censurarum: separando, si opus est, inobedientes à gremio Ecclesiæ, & societate reliquorum Fidelium.

VENIAMVS ad *septem stellas*, quę iuxta sensum literalem significant (vt Angelus dixit) ipsos, scilicet Episcopos, *Existentes in dextera manu Christi.* Ipse enim eos regit ac dirigit, suaq; protectione tuetur: vt felicem habeant rerum suarum exitum. Sunt autem stellę Ecclesiæ non erraticę, vt planetæ; sed fixæ, vt quæ sunt in Firmamento, lucere enim debent in perpetuas æternitates, & esse duces nauigantium in turbato mari huius mundi. Sed etiam dicere licet, quod quemadmodum Christus D.N. sub speciali sua protectione habet Episcopos & Prælatos: ita illi habere debent sub dextera manu sua & protectione bonos subditos; & ita iuuare, vt insignibus virtutibus tanquã stellis splendeant. Et præterea debent ipsi in manu sua habere septem alias stellas, septẽ scil. dona spiritus Sancti, & septem præcipuas vitæ Christianæ virtutes; tres Theologicas & quatuor Cardinales: quę sculptæ esse debent non in manu sinistra, sed in dextra; valde scilicet impressæ in ipsa anima: vt in suis actionibus rectam & sanctam habeant intentionem, & horum operum exemplo omnibus eluceant. Ac propterea Christus D.N. non habebat manum suam plicatam, sed ita extensam, & apertam; vt S. Ioannes videre potuerit stellas in ea. Prælatorũ enim opera debent esse publica, & omnibus manifesta: vt illa discant imitari.

DENIQVE Prælati facies splendere debet. *sicut Sol lucet in virtute sua*, eius enim virtus, eius sanctitas, doctrina, & sapientia esse debet singularis, & inter omnes præstantissima, clara, & perfecta quasi lux meridiana; ardens sicut Sol, cum suæ virtutes extremum per suos radios immittit ita vt viuificet, illuminet, & accendat suos subditos: exercẽdo officium suũ, non in speciem tantũ, sed cum feruore maximo, faciens summum quod possit in amore Dei & proximorum.

HÆ sunt in summa excellẽtes virtutes & ministeria, in quibus Ecclesię Prælati imitari debent Christium D.N. in quo illæ in summa excellentia eminuerunt: & qui accipiens cognomẽ & titulum aliquarum, iam huius, iam illius dictauit septem Epistolas ad septem Asię Episcopos. Inter quos tres erant gradus: aliqui enim valde boni erant ac perfecti: qui ipsum perfectè imitabantur; alij verò valde improbi, & ab hac imitatione valde remoti; alij verò tepidi erant, & imperfecti: qui cum multa haberent bona & laude digna: simul tamen aliqua admiscebant mala, meritò reprehen-

den-

denda. In hoc enim statu & officio sicut & in alijs, etiamsi ex Dei vocatione ad illud accedatur: est vera sententia ipsius Saluatoris dicentis: i *ex duobus qui erunt in lecto, aut in agro, vnus assumetur & vnus relinquetur.* In statu enim continentiæ ac Prælationis aliqui sunt Sancti ad cœlum euecti; alij improbi, & propter sua scelera ac negligentias ad infernum destinati. Ac propterea dixit S. Augustinus: *scitote fratres: omnem perfessionem in Ecclesia habere ficti s. Non dico omnem hominem esse fictum; sed omnem Professionem habere fictas Personas.* Hoc est nullam esse tam sanctam, tam collectam, & excellam professionem, in qua non sint aliqui ficti: hoc est, qui non habeãt sanctitatem status, quam profitentur. Quamuis autem hoc ita sit: adeò tamen est huius Domini nostri erga hos Prelatos benenola & amica prouidentia, vt omnes septem, inter quos tamen aliqui erant improbi, vocet *stellas & Angelos; k eosque teneat in dextra manu sua*: vt ita significet excellentiam status & officij ipsorum: quod non amittunt; etiãsi ipsi mali sint; neceos a sua protectione excludit, saltem propter bonum Ecclesiarum. Ac propterea curam sibi assumit, eos monendi, & corripiendi, ostendẽs paternam suam prouidentiam in admirandis consilijs, quæ illis præbet; & in modo, quo illos gubernat: vt discant alios gubernare. Efficit enim erga illos (vt deducitur ex septem ipsis epistolis) hos septem actus, in quibus perfectio sita est periti gubernatoris ac Prælati.

i *Math.* 24. 40. *Luc.* 17. 36.

In Psal. 99.

k *Apoc.* 1. 20.

Primvs Actvs est, quod eos laudet propter bonum, quod habent; & opera virtutum, quæ exercent; & tolerantiam in rebus, quas sustinent: vt animos erigant ad persistendum in eo, quod vident probari & placere Deo. Secvndvs est, quòd eos moneat de periculis imminentibus; de tentationibus, ac persecutionibus, quæ contra illos exurgent; vt sese muniant rebus necessarijs, ad eas superandas. Tertivs est, quod corripiat ac reprehendat manifesta eorum peccata, aperiẽs eis oculos, vt etiam occulta cognoscant, quę peccata non reputant; & exhortans eos ad pœnitentiam: vt studeant, sese emendare, & bonum recuperent, quod amiserunt. Qvartvs est, quòd eis minatur horrendas pœnas in hac vita & in futura: nisi se emendent, & sui officij obligationibus satisfaciant: vt pœnæ timor torrentem culpæ cõtineat. Qvintvs est quod eis promittat præclara præmia in hac & in futura vita, si faciant, quod debent: & ita vsque ad mortem perseuerent: vt spes præmij reddat illis laborem iucundum.

1 *Apoc.* 2. 1. 9. 19.
2 *Ver.* 10.
3 *c.* 3. 17.
4
5
6
7

Sextvs est, quòd ob oculos eis ponit exempla bonorum, qui illos præcesserunt; & felices eorum exitus, præmia que glorioſa: vt animentur ad eos imitãdos. Et similiter proponit supplicia ad infelices improborũ euentus: vt in alieno capite experimentum sumentes, cautiores fiant: nisi velint eandem miseriam experiri. Ac denique prospicit illis de viris sanctis & zelosis, qualis erat S. Ioannes: per quos eis loquitur, & hæc dat cõ-

lia & monita; cũ ipsi prælati plus indigent, quam subditi huiusmodi monitoribus: qui ex Diuina inspiratione audent, cùm opus est, ipsos docere & monere de omnibus, quæ ad satisfaciendũ officio suo, eos scire expedit: Et ipse Christus D. N. quem S. Petrus l *supremum Pastorem & nostrarum animarum Episcopum* appellat, habet ad suam gubernationem septem spiritus celsissimæ suæ prouidentiæ: quos significant m *septem oculi Agni*, de quibus S. Ioan. ait, quod *sint septem spiritus Dei, missi in omnem terram*: Hoc est spiritus charitatis & humanitatis, quo & amat, & humaniter ac benè agit cũ ijs, qui sub ipsius sunt gubernatione; reddens se omnibus amabilem: spiritus maiestatis, quo efficit, vt omnes eum timeant, reuereãtur & adorent: spiritus *liberalitatis* ac *beneficientiæ*, quo benè eis facit, suasque spirituales, & temporales diuitias, prout eis expedit, distribuit. Spiritus *misericordiæ*, quo compatitur eorum necessitatibus, & opportunè eis subuenit. Spiritus *iustitiæ*, quo vnicuique dat, quod promeritus est, & obsequia sibi exhibita remunerat. spiritus *longanimitatis* & patientiæ, quo sustinet & ingratos expectat, inuitans & alliciens eos, peccatorũ veniã sese que offerens ad eorum pœnitentiã admittendam. Ac denique spiritus *iræ iustæq; vltionis*, quo rebelles & pertinaces punit, vt metũ alijs incutat.

l 1. *Petr.* 2. 25

m *Apoc.* 5. 6

SEPTEM his oculis gubernat Christus Dominus noster Ecclesiam suam; & sunt quos paulo ante contulimus cum flammis ignis. Nam quemadmodum flamma illuminat, & vrit: ita Diuina prouidentia, quosdam illuminat, & beneficijs ac fauoribus accendit: alios verò pœnis & cruciatibus vrit, iuxta illud Dauidis: n *oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorũ: vultus autẽ Domini super facientes mala; vt perdat de terra memoriam eorũ*.

n *Psal.* 33. 14

VT autem magis innotescat huius prouidentiæ efficacitas, septemque eius spirituũ, ait Euangelista: Agnum simul cum septem oculis habuisse *cornua septem*: quæ significant summam fortitudinem, & plenam potestatem ad omnia exequenda, qua oculi gubernationis facienda ostendunt. Quare Saluatoris prouidentia, neque ob ignorantiam, neq; ob imbecillitatẽ deficere potest: quia omnẽ sapientiã & omnẽ patientiã habet, quæ ad eã est necessaria: significatur autẽ per numerũ septenariũ, qui est numerus perfectionis. Ne autẽ vllus huius mundi homo persuadeat sibi, quod abscondere se, aut illam euadere: possit: ait hos *septem spiritus missos esse in omnem terram*: quia scilicet omnipotẽs Dei sapientia omnes mundi angelos penetrat, & ab vno ad alterum polum, & o *ab vno ad alterum fortiter attingit, omnia disponendo suauiter, & fortiter* exequendo. Hoc exemplar est gubernationis, quod Christus D. N. omnibus Episcopis & Ecclesiæ suæ Prælatis ob oculos ponit: vt familiam sibi commissam gubernent, iuxta eius exemplum, eo modo, quem in subsequentibus capitibus proponemus.

o *Sapi.* 8. 1.

CAPVT

CAPVT VIII.

Praelatorvm gvbernatio fvndari debet in charitate Dei & proximi: & in quibus rebus ea sit exhibenda.

PRIMA AC PRAECIPVA VIRTVS QVAE LVCET in Mystico Christi D. N. ornatu prædicto; & quæ septem eius gubernationis actus, septemque oculos & spiritus, quibus is gubernat, comitatur, est Charitas, cum duobus nobilissimis suis actibus amoris Dei, & proximi, quibus innititur tota gubernatio, quâ & ipse habet Ecclesiæ suę & quâ vult eiusdem Prælatos habere. Hęc charitas eisq; actus & opera sũt ardor & a *splendor faciei, & flammæ oculorum, & caminus ardens pedum*, & pectus *Zona aurea præinctum*, & *lanæ* mollicies *capillorum*. Sed his figuris omissis, audiamus quid ipsemet dicat de ipso, ad aperiendam sui amoris magnitudinẽ: b *ego sum pastor bonus Bonus pastor animã suam dat pro ouibus suis* Et *c maiorem hac dilectionem nemo habet*, neque ostendere potest; *quàm vt animam suam ponat pro amicis suis*. Quibus verbis aperte docet: bonitatem & excellentiam pastoris in huius amoris magnitudine consistere & hunc nullo alio indicio adeò posse ostendi, & manifestari, atque siquis sese offerat ad mortem in bonum ouium suarum, hoc est subditorum, quos vocat amicos, propter purum ab omni proprio commodo amicitiæ amorem, [illegible] prosequitur. Et cùm Prælatis committit officium Pastorum, vult, vt ipsũ immitẽtur in puritate, & magnitudine huius amoris in duobus eius actibus, ac debito ordine, primum quidem in amore Dei, & ipsiusmet Christi, cuius sunt oues & postea in amore ipsarum ouium propter ipsum: ita vt seseofferant ad quemuis laborem propter honorem ipsius Christi, & vtilitatem animarum. Quare cùm ipse Christus voluit S. Petro committere officium vniuersalis Pastoris Ecclesiæ suæ, eum examinauit (vt supra dicere cœpimus) de amore, quem erga ipsum haberet. Ad significandum (vt notat S. Chrysostomus) quòd ipsemet adeò suas oues amaret, vt nollet eas committere nisi ei Pastori, qui multũ ipsum amaret: vt & ipse Pastor easdem amaret, magnoq; cum amore, & propter ipsum Dominum, cuius illæ erant, gubernaret. Cuius amoris, vt ille redderet testimonium, eum interrogauit: d *diligis me plus his*. Quorum verborum duplex est sensus, vterque verus, & vterque insignis valde: Primum

a *Apoc.* 1. 13
b *Ioan.* 10 11. *c.* 15 13. *Homil.* 87 *in Ioannem & Lib* 2. *de Sacerd.*

d *Ioan.* 21. 15

insinuat

Serm. 76. in Cantica

insinuat S. Bernardus, quasi Christus Dominus quæsiuisset: diligis me plus quam tua, & plus quam tuos, plus quam & te? Hæc enim omnia necessaria sunt, vt me perfectè ames; ac propterea ter interrogo te: vt intelligas, quod amare me debeas plus quàm hæc tria: si futurus sis pastor ouium mearum. Quamuis autem verum sit, quòd Prælatorum amor tot hanc excellentiam habere debeat: multò tamen adhuc maiorem exigit Christus D.N. in illis verbis, iuxta sensum quem sancti communiter explicant, dicentes: Christum interrogasse an Petrus ipsum plus amaret, quàm reliqui Apostoli, qui præsentes erant: vt ita significaret: Pastorem in hoc amore excedere debere reliquos omnes, qui eius sunt oues. Cumque reliqui Discipuli futuri essent oues Petri, vtpote Pastoris ouium vniuersalis: erat omnino æquum, vt ipse plus cæteris Christum ipsum amaret, ipsumque amorem ostenderet in ijs operibus, quæ sunt propriè boni Pastoris, ponentis vitam suam pro ouibus suis. Ac propterea Christus Dominus adiunxit statim: e *cùm esses iunior, cingebas te. & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* Hoc dixisse Christum aduertit S. Cyrillus, vt intelligeret Petrus: verum amorem, quem profitebatur se ergo ipsum Christum habere, in eo esse ostendendum, quod extenderet manus suas & sineret se crucifigi, vt vitam suam pro Magistro suo, suoque grege exponeret. Quamuis enim naturalis propensio ad vitam conseruãdam resistat, ac refugiat mortem, vincenda tamen est charitate, quæ fortior est illa. simul etiam monet, quòd etsi antequam fieret Pastor, iuuenis esset ac liber, ad faciendum quod vellet: factus Pastor, debeat esse senex in sapientia, & prudentia, & mortificatione propriæ voluntatis, ac insultationum carnis; ita vt magna promptitudine abijciat quicquid sibi placet, & arridet: vt gregis sui bono consulere possit. Vt autem gubernationis modum ac formã intelligeret, quã seruare deberet, adiecit Christus insigne illud & mysterio plenum verbũ: *sequere me*, quasi diceret: prius, vocaui te, vt me sequereris in schola mea, vbi meam disceres doctrinam: nunc magis in particulari te voco, vt sequaris me in modo & ratione gubernandi; quam seruare debeas in pascendis ouibus meis, sicut ego eas paui: sancta scilicet doctrina, & Sanctæ vitæ exemplo: ita vt etiam vitam exponas in hac causa. In cuius rei signum (ait S. Cyrillus) cùm Christus progredi inciperet, S. Petrus illum ante alios sequebatur. Quod colligitur ex eo, quod sequitur: *conuersus Petrus vidit illum Discipulum quem diligebat Iesus sequentem.* Ex quo facilè deducitur: Prælatum magis prope debere sequi Christum, & reliquos præcedere in vitæ sanctitate: ita tamen, vt conuersus, illos etiam aspiciat; cogiterque, & agat de omnibus, quæ ad ipsorum maius bo-

c Ioan. 21. 18

Lib. 12. in Ioannem. c. 65.

S. Chrysost. supra.

Supra c. 66.

pc-

pertinent, in eo gradu, qui vnicuique expedit. Et ita S. Petrus ostendit, se magis tenere amare S. Ioannem, aduertens quòd ipse Christus tenerius illum amaret: in quo volebat suo magistro se conformare, plus eos diligendo erga quos maiorem ille amorem ostendebat. Ita igitur bonus Prælatus ob magnum amorem, quem erga Christum D.N. habet, debet plus amare subditos meliores: quia & ipse Christus plus illos amat: & ita in eo gloriari debet, quòd suum amorem conetur eiusdem sui Domini amori conformare, & accommodare. Et eam ob causam debet bonus Pastor valde in memoria habere proprietates, quas Christus bono attribuit Pastori, cùm dixit: f *proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & anteas vidit, & oues cum sequuntur*; quamuis interdum post eas ipse vadat; vt obseruet quomodo pergant, & debiliorum rationem habeat: ne defatigatæ subsistãt, iuxta illud de Dauide dictũ, quod Deus g *de post fœtãtes acceperit eum*, & alibi: h *ego tuli te de pascuis sequentem greges*. Ita igitur bonus Prælatus propter amorem, quo ipsum Christum prosequitur, eius oues amat, & ex nomine eas nouit. sicut eos nouimus, quos amamus; suisque rationibus ac verbis prouocat, vt accipiant æternæ vitæ pastum qui illis expedit. Aliquando ante eas vadit, præbendo eis bonum exemplum, vt ipsum sequantur: aliquando ex humilitate post illas vadit. vt sese debilioribus accomodet, manumque defatigatis porrigat, vt surgant, iterque suum prosequantur.

f *Ioan.* 10,3

g *Psal* 77.7.

h 2. *Reg* 7.8.

Denique amoris eminentiam, quem Prælati habere debent, aperuit Christus D.N. cùm S. Petro non dixit: pasce agnos tuos, aut oues tuas, sed meas: quasi monens illos, quod non sint ipsi earum Domini; sed fideles serui ipsius, qui est supremus pastor: ac proinde non eas debeant amare amore qui dicitur concupiscentiæ, propter lucrum scilicet temporale, quod ab eis expectant. talis enim amor terrenus est & mundanus; sed propterea solùm quòd oues sunt Iesu Christi, eiusque sanguine comparatæ, & ab ipso summo amore dilectæ: quem Prælati amare debent perfectissimæ amicitiæ amore; & propter ipsum eius oues optantes vt illæ augeantur, sintque valde perfectæ, ad maiorem gloriam eius Domini, cuius illæ sunt. Quamuis tamen ipsi sint supremi Pastoris serui, non debent gregem ipsum custodire spiritu seruorum, ac i *mercenariorum*: qui oues aspiciunt tanquam alienas, & non vt *proprias*; sed respicere illas debent spiritu verorum Pastorum; atque si oues essent ipsorum; Perfectus enim Christi amor efficit, vt quasi proprias nostras accipiamus res, quæ sunt ipsius Christi; & perfectus proximorum amor etiam efficit, vt nostras reputemus res, quæ sunt illorum. Et inde prouenit vt boni Prælati dicantur esse vicarij Iesu Christi, eiusque Successores, obeuntes hoc munus eodem spiritu, quo ipse; non spiritu seruorum, sed filiorum

i *Ioan.* 10.12.

Dei, qui res Patris sui respiciunt tanquam proprias suas, pro quibus sole periculo exponunt, eum in modum quo Dauid dixit Saul: k *pascebat seruus tuus Patris sui gregem, & veniebat leo vel vrsus, tollebat arietem de medio gregis: & persequebatur eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* Quamuis enim grex non ipsius esset, sufficiebat illi scire, quòd esset Patris sui, vt permotus amore & obedientiâ illum erga pugnaret cum feris adeo ruendum oues ex ore earum quæ illas prædabantur. Quanto ergo magis sufficere debet Prælatis, qui sunt filij Dei viui, scire has oues sibi commissas esse Patris sui cœlestis: vt eas gubernent & tueantur multò diligentius, quam si propriæ ipsorum essent? Et si Iacob? eò quòd duxisset Rachelem & Liam filias Laban, tantam curam adhibebat in custodiendo grege soceri sui, vt diceret de se: l *die noctuq; æstu vrebar, & gelu: fugiebatque somnus ab oculis meis*, vt illum fideliter custodiret: quanto magis Prælatus, qui sponsas duxit vitam Actiuam & contemplatiuam, ipsiusmet Dei filias, amare & custodire debet gregem sibi commissum, nulli parcendo labori, vt ipsi placere possit?

k 1 *Reg.* 17.34.

l *Genes.* 31.40

§. I.

EX his licet extollere puritatem & excellentiam huius amoris. Quamuis enim verum, sit, quod Christus D.N. sit vniuersæ Ecclesiæ sponsus, a *quam dilexit tanquam sponsam suam*; & vt Apostolus dicit, *seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi*: Prælati autem, qui eius sunt vicarij, etiam in hoc ipso tales sunt: tantum enim illis fidit, vt sponsam suam illis tradat vt studeant (vt ait S. Bernardus) eam docere, & bonis moribus, sanctisque operibus exornare, ad honorem & gloriam cœlestis sponsi, exhibentes sese in hoc ipso fidelissimos vicarios. Atque ideo in consecratione Episcoporum, cùm eis traditur annulus, dicitur: *accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam immaculata fide ornatus custodias. Amen.* Et hoc nomine licebit dicere, quod quemadmodum Episcopi sunt veri Pastores particularium suarum Ecclesiarum, etiamsi Christus principalis sit Pastor: ita etiam, quamuis idem sit principalis sponsus, ipsi suo modo etiam illas accipiunt tanquam sponsa: quas proinde diligere debent puro amore, quo Christus eas dilexit contendendo eas facere pulchras, & glorioſas absque macula, aut ruga, aut aliqua fœditate. Nec respicere debent præcipuè ad eius dotem, redditus, honores & præeminentias: id enim esset non Christum, sed ipsos quærere; & lucra sua potius, quam ipsam Ecclesiam: sed præcipuè intendere debent ad gloriam Christi Seruatoris nostri, & bonum & utilitatem Ecclesiæ, quam ipse adeò diligit: ostendentes amorem suum

a *Ephes.* 5.25.

Serm. 76. *in cantica.*

in rebus

in rebus omnibus in quibus boni sponsi ostendere illum debent, sicut ipse Christus illum ostendit sponsæ suæ eo modo, quem proposuimus Tomo 2. *Tract 5. c. 4*

Hinc alia ratio oritur amoris: quia Prælati sunt etiam Patres spirituales subditorum, quos amare debent amore puro, b *tanquam filios, quos in Christo Iesu genuerunt* ex sponsa sua Ecclesia. Talem gerebat Apostolus amorem erga Galatas, cùm eos tenerrimè compellans dicit: c *filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* Et aliquando seipsum appellat d *nutricem fouentem & lactantē filios suos.* Quamobrem S. Bernard. dixit: Prælatos tanquam matres esse debere subditorum, cœlestem sponsum imitantes, de quo dicitur, quod eius e *vbera meliora sint vino:* quo significatur maternus affectus, quo ille eos diligit; & lac suauissimum, quod nobis communicat. Audiant, inquit, hoc Prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini; vtilitati rarò. Erudimini, qui iudicatis terram: discite subditorum matres vos esse debere: non Dominos. Studete magis amari, quam metui. Et si interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis Mansuescite: ponite feritatem. Suspendite verbera: producite vbera: pectora lacte pinguescant: non typho turgeant. Quid iugum vestrum super eos aggrauatis: quorum potius opera portare debetis? cur morsus à serpente paruulus, fuit conscientiam Sacerdotis: ad quem eum magis oportuerat, tanquam ad sinum recurrere matris? Si Spirituales estis: instruite huiusmodi in spiritu lenitatis: f *considerans* vnusquisque *seipsum, ne & ipse tentetur.* Alioquin ille in peccato suo morietur: sanguinem autem eius de manu vestra requiret. Hucusque Bernardus. In quibus nouas alias rationes insinuat ad gubernandum subditos cum amore, obeundo officium Patrum ac matrum erga illos. Matris, quidem vt illos alliciant; patris autem, vt corripiantur, & vbi opus erit etiam puniant: vtramque hanc partem ita coniungendo, vt neque amor reuerentiam imminuat; neque reuerentia amorem: neque subditi, ob nimium amorem & lenitatem, quam Prælati illis ostendunt, abijciant frænum disciplinæ, & in grauia peccata labantur; neque ob nimiam seueritatem illa occultent, & medicos fugiant. Cùm igitur Apostolus parentibus carnalibus dicat: g *nolite ad indignationem prouocare filios vestros,* propter incommoda quæ inde sequuntur: vt suo loco diximus: magis consentaneum est ratione, vt spirituales Patres amorem hunc ostendant, agendo suauiter cum suis: *vt non pusillo animo fiant*; & oderint, quos amare deberent; & fugiant, quos oportet sequi. Idem suadet S. Gregorius, dicens: *curandum est vt Rectorem subditis, & mater pietas, & Patrem exhibeat Disciplina. Ne cum eos premit, nimis sit seuerus; nec cum indulget fiat remissior. Misceat suauitatem cum seue-*

b 1 *Corin.* 4. 15.
c *Gal* 4. 19.
d 1. *Thessal.* 27
Serm. 13. *in Cant.*
e. *Cant.*
„
„
„
„
„
„
„
„
f *Gal.* 6. 1.
„
„
„
g *Coles.* 3. 21

Tomo 2. *Tract.* 5. *c.* 8

2. *P. Pastor.* c 6.

ritate, alteram altera temperãdo: ne seueritas magna subditos exasperet; nec suauitas magna eosdem relaxet. Et quemadmodum in Arca Testamenti cum Tabulis Legis erant simul virga, & Manna: ita in pectore Prælati cum scientia gubernandi sit Virga rectitudinis, & Manna dulcedinis; quæ illam reddat iucundam & suauem. Accedit, quòd cùm charitas, teste Apostolo, sub imperio suo habeat omnes virtutes: illa vrget omnes, easque impellit, vt sibi in subsidium veniant in bonum subditorum: & ita sunt quasi stimuli Prælatorum: h *charitas enim*, inquit, *Christi vrget nos*, ad omnia quæ facimus; & comitatur nos in omnibus nostris ministerijs. Neque est stimulus molestus, sed valde iucundus & suauis. Quicquid enim cum amore fit, dulce est; & amãtis vulnera vulnerato fiunt amabilia: eò quòd à beneuola & amica manu proueniant: quia etiam cùm ferit, est mollis & suauis: quemadmodum S. Bernardus suauissimis his verbis perpendit: O bona Mater charitas: quæ siue foueat infirmos, siue exerceat proiectos, siue arguat inquietos: diuersis diuersa exhibens, sicut filios diligit vniuersos. cùm re arguit, mitis est; cùm blanditur, simplex est: piè solet sæuire, sine dolo mulcere; patienter nouit irasci; humiliter indignari: ipsa est, quæ hominum mater est, & Angelorum. Non solum quæ in terris sed etiam quæ in cœlo sunt pacificauit. Felix, cui talis contigit mater tuncenim erit mater subditorum, qui tanquam filij libenter se eius gubernationi subijcient. Non tamen est satis, quòd amet, amore intus in corde remanente; sed danda sunt exterius talia eius indicia, vt subditi sibi persuadeant, se amari, vt & ipsi eum ament, à quo vident se amari. Et quoniam hæc persuasio non efficitur solis verbis, addenda sunt etiam opera. iuxta illud S. Ioannis: i *non diligamus verbo, neque linguâ; sed opere & veritate*; & illud S. Gregorij: *probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Et quoniam res corporis facilius innotescunt, quàm animæ; & per illas facilius mouentur imperfecti: multùm refert, quòd Prælatus amorem suum subditis ostendat, subueniendo eorum necessitatibus corporalibus: quales sunt paupertas, aut infirmitas, aut afflictio aliqua: sicut solet pia mater filijs suis subuenire. Hanc enim ob causam Christus Dominus Noster tanquam magnus Pastor, magna conferebat beneficia corporalia hominibus, & ita amorem suum erga illos manifestabat; ac disponebat ad libenter excipiendam eius doctrinam, & reliqua ad animam spectantia. vt autem amoris exhibito præstantior sit, & eminentior: statim atque ad Prælati notitiam peruenit subditi necessitas; curare debet eam reparare, ipso non petente. Quemadmodum fecit Saluator, videns in k *loco deserto* ingentem *hominum multitudinem, nec habentium, quod comederent*; & *misertus illorum dedit illis miraculosè cibos ipsis id non petentibus.*

h 2 *corin.* 5.14.

Epist. 2 *ad Fulconem.*

i 1. *Ioã.* 3. 18 *Homil* 30 *in Euangel*

k *Marci* 6.34. & c8.2.

SED multò ampliùs ostendenda est charitatis perfectio & eminẽtia, subueniendo spiritualibus subditorum necessitatibus, cũ promptitudine & velocitate; etiam illis non petentibus: desiderãdo eundem charitatis spiritum eis imprimere: vt subditus euadat perfectus discipulus, similis in amore suo Prælato, qui eius est Magister. Cuius rei insigne habemus exemplar in Seraphinis, quos vidit Isaias. Qui quod habeãt supremum gradum in nouem choris Hierarchiæ cœlestis, referunt Episcopos & Prælatos, qui etiam habent supremum locum in nouem ordinibus Hierarchæ Ecclesiasticæ, quos suprà posuimus. Quare non solũ Angeli sed Seraphini etiam esse debent: quę vox significat *ardentes in amore*: quem ostendent in rebus illis, quas illi Seraphini in templo fecerunt. vbi clamabant, laudãtes Deũ cũ tãta vehemẽtia, vt l *cõmota fuerint superliminaria cardinũ à voce clamãtiũ*. Qui tamẽ clamor nõ eos impediuit, quò minus, cũ ipse Isaias diceret: *væ mihi quia vir pollutis labijs ego sũ*, illi eius fletũ audirent. nã statim *volauit ad ipsum vnus de Seraphin*, & nõ expectans alias eius preces, ostendit suã charitatẽ & feruorẽ. nã *accipiens calculum de altari tetegit os eius, dicens: Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatũ tuũ mũdabitur*. Quo exemplo docuit Prælatos, vt quãuis per sanctã contẽplationẽ Deo sint vniti: statim tamen atq; subditorum necessitatẽ cognouerint, ostendant eis amorem suũ, intermittentes quod faciunt, & volantes velociter ad eos iuuandos, & peccatis purificandos: applicantes eis Sacramenta, Sacrificia & subsidia reliqua, vt non sit opus ipsos subditos ad Prælatum accedere, & auxilium petere, ac rogare: charitas enim ipsos vrget, ad præstandum quod ipsorum officium ab eis exigit. Nec solum eos purificãt, ac mundãt: sed illustrant etiã & accedunt, communicantes eis spiritum suũ Seraphinorum, sicut in exemplo propsito vnus de Seraphin fecit cum Isaia. Qui ex illo exemplo, quod vidit in Seraphino, didicit etiã vt statim atque audiuit vocem Domini dicentis: *quem mittam? Et quis ibit nobis?* ad monendũ scilicet populum: ipse respondit: *Ecce ego: mitte me*; ita vt non expectaret aliud Domini mandatum; sed statim, quasi accipiens alas Seraphini, obtulerit sese ad prædicandum, quod Deus cupiebat; etiãsi alioqui esset difficile. Ita igitur boni Prælati exemplo & verbo suo efficiunt, vt subditi postquã sunt purificati, ipsos imitentur in feruore & perfectione virtutum; & amore perfecto ardeant sicut ipsi. Omitto multas alias rationes, ac documẽta in secundo Tomo proposita pro gubernatoribus Secularibus: quæ maiorem vim & locum habent in Prælatis Ecclesiæ. Et ita concludo: quod lex Euangelica non sit lex timoris, sed amoris; & fideles (vt Apostolus dixit) non tendunt, & mouentur m *spiritu seruitutis ad timorem*, sicut antiqui, sed habent *spiritum* charitatis, & *adoptionis filiorum Dei*: n *quia nõ sunt filij ancillæ, sed liberæ qua libertate Christus eos liberauit*.

Tract. 1. c. 1

l *Isai. 6. 4.*

Tract. 1. c. 7

m *Rom 3. 15*
n *Gal. 4 31.*

Cumque Prælati esse debeant viua lex pro suis subditis: æquum est vt in eis cernant charitatem hanc perfectè expressam, quam ipsis operibus exprimant: gubernantes eos ipsius legibus charitatis; non tanquam cum seruis, sed quasi cum filijs agentes; non quasi cum mancipijs, sed simul cum liberis cogitante; Deum ipsis dicere, quod aliquando dixerat Abrahamo: o *eijce ancillam & filium eius*, hoc est expelle ex Ecclesia & Religione, quam gubernas, spiritum seruitutis, eiusque actus & effectus: non enim in subditis tuis prævalere debet spiritus seruorum: sed filiorum & tu debes te, vt patrem erga eos gerere; tuamq; charitatem tanquam exemplar proponere eius, quam ipsi seruare debeant inter seipsos.

o *Gennes.* 21.10.

HAEC omnia collegit Sanctus Petrus Apostolus, tanquam bonus vir deque expertus Pastor, dicens reliquis Pastoribus: p *Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè; neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Quam sententiam explicans S. Thomas ait: Apostolum monere Prælatos, ne officium assumant *coactè*, aut superbe: hoc est aliqua necessitate, aut paupertate compulsi: vt habeant vnde viuere & sustentare se possint; neque auaritiâ aut cupiditate diuitias thesauriandi; neq; superbia & ambitione; vt habeant. quibus possint imperare: sed illud accipient generosa quadam *voluntate secundum Deum*: proponentes sibi gloriam, & voluntatem ipsius Dei sanctumque eius amorem: non præbentes indicia Dominationis in subditos; sed cum eis tanquam cum filijs agentes; præbentes eis exemplum vitæ, quam omnes sequi debeant. Sic enim voluntatem exequentur *Principis Pastorum*, qui, cum iudicium veniet, remunerabit fideles suos socios corona æternæ gloriæ, ob præclaros ipsorum labores,

p 1. *Petri* 5. 2.

CAPVT IX.

QVOD CHARITAS ET PROVIDENTIA PRAELATORUM appareat in Residentia suarum Ecclesiarum, & visitandis suis subditis; & modus eos visitandi

PRIMVM QVOD S. IOANNES REFERT IN HAC VISIONE Apocalypsis, est quod viderit Christum D. N. in medio septem candelabrorum aureorũ: quę (vt diximus) referunt Ecclesias: & hoc ipsum quasi titulum accepit primæ epistolæ, dicens: *Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextra sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum*: vt exemplo suo Prælatos moneret, quid in Ecclesijs fa-

a *Apoc.* 2. 1.

8

ijs facturi sint, quarũ cura illis incumbit, assistere scilicet semper in medio earũ gubernando ac dirigendo omnes ipsorum Iurisdictioni subiectos. Et in hoc ostendere debent amorẽ, quem erga ipsos habent; & prouidentiam ac vigilantiam in officio suo. Qui enim verè amat, semper cupit esse cum eo, quem amat; & qui aliorum curam gerit, necesse est eos agnoscere, cum eis agere, & continuam rerum ipsorum memoriam habere; eosque in corde, & b *manibus suis descriptos* gerere: ne ea obliuioni tradat, quæ pro eis facere expedit. Apta autem est similitudo Euangelistæ; si enim Ecclesia est candelabrum aureum: Prælatus est *lucerna* à Christo D. N. *accensa vt omnibus fidelibus luceat*. Christi autem voluntas est, vt lucerna maneat in suo candelabro, quasi in proprio loco: vt luceat omnibus, qui in domo eius sunt. Quod si S. Ioannes non expressit, quod septẽ illa candelabra haberent lucernas, quæ ipsos Episcopos significarent id propterea fecit, q̃ stellas eos appellauerit; & aliũ assignauerit nobilorem locum, manum scilicet dextram ipsius Christi: quo significat: eorum lucem esse cœlestem impertitam à Patre luminũ per manum Mediatoris, qui eius est filius. Qui quemadmodum singulas stellas in proprio suo loco collocauit, in quo vt dixit Baruch Propheta: d *stellæ dederũt lumen in custodijs suis*: ita singulos Prælatos collocat vbi vult: constituens, vt in eis loci stanquam in suis stationibus & custodijs dent lumen suum. Et Propheta Zacharias in alia visione huic simili vidit e *candelabrum aureum totũ & lampadẽs super caput ipsius*. quę significabat Christum Dominum Nostrum vniuersale Ecclesiæ caput, sub quo erant *septem lucernæ* in ipso candelabro: qua (vt ait Sanctus Cyrillus Alexandrinus) significabant multitudinem Episcoporum, quorum S. Ioannes hic meminit: & quorum officium [illegible] quemque residere in suo candelabro, illuminando illam Ecclesiæ vniuersalis partẽ, quæ illi sorte contigit. Latet autem magnum mysterium in eo, quod S. Ioannes viderit septem candelabra aurea, quibus significabatur: particulares Ecclesias multas: Zacharias autem non vidit nisi vnum, cum septem hastilibus, in quibus erant septem lucernæ ad significandum: omnes illas lucernas fuisse cum vna Catholica Romana Ecclesia coniunctas, cuius caput vniuersale est vnum, Christus scil. D. N. Iuxta illud, quod in Canticis Canticorum dicitur Salomonem habuisse octoginta vxores minus principales, & sexaginta quasi Reginas, f *sed vna* inquit, *est columba mea perfecta mea*: ex omnibus enim sit vna columba & perfecta Ecclesia, sponsa veri Salomonis, qui est Princeps pacis.

b *Isa.* 49.16

c *Matt.* 5.16

d *Baruch.* 3 34.

e *Zach.* 4.2

9

Ibidem.

f *Cant.* 6.8

§. I *Rationes ad Residentiam obligantes.*

Hinc licet incipere aperire rationes, quæ Episcopos obligãt ad residendũ in suis Ecclesijs, & quo suis Prælatos in suis cõuentibus, Collegijs, aut domibus sibi cõmissis. Quẽadmodum n. Christus D. N.

est vnicus

vnicus vniuersæ Ecclesiæ sponsus: ita Episcopus, vt supra est dictum, est Ecclesiæ suæ particularis sponsus: vir autem debet coniugi suæ cohabitare, vt eam, totamque familiam gubernare possit; & de rebus necessarijs ei prospicere: ne ex diuturna eius absentia siue iusta causa eueniat, vt illi fidelitatem Deo debitam non seruet. Sicut nequam illa mulier, de qua Salomon refert, quòd suæ temeritatis prætextum, & causam attulerit quòd a *non esset vir in domo sua*, nec tam citò reuersus. Huiusmodi enim absentiæ solent occasionem præbere multorum spiritualium adulteriorum; quæ perpetrata non fuissent si Prælatus præsens fuisset: ac propterea ipse eisdem manet defœdatus & oneratus.

a *Prouerb.* 7.19.

2

Est etiam Prælatus gubernator nauis Ecclesiæ, quæ continuè nauigat in procelloso huiusmundi mari, inter ingentes tentationum ac tribulationum tempestates: ac propterea necesse est gubernatorem non esse ab ea absentem, ne periclitetur nauis, damnumq; ex eius absentia prouenient in ipsum recidat. Debet enim Prælatus esse sicut Patriarcha Noe, (figura, vt ait S. Bernardus, statûs Prælatorum) qui ex voluntate & præcepto Dei p *ingressas est in arcam*, & nauim suam; & toto tempore, quo diluuium perdurauit, mansit in ea, cum tota domo sua, gubernando eam, & reliqua animalia quæ ibidem erant. Et neque cessantibus pluuiis voluit inde exire (vt perpendit S. Ambrosius) donec c. *ipsemet Deus*, qui iusserat ingredi: *egredi iuberet*. Bonus enim Prælatus ex voluntate Dei susciperè debet curam nauis Ecclesiæ suæ, & in ea semper residere, eiusque gubernationi assistere, non deserens eam: donec ipsemet Deus egredi inde iubeat, aut migrando ad aliam vitam; aut ad rem aliam maioris eius gloriæ. Quamdiu autem præsens ipse fuerit, confidere poterit Diuinæ eius misericordiæ quòd sit Ecclesiam illam protecturus, & à persecutionibus alitunde exurgentibus defensurus; ipsumque cum ijs qui in ea manebunt, in pace seruaturus. Quod si detrimentum aliquod cum aliorum culpâ oriatur, erit ipse à culpa liber, & immunis.

b *Genes.* 7.1

c *Genes.* 8. 16 *Lib. de Noe Arca* c.21

3

Hvc accedit, quòd Prælatus sit quasi dux generalis Exercitûs militantium in sua Ecclesia, qui semper sunt in acie, aut in campo; & oppugnantur ab innumeris hostibus inuisibilibus nunquam dormientibus, & visibilibus, qui nunquam desunt. Quod si Dux eos gubernans absit, exercitus manet expositus periculo succumbẽdi: abijciunt enim milites animũ quia non habent excitantem & dirigentem. Ac propterea dixit Salomon: d *vbi non est gubernator, populus corruet*. Est quoque Prælatus (vt Ezechiele fuit dictum) e *speculator* constitutus à Deo Domino N. vt Ecclesiæ suę inuigilet; ac de imminentibus periculis moneat, fortiter clamans, quando hostes accedũt. Quod si ingentis est culpæ, quod speculator obdormiat, aut clamare negligat: quantò erit grauioris culpæ si ab ipsa specula, in qua

d *Prouer.* 11.14

e *Ezech.* 3.1

est con-

est constitutus, recedat: absens enim malè poterit videre; quæ agantur; & imminentia damna præuenire.

Prae omnibus autem competit Prælato esse *pastorem* ouium Christi. Quas non poterit pascere, & à lupis inuadentibus defendere, si ab eis absit. Et hæc est præcipua ratio, quam Sanct. Tridentinum Concilium maximè perpendit grauissimis his verbis: cùm præcepto Diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbiq; Diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium, operũ exemplo pascere; pauperum aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere; & in cætera munia pastoralia incũbere: quæ omnia nequaquã ab ijs præstari & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more eum deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, vt Diuinorum præceptorum memores, factiq; forma gregis in iudicio & veritate pascant & regant. Hæc Sanct. Concilium, quibus ostẽdit: preceptum hoc Diuinum fundari supra fidelitatem boni Pastoris, de quo dixit Christus Dominus Noster quod f *proprias oues* nouerit, ac *vocet nominatim? & ante eas vadat, & oues illum sequantur: eò quòd sciant vocem eius.* Hoc autem supponit, ipsum esse & versari familiariter cum suis subditis: ex quo prouenit, vt & ipse illos, & illi ipsum agnoscant. Et hoc signum profert Saluator: quod ipse sit *Pastor bonus*, quia *cognosco*, inquit, *oues meas, & cognoscunt me meæ: sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrẽ.* Qua comparatione hoc voluit insinuare: quod pastores talẽ suo modo cognitionẽ & familiaritatẽ habere debeant cum suis ouibus, qualem habent Diuinę personæ: nunquam ab eis recedendo. verus enim amor non potest ferre absentiam, quando euitare illam potest.

Hoc ipsvm etiam explicuit Salomon eadem similitudine, dicens: g *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera: non enim habebis iugiter potestatem; sed corona tribuetur in generationem & generationem*, quasi dixerit, ne satis tibi esse putes, quod subditos tuos ex aliorũ informatione, & ex auditu tantum cognoscas: sed stude ex ipso aspectu & familiari cum eis conuersatione eos agnoscere: multum enim ex hoc illi proficient. Aequum autem est, te in hoc negligentem non esse: quia potestas & authoritas, quam nunc habes, non diu durabit: vita enim breuis est, & h *mors non tardat*, qua adueniente, reddes Deo rationẽ de grege tibi commisso: quam si bonam reddideris, coronam recipies, quæ duret in æternum. Eandem etiam rationem adfert Sanctus Petrus, dum Pastores ad huiusmodi vigilantiam exhortatur. i *& cum apparuerit*, inquit, *Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.*

Hvc accedit, quòd Prælati non residientes, sint (vt Cõcilium Trident.

5 *Sess 23. de Reform. c. 1.*

f *Ioan. 10 3 14.*

6 g *Prouer. 27 23.*

h *Eccles. 14, 12.*

i *1. Petr. 5. 4*

7

dixit) sicut illi quos ipse Saluator k *mercenarios* appellauit, *qui videntes lupum venientem, dimittunt oues, & fugiunt.* Nam hocipso quòd Prælati absunt, accedunt infernales lupi, & gregem, à proprio Pastore desertum, rapiunt ac deprædantur. Et per Ezechielem idem Dominus dixit: l *dispersa sunt oues meæ, eò quòd non esset Pastor: & facta sunt in omnem deuorationem bestiarum agri.* Nec satis est, quòd dicant: relinquere se vicarium & substitutum loco sui, qui munus ipsum obeat. si enim proprius Pastor absque causa deserit gregem suum, quid mirũ erit, si Vicarius eius eundẽ deserat? cùm illum videt in periculo versari; aut ex ignauia & cordis timiditate non audeat hostiẽ opponere? Horrendum est exemplum quod Scriptura refert, quãdo Moyses abfuit à populo per dies quadraginta. Quamuis enim id fecerit mãdato ipsius Dei, & in bonum populi sibi commissi, ascendens in montem ad agẽdum cum ipsomet Domino, & accipiendas ab eo Tabulas Legis, & loco sui reliquerit duos vicarios, m *Aaron* fratrem suum *& Hur* nihilominus videns populus Moysen moras trahere in redundo absente proprio Pastore, n *petiuerunt ab Aaron, vt faceret ipsis Deos, qui ipsos præcederent.* Qui timens, ne lapidaretur ab eis, nisi faceret quod petebant, non est ausus sese eis opponere, sed *petijt ab eis inaures aureas, quas cùm ille accepisset, fecit ex eis vitulum conflatilem:* quẽ omnes adorauerũt fuitque causa, cur perirent. Si igitur absentia adeo iusta, tanti detrimenti fuit causa: quid erit si pastor absit non ex Dei, sed ex propria voluntate? Non vt ascendat in montem ad orandum, sed vt ipse solatia sua quærat; non vt leges constituat in populi bonum, sed ad negocia propriæ suę vtilitatis? Et quam excusationem habere poterit, quòd bonum constituat vicarium, cùm Aaron malam reddiderit rationem de populo apud quem mansit quasi vicarius fratris sui? Et quid mirum, si vicarius timidus sit, cùm ipse Pastor sese abscondat? Et quid aliud fuit, populum spoliare inauribus aureis, vt idolum fieret: nisi apertè ostendere, quòd, absente proprio Pastore, abijciet populus obedientiam charitatis; vt propriæ voluntatis idolum adoret: ac proinde in culpas innumeras labatur voluntate propria?

Supra. NON est negandum, aliquando esse posse honestas aliquas causas, ad hanc absentiam iustificandam. vt enim idem Concilium addit: Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidens Ecclesiæ vel Reipublicæ vtilitas: aliquos nonnumquam abesse postulant, & exigunt: eâ tamen adhibitâ cautelâ, vt in discessu ita ouibus suis prouideant, vt quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum illæ accipiant. Attuli autem hoc exemplum: vt Prælati cogitent, quanta cura euitare debeant huiusmodi absentias. nisi *in* casibus iam propositis; & quidem aliter fieri non potest; & loco suo relictis talibus Substitutis, qui ipso

k *Ioan.* 10.12.

l *Ezech.* 34.5.

m *Exodi.* 24.14.

n c.32 1. *vide Lipomanum ibid.*

rum defectum supplere possint. Semper tamen timere debent duo pericula. *Primum* ipsius gregis, ne absente proprio pastore pereat. Nam quando absentia est absque iusta causa, seuerè punientur, ob iacturam eorum omnium, qui propter talem absentiam, exorta tempestate perierunt; aut in conflictu inciderunt in manus hostium, & mortui sunt; aut à lupis deuorati. In eos enim fertur seueriſsima illa sententia cuiusdam Prophetæ qui sub specie parabolæ dixit: quod quidam ad se adduxerit quendã hominẽ dicẽs: *o custodi virũ istũ; qui si lapsus fuerit, erit, anima tua pro anima eius*, qui statim addidit: *dum ego turbatus huc illuc q, me verterẽ, subito nõ comparuit.* Quam parabolam, cùm ille Regi proposuisset, statim Rex sententiam tulit, vt pœnam propositam lueret. Quare Prælatus eandem subiturus est pœnam, quam Deus proposuit, cùm tales subditos ipsi commisit: prœmonens, quòd si quis eorum periret, eò quòd ipse illum desereret; aut verteret se ad res ab officio suo alienas: ipse quoque esset periturus. Quare cauendum Pastori est, nequid negligat: nam euenire potest, vt ex parua ipsius negligentia, vir ille dispareat; & ipse amittat eum, cuius curam susceperat. Alterum periculum est, ne Ministri & vicarij, quorum opera in officio suo vtitur ipso absente curam cõmissam remittant, suæque obligationi desint: quemadmodum fecit Aaron: nam illi, ipso præsente, habent animum & pectus ad præstandum, quod debent. Non enim est nouum in huiusmodi casibus, quod Seruator noster refert in illa Parabola serui, qui videns absentem Dominum suum moram in redeundo facere, cum deberet magnam habere curam familiæ sibi commissę: p*cœpit percutere seruos, & ancillas, & edere, & bibere & inebriari* bonis huius vitæ: ac proinde refert plurimùm, quod ipse Prælatus assistat, ac super suos subditos vigilet.

o 3. Reg. 20. 39.

p Luc. 12. 45

§. II. *Visitanda sunt à Pastore loca sua Iurisdictionis.*

Ex eodem capite intelligitur obligatio, qua tenentur Prælati visitare omnia loca, quæ pertinent ad ipsorum Iurisdictionem, quando illa sunt multa. Etsi enim aliquando mittere possint visitatores, qui ipsorum nomine munus visitandi obeant: hoc tamen modo non satisfaciunt: si, cùm ipsimet possint, non visitant per se, vt totum suum gregem ex facie agnoscant, & tanquam rei propriæ, curam eius gerant. Et hoc ipsum insinuat Epistolæ illius titulus, qui de Christo D. N. dicit: a *qui ambulat in medio candelabrorum.* Non enim dicit: qui manet; sed, *qui ambulat*: quo verbo insinuatur vigilantia, & solicitudo, qua visitat omnes Ecclesias; sicut, cùm in hoc mundo versaretur, visitabat omnia loca Israel, in quibus erat Ecclesia sibi à Patre commissa. Et suis Discipulis dixit: b *Ego in medio vestrũm sum, sicut qui ministrat*; qui hinc inde discurrit, vt de rebus necessarijs prospiciat. Quibus verbis eos monuit: officij ipsorum nõ esse sedere semper

a Apoc. 2. 1.

b Luc. 22. 27

orare, aut studere, & in sua quiete spirituales cibos sumere; sed surgere, & ambulare per domum, & alijs seruire, & cibos procurare: quibus omnibus expeditis sequetur quod dixit Ecclesiasticus: *c omni curâ tuâ expliciâ, recumbe:* hoc est, requiesce paululum, vt iterum surgas, & sicut prius ministres: quemadmodum etiam dixit Dauid: d *perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ, attendens* scilicet, quicquid in ea agerentur; & exemplo meo omnes domesticos excitans, & verbo exhortans; corripiens quod malum videbam, & approbans & confirmans bonum.

c *Eccl.* 32.2.

d *Psal.* 100.2.

e *Actuum.* 15. 36

2

vbi Lorinus fusè de hoc agit

f *Actuum* 18.2.

3

Lib. 1. *cæremon. c.* 6.

g *Iob* 15.12.

4

vide Turriã. opusc. de hoc argumento Sess. 24. *c.* 3 *de Reform.*

5

HIC fuit spiritus Sanctorum Apostolorum, & maximè S. Pauli, de quo S. Lucas refert, quod dixerit ad Barnabam: e *reuertentes visitemus fratres per cunctas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini: quomodo se habeant:* hoc est, quomodo seruent doctrinam & legem, quã eos docuimus: vt reformemus errores, & eos in bono confirmemus. Et iterũ de eodem dicit: quod perambularet varias Regiones, f *confirmans omnes Discipulos.* Et propterea fortè Christus D.N. constituit, vt soli Episcopi per se ipsos, & non per aliquẽ substitutum, administrarent Sacrament. Confirmationis, vt hæc cura eos cogeret visitare omnes subditos, & confirmare; non tantum ipso Sacramento: sed etiam præsentia & prædicatione sua. Nam, vt dicitur communi prouerbio, quoad hoc ipsum propositum Aristoteles vtitur: *oculus Domini impinguat equum:* & pes eius fœcundat terram. Et eos interdum visitare, efficit vt conseruentur, & proficiant. Imò & illud Prælato licet applicare, quod de Deo dixit Iob, g *visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Non debent (ait S. Damasus) Episcopi & Prælati esse sicut illæ matres, quæ statim atque filios pepererunt, vt à labore eos nutriendi sese expediant, & rebus palato suo magis arridentibus attendant: eos tradunt nutricibus, imò etiam ad pagos mittunt, & diu illos non vident. Est enim à charitate Christi valde alienum, ita subditos proprios negligere, vt ipsi Pastores eos non videant, sed hanc curam alijs committant. Nulla siquidem cura temporalis ita debet Prælato arridere, vt eã bono proximi præferat. Nec Prælatus mater tantùm esse debet, sed etiam nutrix: quæ lacte proprio filios suos alat, ac nutriat. Ac propterea iure optimo Concilia Sacra commendant Prælatis huiusmodi visitationes: quantum finis (vt ait concilium Tridentinum) & præcipuus scopus sit sanam & orthodoxam doctrinam, expulsus hæresibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus, ad Religionem, pacem, innocentiamq; accendere; cætera, prout locus, tempus, & occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quæ vt facilius feliciusque succedant, monentur prædicti omnes & singuli, ad quos visitatio spectat: vt paternâ Charitate, Christianoque Zelo omnes amplectantur; & interim caueant, ne inutiliter sumptu-

e *Actuum.* 15. 36

2

vbi Lorinus fusè de hoc agit

f *Actuum* 18.2.

3

Lib. 1. *cæremon. c.* 6.

g *Iob* 15.12.

4

vide Turriã. opusc. de hoc argumento Sess. 24. *c.* 3 *de Reforma*

5

cc

cc

cc

cc

sumptibus cuiquam graues, onerosiue sint; sed contenti modesto comitatu, studeant quàm celerrimè, debita tamẽ cum diligentia, visitationem ipsam absoluere: Hoc Trident. Concilij Decretum licet amplius explicare ex ijs, quæ Scriptura Sacra de Salomone refert, qui habebat duos pulcherrimos Thronos, alterum fixum in Palatio suo h *de ebore grandem: quem vestiuit auro fuluo nimis, in quo erant duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: & duo leones stabant iuxta manus singulas; ad quem ascendebatur per sex gradus. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde.* In hoc Throno sedebat ipse ad iudicandum, cum ea grauitate & authoritate, quæ Regiam eius Personam decebat. Sed quoniam non semper oportebat eum in eo palatio manere: habebat etiam alium Thronum, siue Regiam sedem, quam vocabant: i *Ferculum* in quo vehebatur per Plateas & fora Ierusalem, vt videret, quid in eis ageretur. & de hoc dicitur, quod *esset ex lignis Libani, & haberet columnas argenteas, Reclinatorium autem aureũ, & ascensum purpureũ; mediũ autem eius constratum charitate propter filias Ierusalem.* Hoc totum erat figura, quędam, & imago perfectionis, quę pertinet ad statum prelatorum, de quibus nunc loquimur. Qui thronum suum habent in Ecclesia sua Cathedrali, in qua maximam anni partem residents, vt actus & ministeria officij sui cum ea excellentia exerceant, quæ ad ipsorum dignitatem pertinet; non tam in externa seculari pompa, quàm in sanctitate & perfectione spiritus. *Thronus* eius debet esse ex *ebore* propter puritatem & castitatem vitæ, *inaurata auro fuluo nimis* charitatis accẽsissimę. *Sedile* eius inniti debet *duabus manibus*, hoc est: vtriq; vitę, Actiuæ & Contemplatiuæ cum perfecta tam præceptorum, quàm consiliorum Euangelicorum obseruatione. Necesse tamen est *duos leones stare iuxta singulas manus:* quia fortitudo & magnanimitas omnia opera debent comitari: ita vt fortitudo timoribus ac periculis occurrentibus resistat: magnanimitas verò res maximas aggrediatur, collocatâ fiduciâ in omnipotentia Dei, qui ad vtrumque subsidium præbebit. Quamobrem dixit Salomon: k *Iustus quasi leo confidens, absque terrore erit.* Ad hunc Thronum ascenditur per sex gradus, sex scilicet opera & exercitia duplicis huius vitæ, quæ retulimus initio tertij Tractatus. Per quos gradus ascenditur ad perfectionem, quam exigit Status Prælationis: auxilium & exemplum accipiens ex doctrina & exemplari vita duodecim Apostolorum, qui significantur per *duodecim leunculos stantes super sex gradus hinc atque inde.* Hoc virtutum ornamento Thronus eius firmitatem & stabilitatem, quam oportet, habebit, tam in durationc, quàm in diligenti officij sui executione. Propterea enim dixit Salomon: l *misericordia & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus eius*, & m *iustitiâ firmabitur.* Quemadmodum enim Rex, ita & Pontifex, & quilibet Episcopus, &

h 3. *Reg.* 10. 18.

Cant. 3. 9.

k *Prouerb.* 28. 1.

c. 2.

l *Prouerb.* 20 28.

m *c.* 25. 5

Prælatus, qui ſederit in ſuo throno, & dignitate prædictis virtutibus ornata, magnam habebit firmitatem, ſuumque officium magna cum excellentia implebit, promptus & paratus ad audiẽdos ſubditos, qui ad ſua proponenda locum petent; & iuſtitiam adminiſtrandam; & gratiam ac miſericordiam exhibendam, quam eorum neceſsitas & miſeria expoſcit.

SED quoniam Prælati non debent ſemper in vno loco hærere, ſed oportunè ad ciuitates & loca ſuæ Iuriſdictionis excurrere: debent ad hoc
1 *Cant.* 39. Thronum alium aut n *Ferculum* habere ſimile illi Salomonis, non cum illo ornatu ex auro, argento & purpura materiali, quem illud Salomonis habebat (talis enim Thronus ad Principes huius mundi potius ſpectat) ſed cum ornatu virtutum præſtantium, quas res illæ precioſæ ſignificant:
In Cant. 3. quia is proprius eſt Principum Eccleſiæ. Qui non debent excurrere per mundum, niſi incluſi ferculo cuidam ſpirituali, quale hîc deſcribitur: cuius reclinatorium aureum (vt ait Sanctus Gregorius) eſt quieta & pia cõtemplatio Dei, eiusque Diuinorum Myſteriorum; quæ oritur ex dono ſapientiæ, & iucundæ ac dulcis ſcientiæ ſpiritûs. vocatur autem *Reclinatorium*, eò quòd quemadmodum ſedes abſque Reclinatorio eſt incõmoda eò quòd corpori deſit aliquid cui innitatur. cùm autem adhæret reclinatorio, ſedet magis cõmodè: ita Prælati officium eiusq; viſitationes, erunt incommodæ valde ac moleſtæ; niſi leuamem & quietem habeant orationis, & contemplationis, quæ illas reddat iucũdas. Quamobrem qui inter proximos diſcurrunt: animarum eorum curam gerentes, nunquam debẽt exercitium internæ recollectionis, & familiaritatis cum Deo per orationem prætermittere: quò ſuum officium cum propria & proximorum vtilitate exequantur. Huc accedunt *columnæ argenteæ*, gratiæ ſcilicet ac
o *Pſal.* 11. 7. virtutes reddentes Prælatum aptum ad prædicandum verbum Dei, quod
p *Prou.* 9 1. eſt o *argentum purgatum ſeptuplum*. Neque eſſet abs re dicere: has p *ſeptem columnas* eſſe illis ſimiles *quas ſapientia excidit in domo quam ſibi ædificauit*: eò quòd ſeptem ſint præcipui huius muneris actus, ſuperius commemorati. *Aſcenſus* autem ad hanc ſedem ſiue ferculum eſt *per gradus purpureos* actus ſcilic. mortificationis, & abnegationis ſuiipſius, ſine qua impoſsibile eſt Prælatos frui quiete orationis, & efficacitatem habere in ſua prædicatione, & benè fungi ſuo munere. Licet autem dicere, hos gradus eſſe ſeptem ſicut fuerunt alterius throni: eò quòd inſigniores huius mortificationis actus ſint ſex. Mortificatio ſcilicet carnis, & quinque eius ſenſuum; paſsionum appetitus ſenſitiui; propriæ voluntatis; iudicij proprij cogitationũ ac diuagationum cordis & amoris nimij ad vitam propriam; ita vt parati ſint eam exponere pro gloria Dei & bono ouium ſuarũ. Et hic ſuprem[us] eſt actus purpuræ, proprio ſanguine tinctæ vt dictum eſt. *Medium* autem

huius

huius *Herculi est stratum charitate*: nam Prælatorum & Prædicatorum corda debẽt omnino repleta & occupata esse heroica charitate; vt in eis maneat ipsemet Deus permanenter; & ipsemet Christus verus Sãlomon omnibus amabilis & omnium amator: in quibus locum habeat cum omni excellẽtia, quod Apostolus optabat omnibus, vt q *Christus habitaret per fidẽ in cordibus eorum, in charitate* (vt ipse dicit) *radicati & fundati*. Idque totum propter *filias Ierusalẽ*, animas scilicet subditorũ quos visitãt & Prędicatorũ quibus prędicant. Vt illi videntes admirandã suorũ Prælatorũ & Prędicatorũ vitã; & admirantes rarã mortificationẽ, piam orationẽ, feruentẽ prędicationem, & viscera charitatis, quam erga omnes exhibent: afficiantur, & alliciantur ad obsequium sui Creatoris; & capaces sint eorum, quę illis dicuntur; eaque opere ipso exequantur. Hoc ipsum magis exprimit alia versio, quę habet: *in medio est ipse accensus vel combustus ob filias Ierusalẽ*. Quemadmodum enim Christus Dominus Noster est amore ardens in medio Electorum suorum, vt indicatur in hac visione Apocalypsis, quam explicamus: ita spiritus Prælatorum accensus esse debet, & ardens igne amoris Dei, & suorum proximorum; & cupiens accendere & inflammare omnes eodem igne, quo ipse ardet. Et cùm per varias partes excurrit, cũ eo zelo id facere debet, quo Dominus ille faciebat qui dixit: *ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Sed quoniam inter visitandum multa occurrent correptione digna; & peccatores aliqui ipsorum admonitionibus repugnantes: debet etiam adeò ardere igne zeli, vt quando ita expediet, prunas & flammas iaculetur punitionis.

q *Ephes. 3.17*

vide Ludouic. Legionensem. ibi.

r *Luce 12.49.*

Denique quoniam in his visitationibus, Episcopi opus habẽt Ministris perfectis, à quibus iuuentur, ad præcipuum earum scopum attingẽdum, reformationem scilicet morum: prospexit Deus noster Ecclesię suę de multis Religionibus, quæ sese addixerunt ad bonum spirituale proximorum procurandum: adiuuantes ipsos Episcopos. Quarum vna est minima nostra societas: cuius Institutum est ire ad huiusmodi Missiones & excurrere, variosque populos visitare, sua in eis ministeria exercẽtes sicut in vltimo capite Tractatus præcedentis est dictum. Quod præclarè confirmat S. Gregorius Nazianzenus consolans amicum suum Nissenum exulẽ in varijs partibus. Quemadmodũ in cœlo, inquit, aliquæ sunt stellæ fixæ; aliæ, quas erraticas vocant, quæ sunt Sol & Planetæ, quæ videntur aberrare per varias cœli partes, nunc hîc nunc ibi: quorum tamen error est cum magno ordine & vtilitate: quia illuminant, & influunt in terram: ita in Ecclesia & Religionibus sunt aliqui iusti, quasi stellæ fixæ, & quasi throni, & sedilia Dei stabilia, excipientes intra se Diuinam lucem ac dona cœlestia, sibi tamen solis, non aliis communicãda: quales sunt Anachoretæ & Monachi recollecti, qui solùm profitentur vitam contem-

Epist. 34. ad Nissenum.

Tract. 3. c. 1. de hoc Actu

platiuam

platiuam; & personæ simplices ac litteratum ignaræ, quæ totam suam perfectionem ponunt in interiori familiaritate cum Deo. Alij autē sunt sicut Sol & Planetæ ac stellæ erraticæ, quæ sunt quasi Fercula Dei: qui [Psal. 18. 6. [Tabernaculum suum & habitationē *ponit* in his *solibus*: vt illum gestent per vniuersam terram; illustrantes & inflammantes amore ipsius corda mortalium. Cuius rei causa discurrunt & vagantur hinc inde: quamuis talis diuagatio non sit aberratio, sed rectitudo & profectus animarū. Et quemadmodum idem Sanctus dixit: tua discursatio est Deo gratia; fixumque est demultis bene mereri: quamuis loco minimè fixus sis. Sint igitur Episcopi quasi Soles visitantes, & discurrentes per totam terram sui Episcopatus; secumq; deducant fideles aliquos Ministros, qui quasi cœlestes Planetæ ipsos iuuent, Concionibus, Confessionibus excipiendis, alijsque Ministerijs in bonum animarum exercendis: & sic implebunt bene munus suum: obseruando in omnibus documenta, quę proposuimus; & alia quæ mox subijciemus, explicantes Epistolas Apocalypsis, quas insinuauimus, circa quas hoc est aduertendum, quòd non perpendemus in singulis virtutes omnes, aut vitia Episcopi, qui in eis laudatur, aut reprehenditur; sed aliqua tantum specialia, reliquis reiectis in aliam Epistolam, in qua alius Episcopus de eisdem fuerit notatus.

CAPVT X.

PRIMA EPISTOLA AD EPISCOPVM EPHESINVM, in qua de feruore in gubernatione, oratione & consideratione collecta, quæ gubernationem comitantur.

PRIMA Epistola, qvam Christvs D.N. scribit ad Episcopum Ephesinum, qui in suis principijs valde fuit feruens ac sollicitus in munere suo: plena est admirandis documentis pro Prælatis. Cuius exordium ita habet: a *scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt* a *Apoc. 2, 2* *Apostolos esse, & non sunt: & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes; & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.* In quibus verbis Christus Dominus Noster laudat hunc Episcopum à duabus præcipue virtutibus, quæ sunt fructus charitatis, & valde necessariæ Prælatis ad ipsorum gubernationem: cuius rectitudo maximè consistit in eo, quòd nouerit, bene agere, laborare, sustinere ac pati. Nam otio dedi-

imp-

impatientes, non sunt apti, vt Prælatos agant. Si quidem Apostolus dixit: b *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Hoc est operari, bene laborare, & multa pati, vt superiùs est dictum. Non collocauit Deus Adamum, humani generis caput, in Paradiso terreno; vt otiosus esset; sed c *vt operaretur, & custodiret illum:* neq; Prælatum ponit in Paradiso Ecclesiæ suæ, aut Religionis, vt otiosus maneat; sed vt laboret, & animas colat, ac diligenter custodiat. Operarius est Prælatus, & quasi conductor: cui Christus Dominus Noster vineam Ecclesiæ suæ commendat, locat: vt eam fodiat, putet, & ita excolat, vt fructus proferat, eamque custodiat ne vulpes, aut aliæ feræ eam destruant. Necesse itaque est: eum ad laborandum esse propensum, si velit bonam eius rationem reddere: si enim sit ignarus, eius familia erit sicut d *ager hominis pigri, & sicut vinea viri stulti*, de qua Salomon dicit, *quod eam repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.* Euenit quoque ei; quod in libro Canticorum dicitur: e *posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui*: quia somno indulsi, & laborare recusaui.

Est etiam Prælatus Pastor, vt videmus: quod munus magnam exigit vigilantiã & sollicitudinẽ: quod insinuauit Apostolus, cũ dixit: f *qui præest in sollicitudine*: hoc est, qui gubernat alios valde debet esse sollicitus: quia gubernatio varia complectitur ministeria, quæ impossibile est bene exercere, nisi ei, qui ad laborandum sese applicet. Cùm autẽ omnes debeat exemplo suo præcedere: labor eius debet esse duplicatus: nam facere debet, quod reliqui omnes faciunt vt Christiani hominis obligationes perfectè adimpleat, & præter illas habet etiam speciales & Prælati proprias, sicut Sanctus Apostolus dicebat g *abundantius illis omnibus laborani.* Accedit, quòd Prælati officium non est, vt sit Dominus; sed omnium seruus: seruus autem non est domi, vt otietur. h *Cùm essem liber* (ait idem Apostolus) *omnium me seruum feci, vt plures lucri facerem.* Qui enim subditos suos vult Christo lucrari: debet omnium fieri seruus, impẽdendo se in audiendis, consolandis, docendis, exhortandis, cõponendis eis; & in subueniẽdo eorũ necessitatibus; mortificando & abnegãdo proprium suum amorem, & faciendo contra suum palatum millies, tanquam seruus, vt seruiat, & adsit consolationi, & necessitati subditi. Hic spiritus fuit illius Domini, qui è cælo (vt ipse dixit) i *non venit ministrari, sed ministrare.* Et cum cœpit officium exercere Pastoris, semper fuit in continuis laboribus & peregrinationibus per totam Iudæam, & Galilæam; cũ magna defatigatione noctu orando, in die docendo, disputando, prædicando, omnes adiuuando. Tam multa autem faciebat: vt non vacaret illi k *neque panem manducare*, nec vllam habere quietem. Ad cuius imitationem dicebat Apostolus Timotheo Episcopo: l *vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ,*

b 1. *Tim.* 3. 1. C. 3.

c *Genes.* 2. 15

d *Prouerb.* 24. 31.

e *Cant.* 1. 6.

f *Rom.* 12. 8.

g 1. *Corint.* 15. 10.

h 1. *Cor.* 9. 19

i *Matt.* 20. 28.

k *Marc.* 6. 20.

l 2 *Tim.* 4. 5

gelistæ, ministerium tuum imple. Attende; vas paruum modicâ aquâ repleri magnum autem, multâ opus habere: ita ministerium paruum paucis operibus adimpletur; cum verò adeò est magnum, quantum est Prælati non potest impleri nisi multis operibus, & quidem glorioſis. Qui, cùm non habeat ſtimulantem: neceſſe eſt, vt ipſemet ſeipſum ſtimulet: m vade (inquit Salomon) *ad formicam ò piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem: parat in æſtate cibum ſibi.* Quæ ſententia præcipuè pertinet, ſtrictiusque ligat Prælatos & gubernatores. Subditi enim, ſi otiantur, habent ſuper ſe ducem, Magiſtrum, & gubernatorem: qui ipſos reprehendit, exhortatur, & ſtimulat, & cogit laborare, quando opus eſt: Capitaneos autem, Magiſtros, Principes, & Prælatos, non habentes alios ſe ſuperiores, quis ſtimulabit? aut laborare coget, ſi otio delectantur? Diſcant igitur à formicis, & laborent ſponte, etiamſi nullus alius ad id vrgeat: ſit illis ſtimulus timor Dei, & n *charitas Chriſti*, quæ (vt ait Apoſtolus) *vrget nos*, ad quemcunque ſcilicet laborem, eius obſequij cauſa ſubeundum. Omnibus his nominibus, & rationibus laudat Chriſtus D. N. Epheſinum hunc Epiſcopum: quia omnes illæ ſunt propriæ officij ipſius. *Scio*, inquit *opera tua, & laborem tuum*, non quacunque cognitione, ſicut ſcio mala opera, & labores peccatorum; quos ferunt, dum ſuo palato ſatisfaciunt; ſed cognitione approbationis, qua & ſcio, & probo laudoque opera tua bona, vtiles labores.

m *Prou. 6. 6*

n 2. *Cor. 5. 14*

§. I.

OPERÆ PRECIVM tamen erit breuem hic texere Cathalogum operum ſpectantium ad Prælatos Eccleſiarum, ac Religionum, in quibus oſtendere debent ſolicitudinem & feruorem erga ſuos ſubditos: ſuppoſitis tamen operibus ſpectantibus ad propriam ipſorum perfectionem, quâ Chriſtiani ſunt. Hæc opera reduci poſſunt ad duos ordines ſiue duo capita. Quædam enim opera ſunt ſecreta, & interna, quæ ſeorſim & priuatim fiunt; alia ſunt externa, præſtanda erga omnes ſubditos vniuerſim, & erga ſingulos in particulari: & vtraque ſunt neceſſaria ad bonam gubernationem & implendum ſuum officium. *Prima* opera ſunt, *lectio, conſideratio, & oratio* in ſubditorum bonum directæ. LECTIO (quam Apoſtolus Epiſcopo Timotheo commendat, dicens: a *attende lectioni*) præcipuè eſſe debet librorum, qui docent obligationes & modum perfectè gubernandi; & reliqua quæ paulo poſt ſubijciemus, tanquam argumentum Conſiderationis. Omitto lectionem & ſtudium aliorum librorum piorum, ac doctorum quoad eum gradum, quo illos legere eſt neceſſe ad exercenda miniſteria docendi ac prædicandi. Quæ tamen lectio ita moderatè eſt accipiendo, vt non ſibi totũ tempus aſſumat; auferat verò præcipuum gubernationis ſtudium. CONSIDERATIO præcipuè debet eſſe rerum omnium pertinentium ad

a 1. *Timoth. 4. 13.*

Eccle-

Ecclesiæ aut communitatis sibi commissæ statum, & ad cõscientias subditorum; vt exactè teneat modum & rationem gubernandi: attentiùs apud seipsum cogitando, quid cum illis agere debeat. Hæc consideratio adeò est à Sanctis Patribus commendata, vt Sanctus Bernardus quinque libros, quos ad Papam Eugenium scripsit, in quibus illum instruit ac dirigit in rebus ad eius gubernationem spectantibus, inscripserit: *De consideratione*: eò quòd illa ex parte nostra sit præcipua radix cum Diuina gratia, ad rectè expedienda negotia. Et ita ait: *si quod vitiis; & sapu totum das actioni, considerationi nihil, laudo te: in hoc non laudo. Certè neque ipsi actioni expedit considerationi non præueniri.* Non enim actio rectè fiet, nisi consideratione modum præuideris eam agendi. *Cõsideratio*, inquit *ipsius quoque actionis partes benigna quadam præsumptione suas facit, præagendo quodãmodo, & præordinando quæ agenda sunt.* quasi qui prius apud se facit, quod postea est facturus exterius; aut quasi prius delineans ædificium, quam illud exterius exstruat; aut qui spiritu deambulat stadium, priusquam in eo reipsa currat. Ac propterea Salomon dixit: b *palpebræ tuæ præcedant gressus tuos*: priùs scilic. oculis lustrans locum in quo sis pedes positurus. Huc accedit quòd Consideratio sit Dux prudentiæ, quæ omnes familias, omnes Ecclesias, & Prouincias gubernat: adiuuans illam vt præterita recogitet, præsentia intelligat, ac de futuris habeat prouidentiam. Præfert ei lumen in rebus iudicandis, ordinandis, consultandis, & exequendis: *Hæc*, inquit, *regit affectus, dirigit actus, excessus corrigit, componit mores, vitam ordinat, & cognitionem harum ac Diuinarum rerum præbet. Hæc res faciendas disponit; tam factas examinat: vt nihil mali incorrectum maneat, nec fiat quod est correctione dignum.* Et indicans ipsi Et genio Papæ ea quæ sunt consideranda, ait esse quatuor: *Primum*, quod intra ipsum est: vt seipsum cognoscat, & vitã suam rectè componat. iaciens fundamẽtum profundæ humilitatis. Et de his agit in primo libro. In aliis tribus explicat: qua ratione ea cognoscere debeat, quæ habet sub se aut prope se: hoc est, quæ pertinent ad subditos & domesticos, ad Ministros & socios, quorum opera in sua gubernatione vtitur. Et hinc ad considerationem ascendit rerũ, quæ sunt super se, magnalium scilicet Dei: vt illum amet, eique, vt par est, seruiat. De quibus agit in vltimo libro. Quę quatuor considerationes esse debent sicut c *quatuor alæ* mysticorũ *animalium* Ezechielis, quarum *duæ tegebant corpora eorum*, duabus autem volabant: modò ascendentes, modò descendentes. Duæ enim considerationes rerum ad subditos spectantium vsui sunt ad regendũ, protegendũ, ac defendendum corpus mysticum Ecclesiæ, aut Religionis, aut Congregationis, quæ ipsius curæ est commissa: aliæ verò duæ cognitiones, suiipsius, ac Dei seruiunt ad volandũ maiori velocitate per orationem, & contemplationem rerum omnium obsequij Diuini.

Pater noster S. Ignatius valdè eam commendat P 9 Constit c 6. §. 3 lib. 1. de cõsiderations.

b *Prou. 4. 25*

c *Ezech. 1. 11. 23.*

C. 1. huius Tract. Exo. 28.12.21.29

Opusc. de sex alis Seraph. c. 7.

SED veniamus ad considerationem rerum ad subditos pertinentiũ quæ magis spectat ad scopum nostrum. Hęc, inquam, non debet esse in specie tantùm, & in confuso omniũ simul subditorum; sed valde distincta & particularis singulorum: & nominatim in gubernatione Religiosa. Cuius figura præcessit in delineatione illa, quam Deus fecit, constituens (vt suprà diximus) vt Summus Sacerdos, etsi super humeros portaret nomina duodecim Tribuum Israel simul scripta in duobus pretiosis lapidibus, sex scilicet in vno, & sex in altero: in pectore tamen eadem nomina distinctiùs sculpta portaret, singula scilicet in singulis preciosis lapidibus seorsim dispositis ordine suo, ternis & ternis in quatuor lineis. Ex qua figura intelliget Prælatus: debere se præ oculis Considerationis omnes suos subditos ita distinctè gestare, vt quæ ad singulos spectant, particulariter agnoscat, ordine suo considerans res singulorum, iam horum, iam illorum. Pectorale autem, siue locum, in quo nomina erant scripta, vocabatur *Rationale Iudicij*. Quo significabatur: superiorem animæ partem, quâ *rationem* appellamus, debere magna Consideratione res omnes singulorum aspicere, vt rectum de eius iudicium ferens, subditos, quorum gerebat curam, prudenter gubernaret. Res considerandas reducit S. Bonauentura ad quatuor quasi capita, significata per quatuor ordines, in quibus Tribuum nomina distributa erant. *Primum* considerare debet Prælatus malas vniuscuiusque naturales inclinationes, & passiones, ac vitia: tentationes, scrupulos, & morbos spirituales, eorum radices & occasiones, vt eas remoueat; & quænam sint remedia: vt ea applicet, diligenter cõsiderans tempus, locum, modum, & opportunitatem, quibus corripiat, aut puniat; & alia adhibeat antidota. *Deinde* bonas etiam consideret propensiones, & qualitates vniuscuiusque; virtutes ac bona exercitia; & quo profectu in eis progrediantur: vt in omnibus eos diligat: simulans negligentem, & continens nimis festinantem: & omnibus constituat gressum accommodatum, vt in sanctitate crescant. Et quoniam aliqui videntur esse boni, cùm re ipsa sint improbi: considerare debet & excogitare, sicut Ephesinus hic Episcopus, modum aliquem, quo possit eos tentans, & probans, proferre in lucem quod intùs latet. *Tert.* considerare debet res corporales ac temporales singulorum, ac totius communitatis, cuius curam gerit. Ex bona enim vel mala corporis dispositione pendet interdum bona etiam aut mala dispositio animæ, & defectus aut nimia abundantia bonorum temporalium solet esse occasio augmenti, aut imminutionis in bonis spiritualibus. Et quoniam totum id incumbit Prælato, debet ipse oculos suos ad omnia conijcere: attendens in subditis eorum sanitatem & infirmitatem; magnas aut exiguas vires, aut facultates; & omnes necessitates ac defectus, quibus premuntur: vt omnibus prospiciat optimo quo poterit modo.

Qvarto expendet diligenter ordinem, quem precioſi hi lapides inter ſe habere debeant in bonum totius communitatis, cuius ſunt partes, Attendendo, quam inter ſe charitatis vnionem ſeruent; & an aliquid ſit quod adferat diſcordiã, & zizania inter ipſos excitet; & an aliquis ſuum deſeret locum, & ſtationem; aut velit alium ex ſua ſtatione extrudere, ex inuidia aut ambitione, aut priuatis alijs, amicitijs, in detrimentum aliorum. Attendat: quomodo ſuum munus obeant, qui primum locum tenent inter precioſos iſtos lapides; & quomodo eis ſeſe ſubmittant, qui tentent locum inferiorem, attendendo officio & miniſterio ſuo.

In eadem conſideratione recollecta debet dirigere & conſtituere officia, occupationes, ac miniſteria ſuis ſubditis diſtribuenda: examinans ſingulorum dotes, ac talenta; & onus, quod illis imponere cogitat: vt ſit proportionatum iuxta illud, quod Scriptura dicit, quod Summus Sacerdos: d *Aaron & filij eius intrarent in Sancta ſanctorum*, & perpenderent quæ ibi eſſent, vt ea Leuitis diſtribuerent: nam *ipſi*, inquit, *diſponent onera ſingulorum, & diuident quod portare quis debeat.* Quatuor his Conſiderationibus adhibitis, perfectè implebit Prælatus quod Salomon dixit. e *conſidera greges tuos*, diligenter attendens omnia, quæ ad bonum ouium tuarum ſunt neceſſaria; & quod dixit Eccleſiaſticus: f *curam illorum habe: & ſic conſidera*, quid tibi cum illis ſit agendum.

Ad has conſiderationes bene peragendas, & ad ipſam bonam gubernationem multum iuuant duæ illæ, quas S. Bernardus poſuit rerum quæ ſunt intra ipſum, & ſupra ipſum. Conſideratio enim, ſuique ipſius cognitio non ſolum humilitatem gignit; ſed modum etiam præbet, quo ſe habeat erga proximos, iuxta illud Eccleſiaſtici: g *intellige quæ ſunt proximi tui ex teipſo*: vt quemadmodum velles tractari & gubernari cum ſuauitate, charitate, & obedientia: ex hoc diſcas etiam ſubditos tuos gubernare, ſubueniens eis in eorum neceſſitatibus, ſicut tu velles tibi in tuis ſubueniri. Conſideratio etiam & cognitio Dei non ſolum amorem, reuerentiam, & obedientiã generat: ſed etiam docet modum agendi iucundum, ſuauem, efficacem, ac prudentem in gubernando, ſicut ipſemet Deus gubernat. Et qui iuxta has duas regulas alios gubernauerit: non errabit in ſua gubernatione. Exquo fit vt duabus his conſiderationibus Deus D. N. Prælatos inducat in cellam; in qua (vt ait S. Bernardus) eos docet, *vtiliter præeſſe*. Quemadmodum eiſdem inducit ſubditos in alternam cellam in qua docet humiliter ſubeſſe. Et eiſdem regulis inducit eos in cellam precioſorum ſuorum vinorum, vbi communicat affectus feruentes amoris & zeli; & prudenter ordinat in eis charitatem. Eædem conſiderationes etiam inducunt, ad feruenter orandum pro ſubditis. vt enim ait P. N. S. Ignatius: officium Superioris eſt, in primis oratione & ſanctis deſiderijs

d *Num.* 4. 19

e *Prouerb.* 27. 23.

f *Eccleſ.* 32. 2 *Alia lectio habet: Et ſic conſide.*

g *Eccl* 31. 18

Serm. 23. *in Cantica.*

4. *parte conſtit. c.* 5.

totam domum velut ſuis humeris ſuſtinere: agendo ſcilicet cum Domino noſtro de omnibus, quæ ad ſubditorum gubernationem pertinent; proponendo in Diuino eius conſpectu omnes eorum neceſſitates eo modo, quo eas conſiderauit; & ſuppliciter orando, vt eas reparet, & ipſum iuuet ad cooperandũ. Meminerint: ſummũ Sacerdoté antiquũ, cùm in Sanctũ ſanctorum ingrederetur, oraturus & Sacrificium pro populo oblaturus portaſſe (vt paulò antè dicebamus) ſuper humeros ſuos nomina duodecim Tribuum h *coram Domino ob recordationem*: vt ſcilicet eorem recorderetur, cùm eſſet in conſpectu Dei, & auxilium peteret ad onera ſui officij portanda. Diſtinctiùs autem eadem nomina *portabat ſuper pectus ſuum, cum ingrediebatur ſanctuarium, memoriale coram Domino in æternum*: offerens illa Deo in ſuis orationibus, & ſacrificijs, cùm magis paticulari diſtinctione: vt Deus, eorum memoriam etiam haberet, & faceret eis bene. Hunc igitur in modum eſt proprium munus Prælatorum, ingredi Sanctuarium: non tantùm ſemel in anno, quod faciebat Sacerdos ille antiquus; ſed quotidie, aut valde frequenter: ad offerendum Sacrum Miſſæ officium pro ſuis ſubditis; & colligendum ſe ad intimum receſſum ſui oratorium, offerendasque cum magna inſtãtia orationes ſuas pro eis, donec exaudiantur; & impetrent, quod intendunt: i *omnis namque Pontifex* (ait Apoſtolus) & Prælatus *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deũ*. Neq; exiſtiment ſubditi: ſubtrahi ſibi illud tẽpus, quod in hoc expenditur; ſed perſuadeant ſibi potius pro ipſis impendi, neq; minus tunc eos gubernare, quàm cùm prodit ad agendum cum ipſis: ibi enim diſcit ipſe & accipit, rectitudinem & efficacitatem gubernationis. Ac propterea in libro Canticorum: k *ſponſus adiurat filias Ieruſalem* animas ſcilicet ſubditorum: *ne ſuſcitent, neque euigilare faciant dilectam* ſponſam ſuam, hoc eſt animam Prælati, *quo aduſque ipſa velit*. Somnus enim ille orationis & contemplationis etiam eſt ipſis ſubditis vtilis. Et (vt S. Bernadus ait) cùm viderit, tempus eſſe opportunum, ipſemet excitabitur, & accedet ad ipſos cõſolandos, & adiuuandos. Quamuis in rei veritate ita l *dormitat, & cor eius*, etiam dum ibi manet, *vigilet*, oretque pro ſuis ouibus, etiam cum illæ dormiunt, & requieſcunt: ſicut boni illi m *Paſtores*, de quibus ait S. Lucas, quod *eſſent vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum*. Qui propterea digni ſunt, quos *charitas Dei* circumfulgeat, & Angelus Domini illuſtret, doceatque ea, quibus indigent ad ſuum officium bene præſtandum.

h *Exod.* 28. 29.

i. *Hebr.* 5. 1

k *Cant.* 2. 7

Serm. 52 *in Cantica.*

l *Cant* 5. 2.

m *Luc.* 2. 8.

§. II.

AB HIS internis operibus iam dictis tranſire debet Prælatus ad externa opera erga ſubditos: ea in primo loco ponens, quæ in communi ad omnes pertinent: ſtudens eis intereſſe, & quidem primus,

præce-

præcedens eos exemplo suo, , sicut Pastor cum proprias oues emittit: a *& ante eas vadit*, aut sicut b *aquila expandens alas suas, & pullos suos ad volandum prouocans*. Notabiliter enim animantur subditi, cùm vident Prælatos talia opera cum ipsis facere. Et si Prælatus arduum aliquod opus aggredi statueret, ad quod multi deberent concurrere: nullum esset efficacius medium, ad rem facilè expediendam, quàm quod ipse primus manum admoueat. Eum in modum, quo Dux ille c *Abimelech*, volens quoddam Propugnaculum expugnare, *ascendit in montem cum omni populo suo, & arrepta securi, præcidit arboris ramum; impositumque ferox humero, dixit ad socios: quod me videtis facere, citò facite. Et ita certatim ramos de arboribus præcidentes, sequabantur Ducem*: gloriæ & honori sibi tribuentes, quòd facerent idem, quod ipse Dux faciebat. Nullus enim subditus potest iure dedignari facere, quod suum videt facere Prælatum; neque cum tædio faciet, quod eum videt facere feruenter, & hilariter. Præterea pertinet ad Prælatum, duplicem pastum suis ouibus præbere; Sacramentorum scilicet, & Sacrificiorum; ac doctrinæ in concionibus & exhortationibus spiritualibus, ad eos feruore inflammandos: obseruatis tamen documentis circa hoc iam traditis, & inferius adhuc tradendis, cùm sexta Epistola Apocalypsis explicabitur. Sed quoniam communes exhortationes nõ possunt esse ad singulorum capacitatem & necessitatem adeò aptæ: debet Superior intelligere: non esse minimum sui officij opus, præcipue in Religionibus, agere in particulari cum singulis; & audire eorum tentationes, & querelas; eos consolari, erigere, & in omnibus eorum rebus rectè dirigere: talia viscera charitatis & commiserationis ei ostendendo, vt confidenter totam conscientiam suam ipsi aperiat: vt S. Gregorius his verbis monet: *talem se, qui præest, exhibeat: cui subiecti quique occulta quæque sua prodere non erubescant*: vt cum tentationum suarum fluctus paruuli tolerant: ad Pastoris mentem quasi ad matris sinum recurrant, Et hoc, quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus præuident, exhortationis eius solatio, & lacrymis orationis lauent. Ad quod plurimum iuuabit, quod tertio tractatu dictum est de charitate, qua Confessarij agere, & excipere debeant pœnitentes Sed vlteriùs progredi debet charitas Prælatorum: si enim viderint aliquem subditorum aberrantem, & euitantem proprium pastorem, studere debent, eum quærere, vocare & quasi dissimulanter ei occurrere, aut etiam ad eius domum venire, & sic remouere ab eo pudoris velum: vt sponte, & libenter res suas ipsi communicet, cupiens sanitatẽ recipere. Debet etiã Prælatus & Prædicator (vt ait S. Gregorius) esse sicut g *aquila* illa generosa, de qua Deus dixit Iob: quod cum *in arduis ponat nidum suum, inde contemplatur escam: & vbicunque cadauer fuerit, statim adest*. cadauer est peccator; & aquila in arduo & excelso suo nido, est

a *Ioan.* 10 4
b *Deut.* 32.
"
"
"
c *Iudicum* 9.48.

2. P. *Pastor.* c. 5.

C. 9.

Lib. 31. *Moral.* c 22.
d *Iob.* 39. 7.30.

Prælatus

Prælatus in suo præcelso statu. Qui tamen statim atque subditum videt culpa mortuum, magno feruore ac festinatione ad eum descendit; & fame, qua laborat, salutis suorum subditorum, procurat eum comedere vt incorporatum viuo Ecclesiæ corpori viuificet. *Esca* quippe, inquit, *filiorum est conuersio peccatorum.* Nec vllus cibus Prælato iucundior & gratior esse deberet, quàm anima subditi, culpa aliqua iam demortui. Denique statuat apud se Prælatus, se esse fideiussorem singulorum subditorum in omnibus obligationibus, quibus illi tenentur: ac proinde debere ipsum eos vrgere, & iuuare in omnibus actionibus, quibus officium suum explet: memor eius quod dixit Salomon: e *discurre, festina, sollicita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis,* nec eum patiaris dormitare. Exhibe ei quæcunque charitatis & amicitiæ opera poteris: exhortare eum ad pœnitentiam, orationem, eleemosynas, & omnes virtutis actiones; eo nomine vt ipse quod debet reddat, hoc est suis obligationibus satisfaciat; & sic tu onus deponas pro illo satisfaciendi.

e *Prou. 6. 3.*

HAEC sunt illa opera, quæ Christus Dominus Noster approbat, cum dicit: f *Scio opera tua, & laborem & patientiam tuam.* neque est exiguum motiuum, ea opera magno cum feruore exercendi: quod credat Deum ea videre & approbare; & tanquam iudicem eadem remuneraturum; & tanquã Patrem ac protectorẽ Omnipotentem commiserationem habiturũ laboris ac sudoris nostri; & præbiturũ auxilium; vt ille sit vtilis, & ipse illum remuneret in præsenti, & futura vita. Ipse enim dixit g *dignum esse operarium mercede sua.* Quę verba Sanctus Gregorius interpretatur de duplici præmio & mercede: altera quæ dabitur in cælo tanquam præmium; altera in terra, ad sustentationem ipsius operarij: quales sunt Decimæ, stipendia, & Redditus Ecclesiastici, de quibus postea dicemus. Et hæc merces est nouus alius titulus obligans Prælatos & Ecclesiasticos ad non ociandum, sed laborandum in suis officijs: ne indignos se reddant stipendio quod accipiunt; & infideles euadant contra dantem illud, eo fine vt laborent: Quemadmodum perpendit ac deflet Sanctus Gregorius, dicens: Quid nos, ô Pastores, agimus, qui & mercedem consequimur, & tamen operarij nequaquam sumus? Fructus quippe Sanctę Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus; sed tamen pro æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus. Pensemus cuius damnationis sit, sine labore lucri percipere mercedem laboris. Cùm igitur à fidelibus subditis oblationes ac dona accipiamus: laboremus semper in bonum animarum eorum, & Dominus nobis dabit non solum corporis alimenta, sed etiam refectionem & vires spiritus: quia h *dignus,* inquit, *est operarius cibo suo.* Et quemadmodum corpus & anima in hoc opere laborant. ita dat corpori, cibum ne laborando deficiat; & simul animæ dat alimentum, vt laboret viriliter,

f *Apoc. 2. 2.*

g *Luc. 10. 7. Homil. 17. in Euangel.*

h *Matt. 10. 10.*

& cum

& cum sua & aliorum vtilitate; & postea in æterna vita dabit eis vltimũ & gloriosissimum piorum ipsorum laborum præmium. Id enim totum complectitur, quod dixit Deus Sacerdotibus ac Ministris templi sui: i *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito?* Hoc est: nullus est vestrum, etiamsi minimum obeat ministerium, qui gratis tamen mihi seruiat: omnibus enim liberaliter pro labore suo in hac & in futura vita præmium reddo,

i *Malach.* 1.10.

CAPVT XI.

PATIENTIA PRAELATORVM IN TOLERANdis improborum subditorum molestiis: ex eadem prima Epistola.

ALTERA VIRTVS, OB QVAM CHRISTVS D. N. Episcopum hunc Ephesinum laudat, est patientia & tolerantia: a *Scio*, inquit, *laborem & patientiam tuam*, quam laudo & approbo, & in ea glorior; & iterum addit: *patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.* Quid autem mirum, quòd tantam habuerit patientiam, quem Dominus attentè aspiciebat oculis misericordiæ, & ipsemet iuuabat seipsum tunc, faciendo quicquid poterat. Et hoc est quod refert Sanctus Marcus: Christum Dominum Nostrum cùm in monte oraret, eius verò discipuli in mari nauigarent: b *vidisse eos laborantes in remigando: eò quòd esset ventus contrarius eis. Et circa quartam vigiliam noctis venisse ad eos, ambulantem supra mare, & dixisse eis: confidite ego sum, nolite timere*: Et *ascendisse ad illos in nauim, & cessasse ventum.* Quid enim hoc aliud fuit, quàm nos monere, quòd gubernare sæpe idem sit, quod remigare? nec possit Ecclesiæ ac Religionis nauis bene dirigi, nisi magno labore remigando: ob ingentes difficultates, quæ in gubernatione oriuntur ex tribus partibus. *Primùm* ex parte ipsiusmet Prælati, qui est homo carneus, ac proinde defatigatur laborando, & agendo cum tot personis, adeò sibi naturaliter repugnantibus: ex quo mille tædia, tristitiæ, afflictiones ac repugnantiæ oriuntur: contra quas necesse sit remigare. Aliæ proueniunt ab ipsamet naui, & ijs qui gubernantur; grauiter ferentibus, per mare illud nauigare, per quod Prælatus eos ducit; quia vellent aliã tenere viã, magis iuxta suum palatũ. Est autem necesse magnã vim adhibere sicut in remigando: vt illos deducant per viam, qua Deus vult. *Aliæ* difficultates proueniunt à ventis contrariis. qui Dæmonum eorumque ministrorum astutiâ exurgunt. Quis autem poterit innumeras molestias referre, quæ boni Prælati patientiam probant & exercent? Quarum ca-

a *Apocal.* 2.2.

b *Marci* 6 48.

rum catalogum prolixum confecit Sanctus Bonauentura: sed earum tamen maximè sunt onera illa, quæ secundo capite retulimus. Eum premũt curarum & occupationũ multitudo, quæ fluctuum instar aliæ aliis succedunt; spirituales temporalibus; & animarũ curæ, cũ solicitudine reddituũ ad sustentanda corpora, & miserias reparandas. Exercent eundem grauissima aliquorum subditorũ ingenia: qui, vt supra dicebamus, sunt leones, pardi, lupi, & vrsi ex vi constitutionis naturalis. Torpor quoque, & exiguus aliorum profectus; mutabilitas & inconstantia in bono: qua in vna hora amittunt laborem multorum annorum; inobedientia ac resistentia male mortificatorum; ingratitudo multorũ, quibus dum benefacit, reddunt ei malum; vexantes eum suspicionibus, murmurationibus, querelis & malis alijs verbis. Quid autem dicam de occasionibus, quas eis adferunt æmuli & candidati, inuidia in eũ permoti; falsi Magistri, & filij huius seculi cũ suis multis persecutionibus: quæ censẽtur succedere illis, quibus Iudæi, Hæretici, ac Tyranni persequebantur primos Ecclesiæ Episcopos: de quibus sponsa cõqueritur, cùm dicit: c *filij matris meæ pugnauerũt contra me.* Aptè autem (ait Sanctus Bernardus) eos vocat *filios matris suæ*, & non Patris, eò quòd non sint verè filij Dei; sed naturæ, corruptæ culpa & alijs miserijs, quas ab Eua matre sua traxerunt. Contra hos omnes pugnare ac remigare debet bonus Prælatus, quãuis magno labore adhibito ac defatigatione. Accipiens inde consolationem: quod Christus Dominus & aduocatus noster sit in cœlesti monte apud Patrem suum, & inde videat ipsius laborem in remigando: & quãuis interdũ dissimulet, nec solatia sensibilia spiritualiũ feruorũ ei præbeat, vt eius patientiam probet; & ipse labore suo plus promereatur: opportunè tamen veniet super aquas, & hoc modo veniendi docebit eum, ne in mari laborum ac difficultatum submergatur; sed sit omnibus superior in virtute Dei, qui ingredietur ipsam nauim, & expediet omnes difficultates; & imperabit ventis vt quiescant.

AD hæc omnia necesse est Prælatos fortissimam induere loricam patientiæ, ac tolerantiæ in prædictis tribus gubernationis molestijs. Forte enim propterea Christus Dominus ter hunc Episcopum laudauit de patientia & tolerantia, & quòd non defecerint in his laboribus. Persuadeant itaque sibi Prælati, summi momenti esse eis hanc virtutem, orationes superiùs positas de Confessarijs & Concionatoribus: quæ multò maiorẽ locum habent in ipsis: vt qui maiorem Christinam perfectionem profiteãtur: cuius lapis lydius est ipsa patientia. Quę (vt ait S. Iacobus Apostolus) d *opus perfectum habet*: ita vt omnia opera patiẽtia perficiantur. Et cum teneantur bono exemplo esse suis subditis; contendere debent, vt in tolerantia emineant. Nihil enim est, quod ita illos ædificet atque patientia: de qua diximus, quod etiam ipsa miracula & prodigia excellat. e *Patientia*

etiam

Opus. de sex alis Serap. c. 5.

C. 6.

c *Cant. t. 6. Serm. 19. in Cantica.*

Tract. 5 c. 3. & Tract. 6. c. 14.

d *Iac. 1. 4.*

e *Prouerb. 14. 29.*

etiam (vt ait Salomon) *multâ gubernatur prudentiâ* &, si nouit ferre, indicia dat magnæ sapientiæ, & suæ gubernationis fidem consequitur; & vtilitatem, quam ex semente admonitionum & reprehensionum colligere intendit. Nam quemadmodũ subditi, in quos semẽtis illa iacitur, *f fructũ adferunt in patientia* (vt dixit Saluator noster) ita & ipsi Prælati; Et *g Agricula* (vt ait S. Iacobus (*exspectãt pretiosum fructũ terræ, patienter ferentes; donec accipiant temporaneum & serotinum.* Hæc corda expugnat, ac de eis triumphat: quia per eam oues lupos ipsos vincunt, vt suprà est dictum. Ac propterea Salomon dixit: h *meliorem esse patientiam viro forti: & expugnatore vrbium.* Quæ tamen neque sine patientia expugnantur: nam potius i *Romani* (vt ait Scriptura Sacra) *possederunt omnem locum consilio suo & patientia.* Et Prælati per eandem fient Domini suorum & aliorum cordium; &, vt Christus dixit k *possidebunt animas suas.* Denique omnia promissa, quæ facit Deus, adiuuãdi eos viis & mediis mox explicandis, præsupponunt patientiam, quam Apostolus dicit esse l *necessariam ad reportandas promissiones.* Contrà verò Prælatus impatiens, facit se detestabilem & contemptibilem: m *Impatiens* enim (vt ait Salomon) *exaltat stultitiam suam*, suæq; virtutis defectum manifestat; subditos scandalizat, affligit, & à se fugat: quia nõ audent cũ ipso agere, timentes aspera illius responsa, ac dicentes: n *ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.* Adeò vt quamuis res valde sit necessaria, etiam ipsimet Prælato: timent eam ei indicare, eò quòd offẽdat, se grauiter ferre quod dicitur. Ex quo fit vt o *turbet domum suam*, & (vt ait Salomon) excitet in ea & *possideat ventos* murmurationum, ac dissensionum: quibus tota domus est plena: quia quisque remedium quærit proprium, etiamsi per media prohibita: ne cum eo agant, qui tam duriter cũ ipsius agit. ideoq; optant, & student mutare Prælatum: nã *spiritũ ad irascendũ facilem, quis poterit sustinere?* aut quis poterit habitare cũ Prælato furioso? Necesse certè est subditũ esse valde perfectũ: qui Prælatũ fecerat adeo imperfectum. Cũq; plura à Prælato in hoc genere sint exigenda, quã à subdito: æquum est Prælatum induere heroicam patientiam, ad dissimulandas ac tolerandas imbecillitates, & impatientias subditi: ne deserat Ecclesiam sibi à Deo commissam: etiamsi Sathan sedem suam in ea locet; ipsumque persequatur: Dominus enim vult, vt eam Prælatus non deserat: vt apparebit ex iis, quæ scripsit in tertia Epistola ad vnum ex his Episcopis. Non paueat, nec fugiat officium ob graues subditorum mores: pro talibus enim necessarius est bonus superior. Si Magister virtutum expellit à se ignaros & vitiosos: quem docebit? si medicus fugit ægrotos, cui medebitur? Si Dvx belli pugnæ se subtrahit: quomodo victoriam cum gloria obtinebit? Si mercator negociationẽ, ex qua ingens lucrum habere potest, intermit

f *Luc.* 8. 16.

g *Iac.* 5. 7. C. 4.

h *Prouerb.* 16. 32.

i *Malach.* 3. 3.

k *Luc.* 21. 19 l *Hebr.* 10 36.

m *Prouerb.* 14. 29.

n 1 *Reg.* 25. 17.

o *Prouerb.* 11. 29.

pc. 8. 14. *Ex Bonauẽtura supra.*

tat, aut deserat: quomodo locupletabitur? Non rectè facis (dixit S. Bernardus cuidam Abbati cupienti officium deserere propter subditorum repugnantiam) nam *in quantum grauaris, in tantum lucraris: & in quantum tuaris, in tantum tibi tua præmia minuis*: & quò grauiùs est onus, eò amplius adfert lucrum. Boni subditi alleuiant onus: sed etiam imminuunt meritum: parum enim habes, quod agas, aut patiaris in eis gubernandis; insolentes autem subditi, vt laborem augent, ita & meritum & occasionem tibi præbent euadendi in virum valde Sanctum. Ac propterea permisit Christus D. N. inter suos duodecim Apostolos esse vnum Iudam, qui ipsum exerceret: vt sic exemplo esset charitatis, patientiæ, & humilitatis Prælatis ipsis. cum ea illis euenit sors, vt malos aliquos habeant subditos: quos studeant patienter ac dextre emollire, & bonos reddere: q *confortamini*, inquit, Deus, *& dissoluantur manus vestræ. erit enim merces operi vestro*. Manus Prælati (ait Bonauentura) sunt diligentia in agendo; & patientia in tolerando: hæ debent semper esse eleuatæ in bonum subditorum, & Dominus eorum labores remunerabit. Quòd si subditi fuerint ingrati: in eo Prælatus consolationem suam ponat: quod Deus obsequij ipsius non obliuiscetur. Et intelligat: eum hanc ingratitudinem permittere, ne ipse ob humanos respectus laboret; sed propter ipsum Deum: cùm videat malè sibi ab hominibus retribui. Si quando aduertit turbationem & rebellionem inter suos: ne manu, vt dicitur, armata, & violenter aggrediatur, vt eam sopiat: sed mollia prius adhibeat media, & patienter agat: sicut Gedeon qui blandis & mollibus rationibus r *requiescere fecit spiritum virorum Ephraim, quo tumebant contra eum*. Quod si subditi furiosos se exhibeant in corripientem: ne rationibus cum eis contendat; sed mansuetudinem induat: nam vt sapiens dixit: s *responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem*. Quare si de ipso murmurent: taceat vsque ad suum tempus; aut sui rationem tranquille, & pacificè reddat: sicut fecit: t *Paterfamilias* ille *cum operarijs murmurantibus, quòd nouissimos fecisset ipsis pares, qui diutius laborauerant*, vt suo loco diximus. Quod si adhuc importuni, & pertinaces essent: non descendat ad contentiones, quæ maiores proferunt discordias; sed tunc quidem dissimulet, vt magis opportunè feliciùs rem peragat, etiam premendo magis: u *Episcopum* (ait Apostolus) *oportet non esse litigiosum, non percussorem, sed, modestum*, x *non iracundum*, sed pacificum; nec vnquam ostendere, quòd aliquid faciat, quasi in vindictam: etsi enim Zelo iustitiæ aut pietatis aliquid faciat; nullum tamen vindictæ genus admittere debet; memor admirandi illius exempli, quod refert Sanctus Dionysius de Sancto Carpo Episcopo, qui adeò iratus est in quendam gentilem, qui peruerterat Christianum quendam: vt à Deo peteret vindictam.

Epist. 73.

q 2 Paralip. 15. 7.

r Iudi. 8. 3.

s Prou. 15 1.

t Matt. 20. 12.

Tomo 2. Tract. 3. c. 13

u 1 Tim. 3. 3.

x Titi 17.

Epist. 8. ad Demophilū.

Qui

Qui statim fuit spiritu raptus, & vidit duos homines iuxta quendam profundissimum puteum, iamiam in eum ruituros: ex quo quidem serpentes prodibant, & eorum pedibus sese implicabant, vt eos deijcerent. Cumque Episcopus id libenti animo videret; & optaret vt omnino ruerent: eleuauit oculos in cœlum, quod vidit apertum, & Christum D. N. multis millibus Angelorum stipatum. Qui immensa sua charitate, & mansuetudine descendit è cælo, vt miseris hominibus auxilium adferret; manumque suam porrigeret, ne in puteum ruerent, accurrentibus etiam Angelis ad illos retinendos: Conuersus autem ad Corpum dixit: *Percute aduersum me*, & vindictam sume in me: paratus sum enim iterum mori pro salute hominum, & vt à peccatis recedant. Tu autem attende, vtrum tibi melius sit in hoc puteo cum serpentibus manere; an in comitatu Dei & eius Angelorum, qui sunt clementes? Sic enim ei insinuauit, quòd vindictæ desiderium eum præcipitaret in infernum; mansuetudo autem, & clementia deduceret ad cœlum; & quod Deus oderit Prælatos furiosos, ac vindictæ cupidos; diligat verò patientes & mansuetos. Et hoc insinuauit Christus D. N. duobus discipulis dicentibus ei: y *Domine: vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat hanc ciuitatem* quæ te *non recepit*? *Ipse autem respondit eis: nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare*: necita gubernare debetis alios, quasi flammas iræ ex ore proijciatis; sed amoris, & visceribus commiserationis tolerare illatas vobis iniurias, & opprobria. Hoc idem intendebat Christus, cùm in nocte suæ passionis dixit S. Petro, educenti gladium & percutienti Pontificis seruum: *mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater. non bibam illum*? Docere enim voluit: neminem vindicare debere iniuriam authoritate propria. Et quamuis sit Princeps aut iudex: non debet cum ira & rancore gladium educere, vt illatam sibi iniuriam vlciscatur. Quare nec Prælatus materiali gladio vti debet ad hanc vindictam; sed quisque, quod ad se attinet, bibere debet calicem laborum occurentium, cum magna patientia.

y *Luc.9.54*

Ioan.18.11. Matth.26. 52.

(*.*)

CAPVT XII.

NEQVE DESERENDI SVNT MALI SVBDITI, nec ferendæ eorum improbitates & scandala, sed magno zelo corripienda & punienda.

NE AMOR PATIENTIÆ PRAELATO SIT ALICVIVS deceptionis occasio, ferenti quæ non sunt ferenda: admonuit Christus D. N. huic Epistolæ magnam huius Episcopi laudem, dicens: a *non potes sustinere malos.* Etsi enim molestias & importunitates toleres: non vis tamen iniquitates eorum, & iniurias contra Deum ferre. Vt huius laudis præstantia bene percipiatur, supponendum est: non esse parum solatium gubernatoribus Ecclesiarum, & Religionum, & quarumcunq; cõmunitatum, quod intelligant: absque propria sua culpa posse esse in eis aliquos subditos improbos & scãdalosos. Cum enim sint liberi, prauasq; habeant propensiones; resistunt Deo, bonisque eius ministris, volentes potiùs aberrantia sua iudicia & sensuales voluptates sequi. Ideoque in septem hisce Asiæ Ecclesijs, etiamsi appellétur candelabra aurea, & Christus ipse in medio earum versetur: erant tamen multi improbi. Et quid mirum, cum in ipso initio fuerint tales in Ecclesia, & religione Angelorum; imò & in ipsa schola Christi inuentus sit vnus Iudas? & ex septem Diaconis, quos Apostoli elegerunt, prodiit quidam Nicolaus, à quo duxerunt originem hæretici Nicolaitæ, quorum frequens fit mentio in his Epistolis. Verum est tamen, quòd sub Prælatis ignauis ac negligentibus multum augeatur improbitas subditorum. Ac propterea dixit ipse Saluator in quadam parabola: b *quod cum dormirent homines, hoc est Prælati, venerit inimicus & superseminauerit zizania in medio tritici:* malos scilicet inter bonos. Sed & Sathan adeò est subtilis: vt etiam vigilantibus hominibus sæpe illa superseminet: illis vel non aduertentibus, vel etiam aduertentibus, in ipsorum despectum: eò quòd ipsius subditi eius admittant suggestiones, quibus eos tentat & stimulat.

a *Apoc.* 2.2.

b *Matth.* 13. 2.5.

§. I.

INTER alios tamen improbos subditos illi sunt pernicioſissimi, quos scãdalizãtes appellamus: improbâ enim doctrinâ suâ, vitaq; detestãdâ occasionem præbent impingendi & labendi reliquis cum quibus versãtur. Hoc tamẽ interest inter fortes, ac debiles; perfectos & imperfectos: quòd debiles facilè ruũt accepto scandalo; & ita sequuntur malum, quod audiũt, aut vident. Ac propterea nominatim dixit Christus: a *qui scandalizauerit vnum de pusillis istis.* Quo verbo (vt notat S. Hieronymus) insinuauit: scandalum passiuum esse proprium debilium, & in virtute teneroru̇: fortes enim ac perfecti (vt ait S. Thomas (nò accipiũt detrimentum

a *Matth.* 18 6.

ex

ex scandalis, quæ vident; sed potius tristantur, & gemunt, cùm talia vident; & animum assumunt: vt, quomodo possunt, illa impediant. Ex quo prouenit, vt subditi ac debiles studere debeãt, quantum in ipsis erit, fugere societatem & familiaritatem eorum, qui præbent scandala: ne eorum scabies ipsis communicetur. Iuxta illud Apostoli: b *sius qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus* aut scandalum aliud præbens: *cum eiusmodi nec cibum sumere*, nec vllam amicitiam contrahere: c *qui enim tetigerit picem inquinabitur ab ea.* At Prælati, qui meritò debent esse perfecti, non debent hoc nomine fugere subditos, etiam improbissimos valdeq; scandalizantes: potiùs hoc ipsum debet ipsos permouere ad agendum & communicandum cum eis, animo & intentione eos iuuandi, Deoq; lucrandi. Vt enim Christus Dominus dixit: d *non est opus valentibus medicus sed malè habentibus*: quod ipse respondit obijcientibus *quod cum publicanis & peccatoribus manducaret.* Imò etiam à peste hac morum infectis non est fugiendum Prælato: nam corporis quidem pestis potest medicum inficere, etiam nolentem; animæ autem pestis, qualis est peccatorum, non inficiet Prælatum, nisi volentem: nam potius bona sua doctrina & industria impediet scandalum, quod alijs præbent; eosque ad suum reuocabit Creatorem. Et in hunc sensum dixit Sanctus Iob, tanquam suæ Reipublicæ caput: e *frater fui draconum, & socius struthionum.* Nam (vt explicat S. Gregorius) agebat fraternè & familiariter cum peccatoribus; tam cum astutis & pernicioſus, quasi draconibus: quàm cum hyprocritis ac duris corde, tanquam struthionibus: vt eorum animas lucraretur, eosque in viros alios mutaret. Et S. Paulus agebat cum Iudæis, & Gentibus, & omnibus se accommodabat; non in aliquo malo, sed in bono. vt omnes Christo lucrifaceret. Non fugiebat infirmos, sed potius ait: f *factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem:* Meminerint Prælati, quid euenerit Moysi, cum virgam, quam manu tenebat, proiecit in terram, quæ versa est in colubrum, ita vt eam fugeret. cui tamen Dominus dixit: g *extende manum tuam & apprehende caudam eius. Cumque tenuisset eam, versa est in virgam.* si enim Prælatus subditum à se proijcit: quid mirum si is vertatur in colubrum; & ex bono fiat improbus; & adhærens terræ, imitetur mores terrenorum. Quare etsi subditus sit coluber venenatus, non debet Prælatus eum fugere: sed accedere, & ad manum accipere, agendo cum illo in charitate: vt conuertatur, mutando vitam colubri, in rectitudinem virgæ rectæ. Non debet manu accipere, vt coluber maneat, & in suis persistat peccatis: ea enim esset impia amicitia; & periculo se exponeret, ne per eius morsum, veneno mali exempli inficeretur: sed ea Prælato mens esse debet, vt sua industria subditus de-

finat

a 2.2. q. 43. a. 5.

b 1 Cor. 5. 11.

c Eccl. 13. 1.

d Matth. 9. 12.

e Iob 30. 29. Lib. 20 c. 29 Moralium.

f 1 Corinth. 9. 22.

g Exo. 4. 4.

sinat esse quod erat; & rectitudinẽ ac iustitiam amplectatur, quam prius habeat, aut par est habere. Et quamuis huius voti sui compos non euadat: non tamen fuga capienda est, sed ostendendum os colubris, draconibus, & strutionibus; etiam cum ipsum persequuntur, & malè tractãt. Quod si quando fugerit, seseque absconderit (quod Sanctus Athanasius fecit) vt se ad meliorem opportunitatem seruet: nunquam tamen stationem suam deserere debet ex aliqua timiditate, aut pusillanimitate: sed bonos tueri, ne à malis corrumpantur.

h *Psal.1.1.*

i *Apoc 2.12*

k 1 *Ioan.3.8*

l *Matthai 21.12.*

Ibidem.

m *Apoc 2.2*

HINC sequitur quartum documentum, vt cũ Prælati habent pluta loca iurisdictioni suæ subiecta; ad eum citiùs accedant, ac diutius ibi remaneant, in quo scandala magis vrgent: vt eis obuiam eat, & impediat. Sic enim impij ibi in h *cathedra sua sedent*, quam Dauid appellat *pestilentiæ*: eò quòd tanquam pestis, eorum scandalum adhęreat aliis, eosque inficiat. Quum est Prælatum ponere suam cathedram ibi contra illam, vt rectâ solidaque doctrinâ sua refutet ac reiiciat malam, & scandalosã. Quod si i *Sathan sedem suam ponit* in ciuitate quadam, (vt dicit Saluator noster in tertia harum Epistolarum) quia his scandalizantibus, tanquam instrumentis vtitur ad alios corrumpendos, ac peruertendos: iustum est, vt & ipse sedem suam ibidem collocet; vt ei resistat, eiusque conatus impediat, vbi enim maior est necessitas subditorum: debet etiam diuturnior esse Prælatorum mansio & assistentia. Propterea voluit Christus D.N. vicarium suum Sanctum Petrum cum Apostolo Paulo ire Romam, suamque Cathedram ac sedem ibi collocare: eò quòd Sathan ibi habebat Sedem iniquitatis, & cathedram idololatriæ. Et ipsemet Saluator, qui (vt ait S. Ioannes) k *in hoc apparuit* in mundo *vt dissolueret opera Diaboli*) cum cœpit suam prædicationem, erat frequentior in Ierusalem: vbi Scribæ & Pharisæi Cathedras suas habebant, in quibus multos docebant errores, quos ipse dissoluere & solidã veritatẽ docere studebat. In cuius rei signi l *ingressus templum* Ierosolymitanum *Cathedras vendentium columbas euertit*. Vsus autem est Euangelista vocabulo *cathedræ*, ad significandum (vt Sanctus Hieronymus explicat) Prælatos dissoluere & euertere debere doctrinas Magistrorum, qui sunt cupidi, superbi ac deceptores. Qui propter auaritiam aut superbiam suas proferunt phantasias, quasi essent à spiritu sancto per columbam significato. Eiecit quoque ex templo *vendentes, & ementes, & mensas numulariorum euertit*. Quæ tamen ibi habebãtur eo pretextu, quasi ad sacrificia, quæ in templo offerebantur, essent necessaria: vt sic zelantes Prælati intelligant, quod non debeant huiusmodi vitia permittere, quæ pallio quodam virtutum sese contegunt.

HINC orta est alia laus Episcopi huius Ephesini: cùm Christus Dominus Noster dixit: m *tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt; & inuenisti*

inueniſti eos mendaces. Multi enim fingunt ſe Prædicatores Chriſti, qui tamen ſunt Antichriſti Præcurſores: & cum valde ſint improbi, induunt tamen laruam bonorum; & venenum impiæ doctrinæ tegunt ſpecie veritatis Catholicæ, & interiorem improbitatem diſſimulant externa quadam modeſtia: vt ſic decipiant ſimplices, & obtineant commoda ſua terrena, contra quos dixit Chriſtus Dominus: n *attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. à fructibus eorum cognoſcetis eos* & iterum: o *cauete à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis:* & impia eorum doctrina contra veram fidem, aut bonos mores. Quoniam autem ſubditi non ſemper poſſunt per ſeipſos cauere ab huiuſmodi fermento: ad ipſos Prælatos pertinet eos tueri ac defendere p *Quos* (vt Ieremias ait) *Deus dedit probatores in populo robuſtos: vt ſciant & probent; aſtimentque viam Principum,* ſiue magiſtrorum iſtorum *declinantium* à veritate, & *ambulantium fraudulenter,* & populum decipientium: vt ipſi eorum errores, improboſque mores manifeſtent, ac refutent: detrahentes eis ouinam pellem, qua ſe tegunt: vt manifeſtè appareat, eos verè eſſe lupos; & ſic cognitos populus fugiat. Ratio autem & via eos deprehendendi eſt quã ipſe Saluator inſinuauit: *ex fructibus* dicens *eorum cognoſcetis eos.* Quamuis enim illi ſtudeant opera ſua & verba ita componere vt videantur virtutes, & veritates: ſemper tamen dicunt aut faciunt aliquid, ex quo fraus & falſitas deprehenditur. Prælatus igitur lynceos habere debet oculos, quibus ex paucis, quæ audit, aut videt, conijciat ingens malum. Quod latet quemadmodum ait Sanct. Gregorius, Ezechielem habuiſſe viſum perſpicaciſſimum, vt perciperet q *foramen* quoddam paruum *in pariete* templi, per quod *fodiens ingreſſus intus* in templum, *vidit abominationes peſſimas* domus Iſrael. Quid autem eſt fodere parietem, niſi quod Chriſtus Dominus Noſter hic appellat r *tentare eos*? hoc eſt ex ipſorum dictis, aut factis occaſionem aliquam accipere, ad aliquid dicendum, aut faciendum: ex quo illi aperire cogantur, quales ſint (quemadmodum dictum eſt in primo & tertio Tomo. quòd debeant ſuperiores Prælati tentare & probare petentes Baptiſmum, aut Habitum Religioſum) quos vbi deprehenderint, non debent amplius illos ferre nec tolerare; ſed eorum errores ac vita omnibus palam manifeſtare, ne ſubditis noceant. Eum in modum, quo Chriſtus Dominus Noſter magno zelo Phariſæorum vitia publicè oſtendebat, & arguebat; vocans eos s *hypocritas, & ſepulchra foris dealbata, intus verò plena oſſibus mortuorum:* detracta enim larua, & exteriori tegumento: fœditas & fœtor, qui ſtatim apparet, omnes videntes fugere cogit.

Contra omnes hos peccatores oſtendere debet S. Prælatus feruentem ſuum zelum, ſicut Chriſtus dixit huic Epiſcopo; *non poteſt ſuſtinere*

n *Matth.* 7.15.
o *Luc.* 12.1. *Matth.* 16,6.
p *Ierem.* 6. 27.
2 P. *Paſtoral.* c.10.
q *Ezech.* 8 7
r *Apoc.* 2.2.
Tomo 1. *Tract* 1. c.3. *Tomo* 3 *Tract.* 5 c.4
s *Matth.* 23. 27.

malos. Qua non dixit tantùm: non sustines; sed *non potest sustinere.* Charitas enim adimit illi & affectum & vires ad scelera toleranda; animum verò addit, vt sancto zelo munitus contra ea insurgat, & exterminet. de quo zelo fusiùs egimus tomo secundo, agentes de Principibus ac Iudicibus secularibus. Qui zelus debet esse adhuc præstantior in Prælatis Ecclesiasticis; quorum charitas etiam maior esse debet: magna enim authoritate reprehendere debent publica & scandalosa vitia, quæ deprehendent in sua Ecclesia, aut familia: etiam si tales delinquentes eruditi sint, & sapientes, sicut Pharisæi: detrahentes eis speciosum lapidem de albatorum horum sepulchrorum, vt fœtor percipiatur ossium mortuorum, quæ sub illo latebant: vt omnes subditi illos fugiant. Imò etiamsi tales peccatores & improbi sint Reges, & Principes: debent Prælati robustum pectus imbuere, suumq; zelum ostendere ad eos reprehendendos: quando id ad scandala illa reparanda erit necessarium. Prælati (ait Sanctus Bernardus loquens cum Eugenio Papa) tales esse debent: qui Regibus Ioannem exhibeant; Aegyptiis Moysen; fornicantibus Phinees; Eliam idololatris; Elisæum auaris; Petrum mentientibus; Paulum blasphemantibus: negociantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed, doceant; diuites non palpent, sed terreant; pauperes non grauent, sed foueant; minas Principum non paueant, sed contemnant; duros durè redarguant: malignantes coerceant; reddant retributionem superbis. Hæc S. Bernardus. Septem propositis exemplis explicans zelum, quem Prælati ostendere debent contra omne genus vitiorum publicorum. Si Principes scandalum præbent luxuriæ sordibus, sicut Herodes: resistant eis sicut Sanctus Ioannes Baptista: etiamsi capitis propterea periculum subeant. Si Tyranni erunt, opprimendo pauperes, qualis fuit Pharao & Aegyptij: esse debent sicut Moyses, induentes animi fortitudinem, quasi Diuinam, ad educendos afflictos ex eorum Tyrannide. Si populus habenas laxauerit ad luxuriam, accipere debent sicut Phinees pugionem suæ potestatis, ad eos separandos: adhibentes ad hoc etiam brachium seculare, quando Ecclesiasticum non sufficeret. Si audeant declinare ad idololatriam vitiorum scandalosorum sicut populus Israel fecit, sequens Regem suum Achab, Iesabelem: debent Prælati gerere se sicut Elias, & aggredi falsos Sacerdotes disputationibus ac rationibus; eosque terrere, & repugnantes confundere. Si autem fuerint auari, Simoniaci, ac deceptores, qualis fuit Giezi: debent ipsi esse sicut Elizeus, qui lepra ipsum Giezei puniuit: ita vt neque propriis domesticis parcant, ne infideles famuli Simoniam admittant, aut deprædentur accedentes, aut munera petant nomine Domini sui, occultam ei ignominiam inferentes, vt cunid tatem suam impleant. Quod si erunt mendaces sicut Ananias &

Saphira,

Tract. 4. c 6.

Lib. 4. de cõsideratione.

Matt. 14. 4 Exod. 7. 1.

Num. 25. 7.

3 Reg. 18. 2.

4 Reg. 5. 26

Saphira, negantes veritatem in iudicio, sibiq́ue vsurpantes quod iam ipsorum non esset, & recipientes à Deo, quod simel ei obtulissent: debent zelum induere Sancti Petri, puniendo aliquos, vt alios terreant. Quod si audeant blasphemare, sicut [s] *Himaneus & Alexander* alijq́ue hæretici: debent Prælati esse sicut Sanct. Paulus, vt eos excommunicent, *tradendique Sathanæ, vt discant non blasphemare.* Quod si emendo ac vendendo, alijsque contractibus rumores & strepitus excitent in templo: debent ipsi flagellum manu arripere, sicut Saluator, & repellere ex domo Dei quicquid eam turbat, & imbecilles scandalizat. Ad quæ omnia eius spiritu impelli debet, qui dixit: [t] *Zelus domus tuæ comedit me*; meq́ue totum absorbuit, & in se transformauit: sicut comedens transmutat in se cibum. Quicquid itaque ago, fit spiritu huius zeli, qui totum meum cor possidet: vt me pro honore Patris mei, & in totius mundi bonum exponam. Hic zelus comedere etiam debet bonum Prælatum, eius induentem proprietates. Et intelligat, quòd quando mollis & amica correctio nõ sufficit; neq; aspera & acerba reprehensio: debeat adhibere punitionem in gradu sibi permisso contra subditos propter aliquem finem ex tribus. *Primus* est, in bonum ipsiusmet subditi, qui peccauit: sæpè enim euenit vt stultus correptus sapiat? & vexatio det intellectum: vt peccatum agnoscatur, defleatur, & quæratur eius remedium. Ac propterea Salomon dixit: [u] *noli subtrahere à puero* siue subdito *disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius* de inferno *liberabis.* Quando autem subditus pertinax est ac rebellis: nec accepta pœna proficit: est etiam necessarium, idem facere in vtilitatem cæterorum, qui ex aliorum pœna cautiores fiunt: ne ipse Prælatus eiusdem pœnæ reus fiat. Ac propterea idem Salomon dixit: [x] *pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Ex quo fit, vt hoc ipsum sit etiam valde necessarium ad commune Ecclesiæ, ac Religionis bonum. & vt (Christiana ac Religiosa disciplina in suo vigore conseruetur. Nam (vt ait SANCTVS BONAVENTVRA) discrimen inter bonam & malam Rempublicam, & obseruantem ac relaxatam Religionem, non in eo consistit, quod in alijs aliqui sint mali, in alijs non: cùm re ipsa in omnibus inueniantur aliqui, vt diximus: sed in eo, quod vitia, & scandala reprehendantur & puniantur in Republica bene ordinata, & in Religione obseruante: in alijs autem tolerentur; & sine reprehensione. & pœna transire permittantur. Cumq́ue hoc spectet ad GVBERNATORES & PRAELATOS, ideò ex eo dependet, bonum, aut malum communitatis; & felix euentus & incrementum Ecclesiæ & Religionis in eo consistit, vt Prælatos

[s] *1 Timoth. 1, 20. Actu. 5, 10.*

[t] *Ioan. 2. 17 Psal. 68. 10*

[u] *Prouerb. 23. 13.*

[x] *c. 19. 25.*

Opus. de sex alis Seraph. c. 3.

habeat Sanctos, prudentes ac zelantes: qui ferre non possint aliquid mali in conspectu suo dici, aut fieri; nec facultatem dent, vt etiam in sua absentia aliquid tale fiat. Quod si ipsis insciis, & in ipsorũ absentia fiat: nũquã id approbant, nec vllo indicio ostendunt sibi placuisse: sed potiùs stantes atque factum resciunt, student illud impedire correptione, reprehensione, aut digna alia punitione; Et si enim culpa eius non sit, quòd malos habeat subditos: esset tamen valde grauis, cum eis dissimulare, & eos non punire. Quamuis aliquando ob nimium furorem, & correctionis ac punitionis eorum incapacitatem; & quod maius aliquod detrimẽtum & tumultus timeatur, si tunc puniantur: licebit, vt suprà dictum est, dissimulare, & patienter sustinere: donec opportunior adsit occasio eos corripiendi ac puniendi: quemadmodum monet S. Gregor. dicens: medicamenta & cauteria, quæ vulneribus importunè applicantur, ea non sanant, sed magis lædunt. quamdiu autem opportunum tempus expectatur, Prælati patientia exercetur. Nam (vt dixit Dauid y *supra dorsum eius fabricauerunt peccatores*) suscipiẽs in se, ferre patienter, quod tunc non potest reparare: castigans seipsum disciplinis & ieiunijs, vt bonam subditi rei dispositionem, & opportunum eum vtiliter corripiendi, tempus impetret. Cùm autem tempus hoc aduenerit, nec dissimulare ampliùs, nec tolerare debet. Aduertit autem S. Thomas hãc doctrinam intelligendam esse, cum Prælatus vult progredi tanquam pater; attendens solùm ad particulare subditi bonũ. Cùm autem etiam tenetur communi omnium subditorum bono prospicere: quando hoc id exigit: potest ac debet reprehensionem ac punitionem adhibere in scandalosos ac rebelles, etiam cùm sunt furiosi: semper tamen animo & voluntate eos reducendi & curandi. Ac propterea sensim ac prudenter est eis progrediendum. Eum in modũ, ait S. Dorotheus, quo piscator, cùm piscem aliquem magnum hamo cœpit: nõ vno tractu illum extrahit: resistentia enim eius filum frangeret, & ita piscem amitteret: sed filum potiùs laxat, donec spiritum violentum, & turbatum remittat: & tunc eum trahit ad littus: ita etiam in reprehensione & punitione reorum non ita violenter agendum est, vt illi pereant ac damnentur ob furiam, qua initio laborant; sed tẽpus aliquod dandum eis est, vt ad seipsos redeant, & aperiant oculos, ad videndum proprium periculum: vt sic vtiliter castigentur. Etsi enim Prælati in his pœnis infligendis gerãt se tanquam iudices: semper tamen cogitare debent se esse Patres. Quare cum S. Petrus ex speciali Dei spiritu morte præcipiti puniuit Ananiam, & Saphiram: dicunt multi Doctores vtrumque eorum ex eius verbis tantum suorum peccatorum dolorem concepisse, vt re vera non fuerint dãnati: acceptãte Domino nostro punitionẽ illam mortis temporalis, & ex sua misericordia, propter illorum contritionem, eos ab æterna liberante.

Tractat 3. c. 12.
2. Pastoral c. 10.
y Psal. 128. c. 3.
2. 2. q. 33. a. 6.
Serm. 6.
Actuũ 5. 3. Vide Lorinũ illos referentem.

Cùm

Cùm autem rei in repugnantia sua perseuerant: non debent Prælati laxare studium resistendi: vt constabit ex dicendis circa tertiam & quartam Epistolam, contra Episcopos in hoc suo munere negligentes. Et in fine huius Tractatus proponentur alia magis particularia documenta circa huiusmodi Zelum.

CAPVT XIII.

PERGIT EADEM EPISTOLA CONTRA PRAELATOS deserentes Primam charitatem ac feruorem, quo suum munus cœperunt: & qua ratione reprehendendi sint inconstantes, & qui ex imbecillitate delinquunt.

NON EST NOVVM, QVOD VIRI TIMENTES DEVM cùm aliquam accipiunt Prælationem, sint in ipsis initijs valde feruentes: tam in præbendo bono exemplo, quam in suo officio cum excellentia obeundo, & Zelum suum circa legum obseruationem ostendendo, nec à rectitudine deflectendo, propter occurrentes persecutiones. Paulatim tamen aliqui in ipso progressu defatigantur, tum ob carnis imbecillitatẽ, vnius illud grauiter ferentis; tum ob ipsiusmet officij difficultatem; ac denique propter contractiones, quas ab alijs patiuntur. vnus ex ijs fuit Episcopus Ephesinus, ad quem Christus Dominus noster hanc direxit Epistolam, dicens: eam ab eo mitti, qui habet in manu sua septem stellas, & ambulat in medio septem candelabrorum aureorũ; & summè desiderat: nullam ex his stellis excidere ex manu sua, aut propriâ aliquâ culpâ obscurari; & nullum horum candelabrorum moueri, turbari, aut frangi, aut locum deserere, quem in ipsius præsentia habet. Quare cum ipsum laudasset à sanctitate & feruore, quem in suis principijs habuisset: reprehendit postea, quòd illum relaxasset, dicens: a *Habeo aduersum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. memor esto itaque vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* In hac reprehensione minisque adeo tremendis obseruandum est primum, quid sit, *charitatem primam reliquisse*: potest enim duplex huius partis esse sensus. Alter est de ipsamet charitate, quæ coniuncta est cum gratia & amicitia Dei; vocatur: b *prima Stola* siue *vestis, quam filius prodigus* per peccatum mortale amisit; & per pœnitentiam est illi reddita. Alter sensus est de feruore & præstantia ipsius charitatis: quæ non satis habet, quòd fugiat lethalia peccata in offi-

a *Apoc.* 2. 4

b *Luc.* 15. 22.

cio suo; neque quòd faciat illud ruditer & languidè, & quasi inerte na tantum specie; sed cum magna excellẽtia in omnibus, in quibus oportet laborare, & aliquid pati in vtilitatem animarum; & resistere peccatis tam proprijs, quàm subditorum cum magna animi virtute. Et hanc ait Richardus fuisse *charitatem primam* præcipuam ac feruentem, quam hic Episcopus reliquerat remittendo feruorem officij sui. Quæ tamen iactura in Prælatis valde magna censenda est, ac reprehẽsione digna. Tum quod disponat ad amittendam ipsammet charitatẽ, & gratiã Dei: sicut corporis morbus disponit ad mortẽ; & qui deficit in modico, sensim etiam deficit in multo: parui enim defectus debilitant ipsum, ne possit strenuè resistere magnis. Tum quod id cedat in graue subditorum damnum, qui facilè imitantur suum Prælatum. Et si hic primam deserat charitatem, multi illo exemplo permoti illam omnino exuunt. Nam quemadmodum Ezechiel Propheta dixit quod b *cum ambularent* quatuor illa sancta *animalia ambulabant pariter & rotæ iuxta ea: & cùm eleuarentur* animalia, & cum *pergerent aut starent; rotæ pariter eleuabantur, pergebant, aut stabant, sequentes ipsa animalia* in omnibus. ita Prælatus trahere solet post se subditos, & subditi pergunt gressu sui Prælati: ita vt cum feruente sint feruentes; & cum ignauo ac pigro, ignaui & pigri; subsistentes in ipso cursu, cum vident ipsum subsistere. Quemadmodum autẽ animalia nunquam retrocedebant, sed pergebant semper vlterius, ac proinde etiam rotæ, quæ illa sequebantur: ita Prælatus nunquam debet retrocedere, deserens inceptum feruorem. c *Nemo* enim *mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est* officio Prælati, aut *regno Dei*, quod est Ecclesia, de qua dicitur, quod d *progreditatur quasi aurora consurgens*, & e *quasi lux splendes procedat, & crescat vsq; ad perfectam diem.* Prælatus autem in hoc progressu & augmento debet esse dux: quòd si retrocedat non est aptus dux aliorum, qui progredi semper debent. Præterea minarum propositarum grauitas indicio est, quod huiusmodi torpor & laxitas ingenti periculo sit exposita. *Nisi enim panitentiam egerit* ait: *mouebo candelabrum tuum de loco suo.* Candelabrum hic vocat dignitatem & munus Episcopale, super quod stat bonus Prælatus lucens & ardens in bonum Ecclesiæ. Quòd si remittat, & sensim claritatem ac lucem, & amoris fauorem amittat: auferet illi Deus dignitatem, eò quòd minus rectè illa vtatur. Et hoc (ait Sanctus Gregorius) significat, quod f *Christus* Dominus noster magno zelo *euerterit cathedras* vendentium columbas in templo: punit enim peccata subditorum per ipsos Prælatos: ipsos tamen, qui cathedras Ecclesiæ occupant, eisque abutuntur: punit per seipsum, auferens illis cathedram, aut incurabili aliquo morbo eos afficiens, aut morte eos puniens, aut denique permittens labi in aliquod delictum, ob quod dignitate priuentur.

Est communis vide Riuerd. & Viegam.

b *Ezech. 1. 9. 21.*

c *Luc. 9. 62.*

d *Cant. 6. 9*

e *Prouerb. 4. 18.*

Ita Ribera hic.

Homil. 17. in Euang.

f *Matth. 21. 12.*

Propte-

Popterea abstulit Heli Sacerdoti dignitatem, & summum Sacerdotium: cùm enim feruenter cœpisset, Deus illum honore affecit: quia honorabat, & glorificabat ipsum Deum: sed cùm venit ad senectum, euasit tepidus, & ignauus: ac defecit in Zelo officij sui. quam ob causam reiectus à dignitate est. Et cur Deus abstulit Sauli regnum, quod illi incogitanti tradiderat? nisi, quòd nõ perseuerauit in feruore quo cœperat: sed obedientiam conculcauit, vt propriam sequeretur voluntatem. Non vult Dominus noster, vt candelabra Ecclesiæ suæ candelas habeant extinctas, sed ardentes. Et si qua propè est, vt extinguatur: eam monet, vt excitetur & luceat: alioquin eam remouebit, & alteram eius loco ponet: g *qua luceat omnibus qui in domo sunt*. Grauiter fert, quod serui eius non bene negocientur talentis, & minis sibi traditis: ideoque negligentibus, &: h *abscondentibus talenta* accepta *in terra, iubet illis aufferri*, & priuat officijs, quæ eis contulerat. Et vni horum dixit: i *expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te*. Sed vlterius progredi solet hęc punitio: quod insinuant eadem verba in alio sensu magis tremendo; *mouebo candelabrum tuum de loco suo*: quia intelligit per candelabrum ipsammet Ecclesiam ei commissam: quæ sæpè ob peccata & negligentias Prælatorum graues sentit motus, & patitur tribulationes; & subditi dilabuntur in grauia peccata: propter quæ tota illa Ecclesia iacturam facit loci, ac stationis, quam in Dei conspectu habebat. Sicut perierunt plurimæ Ecclesiæ in Oriente & Septemtrione. Et hanc ob causam, cum voluit Ciuitatem Ierusalem exturbare, dixit, eam destruentibus. k *à sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo à viris senioribus, qui erant ante faciem domus*. A sanctuario iubet incipi exterminium, hoc est à Prælatis & ministris Templi: quorum peccata fuerunt causa peccatorum populi: & ita punitio illa cœpit à senioribus, quibus erat commissa gubernatio. Ex quo apparet, quam horenda mala sequi possent ex paruis etiam negligentijs: si quidem ob remissionem feruoris charitatis, sensim deueniri potest ad totius communitatis ruinam. Ac propterea Ecclesiastes dixit: l *in pigritijs humiliabitur contignatio; & in infirmitate manus perstillabit domus*, & ita facilè tectum ruit. cuius decidentis pondere solet etiam ruere, quod sub se habebat. Tectum Ecclesiæ & familiæ est Prælatus: quia est eius caput: qui quod se dedat pigritiæ, multas culpas, leuesque defectus admittens, eò deuenit, vt plane ruat: qua ruina solet totam domum destruere, & familiam totam.

LATET quoq; mysterium in eo quod Christus D. N. Episcopum hunc reprehenderit potius, quòd *primam charitatem dereliquisset*; quam quod deseruisset primam obedientiam, aut patientiam, aut aliquam aliam vir-

1 Reg. 2.30.
1 Reg. 15.23.
g Matth. 5.15.
h c.25.25. Lucæ 19 24
i Isai. 22.19
k Ezech. 9. 6.
l Eccl. 10.18

tutem

tutem. Quia charitas est omnium virtutum regina, & quæ illas post se trahit; estque Prælatorum valde propria; & gubernationis eorum primum fundamentum, vt vidimus. Ac proinde, qui in eius actionibus sit remissior, multò est perniciosior, ac maiori reprehensione dignus: præbet enim magnum indicium, quòd in ipso multum præualeat cupiditas & amor proprius. Quemadmodũ enim dixit Sanctus Augustinus imminutionem cupiditatis esse charitatis augmentum: ita charitatis imminutio, indicium est, quòd creuerit cupiditas, & aucta fuerit improbitas iuxta illud Christi Domini: m *quia abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*

Lib. 88. qq. q 36 & 4.
m *Matth. 24.12.*

DENIQVE in vltima Epistola videbimus periculum eorum, qui tepidæ aquæ instar Deum prouocant ad vomitum: quæ summa est animæ miseria: in quam ne incidat Prælatus deberet primum feruorem in omni bono, quod aggreditur, seruare. Neque est minimum huius tepiditatis periculum, quòd cùm sensim & paulatim subintret; nec aduertatur tamẽ nec agnoscatur. Ideoque ipso existimante, se retinere primam charitatem: vermis tamen torporis & ignauiæ illam comederit. Iuxta illud Oseæ Prophetæ: n *comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.* Nam (vt ait S. Bernardus) seruans exteriorem superficiem, salua sibi omnia suspicatur: non sentiens vermem occultum, qui interiora corrodat, debilitat, & eneruat.

n *Oseæ 7. 9. Serm. in ca. Ieiun.*

§. I.

AD HAEC damna & pericula præuenienda ac remouenda vtitur Christus D. N. remedio, ad id valde accommodato; hoc est correctione: quam tamen noluit per seipsum huic Episcopo & alijs adhibere; sed per S. Ioannem, qui caput erat omnium Episcoporum, & Ecclesiarum Asiæ. vt ex hoc intelligatur: prudentem correctionem, quam Prælatus adhibet, accipendam esse quasi ab ipsomet Deo, qui eam iubet per Prælatum adhiberi. Quam qui contemnit, Deum censetur contemnere. Ac propterea dixit: a *qui Ecclesiæ correctionem & eius Prælatorum non audierit, habendum esse tanquam Ethnicum & publicanum.* Cùm autem etiam Prælati sint homines, erroribus & peccatis subiecti, qui etiam indigent correptione: debent & ipsi per alios, ocum ipsis superiorem habentes corripi; præcipuè cum correptioni adiungitur reprehensio, & minæ. Hic enim est propriè actus Superioris erga sibi subiectum; non autem subditi erga Superiorem, vt suprà est dictum. Et hoc est conforme sententiæ S. Pauli dicentis: b *Seniorem & Presbyterum ne increpaueris, sed obsecra vt Patrem*: vt se emendet à defectu, quo laborat. Præter hoc

a *Matth. 18.16.*

Tract. 3. c. 12.

b *Tim. 5. 1.*

tamen

tamen ipsimet prælati attendere debent diligenter qualitatem & gradum Personarum, quas volunt corripere & reprehendere. Alio enim atque alio modo reprehendendæ sunt Personæ graues, & communes; qui peccant ex inaduertentia, aut imbecillitate, & qui peccant ex malitia; qui sunt dociles & facilè obtemperant, & proterui ac rebelles. Eadem autem discriminis ratio habenda est circa minas, & pœnas infligendas: quæ medicamenta accommodanda sunt morbis, ac dispositionibus infirmorum. Quorum omnium insignia habemus exempla in reprehensionibus à Christo D. N. adhibitis septem his Episcopis: & nominatim ostendit admirabilem sapientiam in ea reprehensione, quam dedit huic Ephesino Episcopo. Ex qua deduci possunt nonnulla documenta.

In Primis enim non inchoauit à reprehensione eius defectuum; sed potiùs cœpit laudando bona, quæ habebat: idq; ob duplicem Finem. Primvs, vt subditi intelligant superiorem officio suo plene satisfacere, cum adhibet & laudem & reprehensionem; neque reprehendit ex passione, aut auersione aliqua, aut naturali sua constitutione; sed vt officij sui obligationi satisfaciat. Cumque nullus sit adeo improbus, quin etiam habeat aliquid boni; neque aliquis adeò sit probus, vt aliquid mali non habeat: potest superior vtrumque actum cum omnibus exercere iuxta regulas prudentiæ. Non autem necesse est, semper coniungi: cum videamus Christum D. N. in his Epistolis, quosdam non prius laudatos reprehendere; alios verò laudare: nec reprehendere. 1

Alter finis est, ad subditos ipsos ita laudatione disponendos: vt æquo animo accipiant reprehensionem. Ac propterea Apostolus, cùm vellet Corinthios reprehendere, prius eosdem blandè laudauit. Nam (vt S. Gregorius aduertit) Prælatus debet Chyrurgum imitari: qui cum partem aliquam ex infirmi corpore abscindere parat, priùs eam emollit, manibus palpat; & statim repentè percutit, & abscindit. Et sicut pius Samaritanus cum vino, quod mordet, miscet oleum, quod emollit: vt remedium sit facilius ac suauius. Sed ad hucaduertit Rupertus Christum D.N. non solum laudasse hunc Episcopum, antequam reprehenderet; sed etiam post reprehensionem: eò quòd odisset Nicolaitas, vt etiam finis dulcis esset, sicut principium: & ita ipsum medium, hoc est reprehensio maiorem adferat fructum. *1. Corin. 11. 2. & c. 1. 4. Hom. 11. in Ezechielem*

Hinc etiam oritur *secundum* documentum: vt nō verbis exaggeretur multum culpa; sed potius aliquantulum alleuietur, ita reum constituendo ac disponendo: vt ipsemet eam exaggeret, eiusque grauitatem agnoscat. Quam ob causam Christus D. N. cum in his Epistolis aliquem reprehendit, aliquoties dicit: c *habeo aduersum te* Pavca. Non dicit ha- 2

c *Apocal. 2. 14. 20.*

beo aduersum te multa, aut magnas querelas; sed *pauca*: ne terreantur qui reprehenduntur; sed potius erigantur, & animentur. Huic tamen Episcopo dixit: *memor esto vnde excideris*: quasi insinuans ei: si culpam tuam cognoscere effectum nosse vis: recogita præteritam vitam tuam; attende celsitudinem quam initio habebas; & vilitatem, in quam cecidisti: & ex vtriusque collatione intelliges magnitudinem tuæ miseriæ. Hunc in modum, cum Deus Adamum reprehendit ob admissum peccatum, dixit ei: (vt in alio loco perpendimus) d *Adam vbi es?* hoc est: attende, vbi fueris, & vbi nunc sis; priorem excellentiam, & præsentem pudorem, quo nunc afficeris: vt noueris fœditatem culpæ contractæ.

d *Genes. 3. 9 Tom. 1. Tract. 5. c. 3 ex S. Amb. de paradiso, c. 14.*

TERTIVM documentum est, vt in reprehensione adhibenda semper ob oculos proponatur proprius eius finis: hoc est Pœnitentia: & vitæ emendatio: ita vt & agnoscat, doleatque de culpa præterita; studeat verò ad pristinam sanctitatem & feruorem redire. Hoc est enim quod dixit: *age pœnitentiam, & prima opera fac*, nam sic Prælatus e *lucratus erit fratrem suum*. tunc enim correctio suum assequitur finem: quia reuocat fratrem, qui peribat. Sed latet quoque mysterium, quod Dominus noster insinuet, se esse contentum, si hic Episcopus faceret *prima opera*, quæ alias solebat: cum tamen petere ab eo potuisset, vt huius recentis beneficij nomine, quo ipsum ad pœnitentiam expectauit, feruentior adhuc esset, quàm antea, quemadmodum quidam ex eius socijs faciebat, quem Christus laudat: quod f *opera nouissima essent plura prioribus*. Sed attendens Dominus ad humanam imbecillitatem noluit petere; nisi quod prius faciebat: ne imbecillitatem suam pro excusatione adferret. Si quidem qui semel potuit opera illa præstare, poterit eadem postea repetere: Dominus enim, qui gratiâ sua eum prius addiuuit, etiam nunc adiuuando perget. De eo enim dicitur, quod g *qui cœpit opus bonum in eo, perficiet illud vsque in diem Christi Iesu*, hoc est donec ille ad iudicium veniat.

e *Matth. 18. 15.*

f *Apocal. 2. 19.*

g *Philip. 1. 6.*

QVARTVM documentum est, vt non statim ad puniendum reum veniatur, quin priùs ei Prælatus minetur: nam si minæ sufficient ad emendationem, non erit necessaria punitio, quando sola emendatio intenditur. Sic enim ostendit Dominus noster viscera charitatis erga homines; & quàm illi sit graue eos punire. Cum de eo dixerit Dauid, h quòd *det metuentibus ipsum significationem, vt fugiant à facie arcus.* priusquam sagittam ipsam iaculetur. Ac propterea Sanctus Ambrosius aduertit Deum post diluuium posuisse i *fœderis signum*, non sagittam ferientem, sed *arcum* ipsum, qui illam iacit: vt videntes arcum, qui minatur: cautiores fiant, & euadant vulnus, quod sagitta inferret. Idem autem facere debent Prælati: vt antequam ad puniendum veniant,

h *Psal. 59. 6 Lib. de Noe & arca. c. 27.*

i *Genes. 9. 13.*

minas

minis vtantur accommodatis ad subditos, qui sunt reprehendendi. Nam qui sunt nobilis ingenij, pœnæ partem reputant, quod Prælatus illis minetur: sicut huic Episcopo minatus est Christus: *mouebo candelabrum tuum de loco suo:* hoc est quod esset remouendus ab excelso loco, quem occupabat, nisi vita eius esset statui conformis.

NE autem minæ adeò seueræ desperationem peccatori adferant, apprehendenti sua peccata (sicut Cain) quasi adeò grauia, vt veniam non mereantur: necesse est ipsas minas aliquo modo dulcorare, sicut fecit CHRISTVS DOMINVS NOSTER addens huic EPISCOPO: k *sed hoc bonum habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Quasi dixerit: etsi miner tibi, non tamen obliuiscor illius boni, quod in te aduerto; & quod mihi placeas, cùm improbos persequeris: quos & ego odi. Quare in reliquis te ipsum emenda, vt mihi omnino placeas. Propter eandem causam ipsis minis addendæ sunt promissiones insignium præmiorum: quæ ingenua corda erigere, & attrahere solent. Ac propterea Christus finem Epistolæ imposuit, dicens: *qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Quasi diceret: qui habet aurem, non corporis sed animi ad intelligendum quæ dicta sunt, audiat: seseque subijciat correctioni; & obediat, quæ in ea dicuntur, nam diligenter pugnanti & suos hostes vincenti; vt quod ex officio tenetur, præstet: hoc præmium referet, vt comedat de ligno vitæ, quod est in cœlesti paradiso Dei mei; hoc est sanctissimæ Trinitatis, quæ Deus meus est, quatenus ego homo sum Diuinitati subiectus. Quod autem lignum vitæ; hoc est, nisi ipsemet Christus. verus Deus & homo: qui est in medio militantis ac triumphantis Ecclesiæ? Cuius esus in hac vita sumitur per fidem, & contemplationem eius magnitudinum; aut per communionem sacratissimi eius corporis & sanguinis: mira dulcedine afficiens eum, qui sua vitia & passiones expugnauit, ac vicit; vt in alio loco est dictum. In cælo autem idem cibus sumitur clara visione Diuinitatis & humanitatis eius: quâ omnia cordis desideria exsatiantur cœlesti ac copiosissimo cœlestium delitiarum torrente: vbi erit vita immortalis, expedita ab omni miseria. Cùm igitur præmium adeo sit magnum: æquum est, omnes audire, quæ dico; & quæ moneo, opere exequi. Quod enim Spiritus Dei vni dicit, omnibus dicit; & quod minatur, aut promittit Prælatis, ad omnes spectat Ecclesias: vt omnes discant, eamque partem capiant quæ ad ipsos pertinet

k *Apocal. 2. 7.*

Tomo 1. Tract. 4. c. 7.

6

DENIQVE quoniam minæ & promissa sunt de futuro, *mouebo* scilicet *candelabrum tuum, & vincenti dabo edere*, &c. ne reus negligentior euadat, existimans, in longum tempus vtrumque produci. dixit Saluator hęc verba: *sin autem, venio tibi*, hoc est: si pœnitentiam non egeris, venio ad te. Non dixit veniam; sed: *venio*; quo significat infallibilem certitudinem eius, quod minatur, aut promittit; velocitatem qua venit ad id exequendum. Quod ampliùs explicat in alijs Epistolis dicens: l *venio cito; & veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te*: vt omnes vigilent, sibiq; sint præsentes. Et ita concludo: verissimam esse Ecclesiastici sententiam, dicentis: m *quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam* de malefacto, & sese emendare: *sic enim effugiet peccatum*, euadet supplicium, & ingens adeò promeretur pręmium. Non tamen est satis emendationē proponere, nisi manus statim operi admoueatur, nec reijciatur ad alium diem. Huiusmodi enim moræ in causa sunt, cur propositum conceptum bonū in ipsa correptione refrigescat: & forte Deus eam non repetet; sed animaduertet in negligentem. Ac propterea Sanctus Augustinus ad hoc propositum dixit: ipsa res est quæ multos occidit, cum dicunt: cras, cras; & subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce coruina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras, cras corui vox; geme vt columbus; tunde pectus; cæsus correctus esto. Quæ sententia significat multos perire, propterea quod de die in diem emendationem differant, quia repente n *ianua clauditur* sicut *fatuis virginibus*: & ita remanent exterius, & pereunt. Gemant igitur errores suos sicut columbæ, & in eis sese emendent: & sic digni fient, qui præmia æterna consequantur promissa errantibus; sed accepta correctione sese emendantibus.

(·.·)

(·.·)

l *Apocal. 3. 11. 3.*

m *Eccl. 20. 4.*

Serm. 16. de verbis Dō. Tom. 10.

n *Matth. 25. 10.*

CAPVT XIV.

SECVNDA EPISTOLA AD EPISCOPVM SMYRnæ Ecclesiæ, in qua de paupertate Prælatorum, etiam redditus habentium Ecclesiasticos; & modo eos moderatè expendendi; & superflua in eleemosynas erogandi; ac de fiducia in Deum: cum paupertate & alijs difficultatibus premuntur.

SECVNDAM EPISTOLAM DICTAVIT CHRISTVS D.N. ad insignem quendam Prælatum Episcopum Smyrnensem; in quo nihil reprehensione dignum inuenit, sed multa digna laude, propter plurima quæ in munere suo cum stupenda patientia tolerabat. Quem vt animo erigeret, hoc exordio vsus est a: *Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus & viuit.* Quasi diceret: exulta, accepta hac Epistola, quam tibi mittit, qui sustinuit tribulationes, quas & tu pateris; & in hac mortali vita habitus est, quasi *nouissimus* & vltimus; nunc verò est omnium *primus*. Qui fuit à suis hostibus interfectus; surrexit tamen, & viuit in summa requie & honore, occupans primam sedem: quia ipse principium est, & finis rerum omnium; & cuius prouidentia illæ gubernantur; & à quo prodeunt quasi à primo principio illas dirigente; aut ita permittente, vt eius electi ad ipsum tanquam ad vltimum finem redeant in quo illorum est requies ac solatium. Ego igitur b *scio tribulationem tuam & paupertatem tuam, sed diues es & blahemariu ab his, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt Sinagoga Sathanæ.* quibus verbis laudat eius patientiam, qua ferebat paupertatem, & externam desertionem; aut quod eius Episcopatus valde esset: pauper, aut quod eius æmuli & persecutores ipsum omnibus suis bonis spoliassent; quem vt consolaretur, adiecit: *diues es*, in virtutibus scilicet. Ex quo loco occasionem accipiemus Euangelicam paupertatem proponendi pertinentē ad Prælatos: vt officium suum sicut oportet exequantur. Præmittendum est autem, in primæua Ecclesia, Episcopos (vt hic insinuat Saluator) fuisse pauperes ac diuites: pauperes quidem circa bona temporalia; diuites autem in multis gratijs de virtutibus cœlestibus. Pauperes erant: quia gloriabantur quod imitarentur Apostolos, quorum erant successores. Qui (vt SANCTVS PETRVS dixit CHRISTO) c *reliquerunt omnia, vt ipsum sequerentur*; d *nec volebant possidere aurum neque argentum,*

a *Apoc. 2. 8.*

b *Apocal. 2. 9.*

c *Matth. 19 27.*
d *e. 19. 9.*

aut alias diuitias: fiduciam suam collocantes in Domino, cuius etant operarij & ministeri; qui non esset prætermissurus eos alere, sed id semper faciebat per manus fidelium. Ex qua paupertate magnam illi accipiebant ad ingentes spirituales diuitias hauriendas, quæ sunt veræ ac solidæ diuitiæ. De quibus ipse Christus Dominus dixit, quod eas *neque erugo, neque tinea demoliatur, nec fures furentur*: nec vlla creatura abiuitis auferre possit. Verum est (ait Sanctus Augustinus) quod Sancti amiserunt bona, quæ possidebant: quia eorum hostes ipsos spoliabant: sed nunquid eis abstulerunt fidem, aut pietatem, aut bona hominis interni: qui diues est in conspectu Dei? *Hæ autem sunt opes Christianorum*, & ingentes eorum thesauri, de quibus Apostolus dixit: f *gratias ago Deo meo, quod in omnibus diuites facti estis in Christo Iesu.* g *qui cum esset diues, propter nos egenus factus est: vt & nos illius inopiâ diuites essemus.* Quæ diuitiæ tantæ sunt: vt sufficiant ad alios locupletandos. quod insinuauit idem Apostolus, dicens: h *sumus egentes multos autem locupletamus; & tanquam nihil habentes omnia possidemus.* Ac propterea S. Petrus cuidam claudo, petenti ab ipso eleemosynam, dixit: i *argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula, & statim surrexit & ambulabat*: O optanda paupertas; ô ditior inopia! ait S. Ambrosius, quæ potest eiusmodi bonis alios locupletare, quæ nullis pecuniis possunt comparari. Ad hæc ijdem Apostoli, etiamsi pauperes essent, liberaliter tamen dabant modicum illud, quod habebant; ac Deus illud eis multiplicabat, vt subsidium egentibus adferrent. Ac propterea Apostolus dicebat: k *altissima paupertas* quæ eo vsque peruenit, vt quicquid haberet largiretur, *abundauit super omnes diuitias*, ob amplissima bona, quæ per eas facitis.

c *Matth.* 6. 20.

f 1 *corin.* 1 5
g 2. *corin.* 8. 9.
h *c.* 6. 10
i *Actuũ.* 3. 6

In Psal. 36. 26.

k 2. *corin.* 8. 2.

SED felicibus illis temporibus prætereuntibus, expediebat Episcopos habere etiam copiam & abundantiam bonorum temporalium. Tum quòd Christus DOMINVS NOSTER (vt Sanctus Thomas probat) non iusserit ea deserere; neque necessarium est pro ipsorum statu: qui non est tendentium ad perfectionem, sed perfectorum; paupertas autem est instrumentum ac medium eam acquirendi: ac proinde commendatur Religiosis. Ac propterea CHRISTVS DOMINVS dixit illi adolescenti: l *si vis perfectus esse, vade vende quæ habes &c.*

2. 2. q. 185. a. 6.

l *Matth.* 19. 21. *Ibidem.*

SED non dixit ei (vt perpendit Cardinalis Caietanus) si vis esse perficiens, aut alios perficere: nam ex diuitijs Possessis, qui iam sunt perfecti possunt alios iuuare. Cumque SS. AMBROSIVS, AVGVSTINVS, &

alij

alij Sanctissimi Episcopi redditus habuerint : alij quidem ex proprio patrimonio ; alij autem ex iis quæ fideles Ecclesiæ largiebantur: signum est id licere , sicut nunc per totum Christianum orbem est in vsu , & praxi : vt possit Episcopus cum authoritate ac decentia munere suo fungi ; & vt habeat vnde possit rebus diuini cultûs, necessitatibus viduarum & orphanorum subuenire ; & eleemosynas in pauperes erogare. In eum enim finem Imperatores , Reges & Principes , alijque diuites , ac potentes, amplos redditus assignarunt , quibus nunc gaudent Ecclesiæ Cathedrales , Collegiatæ, Parochiales , & Episcopi, Canonici, & alij ; qui Ecclesiastica Beneficia possident : idque præter Decimas quas Fideles semper præbent , sicut olim : m *Hebræi dabant Sacerdotibus ac Leuitis.*

m *Num.* 18. 21.

His præmissis , quæ vniuersalis Ecclesiæ consuetudine sunt approbata, & ipsa experientia ingentium bonorum, quæ tales reddituum possessio secum adfert, si Prælati eis , vt oportet, vtantur: ad nostrum Institutum pertinet explicare modum Euangelicæ paupertatis , quæ ad ipsos Prælatos pertinet: ijs præmissis , quæ suprà diximus de omnibus Ecclesiasticis. Quæ quidem paupertas in tribus potissimum consistit, quæ paulatim explicabuntur.

Tract. 1. c. 9

§. I.

Perfectio sectanda simul cum possessione reddituum Ecclesiasticorum.

Primvm , omnes debent perfectissimè amplecti veram paupertatem spiritûs , quæ inordinatam bonorum temporalium cupiditatem cohibet , tam quo ad dominium, quàm quo ad eorum vsum. Cùm enim sint Magistri perfectionis , necesse est eos valde radicatos esse in eo fundamento , quod supremus eius magister iecit: cùm dixit: a *beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Cum igitur Deus eis permittat habere diuitias temporales: non debent permittere , vt spiritus eis adhæresca t, iuxta illud Dauidis: b *Diuitiæ si affluant : noliti cor apponere.* si enim cor dedit se c *auaritiæ & cupiditati, quæ radix est omnium malorum* , scandalizant fideles , & labuntur in grauissima peccata , cum detrimento suorum ministeriorum. Ac propterea inter primas conditiones , quas Apostolus exigit ab Episcopo , est : d *ne sit turpis lucri cupidus* , bonorum scilicet temporalium , neque existimet e *quæstum esse pietatem* : indicium

a *Matt.* 5. 3.

b *Psal.* 61. 11.

c 1. *Timot.* 7. 5. 10.

d *c.* 3. 3. *Titi* 1. 8.

e 1. *Tim.* 6. 5

enim

d c. 3. 3. Titi. 1 8. c 1. Timo. 6. 5.

enim erit, quod non quærant bonum ouium, sed earum spolia; incommoda & lucra propria. Sicut illi de quibus dixit Dominus per Ezechielem : f *væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos; nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini; & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Ego ait Deus liberabo gregem meum de ore vestro & non erit vltra vobis in escam; & faciam, vt pastores non pascant amplius semetipsos.* Hi sunt quos Christus Dominus noster g *Mercenarios* appellat, *qui vident lupum venientem, & dimittunt oues, ac fugiunt.* Quia non quærunt, nisi mercedem suam, ideoque cum illis deest aliqua commoditas, deserunt oues, *etiamsi lupi eas rapiant, & dispergant.* Imò dicere licet, quod cupiditas mercenarios conuertat in lupos: qui nihil aliud attendunt, quàm vt rapiant lac, & lanam; & reliqua commoda, quæ quærunt ad satiandam suam famem : transgredientes legem charitatis, qua Christus D.N. dixit Petro: h *pasce oues meas*, vt enim aduertit S. Thomas, non dixit: tonde vel excoria: non enim ad id eas ei commendabat; sed vt eis attenderet, ac prospiceret; exuens omnem cupiditatem, quæ vehementer impedit bonam officij ipsius executionē. semper enim cupiditas & studium propriorum commodorū, si sit vehemens, prævalet contra desiderium vtilitatum alienarum. Ac propterea Episcopus in sua consecratione interrogatur : *vis semper in diuinis esse negotijs mancipatus, & à terrenis negotijs vel lucris turpibus alienus, quantum te humana fragilitas consenserit poss.?* Et ipse respondet: *volo.* Ex quo fit, quod Prælati debeant etiam paupertatem hanc spiritûs ostendere in eo, vt sint contenti cum ea moderatione, quæ iuxta suum statum ei conuenit; reijciendo quicquid superfluum est; & vanitatem, mundique pompam olet. Sibi certò persuadentes: authoritatem sui statûs non in ea pompa consistere, quam iactant Domini Seculares, sed in magnitudine & copia virtutum. Quarum vna est temperantia & modestia in ornatu propriæ personæ, ac domûs, & comitatu famulorum, eorumque vestibus. Si enim Apostolus dicebat : i *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* rationi consentaneum est, vt & Prælati saltem ijs sint contenti quæ suo statui conueniunt: adspirantes, quantum fieri poterit, ad paupertatem Apostolorum. Quod iubet Concilium Carthaginense, dicens : *Episcopus vilem supellectilem & mensam, ac victum pauperem habeat : & dignitatis suæ authoritatem Fidei & vita meritis quærat.* Quod Decretum renouauit Concilium Tridentinum, monēs Episcopos vt in ijs : quæ ad mensam, victum, & domesticam supellectilem, ac famulos spectant, caueant: ne quid appareat, quod à Sancto hoc Instituto alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat. Et simul eis commendat, vt ita suam vitam statui suo conforment, vt reliqui ab eis discant temperantiam, modestiam, conti-

e 1. Tim. 6. 8 *concilium Carthag. 4. c. 15. Refertur c. Episcopus. D 41. Sess 25. c. 1. de Reformat.*

nentiam

f *Ezech. 34. 2. 10.*

g *Ioan. 10. 2*

h *c. 21. 17. in 1. Pet. 5.*

nentiam, sanctamque humilitatem, quæ nos Deo reddit adeò amabiles. Nec dubium est quin rara sanctitas cum minori externo splendore, maiorem adferat officio authoritatem, quàm magnus exterior splendor cum minoribus Sanctitatis indicijs. Nam potiùs hic offendere solet, & Christianum populum scandalizare; & occasionem præbere murmurationũ contra ipsos Prælatos, notantes eos quasi leues, & profanos: quantumuis ipsi pompam illam tegant pallio authoritatis officij, & muneris sui. Quare S. Bernardus eo vsque progressus est vt Eugenio Papæ scripserit: vides omnem Ecclesiasticum Zelum feruere sola pro dignitate tuenda: Honori totum datur, sanctitati nihil, aut parum. Si causa requirente, paulo summissiùs agere, ac socialiùs te habere tentaueris; absit (inquiunt) non decet, tempori non congruit, maiestati non conuenit, quam geras personam attendito. Dolendum vehementer est, quod cum aliqui Prælati Sanctam paupertatem Christique humilitatem amplecti volunt: nunquam desint Zelatores honoris mundani, qui Christiani honoris prætextu desiderium illud eis retundant; & à Sancto illo proposito retrahant.

Lib. 4. de consideratione.

Veterivs tamen progredi debet perfectio Prælatorum in virtute Sanctæ paupertatis, circa redditus Ecclesiasticos: vt cum ea coniungant charitatem & misericordiam in distributione omnium, quæ vltra congruam ipsorum sustentationem, & iuxta suarum Personarum conditionem & qualitatem eis superfunt. Ita vt ingenuè & generosè statuas non thesaurizare, vt erigant ius aliquod primogenituræ, aut suos cognatos ditent, aut alias expensas prodigas & superfluas ac seculares faciant: sed ea omnia exponant, ac distribuant in pauperes, aut pia alia Diuini cultus opera; idque propter rationes in primo Tractatu positas. Quamobrem etiamsi valde sint diuites, gerere se ac tractare debent, tanquã pauperes: nam iuxta perfectionem, quam in statu suo profitentur: non debent, quæ superflua habent, exponere solo suo arbitratu: & quod ratione sui status habent, non debẽt dicere esse suum; sed patrimonium Iesu Christi, & bona Ecclesiæ, & pauperum thesaurum. Hic sensus fuit Sacrorum Apostolorũ, quem explicuerunt in Canonibus hac de re editis: in quibus expresè constituerunt, vt Episcopi huiusmodi bona distribuant inter egentes, quasi qui agit in conspectu Dei: non dantes aliquid suis consanguineis, nisi & illi essent egentes. Quod idem confirmauit Sanctum Concilium Tridentinum, cuius verba suprà retulemus. Et hic fuit etiam semper communis sensus Summorum Pontificum & Sanctorum Ecclesiæ Doctorum. Sanctus Augustinus respondens hæreticis, qui eos calumniabantur quasi cupidos & proprietarios, dicit eis: Si priuatim quæ nobis sufficiant possidemus, non illa nostra sunt; sed pauperum, quorum

2

c. 9. 12. q 1. c. videres. c. Episcopus. & c. præcipimus. Canon. 4. & 19. & 75. Sess. 25. Decret de Refor. c. 1.

procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vindicamus. Et ita se & alios vocat *compauperes pauperum*: Etsi enim concedamus: eos habere verum dominium redditum Ecclesiasticorum, eum in modum, quo loco paulo ante citato est insinuatum: quoad vsum tamen tam pauperes se reputabant atq; ipsosmet pauperes; & quod habebant erat quasi in custodia, vt illis distribueretur S. Ambrosius etiam hanc suam paupertatem fatetur dicens: omnia, quæ habeo, pauperum sunt. Idem confirmat SANCTVS HIERONYMVS dicens: quod secundum sanctorum Patrum traditionem, res Ecclesiæ sunt vota fidelium, precium peccatorum, pauperum patrimonium. Quare expendi debent in excipiendis peregrinis, in adiuuandis pauperibus Xenodochiorum, & Monasterijs ac reliquis pauperibus. His addit Sanctus Bernardus: quicquid præter conuenientem sustentationem accipitur, aut retinetur, esse quoddam genus furti, & speciem sacrilegij: quatenus non traditur pauperibus, quod Christus Dominus Noster eiusque Ecclesia tradi iubent. Idem enim detrimentum eis accidit, si non detur quod ex charitate debetur; atque si debitum fuisset ex iustitia: siquidem fame pereunt. Ac propterea ad quendam alium Episcopum idem Sanctus Bernardus scribit: quòd nudi & famelici clament in cælum dicẽtes *nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis nostris necessitatibus detrahitur quicquid accedit vanitatibus vestris*. Ac propterea Sanctus Hieronymus dixit famem, sterilitatem, & miseriam huius mundi esse iram & pœnam Dei irati: eò quòd in suis pauperibus defraudetur propria sua possessione: cùm eis non datur eleemosyna, quam in suis grauibus necessitatibus petunt.

In oratione ad Auxentium 23. q. 8. c. Conue. 16 q. 1 c. Quia iuxta & c. Quoniam.

In Declam. super id: Ecce nos reliquimus omnia. Et Epist. 2. ad Fulconem. Epist 42. ad Henricum Seminentem in Malach.

3 HAEC fuit querelâ Christi Domini Nostri contra Episcopum Ephesinum, de quo proximo capite egimus: cùm ei dixit: k *habeo aliquid aduersum te quod charitatem primam reliquisti*. Nam, vt graues Doctores asserunt, hic Episcopus primis suis initijs fuit valde feruens & liberalis in dandis eleemosynis: postea verò fuit parcior ex tepiditate in eis elargiendis: ac propterea Christus eum monuit, vt *prima opera faceret*. Quasi ei dixisset: priùs florebas in operibus misericordiæ: nunc autem omnino manes aridus: refloresce igitur, vt priùs. Et hoc idem dixit Apostolus Philippensibus: qui in huiusmodi misericordiæ operibus præstandis exaruerant: exultans enim dicit eis l *tandem aliquando refloruistis*. Et ob eandem etiam causam dixit Christus Dominus eidem Episcopo: *memor esto vnde excideris*: nam Prælatus liberalis in eleemosynis faciendis, ad magnã celsitudinem honoris ascendit inter homines: nec vlla externa põpa & apparatu potest tantã authoritatẽ suę personę acquirere: quam si multas

k *Apocal 2. 4. Ita Aretas. vide Riberam, & Vrgas.*

l *Phil. 4. 10*

faciat

faciat eleemosynas. Neque maior est honor in mundo, quàm si videant omnes, eum tractare se quasi pauperem, & in expensis erga se parcum esse: vt omnia det pauperibus. *Gloria Episcopi* (ait Sanctvs Hieronymvs) *est pauperum opibus prouidere.* Et quid mirum ipsum tanto in honore habere, siquidem suis eleemosynis facit: se valde similem Christo, qui pauperem se fecit, vt nos ditaret? Ad tantam autem similitudinem cum ipsomet Deo ascendit, vt Sanctvs Gregorivs Nazianzenvs dicat: eum esse quasi Deum pauperum: *Fac* inquit, *vt calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando: nihil enim tam Diuinum homo habet, quàm de alijs bene mereri.* Attende, quòd *tibi pauper relictus est vt Deo*, cuius vices supples, dum pauperi subuenis. Quod si ab hoc officio degeneres, & in eleemosynis faciendis relaxes: cadis ex loco altissimo, amittis opinionem bonam, quam habebas; nec eum fructum in tuis ouibus facies, quem antea faciebas. Memor etiam esto proprium esse pastoris Christi (quemadmodum ipse Sancto Petro dixit) pascere eius oues; nec solùm spirituali pastu, sed etiam, quando opus est, corporali. Imò ter ei dixit: m *pasce oues meas*, ad significandum (vt ait Sanctus Thomas) pastum hũc esse debere doctrinam sanam, vitam exemplarem, & eleemosynam corporalem: ita vt spiritualibus misericordiæ operibus adiungat corporalia. Præterea enim dicitur. n *duos* illos *Cherubinos* quos Rex Salomon posuit in templo & sunt figura Prælatorum, fuisse *ex ligno oliuarum tectos auro*: ad significandum, quòd Prælati debeant cum scientia sua coniungere Charitatem & Sanctitatem; & opera misericordiæ ad firmandum Templum Dei, quod est eius Ecclesia. Ac denique, omnes Episcopi, dum consecrantur, interrogantur, *vis pauperibus & peregrinis, omnibusque indigentibus esse propter nomen Domini affabilis, & misericors? Et ipse respondet: volo.* vt intelligat: sua sponte sese offerre ad hanc misericordiam indigentibus exhibendam. Quod si postea non præstet, cùm posset: ex his quæ diximus intelliget grauitatem sui peccati & periculi magnitudinem, iramque & minas Dei, & alia motiua, quæ impellere ipsum possint, ad implendum quod debet.

Epist. ad Nepotiam.

Orat. de Pauperum amore.

m *Ioan.* 21. 15. *in* 1. *Petri* 5. *Ita lansam.*

n 3. *Reg.* 6. 32 *ide dicitur vers.* 31. *de daeb. Ostiis. Oracul.*

Hinc licet ascendere ad quartum paupertatis gradum, quæ eluxit in hoc Sancto Episcopo Smyrnensi: qui patienter tulit spoliatum se fuisse omnibus suis bonis, & ab hominibus: desertum, ne officio suo deesset. Et cum hac ratione obtineatur summa perfectio: ideo nihil in eo deprehensum est, quod merito reprehenderetur: sicut in aliis eius sociis. Hæc etiam fuit perfectio S. Paulini Episcopi: qui totum suum patrimonium, valde aliàs amplũ expendit in alendis pauperibus, ac redimendis captiuis: ita vt nec retineret sibi, quod ad propriam sustentationem erat necessarium. De quo S. Augustinus scribit: quod factus fue-

Libr. de Ciuit. c. 10.

rit *ex opulentissimo diuite, voluntate pauperrimus, & copiosissimè Sanctus.* Deoque dicebat: ne, quæso Domine, crucier ego propter aurum, aut argentum: tu enim nosti vbi omnia mea reposita habeam. Et eo vsque eius charitas peruenit, vt permitteret se in mancipium vendi, vt subditum quendam captiuum redimeret. Cumque multas calamitates ac tribulationes sustinuisset, ex omnibus victor euasit: redijtque ad suum Episcopatum cum multorum captiuorum spolijs.

§. II.

Fiducia in Deum, cum adsunt Tribulationes.

HÆc sunt Dei consilia ad seruos suos exaltandos, postquã in eleemosynis & multis alijs bonis operibus sese exercuerunt: vt permittat eos per multas tribulationes transire, vt pugna sit difficilior, victoria glorioſior, & amplior ac preciosior corona. Et ita dixit huic Episcopo: a *nihil horum timeas, quæ pæssurus es. Ecce, missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui vicerit, non ladetur à morte secunda.* Quibus verbis animũ illi addit ad tolerandã paupertatem & alias calamitates, adductis aliquib. rationibus valde efficacibus. Prima ac præcipua fuit; quia dicens ei: *nihil timeas*, certum eum facit, quòd ipse eum habeat sub sua protectione. Qui autem talem habet protectorem, non est cur timeat vllum persecutorem, & aduersarium: modò sit fidelis & promptus in obediendo. Ac propterea præclarè Sanctus Augustinus dixit: *quid times hominem ô homo in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere, quicquid ibi pæssus fueris ad salutem valebit, non ad perniciem.*

a *Apoc.* 2, 10

Serm. 6 de verbis Domini To. 10

2 SECVNDA ratio est, quòd huiusmodi calamitates eueniant per manum & artem dæmonis, vt ipsi probentur, & examinentur: id permittente Deo, vt magis pũrificentur, & perficiantur. Electi enim, qui à *paupertate spiritûs* incipiunt (quæ prima est octo beatitudinum, cui promissum est regnum cœlorum) transire debent per omnes vsque ad vltimam, quæ est *pati persecutiones propter iustitiam.* Tunc enim plenè erit ipsorum regnum cœlorum.

3 TERTIA ratio est: quia persecutio & paupertas non esset duratura nisi *per decem dies*: quod est tempus limitatum, & per se satis breue. Optimum autẽ est sese excitare & stimulare ad patiendum aliquo berui tempore: siquidem totum tempus est quasi decem dierum, si cum æternitate conferatur. Et quoniam præmium & pœna proposita ma-

gnum

gnum addunt animum adiunxit Dominus *quartam* rationem dicens: *esto fidelis vsq; ad mortem*, perseuerans scilicet bene in tuo officio, in faciendis eleemosynis, & ferendis persecutionibus: quia post hæc *dabo tibi coronam vitæ*, quæ est æterna, & habebis vitam beatam. Nã *qui vicerit non lædetur à morte secunda*, quæ est æterna in inferno: & ita cessabunt omnes calamitates, & miseriæ; erisque diuitijs & solatijs plenissimus. Ex quo apparet, quã fuerit intimum solatium, quod Deus sancto huic Prælato dedit, cùm dixit: *scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam.* hoc est non existimes casu aliquo hæc euenire, & quasi ego non videam eorum grauitatem, & copiam gratiæ, quam ad ea perferenda tibi impertior: scias enim *te deuitem esse* diuitijs meis spiritualibus: & quia tu talis es, *blasphemaris* ab impijs. Confide tu mihi & nihil timeas: mea enim gratia te efficiet toti mundo superiorem.

Denique Dominus noster hic proponit documentum aliud gubernationis pro Prælatis: ad quos spectat, bonos subditos etiam coram laudare, cùm eos vident afflictos, & in tribulatione positos: ne animo deficiant, aut fiant pusillanimes: sed potius erigantur, & animentur, ad progrediendum & perseuerandum, adferendo aliquas rationes ad id accommodatas: in huiusmodi enim casibus non tam est timendum periculum inanis gloriæ, quàm pusillanimitatis. Attendendum est autem ei parti, ex qua maius imminet periculum.

Vide quæ dicta sunt Tomo. 2. Tract 9. c. 9.

(∴)

CAPVT XV.

TERTIA EPISTOLA AD EPISCOPVM ECCLESIÆ Pergami aduersus Prælatos negligentes in reprehendendis & puniendis, & à communitate reyciendis scandalosis: & ratio ea aptè faciendi & præmium diligentium in eisdem præstandis.

TERTIA EPISTOLA, AD EPISCOPVM PERGAMI DESTINATA, tendit rectà contra Prælatos existimantes: satis sibi esse, quòd non transeant ad partes improborum, quibus non audent resistere, contra quos Prælatos eximit Christus Dominus noster gladium sue iustitiæ, licet temperatæ consuetâ suâ misericordiâ: & ita ait: a *Hæc dicit qui habet romphæam vtraque parte acutam: scio vbi habites, vbi sedes est satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos vbi Satanas habitat. Sed habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalũ coram filiis Israël, edere, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age: si quo minus, veniam tibi cito: & pugnabo cum illis in gladio oris mei.*

a *Apoacl. 2 12.*

b *Num. 24. 3. & c. 25. 2. & c. 31. 16.*

VT causa huius reprehensionis benè intelligatur, reuocanda est in memoriam impietas Prophetæ b *Balaam, quem Rex Balac ad se vocauit, vt malediceret populo Israel.* Cumque Deus hoc ei non permitteret: ille suasit Regi, vt multas mulieres mitteret ad castra Israel, quæ illos prouocarent ad *fornicandum, & vescendum cibis.* qui sacrificabantur *idolis, & vt illa adorarent.* Hunc impium Prophetam imitabantur Hæretici Nicolaitæ, scandalizantes Ecclesiam, ac docentes pestiferam quandam doctrinam circa gulam ac luxuriam, dicentes, quòd mulieres deberent esse omnibus communes. Quod scandalum cum prævaleret & crescceret Pergami, dixit Dominus, quòd Satan haberet ibi sedem suam. Ibi enim Cathedram suam regiũq; Thronum habet, vbi conueniunt Balaam & Balac falsi scilicet Magistri, & potentes tyranni ad decipiendũ ac scandalizandũ populũ Dei. Quemadmodũ in regionib. Septemtrionalib. conuenerunt Lutherus & Caluinus, alijq; Hæresiarchæ cum Rege Henrico octauo, aliisq; Principibus ac Potentatibus ad seminandam hæresim; laxara om-

nium

nium conscientia ad omnia, quæ continentur sub *edere & fornicari*. tradentes scilicet sese omnibus sensuum voluptatibus, laxatis omnibus habenis. Cùm igitur Ciuitas Pergami tot haberet scandala: volens Christus D.N. torporem Episcopi reprehendere, inchoat suam Epistolam à commiseratione, & laude eius boni, quod habebat: *Scio*, inquit, *vbi habitas*, & compatior de omnibus, quæ in hac Ciuitate sustines: in qua Sathanas sedem suam habet, magnamque potestatem cum improbis suis Ministris. Agnosco autem in te duo bona; primum, quod non deseruerisCiuitatem sed permanseris constans: quod mihi valde placet: secundum quod firmus perstiteris in confessione fidei meæ & veritatis, quam ego doceo; nec secutus fueris impiam horum hostium meorum doctrinam: in quo imitatus es fidelitatem & constantiam tui prædecessoris, meique testis ac Martyris Antipas, qui in eadem Ciuitate fidem meam confessus fuit, ac defendit: ob quam causam permisit se immitti in bouem æneum ardentem, vbi mortuus est, offerens seipsum in holocaustum propter amorem meum. *Surius. 11. Aprilis.*

§. I.

HAEC præmissa præfatione, incipit Christus Episcopum hunc reprehendere *quia habes*, inquit, *illic tenentes doctrinam Balaam*, & Hæreticorum *Nicolaitarum*. In quibus verbis tangit tres causas huius reprehensionis. *Prima* erat, quòd permitteret eos impiam suam doctrinam docere; nec disputaret, nec prædicaret cõtra illos, manifestando eorum errores; ne simplices deciperent: Prælati enim tenentur disputare, & resistere Hæreticis, falsisque Magistris, ad turbandam Cathedram & sedem Satanæ: quemadmodum fecerunt Sancti AMBROSIVS, AVGVSTINVS, & reliqui Ecclesiæ Doctores, accipientes a *gladium* ancipitem, *quod est verbum Dei*, quod ipse in Scriptura sua Sacra docuit, & ponit in ore Prælatorum, tanta efficacitate, vt suos hostes conuincant. *Ego enim*, inquit, b *dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri*. Ad quod significandum proposuit in hac Epistola titulum: *Hæc dicit habet romphæam vtraque parte acutam*. Et postea explicans causam, cur illam habeat, dixit: *pugnabo cum illis in gladio oris mei*, hoc est pugnabo per meos PRAELATOS, & PRAEDICATORES verbo & sapientia. Hoc enim bellum meum potius est, quàm ipsorum: ego pugno in eis, & per eos; illi autem pugnant ac vincunt mea virtute. Vt apparuit in solemni illa disputatione SANCTI STEPHANI cum doctis illis viris quinque nationum, aut Collegio-

I

a *Ephes. 6. 17.*

b *Luc. 21. 15.*

rum

rum qui habitabant in Ierusalem: & S. Stephani tanta erat efficacitas, vt dicat S. Lucas de illis omnibus, quod c *disputantes cum Stephano, non poterãt resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur.* vt intelligant Prælati & Ecclesiæ Doctores, quòd non debeant fieri pusillanimes, sicut Episcopus ille Pergami: sed disputationem aggredi contra Hæreticos cum magna fiducia de Sapientia & omnipotentia Iesu Christi, & gladio, qui exit ex ore eius: d *Hæc enim pugna non hominum est, sed Dei,* pro cuius gloria, & in cuius virtute peragitur.

c *Actuum* 6. 10.

d 2. *Paral.* 20. 15.

2.

HINC secunda oritur causa huius reprehensionis, cùm scilicet Prælatus non reprehendit vitia scandalosa & viscosa, quę nõ minus sunt perniciosa, quam ipsa falsa doctrina. silentium autem in his casibus (vt S. Gregorius aduertit) est pernicioſissimũ contra Deũ, contra Ecclesiam, contra ipsos subditos, & contra ipsiusmet Prælati animam: quæ valde inficitur culpis ortis ex ipsius vitioso silentio; manetque rea horrendarum pœnarum propter eas, iuxta illud Domini ad Ezechielem: *fili hominis speculatorem dedi te domui Israel. vt audiens ex ore meo sermonem, annunties eis ex me. Quod si me dicente ad impium: morte morieris: non annuntiauerit ipse impius iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram.* & securam exigam à te rationem de ipsius peccato. Cuius sententiæ sensum explicans Sanctus Prosper, ait: nisi tu eum de peccato eius reprehendens, vt conuertatur & viuat: *& te, qui non increpasti, & ipsum, qui, te tacente peccauit, flammis perennibus perdam. Quis rogo tam saxei pectoris erit, quem sententia ista non terreat? Quis tam alienus à fide, qui sententiæ istius non credat.* Idem perpendit Sanctus Gregorius, hanc reddens rationem, cur Deus Prælatum tacentem puniat. *quia ipse,* inquit, *hunc occidit, qui eum tacendo morti prodidit:* hoc est mori permisit. Et ita subditorũ ac Prælatorum peccata sunt quodammodo innexa: si quidẽ illis pereuntibus ob peccatum, quod perpetrant; hi pereunt ob neglectam admonitionem, & correptionem; quam adhibere tenebantur: vt illi à peccatis retraherentur. Quare ingenti animi valore debent Prælati prauas noxij huius silentij radices mortificare, & euellere: ne ipsius ruinæ ac perditioni adferat occasionem. Quas radices, ait Sanctus Hieronymus, esse tres vel quatuor pertissimas: pusillanimitatem, aut torporem, aut adulationem, aut timorem amittendi quod ab eis sperabat. Sed amplius idem explicauit Sanctus Augustinus, dicens: nihil ita retrahere Prælatos à reprehensione improborum, quàm timor asperi verbi, hoc est murmurationum, irrisionum, & opprobriorum hominum superborum; aut timor amittendi aliqua bona temporalia. *Et timentes* ait, *perdere temporalia, minus quam oportet prædicant æterna.* Qui autẽ hos timores & cupiditates bene mortificatas habet, magno animo resistit Sathanæ, & contendit eius Cathedram subuertere, &

2. *Part. Pastor. c. 4.*

Ezech. 3. 17 *& c.* 33. 7. *vide Canisium c. de peccatis alienis § 1. & 9. lib. 1. de vita comtemplat.*

Homil. 11. *in Ezech.*

In c. 3. *Ezech. 11. q. 3.*

lib. 50. *Homil.* 7.

opponit

opponit se falsis Prophetis, qualis erat Balaam; reprehenditque Reges Tyrannos, qualis fuit Balac; & præfert vitam amittere loquendo, quàm cõseruare tacendo ac dissimulãdo culpã alienã: quia sic facit illã propriã.

Tertia causa reprehensionis huius Episcopi potuit esse, eò quòd retineret in sua Ecclesia Nicolaitas, cũ teneretur eos ab ea repellere. Quòd si nõ potuit corporaliter, illos è Ciuitate eijciẽdo, potuit saltẽ spiritualiter eos reijcere per excõmunicationẽ, separando eos ab Ecclesiæ gremio, & à cõmunicatione cũ cæteris fidelib. vt omnibus illos habẽtibus pro maledictis, & excommunicatis: eos fugerent, & ita non adhęrescerent illis scabies impiæ doctrinæ, & vitæ scandalosæ. Ac propterea dixit Apostolus Galati: *e vtinam abscindantur, qui vos conturbant*, & faciunt in tot errores impingere. Et Corinthijs, f. *nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit: auferte malum à vobis ipsis*; malum scilicet & improbum, eisque improbitatẽ: ne eius pestis vos inficiat. Nam (vt ait S. Hieronymus) impia doctrina est sicut scintilla ignis: quę, nisi initio statim extinguatur, magnã excitat flammam; & sicut ouis scabiosa: quæ nisi separetur à grege, totum illum inficit; est sicut cancer, qui, nisi citò abscindatur, totum corpus corrumpit. Scintilla vna fuit Arius: qui, quòd non statim fuit extinctus, totum quasi mundum combussit. Quod si Prælati non possint per seipsos huiusmodi scintillas extinguere; & à Ciuitate expellere tales turbatorẽs: recurrere debent, & vti brachio seculari, & potentia Principum, eorumque Ministrorum, petentes ab eis auxilium ad eos remouẽdos. Pro cuius maiori intelligentia est aduertendum, quod Ecclesia Catholica sicut duas complectitur Respublicas, Ecclesiasticam & Secularẽ; & vtramque cum suis capitibus, quæ illam gubernant: ita duplicem habet potestatem cum duplici gladio; vnam spiritualem; alteram corporalem. De quibus licet accipere id, quod Apostoli in nocte passionis Christo D. N. dixerũt: g *Domine ecce duo gladij hic.* Quibus Dominus respõdit: *satis est.* Spiritualis gladius est proprius Reipublicæ Ecclesiasticæ; estq; excõmunicatio, de qua diximus: instar enim gladij separat, ac diuidit ab Ecclesiæ corpore eum, qui cum ipsa erat vnitus: dicitur autẽ gladius hic esse in ore, quia eius vis cõsistit in prolatione sententiæ, quę ore profertur. Est autẽ anceps, eo quod penetret ac vulneret vtramq; hominis partẽ: præcipuè quidẽ animã, quam priuat bonis spiritualibus Ecclesiæ, & postea corpus, quod separat à communicatione corporali cum reliquis Christianis. Gladius corporalis magis proprius est Reipublicæ secularis, de quo dixit Apostolus, quod h *potestas illa non sine causa gladium portet.* Hic autem gladius est in manu, ad puniendum, & corporales pœnas infligendas: quando ita expedit: abscindendo scilicet, & separando corporis membra vel ipsos ciues à sua Republica, mittendo eos in exilium, aut inferendo mor-

c *Galat.5.12*
f *1.Cor.5.8. 1249 3.C. Recen, enda*

g *Luc.22.38*

Ita eam appellat Concil. Triden. Sess. 24. c.3. de Refor.

h *Roman. 13. 4.*

tem. Et hic seruit ipsi Ecclesiæ, & (vt ait S. Bernardus) dicitur ipsius: non quòd illa illum eximat per seipsam, ser per manum filiorum suorũ Principum secularium, qui in hac re obediunt, & obsequuntur matri suæ. In quo sensu licet accipere, quod Christus Dominus S. Petro dixit i *mitte gladium tuum in vaginam*: quamuis enim tuus sit: quia iubere potes, vt educatur ex vagina: non tamen tuum est illum educere, sed Regum & Iudicum secularium, ad quos spectat punire huiusmodi pœnis mortis. Est etiam tuum: vt eo persequaris Hæreticos, & rebelles subditos tempore & loco opportuno: non in vindictam propriam; sed vt honorem Dei tueris, eiusque fidem ac Religionem in ouibus tuis conserues, easque à luporum dentibus eruas. Ex quo intelligitur: Prælatos iuxta Regulam S. Pauli, discipulo suo Tito traditam, priùs debere delinquentes monere & corripere k *vna & secunda correptione*, dando operam, vt se emendent; post quam admonitionem, si adhuc illi pertinaces maneãt in suis delictis; eos, inquit, *deuita*, hoc est, abscinde gladio oris, excõmunicando eos, & ex Ecclesia reijciendo. Et aliquãdo ad aliorum cautelam & terrorẽ possunt ac merito debent recurrere adportantes gladiũ in manu: vt tales homines etiam ex mundo expellant: ne suorum errorũ peste peccatisq; adeò scandalosis mundũ ipsum inficiant. Hæc fuit semper Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, vt constat ex eius Decretis; & sancti Patres in praxi seruarunt. S. Augustet. etiã eam confirmat, reuocans sententiã contrariam, quâ priùs sequebatur. Nã in hoc, inquit, debẽ. Reges, quà tales sũt Christo Domino, eiusque Ecclesiæ seruire: remouentes potestate sua impedimenta Diuini obsequij. Ita promouit illud Ezechias Rex l *dissipans excelsa & conterens statuas* idolorum, & Rex Niniue idem præstitit, cum ciuitatem totam impulit m *ad ieiunia, & orationes, & recedendum à via mala*: vt sic placarent Deũ; similiter n *Rex Darius*, cùm *tradidit Danieli idolum Bel, vt illud, si bueret, & templum eius; misitque* Dei & eius hostes *in lacum leonum*; & Nabuchodonosor sub grauissimis pœnis o *prohibuit blasphemare nomẽ Dei, qui liberauit tres pueros de camino ignis*. In hoc ergo (ait S. Aug) seruiũt Dño Reges, in quantũ Reges: cùm ea faciũt, ad seruiendũ illi, quæ non possunt facere nisi Reges. nec mirum, quòd excitet Dñs Principes cõtra Hæreticos, & Schismaticos, ac perturbatores Ecclesiæ: cùm etiam Saram induxerit ad puniendam Agar ancillam. Agnoscat ergo seipsam Agar, suamque ceruicem flectat; & audiat, quæ Angelus ei dixit, cum ex domo suæ Dominæ fugit. Dixit enim Angelus ei: p *reuertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius*. Si itaque affligitur: id fit, vt reuertatur: & vtinam reuerteretur, vt eius filij simul cum filijs Iacob eandem acciperent hæreditatem. Mens enim Prælati non ea esse debet, vt ita repellat ab Ecclesia scidalosum, vt extra eam remaneat: sed punire eum, vt ad eam redeat. Quemadmodum autẽ Sara recepit quidem ancillam suam Agar reuertentẽ; sed

lib. 4. de cõsid. ad Eugenium.
1. *Ioan.* 18. 11.
k *Titi* 3. 10.
2. 2. q 1 vsq; ad 8. S Tho. 2. 2 q 10. a. 8. & q 11 a. 1. *Epist.* 48. *ad vitalem.* & 50. *ad Bonifa.*
l 4 *Reg.* 18. 4
m *Ionæ* 3. 7.
n *Daniel.* 14. 21.
o c. 3. 96. *Tract.* 11. *in Euangeliũ Ioan.*
p *Gen.* 16. 9

cum

cùm postea aduerteret: q quòd *Ismaël eius filius* (vt Apost. ait) *persequeretur* & corrumperet *Isaac* filium suum vnicum, docens eum malos mores: matrẽ & filium ita è domo sua eiecit, vt amplius non reuerterẽtur: quod factum approbauit Deus ipse, etiamsi graue ac seuerum ipsi Abrahamo videretur: ita etiam quando Ecclesia eiusq; Prælati vident pertinaciam Hęreticorum, & impiorum peccatorum in persequendis pijs ac bonis; & docendis detestandos mores, ac doctrinas: debent eos è gremio suo eijcere; & libenter videre quod etiam ex mundo exterminentur. Præstat enim (ait S. Bernardus) eos reprimi à potestate, quæ gladium gestat in manu: quàm permittere vt viuant cum tanto aliorum detrimento. Et quãuis qui ita punitur, culpa sua dãnetur in infernũ: minus tamen id malũ est, quã vt multi alij eius causâ dãnẽtur. Quare Prælatus, qui prętextu pietatis hanc pœnam retardaret; non Prælatus, sed crudelis censeretur: nam seueritas in hoc negotio non crudelitas sed pietas censetur. Nonne (ait S. Ambrosius) cũ vni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis cõtagium prouocari? facilitas enim veniæ incentiuum tribuit delinquenti. Idem confirmat S. Hieronymus varijs exemplis superiùs positis: qui concludit: *non est crudelitas, crimina pro Deo punire, sed pietas*: cum ipse Deus in Lege antiqua iusserit: *si falsus aliquis Propheta, aut frater, aut filius, aut vxor, aut amicus quem diligis vt animã tuã, clãm persuadere tibi voluerit, vt recedens à cultu Dei tui, seruias dijs alienis: non acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt misereris & occultes eum: sed statim interficies. Sit primũ manus tua super eum & postea omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo*: nõ est enim misericordia illum occultare; sed potius est charitas eum lapidare. In quem tu primus lapidem mitte & ligna offer, quibus comburatur: & ita auferes malum de medio tui: ne alij eius scandalo comburantur. Si domus Dauid (ait S. Augustinus) non potest habere tranquillitatem, & pacem, nisi filius eius Absalon occidatur in bello, quod ipse contra proprium parentem gerit: minus certè malum est, quod ille occidatur, quã quod illa tota turbetur, & scãdalizetur. Quamuis enim *pater* pietatis viscеribus *cupiebat illum viuere*, vt pœnitenti peccata remitteret; quia tamẽ in peccato suo mortuus est: hoc habuit ipse solatij, vt perditum *defleret, & pacem videret domus & regni sui*, quæ ex eius morte fuit secuta. Ita etiam Ecclesia nollet quidem mortem oppugnantiũ ipsam: si tamen aliter fieri non possit, vt illa conseruetur: æquanimiter fert mortem, & iacturam vnius filij, propter multorum pacẽ. In cuius confirmationem adferens S. Augustinus exemplum cuiusdam Sancti Episcopi, petentis ab Imperatore auxilium ad suam Ecclesiam tuendam, ait: quod si prætermisisset, non fuisset eius laudata patientia, sed negligentia meritò culpanda. Magna enim est Prælati negligentia, si media non adhibeat, per quæ Ecclesiæ suæ scandala possint remoueri.

9 *Galat.* 4. 29.

Serm. 66. in cantica.

Serm. 8. in Psalm. 118. 23 q. 4. c. Est iniusta Epist. 53. ad R. pariũ aduersus Vigilantium 2 q. 8. c. Legi 1 Dent. 13. 5. 8.

Epist. 50.

2 Reg. 18. 5. 33. & 6. 19 8.

§ II.

a *Apoc.* 2. 16. QVONIAM hæc negligentia adeo est pernitiosa, dixit Christus huic Episcopo: a *pœnitentiam age: sin minus, veniam tibi cito*, & rationem exigam, puniamque culpam tuam. Apponit autem verbum *cito*, quia huiusmodi Prælatorum negligentia exigit celerem punitionem, vt impediatur damnum ab ea proueniens. Ne autem excusationem prætendat, quasi non habens sufficientes vires, & subsidia ad resistêdum Nicolaitis, addit: *& pugnabo cum illis in gladio oris mei*: hoc est, vt supra insinuauimus: ego tibi in prœlia adero, & in te pugnabo contra eos, verba tibi suggerens, & rationes, ac vires præbens, ad eos reprimendos. Quod si rationes non sufficient, vt ipsi se dedant: pugnabo contra huiusmodi sedatores Balaam gladio iustitiæ meæ, vindictam de eis sumens. Quêadmodum enim scriptura refert, quod, cũ Balaam pergeret ad maledicendum

b *Num.* 22. 21. populo Dei, apparuerit ei *Angelus euaginato gladio*, minans ei mortem, si populo Dei malediceret. Qui etsi tunc non maledixit: quia tamen pessimum dedit consilium Balac: fuit postea

c *C.* 13. *occisus gladio filiorum Israël*: quia non potuit Diuinæ iustitiæ gladiũ effugere. Ita etiam Christus D. N. ait, se percussurũ omnes hos rebelles peccatores gladio oris sui, hoc est efficaci suo imperio; quo interficit, aut iubet tales reos interfici, quo ipse voluerit modo. Et quando Prælati aut non audent, aut non possunt rebelliones & scandala Hæresiarcharum, & potentum huius mundi reprimere: potest (vt ait Apostolus)

d *2. Thessal.* 2. 8. d *spiritu oris sui eos interficere*, cùm minimè cogitant. Sicut interfecit

e *Act.* 12. 23. e *Regem Herodem*, iubens *Angelum* quidam percutere *eum sedentem in throno gloriæ suæ.*

Sed quoniam huius Domini desiderium est, vt gubernatio sua progrediatur spiritu amoris, & suauitatis: moderatur gladij seueritatem iucundissima quadam promissione, dicens:

f *Apo.* 2. 17 f *Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis: vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Opus certè est aurem arrigere ad audiendam & intelligendam hanc promissionem, quam Spiritus sanctus facit non soli Ecclesiæ Pergamenæ, sed omnibus mundi Ecclesijs: ad quas etiã dirigit reliquas harũ Epistolarum promissiones. Iucunda enim ac benenola eius prouidentia liberalitatẽ se vult ostendere in fauoribus ac prœmijs promittẽdis quã in punitionũ minis. Minę nõ alijs propoũntur, quã reis, promissiones aũt omnib. fiũt quã vincẽdi conditionẽ impleuerint. Atq; si diceretur Prælato, eiusq; subdito & Christiano cuicũq; magno aut paruo, qui sit Ecclesię Catholicę pars, in quacũq; particulari Ecclesia viuenti: si viceris vitia & peccata, tuosq; hostes Dęmonẽ, mũdũ, & carnẽ; tuoq; muneri satisfeceris, dabitur tibi mãna absconditũ delitiarũ cœlestiũ in prœmiũ quod abstinueris ab escis & car-

nalis-

nalitatibus, quas docent Nicolaitæ, & sensuales delitias mortificaueris. Calculus quoq; albus ei dabitur ac pretiosus puritatis, charitatis, ac fortitudinis cum reliquis virtutibus, quæ sunt æternæ vitæ pignus; & simul dabitur nomen nouum filiorum Dei, & fratrum Christi, eiusque cohæredum in sua gloria, cum innumeris alijs delicijs, diuitijs, ac fauoribus, quæ in his tribus rebus continentur, vt fusiùs explicatum est in Tractatu de Sanctissimo Altaris Sacramento: vbi eas legere licebit cuicunque cupienti, se erigere celsitudine huius promissionis, ad pugnandum strenuè; vt vincat & consequatur æternæ gloriæ coronam. *Tomo 1. Tract. 4. cap. 7.*

Sed nunc hæc præmia cum aliquibus documentis applicemus bonis Prælatis: ad quos spectat, ita gladium in ore portare, vt simul habeant manna absconditum. Nam (vt S. Gregorius ait) quemadmodum in Arca Testamenti simul cum Tabulis Legis continebatur Manna absconditum, & virga Moysis: ita in pectore boni Prælati simul esse debent virga rigoris, & manna dulcedinis: vt curet seruari legẽ Dei. Cùm agit cũ peccatoribus pertinacibus ac rebellibus, expedit, vt prodeat ex ore gladius anceps: remanente tamen in corde abscondito manna dulcedinis: punire enim debet non cum odio, & rancore; sed cum amore Dei, & boni publici. Cùm autem agit cum subditis promptis ac paratis ad obtemperandum: abscondat gladium, quem ad tempus opportunum reseruet: ostendat verò manna proferens dulcia ac beneuola verba: ideò enim dicitur de Ecclesia: quod g *eius labia* sint *fauus distillans, & mel & lac sint sub lingua eius.* Quoniam autem etiam obedientes ac dociles solent aliquando tanquam homines imbecilles impingere; & aliqua punitione indigent: ea non est adhibenda gladio interficiente; sed virga percutiente ad sanandum: ita vt vulnus salubri medicina curetur, euacuato prauo humore, qui turbat & torquet. Ac propterea Dauid dicebat Deo: h *virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* virgâ enim (ait idem S. Gregorius) percutimur, baculo autem nos sustentamus. Quare in Prelato, si est districtio virgæ quæ feriat: sit & consolatio baculi, quæ sustentet; sit amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè feruens; sit pietas, sed non plus, quàm expediat, parcens; & si gladium eduxerit, vt aliquos percutiat: id faciat ad remedium & consolationem aliorum, & ad ipsosmet à grauioribus malis liberandos. Eum in modum, quo Moyses cum deprehendit horrendum illud delictum eorum, qui vitulum conflatilem adorauerant: volens iram Dei placare puniendo aliquos: i *iussit Leuitas gladium suum accipere; & transeuntes per castra*, plurimos illorum *occidere.* sed idem tamen Moyses tantam intus in corde suo habuit pietatem, vt diceret ipsi Domino: *aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis: dele me de libro tuo quem scripsisti.* Et ita (vt S. Gregorius) facilè

1 *Lib. 20. Mor. c. 8.*

g *Cant. 4. 11.*

h *Psal. 22. 4.*

i *Exod 32. 27. 32.*

ostendit, quod intus arsit ignibus amoris, & foris accensus est zelo seueritatis. Hocitaque est primum præmium, quod largitur Dominus bonis Prælatis in hac vita.

2

SECVNDVM præmium est candidi calculi: in quo insinuat antiquam iudicum consuetudinem, qui, ad sententiam ferendam, suffragia sua dabant calculis candidis, & nigris: candido enim absoluebant reum, nigro verò damnabant. Quod insinuauit Ouidius, dicens:

5 Metamorphos.

Mos erat antiquis niueis atrisque lapillis:
His damnare reos, illis absoluere culpâ.

Cum igitur Prælati sint Ecclesiæ iudices, & in vtroque foro interiori & exteriori potestatem habeant ligandi atque soluendi: ideò possunt calculis vti candidis ac nigris: dantes absoluto candidum absolutionis calculum, quo illum liberum pronuntiant: & in foro Sacramentali simul dat candidissimum gratię calculum, quo redduntur niue candidiores: quando autem non absoluunt, sed damnant: dant ei atrum calculum, quia eum relinquunt in sua culpa, aut alicui pœnæ subijciunt. Altero eum lætificant, altero contristant: quamuis, quantum in se est, vellent calculum candidum omnibus dare, nulli autem nigrum: nisi cum eius peccata id exigunt. Et tunc eum contristant pœna in hac vita ei imposita, vt oculos aperiat seseque emendet, & ab æternâ liberetur. Quocunq; autem modo bonus Prælatus iudicet, siue absoluat, siue liget, siue consoletur, siue puniat: promeretur sibi, vt Deus in finali iudicio det ipsi candidum calculum, & sententiam pro ipso proferat, iucundis illis verbis, quibus vtetur ad eos, qui talentis sibi concreditis fideliter sunt negociati: k *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui:* addetque tunc illi nomen æternæ gloriæ, propter bonam muneris sui administrationem, iuxta illud Ecclesiastici: l *In medio Ecclesiæ aperiet os eius, & adimplebit illum spiritu sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ vestiet illum. Iucunditatem, & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hæreditabit illum.*

k Matth. 25. 21.

l Eccl. 15. 6.

3

ET hoc est tertium præmium bonorum Prælatorum, quod ipse Dominus appellat nomen nouum. Habet enim ipse in more, antiquum nomen in aliud nouum valde præclarum commutare, conforme illi fini & scopo, ad quem illum eligit: remunerans eâdem operâ obsequia sibi præstita. Patriarchæ Abram, postquam exiuit è terra sua mutauit nomen in m *Abraham*, quod significat: *patrem multarum gentium* præclarissimarum. Et Patriarchæ Iacob, postquam luctatus est cum Angelo mutauit nomen in *Iacob* in nomen *Israel*, quod significat *fortem contra Deum*, aut videntem Deum: o *Gedeon* quoque *postquam Aram Baal destruxit*, voluit Deus, vt *vocaretur Ierobaal*, hoc est destructor idoli Baal. Ita etiam remunerat ser-

m Genes. 17. 5. n 6. 32. 27.

o Iudicum 6. 32.

uorem

uorem ac diligentiam boni prælati: dans ei nomen nouum summæ gloriæ, facienſq; eum ſicut Abraham Patrem multarum Gentium, ob multos filios, quos Chriſto lucratur; & ſicut Iacob, fortem contra Deum, per orationem extollens eum, vt ipſum videat; & guſtet per contemplationem: & ſicut Gedeon facit ducem populi ſui, ad deſtruenda omnia idola, quæ peccatores adorant. Et in his omnibus nominibus præbet ei dulcedinem quandam, & ſuauitatem: quam nemo noſſe poteſt, niſi qui accipit. Nam exterius apparet ingens labor, quem ſuſtinet; interius autem maxima eſt conſolatio & lætitia, qua fruitur: iuxta illud Apoſtoli: *propletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Idque ſentiunt in tanta abundantia, vt conſolari poſſint reliquos afflictos & tribulatos, adiuuantes eos vt ſuas facilè ferant tribulationes.

p 2. Cor. 7. 4 & c. 1. 4.

CAPVT XVI.

QVARTA EPISTOLA AD EPISCOPVM THYATIRÆ de Zelo Prælatorum circa caſtitatem propriam & ſubditorum, & remouendas occaſiones & pericula; quantaque bona cæteris hinc prouenian.

QVARTA EPISTOLA QVAM CHRISTVS DOMINVS SCRIPSIT ad Epiſcopum Thyatiræ, eiuſdem fermè eſt argumenti, cuius proxima præcedens: in qua tamen ſunt quædam alia documenta pro Prælatis: cuius initium eſt tale: a *Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco: noui opera tua, & fidē, & charitatem tuam, & miniſterium, & patientiam tuam, & opera tua nouiſſima plura prioribus. Sed habeo aduerſus te pauca quia permittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit Propheten, docere, & ſeducere ſeruos meos fornicari, & manducare de idolothytis.* Sed priùs quam vlteriùs progrediamur, expendamus laudes huius Epiſcopi: non enim ſolum fidem, charitatem, patientiam, & feruorem in ſuis miniſterijs ſeruauit, ſed ſemper nouas virtutes accretiones præteritis addebat. eſt autem magnæ ſanctitatis indicium ita in primo feruore perſeuerare, vt non retrocedat; ſed potius ſemper vlterius progrediatur. Sed præter hæc valde eminebat in temperantia, & caſtitate: vt conſtat ex eo quòd cùm Ciuitas illa Thyatira valde ferueret ſordidis libidinibus, quas maledicta quædam fœmina fouebat, alliciens plurimos deceptos poſt ſe: Sanctus tamen hic Epiſcopus non eſt reprehenſus, neque monitus de aliqua macula huius generis, quæ ipſum tangeret: quod eſt magnum indicium temperantiæ & caſtitatis,

a *Apocal.* 2. 18.

qua

qua ille vitam ducebat. Et eadem præluxit in Episcopo Pergami, ad quem fuit tertia Epistola data. Qui etsi habitaret, vbi Sathanas sedē carnalitatis ac turpitudinis habebat, propter Hæresim Nicolaitarū: erat tamen in seipso temperans, & castus: & vterque lucebat tanquam lucernæ ardentes b *in medio nationis pravæ*, & sensualis; & sicut alter c *Lot habitans in Sodoma*, horrebat vitium Sodomitarū. Et hæc vna est causa, cur Christus Dominus noster in his Epistolis hos Episcopos appellet Angelos, quia reuera tales erant in vitæ puritate; & habitantes in fornace carnalium turpitudinum, non lædebantur à flamma. Et ipsius Christi desiderium est, vt omnes Prælati Angelicam hanc puritatem sectentur: non solum ob rationes omnibus Sacerdotibus communes (vt dictum est in primo Tractatu) nec solùm ob eas, quæ spectant ad Confessarios, quæ positæ fuerunt in secundo: sed etiam quod sint in loco excelso: quos totus mundus aspiciat; & quod sint Magistri castitatis, eiusque propugnatores, quod protestantur in sua consecratione. Interrogati enim: *vis castitatem & sobrietatem cum Dei auxilio custodire & docere?* respondent: *volo*. Ac propterea Apostolus inter virtutes elegendorum ad Episcopatus semper numerat ac repetit temperantiam & castitatem cum ait: *oportet Episcopum sobrium esse, pudicum*, d *continentē*. Quod si vxorem habuisset, dicit debere esse vnam tantum, & non plures: in signum suæ continentiæ: cuius filij essent ipsi subiecti in omni castitate, absque vlla luxuriæ nota: vt filiorum castitas testimonium præbeat castitati paternæ; & vt ipsi Prælati intelligant, quòd non debeant esse contenti sola propria castitate, sed etiam dare operam, vt omnes subditi illam colant, quisque in eo continentiæ gradu, qui ei conuenit, nec permittere eis occasionem aliquam, aut notam fornicationis aut luxuriæ. Totum enim redundaret in ipsorum culpam, & honoris imminutionem.

b Philip. 2 15.
c 2. Petri. 2. 8.
C. 10.
C 8.
c 1. Tim. 3. 4.
d Titi. 1. 6.

§. I.

HAEC autem fuit causa, cur Christus Dominus noster vtrumque hunc Episcopum reprehenderet: quòd in suis Ecclesijs alter permitteret Nicolaitas turpes & carnales, alter verò quandam nequā fœminam carnalem ac deceptricem, quæ suis carnis vitijs populum inficiebat, & fingebat se esse Propheté, cùm verè esset Sathanæ Prophetes, ac doceret, licitum esse fornicari, & vesci idolothytis: vt absque vllo pudoris freno traderent sese vitijs ipsius. Huius generis fuerunt illo tempore aliquę, qualis fuit Priscilla, & Maximilla & aliæ similes, quas refert S. Epiphanius. Vocantur autem nomine Iezabel, quæ multū excelluit in persequendis iustis, a *Naboth* & *Elia*; mille fraudibus promouens cultū idolorum, & falsorum eorum Prophetarum. Quamobré digna fuit ac promeruit, vt cùm b *oculos suos stibio pictos, & caput ornatum haberet, præcipi-*

Li 2. Hæresi. 51.
a 3. Reg. 19. & 20.
b 4. Reg. 9. 30.

tur.

retur ex fenestra deorsum, & vngulæ equorum eam calcarent, & canes comederent eius carnes. Hoc genus scelestarum fœminarum potest etiam vocari *sedes Sathanæ*: quibus tanquam instrumentis ille vtitur ad homines decipiendos; & interdum per eosdem seminat aliquos errores. Et in singulis ciuitatibus gaudet se habere aliquam talem illis sceleribus plenam, quibus Salomon in suis prouerbijs, eam depingit valde attentam, & solicitam c *ad capiendas animas*, ac iuuenes decipiendos, vt *eam sequantur tanquam bos ductus ad victimam, & agnus ad macellum.* Estq́; incredibile quantum adferat Ecclesiæ detrimentum: cuius tamen rei reddent Prælati rationem, qui eam non reprehundunt cum asperitate; nec procurant impedire efficaciter. Quamuis autem Dominus noster molliter hunc Episcopum reprehendat, dicens: *habeo aduersum te pauca*; nec ei sicut alijs minetur fortè propterea quòd eius culpa esset leuior, ob exiguas vires ad repellendam & abijciendam maledictam hanc sementem. qui autem tacent, nec faciunt quicquid possunt, vt eam euellant: digni sunt magna reprehensione, ac pœna; & tali silentio imminuunt apud alios suæ castitatis opinionem: qui enim tacet, consentire videtur. Ac propterea S. Gregorius ait Isaiam eos vocare d *canes mutos, non valentes latrare* contra lupos disturbantes, ac dissipantes gregem Christi. Cùm mala, inquit, corrigi loquendo possunt; silentium consensum esse pertimescunt; ideoq́ue statim idem Propheta de eisdem subiungit: *canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi Pastores ignorauerunt intelligentiam*; & nihil aliud sciunt quã comedere, dormire, & sibijpsis indulgere: ita vt nunquam se reputent saturatos, nec alteri rei studeant quam auaritiæ suisq́ue commoditatibus dicentes: *venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate.* Quid igitur iustus iudex faciet, tales videns pastores, gregemq́ue suum eorum culpâ perire? Num & ipse canis erit mutus, sicut illi? verum est quidem ipsum ad tempus tacere, ac dissimulare, aut monere & corripere blandè, dans eis locum pœnitentiæ. Quid si emendatio non sequatur: audiat quid ipse per eundem Prophetam dicat: e *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir prælator suscitabit zelum: vociferabitur & clamabit: super inimicos suos confortabitur. Tacui semper, silui, patiens fui: sicut parturiens loquar: dissipabo & absorbebo simul.* Nam (vt S. Gregorius ait) quò diuturnior est patientia Dei, sustinendo eos & tacendo: eò postea erit terribilior in puniendo. Quod insinuat cognomen, quod sibi imposuit in hac Epistola, cùm ait: f *Hæc dicit qui habet oculos tanquam flammã ignis, & pedes eius similes aurichalco*: ita enim carnales aspicit, vt iræ flammas in eos mittat, nisi se emendent. Quamuis autem ad puniendum plumbeis, vt vulgo dicitur, pedibus vadat; ac tardè incedat, expectans vt conuertantur; vbi tamen eorum videt repugnantiam & rebellionem, ponit super eos pedem, & tremenda fortitudine eos

c Pro. 7. 10.

Lib. 10. Mor. c. 14. 1. P. Pastor. cap. 4.

d Is. 56. 10.

e Is. 42. 13.

f Apo. 2. 18.

premit: quod fecit contra hãc Iezabelem, eiusque sequaces. g *Ego*, inquit, *dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere à fornicatione sua. Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint: & filios eius interficiam in morte, & scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes & corda: & dabo vnicuique vestrum secundum opera sua.* Quasi dixerit: cum illa noluerit ex mea misericordia fructum capere, & se emendare, & purgare à suis sordibus: puniam meâ iustitiâ illam pro meritis: vt eius scelera impediam, ne plurimũ noceat. Permittam eam incidere in morbum doloribus & pudore plenum, quali solent laborare huiusmodi fœminæ, & viri carnales. Ibi tenebitur vincta compedibus humorum, & torquebitur doloribus quasi carnificibus; comburetur æstu febrium, deformabitur pallore huiusmodi infirmitatis, & luet in septulum voluptates suas sensuales. Quòd si nec tunc emendare se voluerit, ex lecto illo proijciam eam in lectum inferni; & h *subter ea sternetur tinea, & operimentum eius erunt vermes*, linteamina autem & pului naria eius erunt ignes æterni. Eandem etiam pœnam subibunt eius complices, qui scilicet cum illa peccant: omnes enim morientur morte adeò horrenda, vt mundo toti metum incutiat; & omnes ex ea agnoscant: magnum Deum nostrum habere oculos igneos, & rimari occulta cordium hominum: ita vt non lateant illum vlla peccata carnalia, quamuis occultè fiant; & in corde tantùm conficiantur: & puniet omnes iuxta opera eorum: ipsos lasciuos: eò quòd non se emendauerint; Prælatos verò ignauos & negligentes: eò quòd eos non correxerint: quemadmodum puniunt infelici i *morte* duos Sacerdotes *filios Heli* ob eorum sordida carnis peccata; & ipsum *Patrem* ob negligentiam in eis corrigendis, & arcendis à talibus sordibus.

h *Isai.* 14. 11

i 1 *Reg.* 2. 31 & c. 4. 11.

Ex his Prælati accipiant monita, & remedia contra propriam ignauiam & subditorum licentiam, ad lasciuiam: memores vtrique oculorum igneorum, qui ipsos aspiciunt. Si enim hoc vitium adeò est impudens, vt nemo audeat coram alijs illud admittere; multoque minus filius coram suo parente, vxor coram suo viro, & seruus coram suo Domino, & ciuis coram iudice, & subditus corã suo Principe: quis audebit illud perpetrare in oculis Dei? Credens se videri ab eo, cui omnia sunt aperta; & quòd ab eo punietur pro meritis; & possibile sit quòd ab eisdem oculis prodeat aliqua flamma iræ, quæ in medio ipsius peccati ipsum comburat? Timeat, ne Deus per aliquem morbum horrendum conijciat in lectum; timeat, ne pulchritudinem & corporis elegantiã Deus illi auferat: qua ipse ad suam sensualitatem abutebatur; caueat, ne etiam honorem auferat in pœnam sordidæ voluptatis; ac deniq; timeat ne proijciatur in profundissimũ inferni lectum: vbi, etsi semper ardebit, nunquam consumetur; & tristi-

tia rabieque sese semper consumens, nunquam tamen sit futurus finis. Quia illa mors erit immortalis, & momentaneæ voluptatis pœna erit perpetuus & æternus planctus. Quòd si tanta est subditorum sensualium miseria: quanta censenda erit crudelitas Prælatorum: qui non adhibent omnes vires ad eam opportunè præueniendam? Aspiciant ipsi oculos Dei igneos, vigilantes super ipsos, vt ipsorum negligentiam puniant; & ita curent ipsi similes oculos habere, ad vigilandum, & reparandum damnum subditorum.

PRIMVM igitur adhibeant medium correptionis ac reprehensionis, ne sint canes muti, sed latrent contra inhonestos, etiamsi illi sint Reges: sicut latrabat S. Ioannes contra Herodem. Hoc autem facere debent non solum propterea quod Deo ad id sint obstricti, & vt illi satisfaciant: quæ causa debet esse præcipua; sed etiam, quod id debeant bonæ suæ opinioni, quæ tali silentio imminuitur. Personæ enim publicæ non debent esse contentæ quòd honesti sint, sed dare debent operam, vt & bonam in hac re famam habeant, remouendo omnes occasiones, aliquiè contra eam obloquendi: quia famam suam etiam habent obstrictam bono subditorum. Nam (vt ait Sanctus Augustinus) quisquis à criminibus flagitiorum vitam suam custodit, sibi bene facit; quisquis autem etiam famam, in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra: aliis fama nostra.

lib de Bono viduitat. c. 22. Refertur 11. q. 3. c Non finit

Ex quo fit, quòd, cum huiusmodi peccata publica sunt & scandalosa, nec ad ea impedienda sufficit correptio & reprehensio: debeant Prælati manu arripere gladium excommunicationis, & separare putridum membrum ab Ecclesia; ne huiusmodi sordibus eam ampliùs inficiat. Ac propterea Sacrum Concil. Tridentinum constituit publicos concubinarios, si post ternam admonitionem non se emendent, esse excommunicandos, ad imitationem Apostoli, qui magno zelo quendam incestuosum damnauit, ac decreuit: k *tradere huiusmodi hominem Sathanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret.* Quod (vt Sanctus Augustinus explicat) fecit, eum excommunicando, & ab Ecclesia eijciendo; extra quam regnat Sathanas in omnibus ab ea præscissis, aut (vt ait Sanctus Ambrosius) tradidit eum Sathanæ, vt morbo aliquo graui carnem eius affligeret. Quemadmodum fecit Sanctus Iob, vt ex hac pœna cautior factus, & ad mentem rediens, animam suam saluaret: Hanc verò afflictionem vocat Apostolus interitum carnis, quia per eam moritur peccatis, & lasciuijs suis: vt spiritus viuat Deo. Ex quo fit, vt in huiusmodi casibus liceat Prælatis, & quibuscunque alijs personis orare DEVM DOMINVM NOSTRVM vt graui aliquo morbo tales personas visitare dignetur, vel in lectum per dies aliquot mittere, vt à peccatis abstineant, cessentque alios scandalizare.

Sess. 24. Decreto De Refor. Matrimonij. c. 8.

k 1. Cor. 5. 5 De verb. Apostoli. Serm 98. refert 1. q. 3. c. omnis idem c. Audi. lib 1. de Pœnit c. 12. & 1. 3.

Quod si neque hoc mediũ secundum sufficiet: licet Prælatis progredi ad corporalem pœnam, quæ illis permittitur, infligendam, Et, vt idem Concilium ait, inuocare brachij secularis auxilium, ad eos è Ciuitate pellendos, & grauibus alijs pœnis afficiendos, quibus & ipsi, & alij cautiores fiant: sic enim præuenient punitionem, è cœlo aliàs venturam: quam Deus minatur ciuitati, cùm in ea huiusmodi delicta permittuntur: vt constat ex ijs, quæ Deus Moysi dixit, cùm Sacerdos Phinees pugione confodit duos publicos fornicarios: l *Phinees, inquit, zelo suo auerit iram meam à filijs Israel, vt non ipse delerem illos in zelo meo.* Et propter hunc zelum Deus ipsum Phinees confirmauit in summo Sacerdotio: vtrumque enim bonum obtinent Prælati zelantes contra huiusmodi lasciuas personas: quòd scilicet præueniant maiora supplicia ab ira Dei imminentia; & seipsos dignos reddant, qui in suis officijs confirmentur, & stabiles sint; ac excellentiores fiant, vt in alio loco de Secularibus Principibus diximus. Et præterhæc: purgata ciuitate ab impio hoc hominum genere, qui illam inficiebant: magnam Deus exhibet remanentibus misericordiam; & singulari prouidentia magnos eis largitur fauores.

l *Num.* 25. 11. 1. *Machab.* 2. 54.

Tomo. 2. *Tra.* 4. *c.* 6

§. II.

HOC IPSVM distinctiùs insinuauit Christus D. N. vltima parte huius Epistolæ, dicens: a *vobis autem dico, & ceteris qui Thyatiræ estis: quicunque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt altitudines Sathanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus: tamen id, quod habetis, tenete donec veniam. Et qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo: & dabo illi stellam matutinam.* in quibus verbis tres insignes gratias, & fauores promittit Deus bonis ac diligentibus Prælatis; reliquisque Fidelibus, illos sequentibus; & à pessima Iezabelis & Balaam doctrina sibi cauentibus: detestando scilicet vitia carnis, & superbiæ, & mundanæ ambitionis; & reliqua, quæ falsi Magistri vocant Sathanæ altitudinem: cùm tamen reuera non sint altitudines, nisi in opinione malorum. Nam in rei veritate potiùs sunt profunditates errorum, ac deceptiones Diabolicæ.

a *Apocal.* 2. 24.

PRIMVS fauor & beneuolentiæ significatio est, quam exprimit illis verbis: *non mittam super vos aliud pondus*: quod scilicet in suo imposuit Euangelio, quod est onus leue, & iugum suaue: quo illos eximit ab onere antiquæ Legis grauissimo. Sed absque vlla comparatione onera Sathanæ, eiusque Ministrorum grauiora sunt Euangelicis. Etsi enim carni videantur leuiora, ac suauiora, ferunt tamen secum postea innumeras afflictiones spiritui: à quibus D. N. seruos suos expedit, ac liberat. Ac propterea eis dixit: b *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego*

b *Matth.* 11. 28.

reficiam vos: tollite iugum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Circa quod tantũ duo extrema vitiosa valdeq; pernicioſa ſunt vitanda: alterum prælatis, alterum ſubditis. Hi enim perſuadere ſibi debent Prælatos Eccleſiæ poſſe ac debere aliqua onera imponere præceptorum, quę non ſunt in Euangelio expreſſa; ſunt tamen neceſſaria, aut valde conuenientia ad implendum quod in eo eſt à Chriſto Domino inſtitutum. Neque tamen hoc aduerſatur ijs, quæ Chriſtus D. hic dixit quòd non imponeret ſuis fidelibus aliud pondus: nam in ſuo Euangelio ſuis Prælatis dixit: c *qui vos audit, me audit.* Quare onus quod illi imponunt, Chriſtus ipſe imponit: quando eius nomine & ad finem prædictum imponitur. Et hoc nomine SS. Apoſtoli aliquas conſtituerunt Leges pro vniuerſa Eccleſia. Et in actibus Apoſtolorum contra illos Hęreticos Nicolaitas, & alios ſimiles, dixerunt: d *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria:* nos enim ex eius inſpiratione loquimur; & ille loquitur per nos; vt non aliud onus vobis imponamus, quã *vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum,* propter ſcandalum, quod alijs talia manducando præberetis: *& à fornicatione.* Et eodem ſpiritu ſunt alia præcepta ad Eccleſia lata: quæ etſi videantur oneri: potius tamen ſunt leuamini. in quantum adiuuant ad implenda cum maiori ſecuritate onera Euangelij & ad nos expediendos à grauiſſimis Dęmonis oneribus. Ipſi tamen Prælati debent etiam aliud documentum ſeruare: ne ſcilicet vitam Chriſtianam grauiorem reddant nimijs oneribus, aut minus neceſſarijs: ne ſint ſicut Scribæ & Phariſæi erant, qui e *imponebant onera importabilia ſuper humeros hominum: & ipſi tamen nec digito ea attingere volebãt.* Et ne etiam illos ſequatur, qui ſuper onus Euangelij legem etiam veterem addebant: contra quos S. Petrus dixit: f. *quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices Diſcipulorum, quod neque noſtri, quæ nos portare potuimus.* Teneant igitur Prælati medium diſcretionis ſtatuentes præcepta & ordinationes conuenientes, iuxta tempora & ſtatus ſubditorum: qui tamen non debent ſe ingerere, vt diiudicent onera, quę à Prelatis imponũtur; ſed ſimpliciter obedire, eaq; cum animi ſubiectione ſeruent. Siquidem ipſement Saluator, loquens de Scribis & Phariſæis, qui Moyſis Cathedram occupabant, & grauia onera imponebant, dixit populo: g *quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite:* etiamſi illi ea non ſeruent.

Hoc melius adhuc intelligetur ex ſecundo fauore quem hic oſtendit, promittens quòd *vincenti Iezabelem, & altitudines ſatanæ;* cum firmo animi decreto perſeuerandi in ipſius obſequio vſque ad vitæ finem, h *dabit poteſtatem ſuper gentes, ſicut ipſe accepit à Patre ſuo: vt eas regat in virga ferrea, & confringat tanquam vas figuli.* In quo duo fauores continentur, Alter, quem oſtendit ijs, quos propter victorias de ſuis vitijs reportatas,

c *Luc.* 10. 16

d *Actuum* 15. 28.

e *Matth.* 23. 4.

f *Actuum* 15. 10.

g *Matth.* 23. 3.

h *Apoc.* 2. 26.

Ita viegas. hic citans alios.

In hunc locum cum Beda, Euthymio. Et ipse Chrysostomus Homil. 4 ad Bapt. Tom. 5. in Psal. 8

elegit in Prælatos Ecclesiæ: tribuens eis potestatem gubernandi, quam ipse à Patre suo accepit, cum animo strenuo, fortique pectore ad subditos gubernandos, non virga lignea, quæ facilè flectitur & citò frangitur; sed ferrea, quæ (vt explicat S. Chrysostomus aliique Sancti) est virga recta & fortis quæ nec flectitur, nec mollescit propter humanos respectus; sed confringit improborum audaciam, & animum erectum; vt eos reparet, sicut figulus reparat & rectificat vas fictile recens confectum, quando illud confringit. Et hoc modo, ait S. Augustinus, Patrem æternum dixisse filio suo: *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ reges eos in virga ferrea*, hoc est inflexibili iustitia; & *tanquam vas figuli confringes eos*: id est, conteres in eis terrenas cupiditates, & veteris hominis lutulenta negotia, & quicquid de peccatore limo contractum atq; inoletum est quod hæreditate ab homine veteri acceperunt: vt eos reformes iuxta imaginé hominis noui. Sed non caret aliquo mysterio, quod æternus Pater noluerit filij sui gubernationem comparare cum i *aurea virga*, qualis erat *Regis Assueri*: cùm etiam aurum sit firmum ac forte; sed cum virga ferrea, quę duriciem, sonat terribilitatem & terrorem. Causa autem huius fuit: ne quis existimaret, eius regnum, & æstimationem inniti debere diuitijs & splendoribus temporalibus, sicut Regum terræ; & vt ipsos Reges, Potentes, & Sapientes mundi doceret quòd ipsius Lex Euangelica non deberet flecti à sua rectitudine erga ipsos; neque eorum votis annuere in quacunque re, vbi vel minima adesset culpa; nec personas acceptare: sed quod erga omnes seruatura esset integritatem, firmitatem, & æqualitatem iustitiæ; & punitura reos, etiamsi essent Reges. Quamuis enim verum sit, quòd illa sit Lex Amoris, eiusque gubernatio suauis: est tamen virga ferrea ac terribilis contra vitia & peccata, contendens ea destruere & ab omnibus hominibus auertere, in ipsorum bonum. Nam quandocunque illi peccata sua deserere voluerint: ostendit amorem & clementiam erga eos: eisque ignoscit, acceptans illorum pœnitentiam. Si autem peccatores, quicunque illi fuerint, corde instar ferri duro amplexentur peccata, nec dimittere illa velint: tunc eorum pertinaciam punit virga ferrea inflexibili, ac terribili. Et hac vtetur in nouissimo iudicij die contra eos, qui in suis peccatis obstinati & indurati obierint. Et hinc apparet *secundū* præmium, quod his verbis promittitur iustis: cùm scilicet ipsi Christo coregnabunt in cœlo, eique cum ingenti gloria assistent in iudicio, condemnantes eos, qui ipsos in hac vita fuerunt persecuti; & gaudentes quòd virgâ ferrea supremus iudex iustitiam exerceat, comminuens eos tanquam vasa fictilia, quæ nunquam poterunt esse vsui. Attendant igitur Prælati, quomodo CHRISTVM D. N. imitentur in vsu virgæ ferreæ, cauentes à vitiosis extremis. Quare: ex ferro accipiant

» »
i *Hest.* 4. 11.

rectitu-

rectitudinem & integritatem iustitiæ: ne in aliquo flectantur ob timores, & respectus humanos. Et vt rebelles puniãt. nolentes sua peccata deserere. Demittant tamen cordis duriciem, nec sint inflexibiles & inexorabiles, cùm peccatores flecti voluerint ac ipsorum iussis cedere: dantes locũ commiserationi eorum. Gladius enim & virga ferrea, quę semper sunt simul, potiùs tendunt ad ipsa peccata destruenda, quam ipsos peccatores: hunc enim rigorem remittunt ad nouissimum indicium.

Vltimvm præmium, quod promittit Dominus noster vincenti, est k *stella matutina*: quæ est ipsemet Christus: nam ipsemet imponit sibi hoc nomen in sua Apocalypsi: quia præbet magnam suæ diuinitatis & humanitatis cognitionem; & fungitur munere splendentis stellæ, ducens ipsos victores rectà in tenebris huius sæculi, influens in eos lumen gratiæ ac cœlestis sapientiæ: vt crescant in sanctitate, sicut lux matutina, crescens vsque ad perfectam gloriæ diem: vbi eum videbunt facie ad faciem, & saturabuntur, eruntque beati ex tali ipsius visione.

Sed nominatim aduertant Prælati, quibus Christus Dominus nomen imposuit l *stellarum*, *quas ipse haberet in manu sua*: quod semper debeant aspicere stellam hanc matutinam, eamque accipere tanquam polum ac ducem in omnibus, quæ in suo officio gesserint: vt hac imitatione seruent coniunctionem, quam cum ipso habent; & studeant esse erga subditos stellæ matutinę, quę omnes tristitias repellant, & prænuncię sint lætitiæ ac solatij. Imo etiam cum vtentur virga ferrea, finem tamen & scopum collocent in exercendo officio stellæ, consolando scilicet, & animum addendo reis, ne debiles incidant in pusillanimitatem, aut animi abiectionem; sed magna animi foritudine sequantur stellam vsque ad portum æternæ gloriæ.

3

k *Apocal.2. 28. & c.22. 16.*

l *c.1.16.*

CAPVT

CAPVT XVII.

QVINTA EPISTOLA AD EPISCOPVM ECCLESIÆ SARDIS CONTRA PRÆLATOS, QUI IPSO NOMINE TANTÙM CONTENTI MUNUS SUUM NEGLIGUNT; NEC VIGILANT, NEQUE ATTENDUNT AD BONUM SUBDITORUM.

MAGNO ZELO EXÆSTVAT CHRISTVS D. N. VT PRÆLATI munia sua plenè exequantur; magnamque iram ostendit contra non facientes, quod tenentur: quamuis consuetâ suâ misericordiâ, antequam puniat, exhortetur ad pœnitentiam: vt videre licet in quinta Epistola, quam dedit ad Episcopum Sardensem tremendis hisce verbis: *Apoc. 3. 1.* a *Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas. Scio opera tua: quia nomen habes quod viuas, & mortuus es. Esto vigilans & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim inueni opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris, & serua, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris veniam ad te tanquam fur: & nescies, qua hora veniam ad te.* Quibus verbis depingit miserandam conditionem quorundam Episcoporum & Prælatorum, qui etsi nomen habeant ac dignitatem Prælatorum, quod est nomen viuentium & Sanctorum in oculis Dei: interiùs tamen sunt mortui ob culpam lethalem, nec vitam ducunt prout exigit ipse status. Ideòque profundo quodam somno quasi obruti, negligunt quæ sui sunt officij, & in periculo versantur admittendi fidem ipsam, & spem, & bona aliqua opera, quę eis supererant: quę tamẽ plena non sunt, sed vacua & inania; quia exteriùs quidem apparent opera virtutum; reipsa tamen potius sunt vanitas quędam. Et quamuis apud homines videantur plena, in oculis tamen Dei sunt vacua, valdeque defectuosa, & habent nomen, quod viuant, sed sunt quasi mortua, & sine spiritu ac deuotione: & absque puritate intẽtionis, quam virtutes semper exigunt. Quare nisi tales Prælati redeant ad seipsos, subtrahet Deus manum ab eis, permittẽdo eos finire vitam, & amittere quicquid boni in hac vita habebant, & in altera fuissent habituri. Cum igitur ab omnibus Christianis hoc exigatur, vt non sint contenti sola fide absque charitate, & solo nomine viuentium, si opera illorum sint mortua: multò magis id exigitur ab omnibus Prælatis. Nam, vt Concilium Tridentinum *Sess. 24. de Reform. c. 7. 2. P. Pastor. c. 2. & Homil. 17.* ait, totius familiæ Domini status & ordo nutabit; si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Quod si caput ægrotet, sitque peste infectum: quid de corpore fiet? Tunc (ait S. Gregorius) verum est, quod di-

xit Oseas Propheta: b *sicut populus sic Sacerdos*: quia vtrique dilabuntur in eadem vitia. Nam populus vitia Sacerdotum sequitur: & Sacerdotes abiiciunt se in vitia populi. Ac propterea gemebat Ierem. cùm dixit: c *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum?* Qui (ait hic Sanctus) sunt lapides Sanctuarij, nisi personæ habentes varios Sacros ordines? & quæ sunt plateæ, nisi latæ huius vitæ viæ, quæ ducunt ad perditionem, & mortem æternam? Tunc igitur lapides Sanctuarij disperguntur per plateas: cum Prælati & Ecclesiasticæ personæ, quæ in templo Dei esse deberét, & non discurrere, nisi in Sancta Sanctorum: effundunt se ad terræ delitias, degenerantes à sanctitate sui statûs, & obscurantes ac inficientes aurũ charitatis & obfuscantes bonum virtutis colorem. Nec sine mysterio Propheta dixit, quòd *dispersi sint in capite omnium platearum* ad significandum *quòd cum terrena agunt summi videri appetunt*: hoc est magni & Sancti haberi; & cum sint mortui, nomen volunt habere viuentium.

in Euangelia.
b *Osee.* 4. 9.
c *Thren.* 4. 1

§. I.

Qvae diximus, præclarè explicuit Dominus noster Prophetæ Zachariæ, iũbens eũ a *accipere vasa Pastoris stulti*, hoc est eius insignia, baculum, & peram, cum reliquis officij eius instrumentis, & contra eum prophetizando, dicere: O *Pastor, & idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius, brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur*, valde propriè appellatur *Pastor* & *idolum*: etsi enim verum sit quod propterea non desinat esse verus Pastor, si est consecratus, & ad id officij electus ab Ecclesia Catholica, iuxta eius leges: simul tamen est idolum inane, & veritate, quam repræsentat; spoliatum. Non enim habet plus quàm repræsentationem officij quod obire deberet; suâ verò malitiâ & negligentiâ illud non præstat. Habet insignia *Pastoris* baculum, mitram, & vestem siue pallium, & authoritatem, honoremque illius statûs; non tamen habet viua veri ac perfecti Pastoris opera. Est quasi *idolum* valde exornatum, & quasi in throno collocatum: quod etsi oculos habeat, & aures: nec videt tamen neque audit; etsi linguam habeat: non tamen loquitur; & habens pedes ac manus: nec ambulat tamen, nec palpat. Non habet brachium forte ad exequendum quod sui est officij; neque dextrum oculum ad id prudenter cognoscendum, & intentione recta dirigendum. Passio enim & ambitio, cupiditas, aut sensualitas, quasi gladius anceps abscidit eius neruos, & cordis virtutem abstulit: ita vt dextrum brachium exaruerit, ob pusillanimitatem, ad sui officij opera præstanda; dexter oculus obscuratus sit & excœcatus ignorantiâ & obliuione eius quod præstare

a *Zachar.* 11. 15.

S. Cyprian. libello ad Nouatianũ propè finem

tenetur. Quamuis siniſter ſemper ſit viuax, & acutus ad cognoſcendas proprias commoditates alicuius lucri & honoris, & alias temporales vtilitates, quas ex ſuis ouibus accipere poteſt; & ad inueniẽdos modos quibus iuuari poſſit, vt promoueatur in ſuis cogitationibus, ac deſiderijs. Et ad hæc omnia habet brachium forte: ita vt nemo illum poſſit impedire: ſed eò liberiùs ad hoc vtitur ſua poteſtate, quò illa maior eſt, & maiorem ſubditis adfert timorem, non tamen diu durabit huiuſmodi tyrannis, quia diuinæ iuſtitiæ gladius brachium abſcindet, in quo confidit, extendo illum poteſtate, qua adeo abutitur; & omnino excœcabit dextrum illius oculum imitando conſilia prudentiæ eius carnalis; eumque expolians, in pœnam peccatorum eius, vera luce, quæ exhilarat & beatificat animas.

Lib. 2. de conſiderat. ad medium Tomo 2. Tract. 4. c. 1.

Sed videamus proprietates horum paſtorum idolorũ, quas depingit S. Bernardus Eugenio Papæ, vocans eos monſtra, verbis illis quæ retulimus cùm de ſecularibus Principibus ageremus: Monſtroſa tres gradus ſumus, & animus infimus, ſedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otioſa; ſermo multus, & fructus nullus; vultus grauis, & actus leuis; ingens authoritas, & nutans ſtabilitas. Admoui ſpeculũ: fœdus ſemeo vultus agnoſcat: tu gaude tuum diſſimilem inuenire. Inſpice tamen & tu, ne forte etſi ſit vnde meritò placeas tibi, etiam, in quo debeas diſplicere, non deſit. Hæc S. Bernardus. Quod ſpeculum propoſitum à Sancto Bernardo Papæ Eugenio, licet ſuo modo proponere omnibus Epiſcopis, ac Prælatis, & ſacerdotibus omnibus: vt conferentes vitam, quam ducunt, cum dignitate, quam gerunt: ſi deprehenderint eas non conuenire, erubeſcant de ſeipſis, & intelligant ſe eſſe quaſi monſtra in Eccleſia, coniungentes in vnum caput hominis & corpus beſtiæ, hoc eſt dignitatem Angelicam, & vitam beſtialem.

Lib. de dignit. Sacerdot. c. 3. Tom. 4.

Hoc ipſum magna cum eloquentia docuit S. Ambroſius, poſtquàm explicaſſet excellentias dignitatis ſacerdotalis, & Epiſcopalis, his verbis oſtendi vobis, fratres, nihil eſſe in hoc ſeculo excellentius Sacerdotibus, nihil ſublimius Epiſcopis reperiri: vt cum dignitatem Epiſcopatus Epiſcoporum oculis demonſtramus, & dignè noſcamus quid ſumus; &, quod ſumus profeſſione, actione potius quàm nomine demonſtremus, vt nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini; ne ſit nomen inane, & crimen immane; ne ſit honor ſublimis, & vita deformis, ne ſit deifica profeſſio, & illicita actio, ne ſit religioſus amictus, & irreligioſus profectus; ne ſit gradus excelſus, & deformis exceſſus; ne habeatur in Eccleſia Cathedra ſublimior, & conſcientia Sacerdo-

cerdotis reperiatur humilior; ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam; ne professionem monstremus ouinam, & ferocitatem habeamus lupinam; ne dignè nobis per Prophetam respondeatur à Domino: b *populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est à me.*

Ergo, fratres, sicut Senatorem Chlamys ornat, sicut agricultura rusticum, sicut nautam nauigationis peritia, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores: sic Episcopum non aliud nisi Episcopalis opera designat: vt ex bono opere magis, quàm professione noscatur; plus meritis esse Episcopus, quàm quod nomine vocitetur: quia sicut nihil esse diximus Episcopo excellentius: sic nihil est miserabilius, si de Sancta vita Episcopus periclitetur; si Sacerdos in crimine teneatur. Et vt leuius est de plano corruere, sic grauius est qui de sublimi ceciderit dignitate: quia ruina, quæ de alto est, grauiori casu collidit. Honor quidem Episcopalis coram hominibus præclarus est; sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quantò præ cæteris gradus Episcopalis altior est: tantò ii per negligentiam delabatur, ruina grauior est. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis grandiori debet solicitudine circumuallari: c *Cui plus creditur, ab eo plus exigitur*, sicut scriptum est: quia optimis per mixta sunt pessima. Et alibi: d *Potentes potentior a tormenta patientur.* Et e *scienti legem & non facienti eam, peccatum est grande*,: & f *seruus sciens voluntatem Domini sui si non fecerit eam, vapulabit multum.* Aliud est enim quod ab Episcopo requirit Deus, & aliud, quòd à Presbytero, & aliud quòd à Diacono, & aliud quod à Clerico, & aliud quod à laico, vel à singulis quibusque hominibus. Et licet omnium hominum opera Deus in suo examinet iudicio, plus tamen ab eo exigitur, cui plus committitur. Ampliores enim pœnas luit, cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa. Hæc Sanctvs Ambrosivs.

Quibus addere licet, quæ postea subiungit, ineos, qui has dignitates emunt: eadem enim aptari possunt ijs, qui ea abuntur. Oculis, inquit quit, carnalibus videtur quasi Episcopvs magnus; & diuinis obtutibus inspicitur leprosus magnus. Per pecuniam acquisiuit indebitum ordinem, & Devm perdidit in interiore homine. Caro suscepit dignitatem, & anima perdidit honestatem. Caro ancilla, Domina facta est animæ: & anima; quæ erat Domina, facta est famula carni. Caro dominatur populis, & anima seruit Dæmoni: si meruisti g *salu possidere saporem*, vt insipientium possis corda condire; cur infatuatus tali vitio immundis te porcorum calcandum pedibus præbuisti, ita vt nec

b *Luc.19. 5. Matth.5.8.*

c *Luc.12. 4.8.*
d *Sap.6.7.*
e *Iacob.4. 17.*
f *Luc.12. 47.*

In cap.5.

g *Matth.5. 13.*

alios, nec te ipsum possis condire? oculorum etiam in corpore officium geris, vt reliquum per te corpus ducatum lucis habeat: & nunc quadam lippitudine & caligine vitiorum obtenebratus, nec teipsum luci idoneum præbes, & alijs adimis lumen. Vt enim Saluator dixit: h *si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit*: id est, si Episcopus, qui videbatur corpori subdito lucem præbere obnubiletur: quid cætera facient membra, quibus lux adempta est oculorum? Nam quid aliud interpretatur Episcopus, nisi Inspector? Maximè cùm Solio in Ecclesia editiore residеat, & ita cunctos respiciat, vt & cunctorum oculi in ipsum respiciant. Ergo quia ita est, cur te velut tetrum speculum vniuersorum oculis demonstras, ita non possint obscuritate tua se comptius exornare. Hucvsque S. hic Doctor. Aperiat itaque Prælatus oculos, & inspiciat primum titulum scribentis hanc Epistolam: *qui* scilicet *habet septem spiritus Dei & septem stellas*: & erubescat, quòd cùm ratione officij sit spiritus & stella in manu Christi: eam tamen vitam ducat, vt pudeat ipsum Christum illum in manu sua tenere; ac timeat ne ipsum ex ea soluat, ac demittat. Studeat, vt sua opera sint plena, coniungens cum fide plenitudinem charitatis; & cum exteriori opere spiritum interiorem; & cum statu sui authoritate virtutis excellentiam, seruetque quod Apostolus dixit cuidam alteri Episcopo: i *ministerium tuum imple* docendo; & quod verbo prædicas, opere ostendendo. Et cuidam Archippo significauit: *vide ministerium quod accepisti in Domino, vt illud impleas*, in omnibus vt sit perfectum.

h *Matth.* 6. 23.

i 2. *Timot.* 4. & *Coloss.* 4. 17.

SED perpendamus adhuc amplius documentum datum à Domino huic Episcopo, cum dixit: *esto vigilans*. Quamuis enim omnibus Christianis commendauerit, vt vigilarent, quemadmodum S. Marcus expressit, dicens: k *quod vobis dico, omnibus dico: vigilate*. speciali tamen ratione iubentur Prælati vigilare; vt qui non solum sibijpsis attendere debeant, sed etiam (vt ait Apostolus) l *pernigilare pro animabus subditorum* ipsis commissorum. Ac propterea in Canticis vocantur: m *vigiles, qui custodiunt ciuitatem*, n & *custodes qui eam circumeunt*, vt tutam seruent. Et aliquando eosdē appellat o *speculatores*. Nomen etiam Episcopi (vt ex S. Ambrosio retulimus) significat Inspectorem, qui in loco altiori existens, vigilat & inspicit, quid sub ipso agatur. Hos custodes, ait S. Bernardus, inuigilare debere pro custodia ciuitatis, à vi tyrannorum, à fraude hæreticorum, à tentationibus Dæmonum. Hi vigilantes & in oratione pernoctantes hostium nouerunt insidias, præueniunt consilia malignantium, eorum laqueos dissoluūt, retia lacerant, eorūq; designationes transuersis cuniculis impediūnt. Et quēadmodū p *Elisæus nouerat Assyriorū insidias: & mouebat regē Israël: ne per locū illum transiret*: ita hi custodes, vt Apostolus ait, q non

k *Marci.* 13. 37.

l *Hebr.* 13. 17.

m *Cant.* 3. 1. & 5. 7.

n *Ezech.* 3. 17.

o *Ierem.* 6. 17. *serm.* 76. *in Cantica.*

p 4. *Reg.* 6. 9.

ignara-

ignorant cogitationes & astutias Satanæ, de quibus monent fideles, vt eas caueant, & cauti sint. Eisdem incumbit ex officio vigilare, vt stimulent ignauos, impedimenta auferant feruentibus, vt velocius currant in studio virtutũ. Et ita sponsa, cum quæreret dilectum suũ ait r *inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatẽ, percusserunt me & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Nam (vt S. Gregorius explicat) hi custodes gladio verbi Dei vulnerant cor dolore peccatorum; & vulneribus amoris ita illud penetrant, vt anxiè cupiant dilectum inuenire, quem quærunt. Pallium etiam auferunt affectuum ad res temporales: vt liberius anima his omnibus exuta nudum sequatur Iesum. Et ad idem tendit alterum documentum quod adiecit Christus Dominus eidem Epistolæ, dicens: *confirma cætera, quæ moritura erant*: hoc est iamiam peritura. Munus enim eius est infirmos curare, iuuare debiles, lapsos erigere, torpentes extimulare & à morte liberare eos, qui prope erant vt laberentur. Mali autem Prælati negligentes vigilare in bonum subditorum, vigilant tamen vt suas quærant commoditates, votorumque suorum compotes fiant, etiam vulneratis conscientijs sibi commissorum, eosque spoliantes pallio, quo se tegebant. Et in hunc sensum explicant multi Doctores prædicta verba sponsę: quòd scilicet custodes murorum adeò essent improbi, vt malis suis exemplis scandalizauerint, & vulnerauerint eius animam, & vestem abstulerint bonorum operum, quibus se tegebat; & pallium bonorum temporalium, quibus se alebat. Sed adfuit illi Dominus: ne hoc scandalum illi noceret, nec cessaret quærere dilectum; & se totam eius obsequio mancipare. Prælatorum enim malitia non poterit prævalere contra Dei electos: quibus ipse Dominus gratiâ suâ semper adest, exhibetque erga eos bonum officium, quod ipsorum Prælati iure optimo facere debuissent.

q. 2. Corin. 2. 11.

r Cant. 5, 7. ibid.

Titelmanus Ludocus Legionensis Mar. Del rio.

§. II.

Et hoc est quod Christus mysticè addidit in Epistola ad hunc Episcopum, dicens: a *habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis: quia digni sunt. Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius*. hoc.n. voluit ei significare: quamuis tu sis malus Episcopus, & solo nomine talis non præstans officium tuum: ne tamen existimes me deseruisse gregem tuum: *habes* enim *pauca nomina in Sardis*, aliquos scilicet paucos valde electos, ac præstantes quos ego etiam de nomine noui, & ad cœlum approbaui: propter quos misereor tui; & hortor, vt pœnitentiã agas, bonique Prælati munus erga

a *Apocal.* 3. 4.

eos

eos exerceas. Ait autem esse *paucos*: vt significet: quando Prælatus improbus est ac negligens, maximam subditorum partem eius malum exemplum sequi. semper tamen Deus paucos aliquos reseruat in ipsius obsequio fideles. Quemadmodum ipse dixit Eliæ conquerenti, quòd totus populus sequeretur malum exemplum impij Regis Achab: b *derelinquam* (inquit) *mihi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Inter plurimos enim improbos placet mihi esse aliquos valde selectos. Et quemadmodum Deus permittit bonos Prælatos habere aliquos subditos valde importunos ac pertinaces, qui ipsos docent, exerceant, & clariorem reddant eorum patientiam: ita etiam disponit vt mali Prælati aliquos habeant subditos valde selectos; vt confundantur & erubescant, videntes pedes esse meliores ipso capite; ac discipulos multò præstantiores ipso Magistro. Et quemadmodum qui bonos Prælatos habent, si improbi sint maiori pœna sunt digni: ita qui malos habent Prælatos: si ipsi boni sint maiori sunt præmio digni. Ac propterea Christus Dominus Noster adeo laudat paucos illos, iustos, qui erant in Sardis, dicens: *eos esse dignos, vt cum ipso ambulent & vestiantur vestimentis albis*, valde preciosis in cœlo; certos eos faciens quòd eorum *nomina nunquam sint de libro vitæ delenda*, nec ipsi perdituri vnquam coronam gloriæ. Et quemadmodum mali Prælati semper attendunt, vt sibi similibus faueant, eosque foueant: ita boni subditi nullum solent eorum experiri fauorem, sed quasi contemptui habentur. Ac propterea de ijs dicit, quòd laudabit & *confitebitur eos* in altera vita *coram Patre suo eisque* Angelis: vt sic cum patientia ferant contemptum illum, & obliuionem Prælatorum: nec propterea sinant se malo eorum exemplo moueri.

b 3. Reg. 19. 18.

Vt autem adhuc ampliùs innotescat DEI nostri prouidentia in hoc casu: audiamus quid de malo Prælato dicat sub nomine & figura c *Struthionis*, qui *pennas habet similes pennis herodij & accipitris*, non tamen volat, neque eleuatur à terra. Estque figura Prælati hypocritæ, habentis nomen *quod viuat, & tamen est mortuus.* Et, vt Sanctus Gregorius explicat, speciem habet sancti, sicut illi, qui in virtutibus altiùs volant: qui tamen semper affectibus suis adhæret rebus terrenis. Habet quidem alas scientiæ & potestatis ad gubernandum: quibus tamen nunquam vtitur in bonum subditorum, quasi non incumberet sibi, neque ad se pertineret illorum curam gerere. Sed quid Deus sancto Iob de struthione dixit? *quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? Obliuiscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.*

c Iob. 39. 13.

lib. 31. mor. cap. 6.

Durauit

Duratur ad filios suos, quasi non sint sui. Qua similitudine significat: Prælatum hypocritam & solo nomine Prælatum, etiamsi filios spirituales per Baptismum generet, eos tamen deserere, & in terra relinquere in medijs magnis periculis. Nihil enim curat, quòd pes alicuius peregrini, malum scilicet peccatorum exemplum, aut pes superbiæ, aut effectus carnalis illos conculcet; neque quod bestia campi, hoc est Dæmon, suis tentationibus eos frangat, & comminuat. Nihil enim nisi suas commoditates curat, adeoque dura viscera erga suos subditos, & spirituales filios gerit, quasi ipsius non essent, nec sibi commissi. Sed misericors Deus noster, ac sic desertorum Pater, non obliuiscitur eorum; sed prouidentiâ suâ supplet negligentiam malorum Prælatorum. Quemadmodum enim tanquam author naturæ supplet naturalem struthionis defectum; & videns, quòd ille non incubet suis ouis; nec ea calefaciat, aut foueat more aliarum auium: statuit vt Sol radijs suis ita ea calefaciat, vt pulli generentur: ita tanquam author gratiæ, cum illi, qui ex officio sunt spirituales Patres, non faciunt, quod facere tenentur erga filios suos, Sol iustitiæ cœlestibus suis inspirationibus eos viuificat, feruentesque facit, & ad perfectionem eleuat, ad quam sunt vocati.

Deponant igitur Prælati hæc struthionis viscera erga suos subditos, ne Deus de ipsis conqueratur ac dicat: *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli. Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti: paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Partim enim ob suam pigritiam, partim vt suis delitijs attendant, negliunt prædicare, & gubernare, & sufficiens nutrimentum filijs suis præbere: etiamsi præsiti & fame periant: boni autem Prælati induunt viscera paterna erga suos subditos. Quemadmodum dicebat Apostolus: e *testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi*: hoc est, ego manens in visceribus Iesv Christi, ob amorem, quo illum prosequor, etiam vos amo eisdem visceribus, quibus ille vos amauit, ideoque confidero, vt & vos intra illa maneatis.

d *Thren.* 4. 2.

e *Phili.* 1. 8.

Denique cùm Deus Dominus noster ex magna sua misericordia faueat bonis subditis, eisque compatiatur, cum ita opprimuntur; & quod alij detrimentum patiantur ex malo exemplo & negligentia mali Prælati: ideo eum monet, vt pœnitentiam agat seseque emendet: nisi enim vigilauerit, vt suum impleat officium: *veniam*, inquit, *ad te tanquam fur, & nescies, qua hora veniam ad te.* Et quemadmodum

depræ-

deprædatur quæcunque bona inuenit: ita ego violenter & in tuum despectum accipiam bona, quæ in te inuenero, & in morte tua spoliabo te virtutibus Fidei & Spei, quæ tibi supererant; & potestate, ac insignibus Pastoris, quibus ornabaris. Non enim bene conueniunt, insignia tantæ authoritatis, homini tantæ improbitati dedito; nec relinquenda sunt illi talenta, qui ea sepeliuit neque exposuit negotiationi; nec feram, quod oues meæ tantis incommodis afficiantur ob negligentiam improbi sui pastoris. f *Ego ipse* (ait Deus) *visitabo super Pastores & requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, vt vltra non pascant gregem, nec pascant amplius semet ipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum: & non erit vltra eis in escam.* Quasi dixerit: ob meum erga oues meas amorem, ita malos pastores puniam: vt auferam illis officium & vitam: vt boni subditi non ita opprimantur; nec mali talia exempla habeant, et quibus deteriores fiant. Cum igitur hic aduentus Christi sit repentè futurus: æquum est, vt negligens Prælatus vigilet, & attendat sibi ac gregi suo. Ne eueniat ei quod Saluator noster apertiùs dixit exhortans nos ad vigilandum, dicens: g *quod si malus seruus dixerit in corde suo: moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit; & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus & hypocritis ponet:* cum illis scilicet qui habebant nomen, quod viuerent, & tamen mortui erant; & cùm officio essent pastores, subditos tractabant quasi tyranni; aut nullam eorum curam gerebant.

f *Ezech.* 34. 10.

g *Luc.* 12. 45.

(∴)

CAPVT

CAPVT XVIII.

SEXTA EPISTOLA AD EPISCOPVM PHILADELPHIAE: in qua proponuntur auxilia, quae Christus D. N. bonis Praelatis largitur, ad gubernandum & praedicandum verbum Dei fructuose; & praemia quibus eos remunerat.

AVXILIA, QVAE CHRISTVS D. N. LARGITAR BONIS PRAELATIS, vt officio suo perfectè fungantur, sunt praeclare depicta in sexta Epistola, quam misit ad Episcopum Philadelphiae. Quae Ecclesia aptè appellatur Philadelphia, nam ea vox significat amorem fraternum: hic enim finis & scopus est boni Pastoris, & praecipuus fructus, quem bona sua gubernatione profert, dans operam, vt in omnibus subditis eluceat charitas, de qua Christus Domin. noster dixit: a *in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Quoniam autem omnis perfectio subditorum, & Praelatorum prouenit illis ab ipso Christo D. N. voluit huic Epistolae hunc praefigere titulum: b *Haec dicit Sanctus & verus, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit.* Quasi monens Episcopum: authorem Epistolae esse ipsam Sanctitatem & veritatem per essentiam, & fontem, ac originem eius totius, quae in hominibus reperitur, Et eundem distribuere status, officia & talenta inter eos: eò quòd habeat clauem Dauidis, hoc est supremam in coelo & in terra potestatem, ad quaecunque magnalia aperienda in Ecclesia tam militanti, quàm triumphanti. Cum autem ipse aperit vt aliqui ingrediantur: nullus potest ostiũ claudere; nec impedire, quod ipse vult efficaciter. Et cũ ipse ostiũ occludit, aut illud non aperit: nullus est, qui absque ipsius auxilio illud possit aperire. Et quamuis haec potestas in Christo D. N. sit vnica tantum clauis, quam licet appellare clauem magistram siue communem, eò quòd omnia ostia aperiat: in hominibus tamen multae sunt ac diuersae quas ipse diuidit prout vult, deditque illas praecipuè Sancto Petro, eiusque successoribus Romanis Pontificibus, cum dixit Petro: c *tibi dabo claues regni coelorum. Et quodcunque ligaueris super terram: erit ligatum & in coelis; & quodcunque solueris, erit etiam solutum*, quia tua sententia approbabitur in coelo. *Primum*: ad Christum Dominum Nostrum spectat, & pertinet clauis potestatis Regiae, & multò magis Sacerdotalis ac Pastoralis, ad Ecclesiam gubernandam: vt constat ex verbis, quae dixit per Isaiam, vnde haec

a *Ioann. 13. 35.*

b *Apoc. 3. 7.*

c *Matth. 16. 18.*

d Isai. 22. 22 sumpta sunt: d *Ego*, inquit, *dabo clauem domus Dauid super humerum eius: &*
1 *aperiet, & non erit, qui claudat: & claudent & non erit, qui aperiat.* Vbi clauem
2 Dauidis appellat (iuxta sententiam aliquorum Doctorum) regiam Dauidis potestatem; S. Hieronymus autem & alij multi Sancti interpretantur
vide Riberam hic. de potestate Pontificia, ad aperiendum & claudendum templum Dei, quod Dauid cogitabat ædificare. Quam clauem promisit Deus se daturum *Eliacim* seruo suo. Et quemadmodũ Pater æternus dedit Christo Domino nostro (quem pręsignificabat Eliacim) supremam hanc clauem: ita
C. 3. ipse eam tradit Pontificibus ac Prælatis Ecclesiæ suæ: & eius vocatione
3 & electione ingrediuntur in eam (si, vt oportet, ingredi velint.) Nam, vt supra diximus, ipse est ostium, & ianitor: qui rectè vocatis aperit. Habet quoque clauem, quæ dicitur scientię, qua aperit & claudit sensum
e Matth. 11. 25. Sacrarum Scripturarum, ac Diuinorum mysteriorum: quæ ipse e *abscondit à prudentibus & sapientibus: reuelat autem paruulis*, & humilibus. Clauem etiam dat iurisdictionis & potestatis ad dimittenda peccata in Sacramento
4 Pœnitentiæ, vt suprà est dictum. Et hæc est præcipua clauis, quæ aperit portas cœli. Et similiter dat potestatem ligandi Censuris, & largiendi in-
5 dulgentias, & omnes alios actus faciendi, Pontificum, & Episcoporum in suis officiis. Ac denique dat clauem spiritus & sanctitatis ad heroicos
6 omnium virtutum actus exercendos in statu & officio, quod suis seruis committit: Quare tam ipsa dignitas, quam dotes ac talenta ad eam obtinendam, & ad bonum eius vsum: omnia proueniunt à Christo D. N. Et quamuis has claues det suis ministris, vt permaneãt in ijs officijs: reseruat tamen sibi vt præcipuum det auxilium ad bonum omnium vsum. Nam ipse habet claues etiam cordium hominum, suisque inspirationibus ea aperit, ac disponit: vt in eis faciat quæcunque volet, & eo fine, quo vo-
f Iob. 12. 13. let. Ac propterea IOB de DEO loquens dixit: f *apud ipsum est sapientia, & fortitudo; ipse habet consilium, & intelligentiam. Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat: si continuerit aquas, omnia siccabuntur; & si emiserit eas, subuertent terram.* Sed quoniam bonorum Prælatorum diligentia plurimum iuuat in his omnibus, audiant admiranda documenta, quæ CHRISTVS DOMINVS NOSTER eis in hac Epistola proponit: quam ad SANCTVM hunc Episcopum scripsit in quo nihil inuenit reprehensione dignũ. *Scio*, inquit, *opera tua: Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum. Ecce dabo de Synagoga Sathanæ qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur: ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos & scient: quia ego dilexi te, quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habi-*

tantes

tantes in terra, Ecce venio cito: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.

§. I.

IN hac Epistola supponit Christus D. N. ad munus Prælatorum pertinere (vt dictum est) prædicare verbum Dei efficaciter, & continuè. Et ita in consecratione Episcoporum dicitur eis: *accipe Euangelium, & vade prædica populo tibi commisso: potens est enim Deus, vt augeat tibi gratiam suam.* Et Sacrum Concilium Tridentinum eis commendat vt in Ecclesia sua ipsi per se hoc munus, quoad commodè fieri possit, exerceant: eò quòd illorum sit magis proprium, quàm aliorum: cùm sint Pastores, Medici, & Magistri suorum subditorum. Vt autem animum erigant, magnaq; fiducia id exequantur: dicit eis Christus Dominus Noster verba illa: *ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere.* quod feci claue Dauid, quam in meis manibus habeo, præparans ac disponens corda hominum, vt te audiant, tuamque doctrinam recipiant; omniaque vincas impedimenta, quæ Dæmon, mundus & caro opponunt. Quâ doctrinâ implere poteris liberè & magno cum fructu munus tuum. Hoc significat promissio illa quàm ad aliud propositum refert Isai. his verbis: *a hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dextram, vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo: & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum: vt scias quia ego Dominus Deus Israël qui voco nomen tuum.* Quod totum efficit Deus noster per Prælatos & Prædicatores Euangelicos: quorum dextram manũ tanquam instrumentum accipit ad prosperos euentus in expugnatione animarum. Ipse enim conterit & confringit portas & vectes cordium fortiorum ac duriorum ære ac ferro in resistendo bonis consilijs. Ipse ante suos vadit milites, eos ducens, & adiuuans; humilians corda arrogantia ac rebellia. Ipse thesauros aperit animarum submersarum & sepultarum in abysso peccatorum: quas profert in lucem, vt Prælatus eas accipiat ac possideat: suntq; tot mirabilia & stupenda, quæ per ipsos Deus operatur in huiusmodi conuersionibus, vt facilè aduertant, non sua esse, sed æterni ipsius Dei, qui ad egregia adeò facinora eos vocauit & elegit. Qui cùm aduertunt Deum se ostendere adeò propitium; & in se suscipere, vt has difficultates complanet: magnum in suis ministerijs animum recipiunt. Ac propterea Apostolus, volens Ephesi manere vsque ad Pentecostẽ: b *ostium*, inquit, *mihi apertum est magnum & euidens: & aduersarij multi.* quamuis non præualebunt, vt apertum à Deo ostium occludant. Quamuis Deus velit ministros suos sese adadiuuare in hoc opere: ac propterea idem Apostolus dixit: c *cum*

Sessione 24. de Reform. c. 4.

a Isai. 45. 1.

b 1. Corin. 16. 8.

c 2. Corin. 2. 12.

veniſſem Troadem propter Euangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, qui hominum corda diſponebat: *non habui requiem ſpiritu meo, eò quòd non inuenerim Titum fratrem meum*: cuius tamen præſentia erat neceſſaria, vt ſimul in illo populo fructificarent.

QVAMOBREM aliquando Dominus noſter in pœnam peccatorum, ſecundum occulta ſua iudicia, occludit hanc portam: permittens duriciem & repugnantiam cordis in auditoribus; aut ita diſponens, vt ipſi Prædicatores non loquantur cum efficacitate, ſed d *lingua* eorum *adhæreſcat palato, & fiant quaſi muti*; ſicut euenit Ezechieli; aut eos auertens, ne accedant; ſicut e *impediebat* Apoſtolum *Paulum venire Romam*; aliquando etiam vult, vt ipſi Prælati & Prædicatores orationib. ſuis apud ipſum contendant, vt hanc portam illis aperiat, tam ex parte audientium, quàm eorum, qui ſunt prędicaturi. Propterea enim Apoſtol. Coloſſenſibus dicebat: f *orationi inſtate vigilantes, orantes ſimul & pro nobis vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti*, ita vt & nos cum ſpiritu & efficacitate loquamur; & audientes verbum cum fructu recipiant: hoc n. præcipuè à Diuina pendet inſpiratione. Quod inſinuauit S. Lucas dicens cum Paulus coram magna multitudine prædicaret: g *quædam mulier, nomine Lydia, audiuit & credidit, cuius Dominus aperuit cor, intendere his, quæ à Paulo dicebantur*. Deus enim hanc ei gratiam contulerat, ipſaque ſe ad eam recipiendam diſpoſuerat: *colebat* enim *Deum*.

d *Ezech.* 3. 26.

e *Rom.* 1. 13.

f *Coloſ.* 4. 2.

g *Actuum* 16. 14.

SED videamus nunc, quid ſit ex parte Prælatorum ac Prædicatorum, cur Dominus noſter hanc eis portam aperiat. Tria autem præcipua inſinuauit Chriſtus Dominus Noſter huic Epiſcopo. *Primum* eſt, quia *modicam* inquit *habes virtutem*, & fortitudinem: quaſi dixerit: quia humilis es, & agnoſcis te ipſum, aduertis modicam te habere virtutem ad opus adeò grande, & ad ingentes has difficultates ſuperandas. Quoniam igitur video te tibi diffidentem, & ab humanis ſubſidijs deſertum, & potius oppugnatum ac tribulatum: totum hoc ipſum impellit me, ad oſtendendam meam omnipotentiam in aperienda tibi porta, & facilitando negocio conuerſionis animarũ. Vt ex hoc intelligant Prælati, quòd quèadmodum ex parte ſua portam occludunt fructui ſuorum miniſtrorum per ſuperbiam & arrogantiam, qua ſuis viribus & induſtrijs plurimum tribuunt: ſic enim ſe indignos reddunt auxilijs gratiæ: quia non reputant gratiam ſed propriam virtutem, facultatem & induſtriam: ita ex parte ſua portam aperiant, ſi viribus ſuis diffidant: & fructum ſuæ gubernationis ac prædicationis attribuant gratiæ Dei per ipſos operanti.

2 SECVNDA cauſa inſinuatur illis verbis: *& ſeruaſti verbum meum*: adimplens, ſcilicet, præcepta & conſilia mea, cum obedientia valde perfecta. Et qui mihi obediens, mea ſequitur conſilia cum animi ſubiectione:

ſicut

sicut ipse agit iuxta meam voluntatem: ita ego, quod ipse cupit, facio: aperiens ei portas, & impedimenta remouens, ad consequendam victoriam, quam de suis hostibus obtinere desiderat: *vir* enim *obediens loquetur victoriam.*

Tertia causa est: quoniam h *non negasti* fidem, & *nomen meum* in medijs tentationibus ac tribulationibus; sed potiùs *seruasti verbum sapientiæ meæ*, hoc est quod ego iussi de seruanda semper, & imitanda patientia mea, quam ego in meis aduersitatibus & tribulationibus seruaui, & patienter expectasti meorum promissorum executionem. Humilitas igitur, obedientia, & patientia ipsorum Prælatorum, ac Prædicatorum magna sunt motiua, & causæ: cur Dominus noster eos iuuet in conuertendis peccatoribus, & subditis sibi subijciendis in rebus omnibus, quasi ipsi præscripserint. Ac propterea addit: *ecce faciam illos, vt veniant, & adorent ante pedes tuos: & sciant, quia ego dilexi te*, vt adorent & glorificent Deum, qui stupenda adeò opera per verba & prædicationes tuas efficit. Ex quo facilè intelligent: quod & ego te diligam, & propterea talia opera per te faciam. Ideoque amor hic in causa erit, cur & illi te diligant, & magno amore se tibi subijciant: quia tu quoq; eos cum amore gubernas: eò quòd me ames. & ego seruabo te ab hora tentationis ac tribulationis, quæ exurget contra te vt fructum impediat, quem facis. Cum autem ego tuus sim protector, non est cur timeas, aut desistas ab opere in quod incumbis. Ad quem magis confirmandum adfert duas rationes valde efficaces: Alteram, cum dicit: *ecce venio cito, tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*, hoc est, tene fortiter bonum, quod habes; nec illud deseras ob vllam difficultatem aut tribulationem exorientem: cito enim adero, vt remunerem. Cum igitur vita futura sit breuis, & cum ea finem sit habitura tribulatio: æquum est, vt animum resumas ad firmiter in ea perdurandum. *Altera* ratio est, *alius accipiat coronam tuam.* nam si tu retrocedas, alium ego tuo loco substituam, qui progrediatur in opere & officio tuo: & ille præmium obtinebit, quod tibi fuissem daturus si in officio meo perseueraſses. Ex quo apparet celsissimum Dei nostri consilium in dirigendis viris valde Sanctis: ita enim magnas illorum virtutes extollit, vt simul moneat infirmitatis, & mutabilitatis, ne euanescant. Etiamsi enim sint Sanctissimi, possunt in hac vita mutari, & in virtute, qua florent, deficere. Ac propterea Apostolus dixit: i *qui existimat se stare, videat ne cadat.* Ne autem existiment, quasi beneficium se conferre Deo, quod stent, & in eius obsequio perseuerent: monet eos vt attendant sibi: nam deficiente vno ministro vel seruo: nouit statim alterum vocare; & vt dixit Iob: k *conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.*

3

h *Prou.* 21. 28.

i 1 *Cor.* 10. 12.

k *Iob.* 34. 14

4

Et quamuis Deus noster nouerit numerum electorum, & qui glo-

riæ coronam suis meritis debitam sint percepturi: in hac tamen vita vtilè eum esse occultum: vt omnes (quod ait Sanctus Augustinus) in timore & tremore viuant, nec dent aditum superbiæ & arrogantiæ: sed potius *satagant* (vt ait S. Petrus) *vt per bona opera certam suam vocationem & electionem faciant*, perseuerantes constanter & firmiter in eis.

Lib. de corrept. & gratia c. 13.

2. Pet. 1. 10.

§. II.

EODEM tenditur insignis alia promissio, quam facit hic Christus, dicens: *qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen Ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum.* Quæ verba quamuis intelligi possint de speciali præmio quod in æterna gloria bonis Prælatis & Prædicatoribus fideliter in officijs suis ad mortem vsq; perseuerantibus conferetur, qui in cælo honorabuntur, & laudabuntur ob sua bona opera, & quod fuerint columnæ Ecclesiæ militantis; eruntque etiam quasi columnæ Ecclesiæ triumphantis, à qua nunquam exibunt: quia Deus gloriatur, quod ipsius sint, & ciues cœlestis Ierusalem; & Christus D. N. honori etiã sibi tribuet, quòd tales habeat fratres, qui adeò feliciter in eius obsequio laborarunt: (hoc enim significat quod dicit se scripturum in eis nomen suum nouum) eadem tamen verba intelligi possunt de præmio, quod liberaliter solet Dominus noster conferre præclaris Sanctis, cum insignes aliquas victorias de spiritualibus suis hostibus reportarunt; aut confirmando eos in sua gratia; aut specialem aliquam fortitudinem & firmitatem largiendo, ad perseuerandũ vsque ad mortem: ita vt sint veræ columnæ Ecclesiæ, quæ multos alios in fide & charitate sustentent & confirment, eum in modum, quo S. Paul. a S. *Petrum & Iacobum & Ioannem columnas appellauit.* Atq; ita S. Gregorius ait eum, qui firmus stat in opere Dei cum intentione recta, esse quasi columnam in spirituali Ecclesiæ fabrica, & in medio eius positum vtilitatem, ornamentum & splendorem ei adferre. Et Richardus de Sancto Victore addit: vincentem facit Deus quasi columnam firmam propter fidem; rectam propter iustitiam; erectam propter intentionem; excelsam propter contemplationem; & constantem ad alios sustentandos verbo prædicationis, suffragio orationis, & actionis exemplo. Sed quoniã Christus D. N. in hac promissione videtur alludere ad solemnes illas duas columnas, quæ erant in templo Salomonis: ex insigni earum artificio & cõstructione deducere licet huius promissionis amplitudinem, in fauorem Prælatorum Ecclesiæ ijs suppositis, quæ in secundo Tomo de his colum-

a Gal. 2. 9. Lib. 31. moral. c. 14. Inc. 2. Apo.

nis

nis dicta fuerunt. Nam *primùm* columnæ erant duæ omnino similes; altera tamen erat ad manum dextram, & vocabatur b *Iachin*, quod significat *firmitate fundatum*. altera ad sinistram, quæ vocabatur *Booz*, quod significat in quo est fortitudo. Prima significat Summos Pontifices Sancti Petri Successores, qui dextram manum occupant, & primatum super totam Ecclesiam vniuersalem habent cum maiori authoritate ac potestate, quam reliqui Episcopi, suntque columnæ ab ipso Christo fabricatæ, ita solidè ac firmiter; vt dixerit Sancto Petro, & in eo omnibus eius successoribus: c *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebũt aduersus eam.* Quia nunquam deficiet fides & confessio Sancti Petri quam confitentur eius Successores, quibus data est infallibilis authoritas ad eam defendendam, sustentandam, & confirmandam, ita vt non possint eam deiicere omnes astutiæ, & argumenta Hæreticorum; nec furiosæ Tyrannorum persecutiones; neque omnis dæmonum potestas: *Altera* columna ad manum sinistrã huic similis, sed loco inferior priori, significat reliquos Episcopos ac Prælatos, qui conueniunt in Conciliis: qui tamen vniti & coniuncti esse debent cum suo capite visibili, Romano Pontifici: & ita sunt firmi ac fortes in Fide, & Religione Christiana: vt nulla potestas in terra possit contra illos præualere. Ac propterea Apostolus d *Ecclesiam vocauit columnam & firmamentum veritatis. Et* vnusquisque Episcopus ac Prælatus modo suo, si perfectionem habeat statûs sui propriam; est quasi columna Ecclesiæ suæ particularis, cum magna firmitate, & fortitudine, ad eam sustentandam, & in fide ac Religione: quam profitetur, tuẽdam. Et quoniam harum columnarum firmitas nititur doctrinæ Sanctorum quatuor Euangiliorum, quam prædicarunt & exposuerunt duodecim Apostoli, & legitimi eorum Successores: ideò e *columnæ vnius grossitudo erat quatuor digitorum; latitudo verò duodecim cubitorum; & intrinsecus caua erat.* Vt omnes Prælati intelligant, quod si interiora, quæ ex seipsis habent, inspiciant, sint homines inanes & vacui, sicut cæteri. Et super hãc sui nihil cognitionem debent suam firmitatem fundare, & agnoscere eam non suam esse, sed Dei: qui (vt ait Iob) f *appendit terram* (quæ res est totius mundi firmissima) *super nihilum:* quia Iesus omnipotentia illam cõseruat, cum quo si conferantur omnes potestates creatæ g *quasi nihilum & inane reputantur.* Quod si Deus vt ait Dauid) non *confirmaret has columnas:* quocunque adueniente terræ motu, omnia ruerent. Ac propterea Sanctus Augustinus dixit duodecim Apostolos in nocte passionis defecisse, vt animaduerterent, quod ex seipsis inanes & vacui essent, ac mutabiles. Qui tamen fuerunt post resurrectionem confortati: vt agnoscerẽt firmitatem suam à diuina gratia prouenire. Et propter eandẽ causã vacua erãt

capi-

Tract. 3. c. 1.
b 3. Reg. 7. 15. 21. 2. Par. 3. 17.

Iere. 52. 21.

c Matth. 16 18.

d 1. Tim. 3. 15.

e Ier. 52. 21.

f Iob 26. 7. Isai. 40. 17
g Psal. 74. In hunc Ps.

capitella columnarum: quæ significabant diuersitatem gratiarum, ac ministeriorum, ac operum his statibus annexorum, vt intelligeretur, quod omnia inniti debeant huic humilitati, vt omnis eorum pulchritudo & amplitudo firma sit in Deo, à quo procedunt: quamuis subiectum, in quo recipiuntur, vacuum sit & inane.

3

QVEMADMODVM autem ista *capitella* quibusdam funiculis siue fascijs *quasi in modum retis & catenarum sibi inuicem miro opere contextarum, septies cingebantur*; & *in partibus vacuis erant centum malogranata, & totidem exterius*: ita intelligamus Prælati, vt suo officio bene fungantur, debere ipsos habere varias gratias ac virtutes, quasi colligentes in se (vt suprà dicebamus) quæ sparsim inter fideles habentur; & operam dare, vt in omni genere Sanctorum operum, internorum & externorum sint eminentes, ad gloriam ipsius Dei, & Ecclesiæ ædificationem, & subditorum vtilitatem. Ita vt cuiuis externo operi correspondeat aliud interius ei proportionatum: & illud interius non ibi tantum sit, sed erumpat exteriùs in bonum aliorum. Et quamuis: k *tunica summi Sacerdotis* antiqui ad fimbriam, quæ est terræ proxima, *habebat septuaginta mala punica* pendentia: hic tamen in capitello supra columnam erant lucenta, ad significandum, quod omnia opera Prælatorũ debeant esse perfecta cum varietate affectuum, quos plurima malogranati grana significant. Hoc tamen discrimine, quod charitatis & misericordię corporalis opera, quæ ex se sunt inferiora, & exercentur in subleuandis necessitatibus corporis, visitando scilicet infirmos, nudos vestiendo, & alia similia faciendo: debent esse numero pauciora. Spiritualia autem opera, quæ sunt ex se altiora, docendo scilicet consulendo, & corrigendo, & similia alia: debent esse plura numero, eò quòd sint magnis propria Prælatorum: quorum gubernatio præcipua est animarum ad quas respiciunt, cùm corporibus consulunt ac prospiciunt.

1 Reg. 7. 17.

k Exod. 8. 33.

4

ADHÆC, capitella in extrema parte habebant lilia, quæ significabant clarissima præmia, & coronas iis paratas, qui sunt Ecclesię columnæ; & fruuntur contemplatione & vnione amoris cum illo Domino, qui vocatur: l *lilium* quod habet quinque folia candidissima & pulcherrima; & quinque alios flosculos in medio illorum, quæ significant præcipua diuinitatis huius Domini attributa, quinque positiua, vt vocant; quæ magis eminent, & voluntatem alliciunt: sapientia scilicet eius omnipotentia, charitas, Misericordia & Iustitia; & alia quinque, quæ appellantur Negatiua, occultiora & reconditiora: quòd scilicet sit æternus, immensus, infinitus, incomprehensibilis & ineffabilis; & visio harum diuinarum perfectionum, & amor & gaudium, quod oritur ex illa visione: est beatitudo Sanctorum. Et ex his fragrantissimis floribus corona texitur, qua re-

l Cant. 2. 1.

munerant-

munerantur eorum industriæ ac labores.

Hae sunt columnæ, quas diuinus noster Salomon posuit ad ostium templi Ecclesiæ suæ, vt omnes fideles illas aspicientes discant, & imitentur præclara exempla quæ in Sanctis suis Prælatis videbunt; & eisdem roborentur & confirmentur in studio virtutum. In quem finem scribit Christus Dominus noster super has columnas tria nomina, quorũ in hac Epistola meminit: *nomen* scilicet *Dei*; & *nomen suum nouum* Iesu; *& nomen nouæ Ciuitatis Ierusalem*: vt Prælati intelligant quod habere debeant in corde, & vita sua impressum sanctum Dei nomen, eiusque diuinas perfectiones: ipsis enim præcipuè dicitur. m *Sancti eritis: quoniam ego Sanctus sum*, & n *estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*. Nomen quoque *nouum Iesu* in seipsis impressum gestare debent, renouantes seipsos ad imitationem huius Domini: cum tanta virtutum eius similitudine, vt in eis eluceat salus & sanctitas ab eodem Domino in mundum allata. Ac denique gestare debent nomen cœlestis Ierusalem, quasi iam essent Ciues eius: imitantes beatos, qui in illa sunt, facientes voluntatem Diuinam in terra, sicut illi eam faciunt in cœlo. Et hunc in modũ proponentes se in exemplum suis subditis, dicent eis quod Apostolus dicebat: o *imitatores mei estote sicut & ego Christi*. Qui, vt loco superiùs allegato diximus, est forma, in qua formatur fabrica harum columnarum, quæ erant ex ære fuso, Ad eius enim imitationem facturi sunt Prælati omnia sua opera, & ministeria, sequentes quàm possint perfectissimè heroicas eius virtutes.

m 1. Petr. 1. 16.

n Matth. 5. 48.

01. Cor. 11. 1.

(·.·)

CAPVT XIX.

SEPTIMA EPISTOLA AD EPSCOPVM LAodiciæ, aduersus Prælatos tepidos, & illusos in sua gubernatione; & ratio eos corrigendi.

PRAELATIS QVORVM IN CAPITE VNdecimo meminimus affines sunt alij aliquanto etiam peiores illis, qualis erat Episcopus Laodiciæ: ad quem Christus D. N. septimam misit Epistolam, cuius exordium est: a *hæc dicit: Amen, testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei.* Animæ scilicet sanctificatæ vera ac perfecta sanctitate pergit: *Scio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus: vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis: quod diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, miserabilis, & pauper, cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Hæc Christus Dominus illo Episcopo. In quibus distinguit tria hominum genera in Ecclesia, Religionibus, & in omnibus statibus. Quorum quosdam vocat frigidos, alios calidos, alios tepidos: qui quodammodo peiores censentur frigidis. Vt autem præmittamus, quæ sunt magis clara & expedita: frigidi appellantur, qui & mali sunt, & tales se esse agnoscunt: non enim ita sunt cæci, quin oculos habeant, ad peccata sua cognoscenda. Calidi autem sunt Iusti, qui in suis actionibus rectâ intentione tendunt, vt Deo placeant; & student eum cum vera charitate diligere. Tepidi autem sunt, qui habent aliquid de vtrisque. Nam in rei veritate sunt magni peccatores, se tamen reputant iustos. Ita enim superbia eos excæcauit, vt non se agnoscant; & per eam Dæmon illos tenet illusos, ac deceptos. Cumque valde ineptè officio suo fungantur, existimant optimè se illud obire. Ac propterea peiores sunt frigidis: quia in maiori periculo versantur, & magis ad perditionem accedunt. Qui enim se existimat infirmum, quærit medicum, & applicat medicamenta vt sanitati restituatur. Qui autem ægrotus est, sed sanum se reputat: non cogitat de remedio adhibendo: ideoque dum non cogitat, incidet in mortem,

a *Apoc. 3. 14*

Tollis

Talis autem erat hic Episcopvs (vt ait Sanctvs Gregorivs & alij Sancti) qui se existimabat diuitem in virtutibus, de quibus se arroganter iactabat: Christvs tamen eum appellat *pauperem*, eò quòd careret diuitijs spiritualibus: *cæcum* quòd suam paupertatem non agnosceret: & *nudum*, quod charitatis vestem amisisset. Et quod peius erat, nesciebat se illam amisisse. Et quemadmodum tepida aqua stomachum ad vomitum prouocat: ita hic modus tepiditatis prouocat Dominvm Nostrvm, vt tales euomat, & reiiciat à se. Quamuis, vt est miserecors, id non faciat vno tractu, sed primùm incipit quasi cui conuulsione quadam turbatur stomachus; & anxiatur, illos intus retinendo. Et ita eis aliquas desertiones, & afflictiones immittit, & vt sensim in maiora peccata labantur: vt ex huiusmodi grauioribus malis sese peccatores agnoscant & humilient. Quod vbi videt non prodesse: solet eos omnino euomere, & separare à corpore mystico Ecclesiæ suæ, sicut facit in hora mortis eorum. Qui tepiditatis modus etsi omnibus Christianis sit periculosus: multo tamen periculosior est Episcopis, ac Prælatis, & habentibus statum aliquem excelsiorem: si enim semel excæcantur superbia: pauci sunt, qui audeant eos monere, & eorum deceptionem illis detegere: ac proinde, quasi tutiores, in suis vitijs & negligentijs persistant: nisi Deus illustratione sua benignè eos moneat sui periculi, sicut fecit cum hoc Episcopo.

Lib. 34. Moral. c. 2. S. Amb. in Psal. 118. Orig. Homil. in Ps. 28 S. Tho. q. 3. de malo. a. 1. 3. ad 1.

Alivs est modus tepiditatis ferè similis iam posito: ita vt frigidum appellemus quemcunque existentem in peccato mortali; calidum autem, iustum feruentem in diuino obsequio; tepidum verò, iustum; qui cum sit in statu gratiæ, caret tamen feruore charitatis. Sed vt Sanctvs Gregorivs aduertit: est quidam tepidus, qui ex frigore ascendit sensim ad statum caloris; & qui erat improbus, incipit, & sensim pergit, vt fiat bonus ac feruens: quamuis adhuc non attigerit. Et hic status non est pernicios̃us: cum spes sit obtinendi quod quærit, & perueniendi quò tendit. Alius est tepidus, qui ex calore sensim descendit ad frigus: quia cùm esset bonus, sensim labitur in aliquos defectus, qui eum disponunt ad amittendam charitatem. Et hic status est valde periculosus. Nam si semel Dominvs noster eum à se proijciat, permittens eum grauiter aliquoties labi, difficilius (ait Cassianvs) redit ad statum pristinum: sicut homo id, quod nausea compellente proijcit, odibilius detestatur: vt non solum labijs admouere non velit; sed etiam eminus intueri

3. p. Pastor. admonit. 35

Collat. 4. c. 19.

sine ingenti horrore non possit. Multò tamen periculosior ille est status cum tepiditas ipsa latet, & tepidus eam non agnoscit, nec talem se esse reputat. Is enim non aduertens eo deuenit, vt etiã amissa charitate, adhuc se iustum reputet; nec cogitet de lethali morbo, quo affectus est, & quem non nouit remedio aliquo repellendo. Et de his dixit Ecclesiastes: b *Est aliquos impios, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant.* Existimant enim opera sua esse bona: quia eorum cæcitas hanc eis adfert falsam securitatem. Et hæc tepiditas est etiam multò pernicioſior in Prælato: qui neque est qui illum moneat, aut stimulet. Quid si excæcatus est à superbia: quomodo poterit esse dux aliorum? Quomodo aliorum defectus agnoscet, aut eos poterit cum fructu reprehendere? Dicet enim ei Saluator: c *hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo: & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.* Trabs in oculo (ait S. Bernardus) est superbia cæca, quæ in Prælato prædominatur. Appellatur autem hypocrita: quia ostendit se habere, quod non habet; & videtur videre, cum sit cæcus. Quare nisi illam amoueat trabem, malè poterit videre; & subditorum peccata corrigere, quæ sunt quasi festucæ, si cum ipsius peccatis conferantur.

b *Eccles.* 8. 14.

c *Matth.* 7. 5.

§ I.

AD HAEC damna & pericula præuenienda valde aptum est documentum & consilium Christi D. N. huic Episcopo proposiũ, cùm dixit: a *suadeo tibi, emere à me aurũ ignitum, probatum, vt locuples fias.* Vtitur autem verbo, *suadeo*, cùm potuerit dicere: *iubeo*, vt superbus Prælatus discat modestiam, qua debeat agere cum suis subditis, præcipuè frnioribus: cùm videat se ita à Christo ipso tractari. Quemadmodum S. Paulus dixit Philemoni: b *quamuis multam fiduciam habeam in Christo Iesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet: propter charitatem tamen magis obsecro.* Sic enim plus obligant subditos, vt ipsis se subijciant & obediant. Idem etiam verbũ *suadeo* insinuat: quando subditi aliqua deceptione laborant, sicut hic Episcopus: non expedire rem ipsam nudè præcipere: difficilè enim iudicium propriũ subijcient, & potiùs resistent præcipienti. Ac proinde expedit bonis rationibus capaces eos reddere, & suadere, quod expediat illis id facere, quod proponitur. Cum enim intellectus sit capax ac deponit suam deceptionem: faciliùs voluntatẽ allicit, & impellit ad exequendum quod iubetur. Et hoc facit Dominus noster internis suis illustrationibus & inspirationibus: quæ primùm solent intellectum commouere, vt capiat & approbet bonum, quod ei ostenditur, & tunc voluntatem etiam permouent, ad idem amandum, & efficaciter amplectendum.

a *Apoc.* 3. 18

b *Ad Philem.* 8.

2

QVOD autem tepido huic episcopo suadet, est: vt ab ipso emat aurũ charitatis, quæ illi deerat. Quãuis enim c *gratia* & charitas, gratias & absqui propriis meritis homini dentur: propterea enim appellatur gratia,

c *Rom.* 11. 6.

vt di-

vt dixit Apostolus: tepido autem dicitur, vt illam emat, deponendo tepiditatem; & vt inteligat: aliquid ipsi esse faciendum ex parte sua, vt ad gratiam recipiendam disponatur. d *Quæ dispositio coniuncta meritis Christi* erit pretium, quo illa comparatur: non ex eo quod habet ex parte nostra; sed ex eo, quod ibi est ex meritis: & e *pretio sanguinis Iesu Christi:* quod est ingens e *precium quo fuimus redempti,* nobisque comparauit gratiam & charitatem quibus iustificamur. Ad hæc cum tepidi amiserint sitim ac desiderium bonorum spiritualium, & profectus in eis: suadet vt illa comparent precio desiderij ac sitis ea obtinendi. Adeò enim Deus noster propendet ad sua dona largienda: vt reputet pretium eorum desiderium & preces & orationes quas ad ea impetranda multiplicamus. Et hoc modo explicat S. Gregorius Nazianzenus illud Isaiæ: f *omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac,* O diuinæ liberalitatis celsitudinem! Bonum hoc, inquit, etsi adeò sit magnum: proponitur tamen tibi quasi venale, vt illud compares precio tantùm voluntatis. Appetitionem ipsam Deus ingentis precij loco habet: sitit sitiri, bibere cupientibus, potum præbet: cùm à Deo beneficium petitur, beneficio ducit; iucundius dat, quam alij accipiunt. Ac propterea desiderium beneficiorum eius pro precio eorum accipit, quo illa quodammodo soluimus.

d *e.* 3. 24.

c. 1. *Petri.* 1. 18.
e 1. *Corin.* 6. 20.

Orati. in S. Baptis.
f *Isai.* 55. 1.

Non tamen satis sibi esse reputat Deus, quòd dixerit huic Episcopo: *eme à me aurum,* sed addit auri præstantiam, cùm dicit: *ignitum & probatum.* quo docere eum voluit, charitatem Prælatorum debere esse valde perfectã; & ad instar ignis duas conditiones habere, vt semper scilicet sursum tendat, & comburat, & in se conuertat quicquid ad ipsum accedit. Semper enim feruere debet desiderio proficiendi, & ascendendi ad contemplationem, & amorem rerum cœlestium; & studendi accẽdere & inflammare subditos suos hocigne, vt & illi hoc amore ardeant. Sed quoniam in feruore solet esse deceptio, addit *probatum,* studendo (vt dixit Apostolvs) g *exhibere se ipsum in omnibus sicut Dei ministrum in charitate non ficta,* sed pura absque finis alicuius terreni admixtione. Denique idem est dicere, vt emat aurum ignitum & probatum, atque dicere, vt contendat esse quasi vnus ex Seraphinis: quorum qualitates superiùs retulimus. Hac charitate sibi comparata, Prælatus, qui diuitem se existimabat, cum esset verè pauper, euadet verè diues, & obtinebit vestimenta candida & pretiosa reliquarum virtutum ac donorum, charitatem ipsam comitantium: quibus præteritam operiens nuditatem, remanebit pulcher, & splendidus exercitio sanctorũ operum. Si enim in Pontifica-

g 2. *Corin.* 6. 4.

C 6. *& Tract.* 3 *c.* 2.

libus celebraturus diuina mysteria, corpus induit pretiosis ac splendidis vestibus: multò magis erit rationi consentaneum, vt pretiosis hisce virtutum vestimentis exornet animam: vt ita Dei oculis placeat, & hominibus, bona eius opera cernentibus.

4

1. *Part. Pastor. c. 11.*

DENIQVE iubet Christus Episcopum *collyrio inungere oculos, vt videat*, & ita curetur à cæcitate, qua laborat. Collyrium hoc ait SANCTVS GREGORIVS esse meditationem verborum Dei, & executionē operum, ad quę illa instigent; & nominatim ad mortificationem passionum. Attenta enim hæc consideratio, instituta purâ intentione ac desiderio inueniendi veritatem, quæ ad proprium remedium maximè confert: illustrat oculos animæ, vt videat ac penetret, quod antea tanquam cæcus videre non poterat. Primum enim deprehendit suam paupertatem, nuditatem, ac miseriam; & agnoscit cæcitatem, qua laborabat; afficitur pudore, atque ideò sese demittit & humiliat. Ac propterea dixit

In c. 3 Apoc.

RVPERTVS: humilitatem esse collyrium quod remouet nubeculas ex oculis, sicut h *lutum quo Christus Dominus nester visum reddidit cæco nato.*

h. *Ioan. 9. 6.*

Additque idem RICHARDVS: collyrium esse amaritudinem & fletum pœnitentiæ, quæ lacrymis purgat humorem peccatorum, ac passionem; redditque oculos claros ac perspicuos sicut i *fel* illius *piscis, quo Tobias lenuit oculos Patris sui, & eius cæcitas fuit curata.* Sed tam humilitas, quàm pœnitentia oriuntur ex meditatione ignem hunc excitante, & nominatim cognitionis suiipsius, & Christi Redemptoris nostri, & laborum ac cruciatuum, quos in sua passione pro nostris peccatis sustinuit. Cuius fel & acetum, & reliquæ acerbitates si per meditationem applicentur oculis spiritus, illos clarificant, & ab eis remouent trabem superbiæ, & vanitatis tumorem: quia adferunt pudorem ob præcedentem tepiditatem; & maiorem addunt animum, adferuenter in posterum agendum. Propterea enim Propheta nomine huius Domini dixit: k *recordare paupertatis, & trangressionis meæ, absynthij & fellis, & mox respondet: memoria memor ero, & tabescet in me anima mea, hæc recolens in corde meo. Ideo sperabo,* in Deum meum, à quo veniet mihi auxilium.

i *Tobiæ* 11 13.

k *Thren.* 3. 19.

§ II.

5

SED ne silentio prætereamus admirandum modum corripiendi tepidos, & alios peccatores, quem CHRISTVS DOMINVS NOSTER hoc loco nos docuit. *Primùm* enim aperuit huic EPISCOPO eius defectus distinctè & ordine suo, dicens ei quàm falsam de se haberet opinionem, cùm existimaret,

se di-

se diuitem esse, cùm reuera pauper esset, miser, nudus, ac cæcus. Et mox applicare cepit blandè & suauiter remedia, eius infirmitati accommodata. Nam contra paupertatem inuitat eum, vt aurum ab ipso petat; contra tepiditatis miseriam, inuitat illum ardore ignis & feruoris; contra nuditatem, offert illi vestimenta candida; & contra cæcitatem, suadet collyrio optimo vti. Vt ex hoc Prælati discant modum, quo subditorum suorum vitia curent, eosque corrigant. *Primum*, instar peritorum Medicorum curent morbos, eorumque radices benè agnoscere: & mox eas aperiant infirmo, vt in eo excitetur desiderium sanitatis, ad id eum suauiter allicendo: morbi enim spiritûs, nisi voluntate & consensu peccatoris curari non possunt. Ideò enim dixit Sanctus Augustinus: *qui creauit te sine te; non sanctificabit te sine te.* Postea applicanda sunt medicamenta restituendæ sanitati accommodata: alioquin non erunt ad rem: collyrium enim, quod est oculorum medicamentum, non erit vsui ad morbum auium. Ac propterea dicit SANCTVS BASILIVS; Prælatum & Superiorem debere esse sicut medicum, & infirmarium: qui multis vulneratis medentur, & ipsa vlcera expurgant: & pro natura vniuscuiusque mali, remedia eis adhibent accommodata. Vt autem infirmus oblatum remedium, etiamsi acerbum, libenter acceptet: oportet ei persuadere: quòd merè applicetur ob ipsius sanctitatem, & vtilitatem; nullo autem modo ex aliquo odio, aut animi auersione.

Serm. 15. de verb. Apost.

Regula. 30.

ET hoc est *Sextum*, quod CHRISTVS DOMINVS NOSTER huic Episcopo dixit illis verbis: a *Ego quos amo, arguo, & castigo*, quasi diceret: quæcunque tibi dico, quod te exhortor, quod minor; & pœnæ ac molestiæ, quas in tuis socijs animaduertis, credas omnia oriri ex amore, quo te & illos prosequor. Desidero enim vestrum bonum, & vt tandem finem consequamini ad quem vos creaui, & redemi. Quos verò odi; ac propter eorum peccata deserere volo, eos tanquam desperatos ægrotos relinquo, & potiùs illis dico, quod olim dixeram Israeli: b *non irascar amplius contra te, auferetur Zelus meus à te*. c *Populus meus non audiuit vocem meam: & Israël non intendit mihi. Et ideo dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, & ita ibunt in adinuentionibus suis*, d *quia tradidit illos Deus in reprobum sensum.*

a *Apoc. 3. 19*

b *Ezech. 16. 42.*
c *Psal. 80. 12*
d *Rom. 1. 28*

POSTEA tamen omnia simul luent, quæ suis peccatis sunt promerit. Quos tamen amore paterno diligo, reprehẽdo eorũ vitia, eosq; arguo vt erroris eos conuincã; & temporalibus malis afficiã: vt sic disponantur ad

recipi-

recipienda spiritualia, quibus carent. His oculis & hoc spiritu respiciunt sancti reprehensiones & pœnas, quas mittit illis Deus. Et aduertentes eas prouenire ab amore ipsius, & in bonum proprium; non solùm non indignantur, sed etiam eas desiderant, dicentes cum sancto Iob: e *Quis det mihi, vt qui cœpit, ipse me conterat: soluat manum suam & succidat me?* Nam (vt S. Gregorius explicat) cũ Creator noster nõ in eo ostendit suum erga nos amorem, quòd aduersa nobis mittat: est quasi manum haberet ligatã ad vitia nostra punienda: tunc autem manum suam soluit, cùm facit, quod in nostrum bonum desiderat. Ac propterea Sanctus Iob addidit: *hæc mihi sit consolatio vt affligens me dolore, non parcat.* Quasi dixerit: quia parcit aliquibus in hac vita, vt eos puniat in futura: opto ego, vt me hic puniat ac premat, vt in æternũ parcat. Ex quo etiã discere possunt Prælati: quantã curã adhibere debeant & cautelã, vt subditi intelligant: ipsorũ reprehẽsiones, & castigationes non oriri ex vindicta: sed ex charitate & amore quo illos prosequuntur: quasi parentes qui filios castigant, sicut Apostolus ait Deũ facere: f *quem enim diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.*

e *Iob. 6. 9 Lib. 7. Moral. c. 7.*

f *Heb. 12. 13*

7

SED vlterius progrediuntur monita Saluatoris datæ Episcopo huic tepido, cùm dicit. *æmulare*: quo verbo aliud etiam remedium contra ipsius tepiditatem accomodatum applicat. Nec tamen exprimit materiam æmulationis: vt sic intelligat eam debere esse generalem, ad ea omnia, quę sunt perfecta eius materia. *Primum* igitur æmulare debet, magnúmque zelum adhibere, vt ex malo suo statu ac tepiditate recedens, in virtutibus proficiat: cõtendendo semper excellentiores acquirere. Quemadmodum dixit Apostolus: g *æmulamini charismata meliora.* Et adhuc *excellentiorem viam vobis demonstro*, scilicet feruentis charitatis: cuius rei causa Christus D. pręmiserat, vt Episcopus hic *emeret ab ipso aurum optimum ignitum & probatum, & indueret vestimenta*, non qualiacunque sed valde *candida* & preciosa. *Deinde* æmulari debet Sanctos feruentes: imitando eos, vt idem Apostolus dixit: h *in bono semper*; feruore, quem illi habent. Ac propterea Christus inter epistolas, quas scripsit ad tepidos, etiam inseruit quas dedit ad feruentes: vt sanctam concipiant inuidiam virtutum eorum, & gratiarum ac fauorum ipsius Dei, quos propter illas ab eo acceperunt. *Tertio* habere debet zelum boni, & vtilitatis suorum subditorum, seipsum excitans, ad eam procurandam omnibus quibus poterit modis. Cum enim incumbat ipsi cura aliorum: nõ satis est, quod proprium tantum bonum zelet, nisi etiam attendat ac zelet aliorum bonũ. Qui igitur in vtroque fuit tepidus, debet in vtroque esse feruens. Ac denique exhortatur ad zelũ & æmulationẽ in applicandis remediis, & cõsiliis ample ctendis, quæ illi tradidit. Quasi dixerit: ne in tua tepiditate persistas, expectãs,

g *1. Cor. 12. 31*

h *Gal. 4. 18.*

vt ip-

vt te omnino euomam ex ore meo; sed concipe sanctum quoddam odium contra te ipsum, & vitia tua; & manum statim admoue ad ea abijcienda.

Sed quoniam malorum nostrorum remedium incipit à pœnitentia: addit octauum documentum: *age pœnitentiam*, & non qualemcunque, sed perfectam magno zelo contra peccata tua: procurando, vt Contritio, Confessio, & Satisfactio sit ex omni parte plena. Ne autem spem amitteret veniam obtinendi ob multitudinem suorum peccatorum; aut prætenderet excusationem, quasi non sufficerent ipsi vires ad pœnitentiam agendam, simul addit: *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* quasi illi dixerit: etsi tu me ex corde & anima tua expuleris: sum tamen ego adeò bonus, vt optem ad eam redire. quare scito, me ad ostium esse, meisque inspirationibus pulsare, monendo, & prouocando te, vt de improba tua vita doleas, ac de emendanda, & perficienda cogites. Itaque non ego ex parte mea deero, quin per gratiam & charitatem meam ingrediar animam tuam: siquidem præuenio te, & moneo, ac peto, vt mihi aperias, & assentiaris ei, quod meæ inspirationis vox tibi insinuat. Quod si mihi aperueris, non solùm te non euomam aut reijciam à me: sed potiùs assidebo tecum ad cœnam, sicut solet aliquis amicus cum altero assidere. Ego cœnabo tecum, & tu mecum: ego affectus tuos contritionis, & bona proposita, actusq; amoris tui comedam: quos mihi offeres; teq; immittam in viscera mea, vt mecum sis per gratiam, & charitatem vnitus intima amoris vnitione: tu autem comedes dulcedines & fauores quos tibi proponam & exhibebo cum magna tranquillitate & securitate tuæ conscientiæ, quam post feruentem pœnitentiam senties. Hoc autem conuiuium non prandium appellauit, sed *cœnam*: quæ fit nocte: cum solet hospes in hospitio pernoctare. Vt intelligat, quòd, quantum in se est ita animam ingrediatur, vt desideret in ea permanere toto tempore huius vitæ; & postea eandem admittere ad cœnam æternæ gloriæ. Iuxta illud quod ipse dixit suis Discipulis: quod i *æternus Pater alium Paracletum daturus esset eis, vt maneret cum eis in æternum.* In quo ostendit infinitam suam charitatem erga peccatores; quibus (vt primo Tomo est dictum) spē facit, quòd eorum peccata non poterunt impedire, quò minus ipse arctam cum eis familiaritatem ineat. 1 Ioan. 14. 16. Tract. 1. c. 18. §. 39

Ex his discere etiam debent Prælati modum corrigendi, & puniendi reos: concludentes scilicet reprehensionem cum spe veniæ, ac significantes: quod si se emendauerint, licebit eis ad antiquum locum & honorem redire. Sunt enim aliqui adeò pusillanimes; vt existiment: si semel in grauem aliquam culpam lapsi fuerint; ac propterea opinionem apud superiores

riores amiserint: se nunquam amplius eandem recuperaturos, quæ occasio esse potest vt in extremam deueniant desperationem, & sic omnino pereant. Quare si Prælati verbis suis, & modo agendi huius cogitationis & persuasionis occasionem præberent, essent verè rei coram Deo, & crudeles in suos subditos: quorum peccata facerent apud se quasi irremissibilia, & lapsus ipsos irreparabiles. Cum autem in oculis Dei non sint peccata talia: æquum est, vt nec Prælati ostendant in suis esse talia. Et tali modo reprehendant, puniantque reos, etiam dignos, qui omnino euomantur, & ex tali communitate pellantur: vt non eos n desperationem adducant, & ipsimet nouam præbeant occasionem, vt citiùs euomantur: sed potius cũ reprehensione spem coniungant venię: certos illos reddendo, quòd si veram egerint pœnitentiam, & vitam emendauerint, admittendi sint ad pristinam suam dignitatem: sicut filius prodigus fuit à suo parente exceptus, & in locum suum restitutus. Et sicut hic Episcopus adeò blandè & suauiter inuitatus est, & rogatus, vt ad mentem rediens pœnitentiam ageret: nam Christus ostendebat se paratum ad illum intrare, & cum illo cœnare.

10. DENIQVE Epistolam suam Christus concludit, dicens: *qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Quibus verbis omnibus loquitur, & animum addit peccatoribus: nullus, inquit, propterea animum abijciat, quod fuerit victus à Dæmone, & carne sua: sed redeat iterum ad pugnam contra hostes suos: si enim eos vicerit, & constans in victoria fuerit: sedem ego illi in regno meo dabo, vt mecum regnet, sicut ego regno cum Patre meo: eò quòd in hac vita pugnans hostes vicerim. Et quemadmodum dixi, quod *qui vicerit,* k *edet ac bibet super mensam meam in regno meo,* & vescetur eisdem cibis quibus ego, clara scilicet & aperta visione Diuinitatis meæ; ita etiam promittit, quod ponam illum in eodem throno, daboque illi, vt fruatur diuitijs ac thesauris regni, quod ego possideo: vt qui imitatus est me in pugna & victoria; particeps quoque sit gloriæ meæ in æternum, Amen.

k Luc. 22. 29.

(·.·)

CAPVT. XX

SVMMARIVM QVODDAM OMNIVM QVAE ad perfectum Prælatum pertinent, desumptum ex ijs quæ in hoc tractatu sunt dicta, ex similitudine Seraphinorum quos vidit Isaias cum sex alis.

VT FINEM TANDEM HVIC TRACTATVI IMPONAMVS. deducemus ex dictis in eo summam quandam rerum, quæ ad perfectum Prælatum pertinent Quæ ad duo illa capita reducuntur, quæ Apostolus Episcopis Asiæ commendauit, dicens: a *attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* In quibus verbis supponit Apostolus, quod esse debet huius perfectionis fundamentum. Hoc est, vt nullus Episcopus nec Prælatus tale suscipiat onus & officium, nisi Spiritus Sanctus illud ei imponat. Ita vt non aggrediatur illud *spiritu dæmonis, aut mundi*, qui pro fundamento habent ambitionem honoris; & temporalium facultatum cupiditatem; nec spiritu proprio, qui iudicio proprio innititur, neminem consulendo, neque rem sibi in consulationem accipiendo: sed per vocationem, & inspirationem, ac directionem Spiritus Sancti: seruatis regulis ac documentis in capite tertio positis.

a *Actuum* 20.28.

1 *Vocatio.*

Hoc iacto fundamento, debet Prælatus sibi ipsi inprimis attendere, vt rebus omnibus ad propriam salutem ac perfectionē necessariis: cum cuius detrimento non debet gregi attendere. Nam Spiritus sancti voluntas, qui gregem ipsi commisit, illa est vt hunc ordinem semper seruet, anteponendo scilicet ea quæ sunt animæ ipsius, iis quæ sunt aliorum. Et idem commendat iterum Apostolus Episcopo Timotheo: b *attende tibi, & doctrinæ, & institæ in illis: hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Etiam *lectioni & exhortationi* monet attendere. Quod si hoc (ait SANCTVS CHRYSOSTOMVS) adeo commendat APOSTOLVS TIMOTHEO, qui miracula edebat & mortuos suscitabit: quid nos faciemus peccatores? Et c *quod proderit tibi* (ait SALVATOR NOSTER) *si totum mundum lucretur*

2 *Attendite vobis.*

b 1. *Tim.* 4. 16. 13.

Hom. 13. *in* 1. *ad Timot*

c *Matth.* 20 26.

Eccli. 14. & quod grex tuus ad pastum cœlestem perueniat: si *anima tua detrimentum patiatur*, & ad infernum descendas. Et d *qui sibi nequam est* (ait Ecclesiasticus) *cur alij bonus erit*? Verum est tamen, quod postquam officium acceptauerit: non erit sibi bonus, nec salutem consequetur, nisi etiam attendat, beneque consulat toti gregi sibi commisso. *Vniuerse*, inquit Apostolus, omnes enim, magni & parui, curæ illi esse debent: quia omnium est rationem redditurus. Ad quod vt permoueat Episcopos, tres adfert rationes efficaces, *Prima*: quia Spiritus Sanct. hanc eis curam commisit: quod sufficit, vt eam sibi habeant commendatam, vt Deo placere possint, & gratiam in ipsius oculis inuenire. *Secunda* ratio, eò quod Ecclesia, quam Episcopus regit, est ipsiusmet Dei; & grex ipse est proprius Christi D. N, cui tenemur seruire & placere infinitis titulis & nominibus. Ac proinde æquum omnino est, vt magnam illius curam gerat, tanquam rei infinitæ benefactoris: qui amoris & gratitudinis nostræ erga ipsum indiciũ voluit

e Ioã 21, 15. esse, vt sui gregis curam geramus. Ac propterea S. Petro dixit: e *si diligis me, pasce agnos meos*. *Tertia* ratio est, eo quod hic Dominus maximi faciat Ecclesiam suam, quam precioso suo sanguine redemit: obligans etiam nos vt magni eam faciamus, eiusque bono consulamus: etiamsi sanguinem pro ea effundere opus sit.

4 Charitas & vterq; eius actus

f duplici spiritu, quem Eliseus petijt ab Elia, cùm eleuaretur in cœlum.

4 Reg. 2. 9.

A D vtramque hanc obligationem implendam opus habet Prælatus f *duplici spiritu, quem Eliseus petijt ab Elia, cùm eleuaretur in cœlum*. quem debet continuè petere à Christo D. N. cuius ille est donum, eiusq; merita datur. *Spiritus duplex* appellatur ipsemet Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedens: cum inspirat, magnaque potestate, & sapientia inducit aduocat feruentes charitatis actus, amorem scilicet Dei, & proximi; zelum gloriæ Dei & salutis animarum: quibus omnes suas actiones comitari debet: tum quæ ad ipsius salutem spectant, quàm quæ ad gubernationẽ. Qui duo amores adeo accensi & inflammati significantur per

g Isai. 6, 2. g *duos Seraphines, quos vidit Isaias*: & quorum meminimus in capite sexto: Qui *stabant* in præsentia *Dei sedentis super solium excelsum & eleuatum*, iuxta quod stabant Seraphini, *& clamabant alter ad alterum, ac dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*. Feruens enim Dei & proximi amor constituit Prælatum in Diuina præsentia, cum continua dilecti sui memoria: vbi enim est amor, ibi non est obliuio. Facit autem idem amor, vt Prælatus *ster* iuxta ipsum Deum: seruatâ enim reuerentia erga illum, coniungitur ei per intimam vnionem, in qua altitudo & perfectio huius vitæ consistit. Alter enim amor semper alterum excitat, eique feruorem addit. Nam Dei amor feruentiorem reddit amorem proximi, & hicvicissim illum: sibique porrigunt mutuo manus & iuuant in omnibus suis actionibus & vterque confitetur, Deum esse Sanctum: idque ter ob tres sanctitatis gradus

quam

quam efficit cum ipsa charitate: h *puritatem* scilicet *cordis, conscientiam bonam, fidem non fictam*, vt suprà dictum est. Etiam confitentur Deum esse Dominum exercituum: charitate enim pugnat & vincit in eis, eò quòd *dilectio sit fortis sicut mors*: quæ triumphat de omnibus hostibus, qui bonę gubernationi impedimentum apponunt. Quam ob causam Seraphini habebãt sex alas, quarum duabus velabant corpora sua vsq; ad pedes, alijs duabus velabant caput, duabus autem, quas extensas habebãt, volabant. Quæ (vt S. Bonauent. ait) significant sex virtutes, excellentes: in quibus summariè continentur omnes, quas posuimus in hoc Tractatu, pertinentes ad perfectionem Prælatorum in officiõ suo.

h 1. Tim. 1. 5. c. 1.

c. 1. 1. Cant. 8. 6

Opusc. de sex alis Seraph.

§. I. *Obedientia & Patientia.*

DVæ primæ alæ sunt duæ primæ filiæ charitatis: in quibus illa maximam suam excellentiam ostendit: obedientiam scilicet & patientiam: faciendo omnia, quæ Deus iubet; tolerando omnia aduersa, quæ ille permittit cum magna in vtrisque animi fortitudine, Duabus hisce alis tegere debet Prælatus corpus suum vsq; ad pedes; illę enim esse debent præcipua ipsius vestis, & ornatus, quibus personæ suæ auctoritatem; doctrinæ opinionem; ministerio honorem adfert; proximos ædificat, subditis præbet bonum exemplum, redditque se omnibus venerabilem & amabilem; & illi valde confidenter ad ipsum accedunt, & magna cum securitate sequuntur: sequentes enim eum, ipsum Christum D. N. sequuntur: qui vt dicit Apostolus, a *didicit ex ijs quæ passus est, obedientiam*, hoc est, patiendo didicit obedire; & obediendo didicit pati. Imitatio autem in vtraq; hac re (ait S. Bonauentura) finis est gubernationis. Rector, inquit, studere debet, vt sibi commissos faciat Christiformes, sicut dixit Apostolus: *imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. His alis tegit etiam corpus suum, quod instar thoracis protegunt, & in tentationibus, & pugnis Dæmonum, & hominum huius mundi, ac subditorum furentium, & tumultuantium tuentur: qui enim fortitudinem habet ad obediendum ac tolerandum, non potest ab huiusmodi lædi. Eisdem etiam protegit ac defendit corpus mysticum Ecclesiæ suæ, & gregis sibi commissi: quem mouet & allicit vt eius vestigia sequatur: quia sic c *forma factus est gregis* (vt ait S. Petrus.)

a *Heb.* 5. 8.

b 1 *Cor.* 11. 1

c 1. *Pet.* 5. 3

d *Ioã.* 14. 23

I

Ala obedientiæ est primogenita charitatis. Nam d *qui diligit me* (ait Christus D. N. *sermonem meum seruabit*; & e *qui seruat verbum eius* (ait S. Ioannes) *verè in hoc charitas Dei perfecta est*. Ac propterea ait S. Dionysius Seraphinos apparere cum alis, & stantes: ad significandam promptitu-

Cœlestis Hierarchia.15

dinem & velocitatem, qua ad diuinam voluntatem exequendam sint parati.

HAEC ala tot habet plumas, quot sunt virtutes adiuuantes ad obtemperandum cum hac promptitudine, velocitate, & integritate, omnibus legibus, Diuinis, & Ecclesiasticis, ac præceptis omnibus ad Prælati officium spectantibus.

f *Psal* 102. 20.

QVOD exercere debent cum ea velocitate, qua fulgura & fulmina apparere solent; & sicut f *Angeli* qui sunt *potentes virtute facientes verbum ipsius Domini ad audiendam vocem sermonum eius*: hoc est in momento, quo DEVS aliquid iubet, illi exequuntur. Hæc obedientia est præcipua ala boni Prælati: de quo canit Ecclesia: *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus. Non est inuentus similis illi; qui conseruaret legem excelsi.* Verè enim Sacerdos est magnus omnibus modis. Magnus in dignitate, & omnibus suis ministerijs; magnus in sapientia tanquam omnium Magister; magnus in sanctitate coram Deo & hominibus; magnus in cordis ingenuitate & magnanimitate ad insignia & grandia facinora aggredienda contemnens ex toto corde honores; magnus in magnificentia, quia largitur quicquid habet, nihili faciens diuitias; & præ omnibus magnus: quod *in diebus suis placuit Deo*: omnia sua opera facit semper, non vt hominibus placeat, aut magni ab eis fiat, nec, vt sibi ipsi placeat, & appetitui seruiat: quia totum id reputat vilitatem; sed vt soli Deo placeat in rebus omnibus, in quo solo totam suam magnitudinem, & amplitudinem collocat.

Ex. c. 44. & 45. Eccl.

EX quo prouenit, vt inuentus sit iustus: nam omnes subditi, qui eum quærunt, semper iustum inueniunt in suis verbis, & operibus: ita vt nulli inferat aliquam iniuriam, neque magnam, neque paruam: quia summè odit quamcunque iniustitiam, & peccatum: & gloriatur in eo, quod erga omnes seruet æqualitatem, tribuens vnicuique subdito, quod iustum est. Et eo vsque peruenit eius magnitudo: vt *non sit inuentus similis illi qui conseruaret legem excelsi*: hoc est inter omnes, qui subiacent eius potestati, nullus ei similis inuenitur, qui Dei legem sicut ipse custodiat: quia omnes suos subditos excellit in obedientia, & custodia diuinæ legis: omnem adhibens diligentiam, ne vel in vno iota deficiat: bene memor, quod g *qui soluerit vnum de mandatis Dei minimis, est minimus; qui autem fecerit & docuerit* ea custodire, *magnus vocabitur in regno cælorum.* Qui cum sit in omnium oculis magnus ipse, tamen iudicat se aliqua laude indignum. Quæ magnitudo valde est admiranda: qua reliquæ magnitudines conseruantur: eò quòd rara sit hu-

g *Matth. 5. 19.*

mili-

militas, vbi adsunt tot honores: quia tenet locum inter alios altiorem, & tamen in corde suo elegit locum infimum: sicut capite quarto dictum est.

Ex quo fit vt perfectus Prælatus, speciatim in Religionibus, debeat in obedientia eminere; & in obseruatione omnium legum & constitutionum, quæ reliquos in sua Ecclesia, aut Religione obligant: ita vt non ipse dispenset secum, aut eximat se ab aliqua lege: nisi legitima adsit causa; quæ si adesset in alijs, ipse eos à tali obseruatione eximeret. Et quamuis ipsemet leges, ordinationes seruandas ab alijs instituerit; ac propterea ipse sit super alios: debet tamen ipse easdem custodire, ob exemplum, ædificationem, & alacritatem subditorum in earum obseruatione: Eum in modum, quo verbum Diuinum cùm factum fuit homo, voluit antiquam legem custodire, quam ipsummet toti populo tradiderat, non se eximens ab ea. Quod si hoc ipsum commendat Secularibus Principibus, vt secundo Tomo est dictum, quanto magis id facere debent Principes & Pastores Ecclesiæ? Et hoc modo intelligendum etiam est, quod Ecclesiasticus dixit: h *rectorem te posuerunt? esto in illis quasi vnus ex ipsis*, seruando scilicet leges & ordinationes, quas illi seruant. Denique adeò debet esse obedientiæ addictus: vt in eo ipso quod iubet, etiam obediat. Iubendo semper non pro suo arbitratu & gustu, sed prout Deus & ratio ipsa dictat, & vult, vt ipse iubeat; obseruatis omnibus, quæ prudentiæ leges circa modum præcipiendi statuunt: & hoc vocatur iubere, & præcipere etiam obediendo.

Tract. 4. c. 5.

h *Eccl*, 32. 1.

Hvic obedientiæ alæ accommodari debet ala patientiæ. Quemadmodum enim auis non potest benè cum vna sola ala volare: ita non poterit benè Prælatus obedire, nisi nouerit simul patienter sustinere: nam ipsum sustinere fit facilius, si fiat, vt obediatur Domino: qui mittit aduersa, & iubet ea patienter ferri. Cuius alæ plumæ sunt virtutes; quæ spiritum exornant & componunt in rebus aduersis; nam fortitudo repellit timores, & magnum ostendit animum contra pericula rerum horrendarum, non prætermisso interim eo, quod aliàs fieri debet. Constantia est firma in aduersis, propter quæ non flectitur; mansuetudo iras cohibet insurgentes contra eos, qui molestias inferunt. Longanimitas diu expectat leuamen molestiarum, quæ inferuntur; neque defatigatur labore, & molestia, etiam quæ diu duret. Perseuerantia autem efficit, vt in cœptis persistat vsque ad finem officij, aut etiam ipsius vitæ. Cùm his omnibus pennis ac virtutibus volat patientia, in tolerantia rerum aduersarum, & executione operum acerborum, & grauium: non deficiendo ob tristitias in anima exurgentes: quas interdum ita reprimit,

vt gaudeat in tribulationibus, & aduersitatib. quas tolerat in sua gubernatione: etiamsi multæ sint, & graues: eum in modum, quo id explicuimus capite octauo, vbi omnes posuimus: quibus solùm nunc addimus, quòd patientia sit vna ex alis Seraphinorum: eò quòd sit valde propria charitatis: de qua dicit Apostolus, quòd sit i *patiens*; & in Canticis dicitur: quia k *fortis est vt mors dilectio, & dura sicut infernus æmulatio*: habet enim humeros ad ferenda onera grauissima; & horrendos dolores tolerandos, vt placeat ei, quem diligit. Vt insinuauit Apostolus, cùm dixit: l *optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis*. O quàm est heroica charitas, quæ sponte se offert, vt Christi præsentia ad tempus careat, & patiatur, si opus erit, dolores quasi inferni, vt fratres suos liberet à peccato! Cogitet igitur Prælatus: officium suum esse instar crucis cuiusdam quam Dominus noster eius humeris imponit, confectam ex omnibus pœnis ac difficultatibus ipsi gubernationi annexis: quam quotidie portare debeat cum magna patientia, sequens vestigia Saluatoris, qui nam tulit multò grauiorem. Et quotidie habet etiam suum calicem plenum acerbitatibus, quas gubernatio secum adfert. Nec est subditus, qui non aliquam amaritudinem ipsi offerat: quas omnes haurire debet, vt imitetur Dominum illum, qui dixit: m *potestis bibere calicem quem ego bibo*?

i 1. *Corin.* 13.4.
k *Cant.* 8.6
l *Rom.* 9.
m *Marci.* 10.38.

§. II. *Zelus & Compassio.*

ALIAE duæ, perfectorum Prælatorum alæ sunt aliæ duæ charitatis filiæ: *Zelus* scilicet iustitiæ aduersus peccata; & *misericordia* siue *commiseratio* miseriarum subditorum. Quæ etsi videantur sibi inuicem repugnare, non tamen ita est: quia sorores sunt, filiæ eiusdem matris; & altera alteram iuuat in suis actionibus. Nam (vt S. Gregor. ait) disciplina vel misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur: sed erga subditos suos inesse rectoribus debet, & iustè consolans misericordia, & piè sæuiens disciplina a *miscendo* scilicet *vinum & oleum* vt vulnera curentur infirmi.

1. *p. Pastoral. c.* 6.
a *Luc.* 10. 34.

HAE duæ alæ vsui esse debent Prælato ad contegendũ caput, & instar clypei ad illud defendendum. In illis enim consistit personæ eius securitas: quia omne eius periculum oritur ex defectu Zeli iustitiæ: quia nimium propendet ad molliciem; aut ex defectu commiserationis: quia nimium ostendit rigorem. Prælatus portat onus subditorum super caput suum, eum in modum quo dixit Dauid: *imposuisti homines super capita nostra*, vt autem caput tanto onere non lædatur: necesse est illud contegere duabus his alis, *Zeli* & *misericordiæ*: vt sic onus ipsum alleuient. Quæ alæ sunt in altũ erectæ: eò quòd Zeli & compassionis intentio semper debet ad fines cœlestes ac diuinos eleuari; nec inclinare ad terrenos, & mundanos, qui
b *Psal.* 15.12

nos, qui zeli vigorem debilitant, & misericordiæ puritatem maculant. Et hoc modo sunt alæ Seraphinorum ardentium amore Dei, & proximi: quia accedunt ad purificandos peccatores, nunc prunis Zeli: qui punit, vt sanet; nunc prunis misericordiæ: quæ collatis beneficijs reparat miserias. Zelus præcipuè ostendendus est in magna attentione & solicitudine; ne Deus offendatur, neclex eius violetur. Ita vt etiam hoc nomine de eo dicatur: *non est inuentus similis, qui conseruaret legem excelsi, quia nullus eorum quorum curam gerit*, ita zelat obseruantiam diuinæ legis, & omnium constitutionum ad ipsius statum pertinentium, atque ipse: quia non permittit aliquam earum violari, etiam valde exiguam: ne subintret relaxatio in ipsos subditos: qui facilè assuescerent contemnere res paruas: ex quarum obseruantia multum pendet obseruatio maiorũ. Quamobrem valde attendere debet, quando facultas petitur ac dispensatio in ijs, in quibus dispensare potest: vt duo fugiat extrema. Quia non debet esse adeò seuerus sub prætextu Zeli, vt nunquam velit dispensare, etiam vbi causa adest legitima: id enim præberet occasionem subditis, ex propria authoritate secum dispensandi, & malâ conscientia faciendi, quod potuissent facere absque culpa. Nec debet esse adeo effusus ob prætextum pietatis, vt semper facultatem & dispensationem concedat, quacunque existente causa, etiam non legitima. Huiusmodi enim dispensationes sunt relaxationes & destructiones legũ, ac ruinæ Religionum; quare tenendũ est medium, quod prudentia dictat absque detrimento veri Zeli. In quare per hos gradus contra deliquentes progredi debet; vt *primum* ostendat sibi displicere quemcunque defectum in ipsius præsentia admissum, aut qui ad ipsius notitiam perueniat; nullo edito indicio, quòd illum parui faciat; & quod parum referat: eò quòd sit res parua: id enim esset viam aperire, vt in eo defectu prograediantur; & ita inducatur quasi quædam consuetudo eius. *Secundus* gradus est, blandè & suauiter monere eum, qui defectum admisit, vt sese emendet: vtendo medio correctionis fraternæ prudenter & oportunè. Quòd, si non sufficerit: progrediatur ad *tertium* gradum, qui est asperæ reprehensionis, verbis vtendo quæ pungant cor, & sentire faciãt defectum admissum. Quod si neque hic gradus sufficiat, pergatur ad *quartum*, qui est punitionis: vt vexatio & pœna det ei sui erroris sensum, alijs vero sit frenum. Quando autem huiusmodi punitio non sufficeret, eò quod subditus sit durus & incorrigibilis: debet ad *quintum*, transire, quo putridum membrum abscindatur, ne totum communitatis corpus inficiat; obseruatis tamen admonitionibus ac documentis in capitibus vndecimo, ac duodecimo positis. quibus alia nunc addemus magis particularia.

Primvm documentum est: vt Prælatus nunquam agat cum rigore & 1

punitione, nisi subditi necessitas ad id vrgeat, & cogat: ita vt propendeat, quantum in se est, semper ad mala reparanda blandè, si fieri potest. Id enim est, quod Apost. dixit ad Corinthios: c *vultis in virga veniam ad vos? an in charitate & spiritu mansuetudinis?* Planum est quòd charitas vtrumque amplectatur spiritum, rigoris, & mansuetudinis: homines autem mansuetudinem tantùm appellant charitatem: quia in ea elucet magis amicitia, quæ non solum reipsa talis est, sed etiam exterius talis apparet: at rigor, etsi verè sit charitas; non tamen apparet talis. Et quoniam omnes magis delectantur mansuetudine, dicit Apostolus: voluntati subditorum relinquendum esse modum cum eis agendi: ita tamen, vt si ipsi velint sese emendare & propria peccata punire, Prælatus blandè & mansuetè cum illis agat: si autem duriores sint, & pœnam refugiant, ostendendus est rigor, & seueritas, & adhibenda virga ad eos coercendos.

c 1. *Corint.* 4. 21.

2

HÆC tamen virga esse debet iustitiæ cum æqualitate proportionata delictis: non enim æquè reprehendendi & puniendi sunt defectus magni, & parui; neq; qui fiunt ex inaduertentia, & malitia. Daretur enim occasio, vt talis modus reprehensionis & punitionis tribuatur potius ingenio cholerico, & vlciscendi Prælati, quàm zelo iustitiæ: cuius legis in eo modo non seruarentur. Quare omnino expedit, vtrumq; fugere extremum, in quæ labuntur Prælati imprudentes, & aliqua passione affecti. Aliqui enim seuerè volunt etiam leuissimas culpas punire: sicut d *Saul voluit proprium filium Ionatam occidere eò quòd, gustasset paululum mellis*: nescientem patrem suũ *prohibuisse comedi panem à quoquam, donec vlcisceretur de inimicis suis.* Alij valde leuiter reprehendunt defectus, etiam valde graues: sicut Sacerdos e *Heli leuiter reprehendebat* grauissima filiorum suorum peccata. At qui prudenter est zelosus, mediam tenet viam, pœnæ quantitatem accommodans culpæ qualitati. Quamuis etiam erit prudentiæ, seuerè punire culpas leues, cùm per eas aperitur ianua ad transgressionem ipsarum legum: quales esse solent culpæ primorum transgressorum. Ac propterea: f *iussit* Dominus *lapidari primum qui transgressus fuerat diem festũ Sabbati.* Et g *duo filij Aaron, qui obtulerunt ignẽ alienũ coram Domino, ab ipso igne deuorati, & mortui sunt.* h Oza quoque *repente mortuus est, eò quod extendisset manum, vt teneret Arcam Dei, quæ* aliquantulum *declinauerat*, & videbatur casura. Et S. Petrus subitanea morte puniuit i *Ananiam & Saphiram* qui initium dederunt vitio proprietatis. Cuius seueritatis causa fuit, (vt S. Chrysostomus & Cassianus perpendunt) vt qui in hac vita non puniuntur similibus pœnis: intelligant quàm sint horrendas in altera subituri. Ex quo apparet, quòd in huiusmodi casibus possit reprehensio esse valdè

d 1. *Reg.* 14. 24. 43.

e 1. *Reg.* 2. 24.

f *Num.* 15. 35.
g *Leu* 10. 2
h 2. *Reg.* 6. 7
i *Act.* 5. 5. *Hamil in c.* 5 *Actuũ. Coll.* 6. *c.* 11. & *Lib.* 7 *de Iustit. c.* 14.

valde aspera exaggerando culpam: vt eius grauitas agnoscatur, & ita terreatur qui, non satis aduertens quid faceret, eam admisit; & alijs etiam timor incutiatur. Ac propterea SANCT. PETRVS vsus est verbis illis adeo grauibus: *cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Ad uertit autem Origenes tantam tristitiam ac terrorem concepisse Ananiam ex illis verbis SANCTI PETRI: vt præ nimio dolore expirauerit. Scribitur etiam in vita SANCTI VINCENTII, quod cum ille semel magno cum feruore contra vitia prædicaret, quidam ex auditoribus præ dolore fuerit mortuus, & apparuerit niger sicut carbo.

Tract. 8. in Matthæum Idem insinuat S. Gregor. lib. 2. Dialog. c. 30.

SED ordinariè reprehensiones debent esse moderatæ iuxta consilium Apostoli, vt aliquod solatium admisceatur: k *ne abundantiori*, inquit, *tristitia absorbeatur qui huiusmodi est.* Et ad Galatas scripsit: vt correctio delictorum fieret l *in spiritu lenitatis, considerans*, inquit, *teipsum: ne & tu tenteris*, & incidas in idem delictum. Discernat inter peccatũ & peccatorem & inter peccatorem & hominem qui peccat; & inter iniuriam quam peccatum infert Deo; & miseriam hominis, quæ cum iniuria inuoluitur. Et intelliget se teneri ad coniungandam alæ zeli alam pietatis & commiserationis, corripiendo, reprehendendo, & puniendo quod est culpa, & iniuria Dei; vt eam impediat, diuinamque gloriam tueatur: sed simul compatiatur, cernens miseriam peccantis, & conditionẽ hominis fragilis: in quam facilè labitur. Et hæc compassió reddat ipsum clementem: vt quantum iustitia patietur, moderetur pœnam: quam interdum etiam expedit remittere: vt remissionis beneficium prouocet ad maiorem inposterum cautelam. Quia m *misericordia superexaltat iudicium* hoc est plura efficit misericordia, quàm iustitia; & plus obtinet clementia, quàm seueritas & asperitas.

3
k 2. *Cor.* 2. 7
l *Gal.* 6. 1.

m *Iacobi* 2. 13.

HANC misericordiam ostendere debet vniuersim in omnibus alijs miserijs subditorum, corporalibus, aut spiritualibus; tristes consolando, ægrotantibus attendendo, indigentibus subueniendo, debiles subleuando; tentatis, scrupulosis, ac tribulatis commiserando, & omnibus ostendendo viscera materna, vt capite sexto fuit dictum. Huiusmodi enim operibus & modo agendi non solum illo, lucrabitur Prælatus, erga quos talem se exhibet; sed reliquos etiam, qui id vident. fiduciam animò concipientes, quòd Prælatus, qui aliorum consolationi in suis tribulationibus attendit, sit etiam ipsis, si in aliquas incident, adfuturus: & sic satis apertè manifestat seueritatem, quam in delinquentes ostendit, non prouenire ex cho-

4

lerica eius natura, sed ex iustitiæ zelo: cùm erga alios adeò se ostendat ad misericordiam propensum. Et propter eandem causam refert multum, vt suo etiam tempre probos laudet, ac foueat, & bona ipsorum obsequia remuneret: vt omnes aduertant zelum eius non tendere solum ad puniendum, sed etiam ad remunerandum. Sic enim subditos suos subiectos valde, sibique addictos habebit: *trahetque eos* (vt dixit Oseas) *in funiculis Adam, in vinculis charitatis: & erit eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum*; hoc est, habebit eos suæ voluntati subiectos funiculis Adam, qui sunt blandi & molles; & proprij hominum, qui rationi dant locum, *& vinculis charitatis*, beneficijs scilicet, & bonis operibus: & ipsum iugum legis subleuabit, vt minus sentiant eius onus Prælatus enim (vt ait S. Bernardus) potius studere debet vt vitam Christianam, & Religiosam reddat faciliorem, quàm grauiorem & strictiorem: opere ipso exprimendo & confirmando, quod Saluator dixit: *iugum meum suaue est, & onus meum leue*. Non ostendat se non credere referentibus suas miserias corporis, aut spiritus; etiamsi exteriùs tales non appareant. Minus enim nocet compati fingentibus se infirmos, aut afflictos, vt sibi indulgeatur, quàm ostendere asperitatem verè infirmis & afflictis; timendo ne ab eis decipiatur. Sicut neque debet esse valde exactus in inuestiganda paupertate petentis eleemosynam: minus enim incommodum est, eam largiri ficto pauperi, quàm vero eam negare: eò quòd absque sufficienti causa timeat se decipi.

n *Osea* 11.4.

Serm. 23 *in Cantica.*

o *Matth.* 11. 30.

DENIQVE maximi momenti est in omnibus, quæ dicta sunt de pœnis aut fauoribus, & præmijs, abhorrere à vitio illo, quod dicitur *acceptio personarum*: ita vt nunquam vnam personam alteri præferat, absque sufficienti ratione; neque inæqualiter agat cum ijs qui vel in delictis, vel in officijs præstitis sunt pares: nisi legitima aliqua causa accedat. Huiusmodi enim inæqualitatis singularitas, facilè tribuitur iniustitiæ, aut alicui passioni & affectui inordinato, & facile in subditis generat discordias, & amaritudines contra ipsos superiores: quia existimant, se odio haberi, cùm videant superiores ipsis non fauere: vt fusè dictum est in secundo Tomo. Si enim Zelus Dei impellit ad puniendam culpam, quando hæc in diuersis est æqualis, & ipsæ personæ æquales: idem zelus mouebit ad æquales pœnas inferendas. Quòd si absque rationabili causa alteri maiorem intulerit: indicium præbet, se moueri ad id animo sumendi vindictam, aut spiritu proprio, aut ex aliqua passione auerso. Et similiter si charitas & misericordia Prælatum inducit ad subueniendum miserijs subditorum: sicut reparat vnius necessitates, ita reparabit alterius: si id facere posset, siquidem charitas neminem excludit. Et qui

Tract 3 *c.* 3. 14.

videt se absque causa excludi, existimat se non amari: & ita conqueritur. Et ob eandem rationem priuatæ Prælatorum cum aliqno subdito amicitiæ (vbi non adest causa iustificans) commouent alios, qui iudicant se minus diligi: quia aduertunt, quod quando fons per vnum epistomium, ad quod magis propendet, nimium effundat aquæ, per alia emittat parum: ex quo fabricant sibi multas iniurias. Expedit autem Prælatos valde sibi attendere, ne quemquam offendant memores terribilis illius sententiæ, quam dixit Sapiens: p *audite & intelligite iudices finium terræ, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum eò quòd data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo: qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius non rectè iudicastis, neque custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. horrendè & cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in ijs, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Intelligant igitur Prælati, terræque potentes, quod habeant super se Iudicem quendam supremumque Pastorem, qui etiam gubernat cum iustitia & misericordia, cum Zelo, & pietate: iubetque cum eisdem circunstantijs gubernare: q *eádem* enim *mensurâ eis remetietur, qua ipsi* subditis suis *mensi fuerint*, in hoc ostendens diuinæ suæ iustitiæ Zelum contra negligentes in suo officio; vtens verò misericordia in eos, qui potestate sibi tradita benè vtentur.

p *Sap. 6.2.*

q *Matt 7 2*

§. III. *Discretio ac Deuotio.*

Dvae vltimæ Seraphinorum alæ, sunt *prudentia* & *circumspectio* in rebus omnibus spectantibus ad gubernationem Prælatorum, bonum subditorum, & familiaritatem cum Deo Domino nostro per exercitia deuotionis: & vtraque res est necessaria: prudentia enim hominis illustratur lumine, quod communicatur ex familiaritate cum Deo: quæ familiaritas exigit, vt homo ex parte sua vigilantiam & cautelam adhibeat, quantam poterit in omnibus, qui ipsi incumbunt. Ala discretionis & prudentiæ tot habet plumas, quot sunt socij eam adiuuantes ad executionem nobilium suorum actuum: de quibus fusè actum est in secundo tomo. Eadem ipsa in ordine & rectitudine constituit alas reliquarum virtutum, ad opera sua vt expedit facienda: ita vt sine ea non studiosæ sed vitiosæ sint futuræ: iuxta illud Sancti Bernardi: *tolle discretionem & virtus vitium erit.* Discretio obedientiam dirigit, & patientiam, mediumque ponit Zelo iustitiæ & commiserationis, ac misericordiæ. quæ si constitutos ab ea limites transgrediantur: virtutis nomen amittunt. & Zelus fit ira, feruor fit furor, mansuetudo tepiditas; & ipsa misericor-

Tract. 4. c. 8

Serm. 40 in Cantica.

dia, crudelitas. Hæc simplicibus sicut columbæ dat cautelam serpentium, vt ita malas suspiciones & iudicia temeraria remoueant, vt non putantur se decipi à suis subditis: & ita sint circumspecti & cauti, vt non sint nimium suspicioſi: quia fient intolerabiles: vt qui suis cogitationibus ac suspicionibus ducantur, affligentes subditos, cum concedenda negent, & neganda concedant. Hæc ipsa discretio est, quæ probat, examinatque eos, qui se fingunt sanctos, deponit pellem ouillam, qua se lupi contegunt, adinueniens aliqua media, quibus eos detegat: ne simplices decipiant. Hæc coniungit, & quasi germanas sorores reddit iustitiam & misericordiam; zelum & pietatem, opera vitæ Actiuæ cum operibus contemplatiuæ; familiaritatem cum proximis cum familiaritate cum Deo; curam & studium proprij profectus cum studio profectus aliorum; vnicuique rei suum tribuens tempus; & ordinem constituens in omnibus bonarum rerum affectionibus. Ipsa est, quæ in a *cellario* diuersorum vinorum *ordinat charitatem*, in vtroque eius actu, amoris scilicet Dei & proximi: ne ita se totam tribuat & inebriet altero actu; vt alterius actionibus desit.

a *Cant.* 2. 4.

HAEC discretio medium & moderationem adhibet omnibus occupationibus, cuilibet tribuens tempus ei necessarium; ita vt vna alteri non noceat, sed vnaquæque sibi accipiat tempus sufficiens, iuxta illud Ecclesiastici: b *curam illorum habe, & sic conside; & omni cura tua explicita, recumbe.* Hoc est omnibus curis tuis erga subditos expeditis, requiesce, attendens proprijs tuis rebus.

b *Eccl.* 32.

HAEC denique prudentia docet officiorum & occupationum onera inter subditos distribuere, accommodando illa singulorum talentis & viribus, vt leuiùs, tutiùs, & vtiliùs ferant. Eaque suauitate & efficacitate res omnes disponit, vt ipsius obedientiæ omnes respondeant, vt dictum est in Tractatu Sexto Tertij Tomi.

SED quoniam humana prudentia valde est breuis, incerta, & quæ decipi potest: indiget auxilio alæ deuotionis ad omnia hæc, de qua dixit SANCTVS IOANNES: c *vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia. Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus.* Hæc deuotio est Spiritus sancti vnctio, quæ docet omnia necessaria ad salutem, & ad satisfaciendum obligationibus status & officij sui.

c *Ioan.* 2. 20. 27.

Hæc illustrat prudẽtiam humanam, quæ sæpè sola decipitur; & prudentiam sapientiamque cœlestem communicat: quæ eius defectus imple-

Hæc

Hæc erigit cor, Spiritum exhilarat, corpus confortat, & fortitudinem ex debilitate educit: vt explere possit quicquid Deo placet in bonum subditorum. Hæc præsentem Deum gerit in sua memoria, quasi testem, iudicem, protectorem & auxiliatorem in omnibus suis operibus. Et totam suam fiduciam in eo reponens, multa egregia perficit facinora.

Hæc denique requiem adfert defatigato spiritui, ac cœlesti dulcedine recollectionis remunerat labores, & occupationes, quas extra illam cum subditis suis habuit. Ac propterea maximi est momenti ad rectam gubernationem, vt supra dictum est.

HAE sunt duæ vltimæ SERAPHINORVM alæ, quæ extensæ semper esse debent advolandum cum eis: nunc in cœlum ascendendo, ad agendum cum Deo, & mysteria cœlestia contemplanda: nunc descendendo, & per terram discurrendo, vt attendat quæcunque ad proximorum vtilitatem pertinent. His duabus alis ascendunt SERAPHINI ad laudandum Deum, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: & eisdem descendunt ad purificanda labia, & animas subditorum per suos ministros. Eisdem ascendunt sicut c *Angeli per scalam Iacob*, donec ad occulta cœlorum ingrediantur, vt agant & expediant apud Deum omnia, quæ ad ipsorum pertinent officium: & cum *eisdem descendunt vsque ad terram vbi Iacob dormit*; attendentes, vt excitent, & feruorem adferant omnibus sibi commissis. In quo ascensu ac descensu expendant vitam suam totã magna cum perfectione memores duorum Patriarcharum Abraham & Iacob, qui figura fuerunt Prælatorum: de quibus perpendit Sanctus Augustinus, quòd Scriptura diuina, postea quam Dominus nomen d *Abram* mutauit in *Abraham*, semper eum *Abraham* appellat. Sed quamuis e *nomen Iacob mutauerit in Israël*: modò tamen illum vno nomine appellat, modò altero. Cuius rei causa mystica, inter alias est, ad significandum quod Prælati, quamdiu tale officium gerunt, nunquam debeant Abrahæ nomen mutare, Patris scilicet multarum gentium: sed semper Patrum opera facere erga subditos, quos magno cum amore gubernant.

C. 10.

c *Genes.* 28. 12.

Serm. 40. *de verb. Domini* d *Gen.* 17. & 32. 28.

IN executione tamen officij sui interdum esse debent sicut Iacob, luctantes operibus vitæ actiuæ in bonum proximorum; interdum etiam debent esse sicut Israel in operibus vitæ contemplatiuæ, agentes semper cum DEO: ascendentes & descendentes per hæc exercitia, vt dictum est, donec felix il-

ladies

la dies adueniat, in qua iustus iudex coronam eis tradat iustitiæ, in præmium felicium suorum laborum: cùm ascendent ad cœlum Empyreum, ex quo nunquam descendent, sed ibi Deo in omnem æternitatem fruentur, sedentes cum Principe Pastorum in throno gloriæ suæ in æterna sæcula sæculorum,
Amen.

FINIS TOMI QVARTI.

INDEX RERVM MEMORABILIVM HVIVS IV. TOMI.

A.

Aaron in Sacerdotem à Deo electus insigni miraculo virgæ quid doceat. 24. & seq. ad eius electionem concurrerunt Deus & Moyses. 42
Abbatis cuiusdam consilium de non acceptando Episcopatu. 607
Abimelech cur Dauidi noluerit dare panes propositionis nisi mundo. 68
Absentia Prælatorum noxia est 636. quando excusari possit. ibid.
Absolutio non requirit Sacerdotis sanctitatem. 350
Acolythorum officium & dignitas. 13
Actio sacrificij Missæ duas res complectitur. 109
Aduentus prima pars anni Ecclesiastici. 149 *quanam in eo considerari debeant.* 150
Adulterare verbum Dei quid sit. 526
Alba vestis Sacerdotalis quid designet. 169
Alternis cur horæ Canonicæ dicantur in templis, & vnde iste mos cœperit. 225
Ambidextri quos designent. 292
Ambrosius & Augustinus quantopere fugerunt Episcopatum. 598
Ambrosij insignis sententia de dignitate Episcopali 712
Amictus capitis Sacerdotalis quid designet. 167
Amor Dei & proximi semper coniungendus. 289
Angelus scribit quomodo Monachi psallant. 265
Angelus Monachi vnà botro instruit quomodo sit orandum. 256
Angeli in Missa sacrificio præsentes. 115. *item sub horis Canonicis.* 266
Angelorum tres Hierarchiæ. 2
Angelica Salutatio horis cur præmittenda. 273
Antiphonæ cur inter Psal. dicantur & quid sint. 278
Apostoli quales elegerint Diaconos, & cur septem tantum. 18
Arcus cœlestis Christo assimilatus. 120
Attentio in recitandis horis necessaria. 245 *eius varia causa.* 246. *quæ necessario ex præcepto, quæ ex consilio.* 247
Attentionis tres modi, & qui. 248
S. Augustini memorabilis sententia de malis Sacerdotibus. 96. *de ijs qui quærunt breues Missas.* 212. *sententia insignis de Philosophorum dicto.* 456 *& seq. opes & diuitiæ.* 693
Auxilia bonis Prælatis promissa. 719

B.

Balaam & Balac hæreticorum & malorum principum typus. 692
Barsabas cur in electione S. Matthiæ à Deo præpositus. 603
S. Bernardi visio sub horis Canonicis Monachorum suorum. 165. *consilium de acceptando Episcopatu Colonien sis.* 606 *sententia de Prælatu.* 629
Botrus vna Monacho ab Angelo allatus illum docebat quomodo horas suas recitasset. 251

C.

Calculus candidus cuius rei signum 700
Canon Missæ quam sanctus. 189. *quid*

facere debeant qui eius actioni intersunt 192
Canones quid sint 451
Canonicus quidam Episcopatum repudians apparet socio suo 208. Canonici olim viuebant in communi 52. duplicis generis Capitulares & Regulares ibid. tenetur vtrique ad perfectionem Euangelicam 53. debent esse vnanimes ibid. duobus locis simul conueniunt, in templo scilicet & in capitulo ibid. & seq. in vtroque loco quomodo se gerere debeant. ibi. debent se inuicem diligere 56
Cantus Ecclesiasticus quantos habeat effectus 223
Castitas Sacerdotibus maximè conuenit & cur 68. & seq
Carceres visitandi à confessarijs 418
S. Carpi vijo 654
Casula Sacerdotis quid designet 174. cur relinquat brachia libera 175. cur sit varij coloris ibid
Causæ quinq; ob quas horæ Canonicæ legi debeant 215. & sequen. ob quas peccata summoperè vitanda & odio habenda. 388
Caremonia imponendi manus pars Sacramenti 33
Character quale signum 5. Caracterem Christi & Sathanæ coniungere non decet. 89
Charitas morienti necessaria & quomodo variè exercenda 444
Christianorum opes quæ 692
Christus idea veri & perfecti Sacerdotis 82 in eo concurrunt quatuor illa quæ in alijs sacrificijs inueniuntur. 109
Christi Sacerdotium quàm perfectum 22
Christus in vltima cœna sacrificans merebatur, nunc non meretur, sed applicat nobis sua merita 114. est pastor bonus 142 est vitis & quomodo 143 est via, veritas & vita 144. est lux mundi 145 est sponsus 146. in Sacramento altaris seu Sacrificio Missæ exercet septem heroicas virtutes & quas 149. cur lapis angularis vocetur 291 eius benignitas in peccatores pœnitentes quanta 40. magistri & doctoris officio duabus vijs functus 493 eius variæ opera ibid. mirabilis modus in mittendis Apostolis 569
Chyrurges imitari debent prælati 687
Cingulum Sacerdotis quid designet 171
Claues Apostolis datæ quæ & cur ita vocatæ 339. & seq. duplices 340
Clauis Dauid quæ 720
Collectæ vnde dictæ 227
Communio Sanctorum quantam afferat vtilitatem 237
Conditiones orationis infallibiliter impetrantis 231. & seq
Concilij Toletani statutum de instructione clericis 13
Confessarij debent esse Sacerdotes 337. eorum officium seu munus quantas contineat excellentias ibid. eorum septem priuilegia seu præeminentiæ 338 peccatorum iudices 339. ianitores & clauigeri cæli ibid. spirituales animarum medici 340. veri medici 341. ouium Christi Pastores ibid. magistri pœnitentium ibid. spirituales pœnitentium patres 342. non possunt seipsos absoluere & cur 344. non est temerè assumendum eorum officium 345. per tres portas intrant 347. tribus temporibus gregi suo subuenire tenentur. ib. quæ virtutes ijs necessariæ 350. in peccatis absoluentes sibi & Deo iniuriam inferunt 351. castitas ijs necessaria 352. quot annorum esse debeant 353. patientes esse debent 354 humiles 355 debet habere charitatem 357. scientiam & prudentiam 364 quales debeat esse eius scientia 365. debet esse maior aut minor pro qualitate confitentium 369. secretum quantopere seruare teneantur 370 quænam pœnitentes interrogare debeant 374. quales pœnitentias iniungere 398. ijs duo extrema fugienda 399. debent etiam vltro quærere pœntentes 415. debent intercedere pro afflictis 419. reconciliare dissidentes 422. cum morientibus quomodo se gerere debeant 437
Conscientiæ varij generis sunt 366
Conscientia implicata quæ 367 septuplex ibid.
Confessio cur primò fiat in Missa & cur re-

petatur

petatur 177 & seq.
Consuetio clericorum Apostolica traditio est 60
Continue hora legenda & quomodo 261
Contritio morientis necessaria 419
Conuiuia septem quibus Christus interfuit plena mysterijs 155
Cordis duritia in pœnitente vnde oriatur 387
Corona clericorum quid significet 8. 59. renouat memoriam corona spinea Christi & cur ibid. quare sit circularis 9. quare in minoribus ordinibus sit parua, in maioribus magna ibid.
Correptio qualiter instituenda à Prælatis 687
Correctio à Prælato inflicta quasi à Deo veniat, acceptanda 666
Crucis signum Sacerdotio initiandis cur ab Episcopo imprimatur 34
Culpam reprehendendi non est multis verbis exaggerenda 687
Curatio vitiorum qualiter à confessario instituenda 41

D.

DÆmon excitat somnolentiam auditorum sub concione & cur 562
Dathan & Abyron cur viui descenderint in infernum 38
Deuotio in orando quid sit, vnde oriatur 251. dupex est, altera substantialis, altera sensibilis ibid & seq.
Deus non vocat indignos 36. cur quosdam hic puniat 79 in Ecclesia sua magis respicit ad bonos & eorum opera quàm ad malos 228. eum laudare quanta res sit 243. zelosos quantopere prosequatur 320
Deo gratias cur in fine lectionum dicatur 280
Diabolus non seducit homines vt cum eis regnet, sed vt cum eis puniatur 97
Diaconi officium 14
Diaconorum quinq; conditiones 15. vnum genu flectere solebant, Sacerdotes vtrumque & cur 33
Dignitas Sacerdotalis & regia sunt quasi Sol & Luna 22
Discrimen inter Episcopos & ordinarios Sacerdotes 3. inter virgam Aaron & Iesse 24 & seq.
Discretio & deuotio an Prælatis necessaria & qua 747 & seq.
Discrimen eorum qui horas in choro canunt, & qui legunt priuatim 226
Distincte hora legenda & quomodo 261
Distractio vitanda in horis legendis 247 eius nocumenta ibid. & seq.
Disputatio S. Iob & amicorum eius solemnissima & quod eius argumentum 483
Dissimulare punitionem Prælatus quando possit aut debeat 656
Diuinorum diuinissimum quid sit 292
Diuites visitandi in morbis & cur 418
Diuitiæ Episcopis necessariæ 92. & licitæ 693
Documenta circa secretum confessionis 373. circa reprehensionem pœnitentium 394 pro confessarijs. 42. pro doctis. 476
Doctrina impia igni similis 695
Duo præclara monita pro religiosis & Canonicis 257

E.

ECclesia quomodo orare dicatur 219
Ecclesiæ sanctitas in quo consistat 228
Ecclesiastica Respub suprema est omnium quæ sunt in terra 1. quinam eius fines ibid. tres ordines ad similitudinem trium angelicarum Hyerarchiarum. 2. complectitur nouem genera personarum. 5. duplicem habet potestatem 695
Ecclesiastici quomodo debeant esse pauperes 60. qua intentione seruitium suum facere 62. debent abstinere ab omni specie auaritiæ & Prophanæ negotiationis 63 mortificare omnem inordinatum affectum ergo consanguineos 64. possunt tamen illis subuenire præ alijs si egeant 65. debent vitare delitias ibid. esse liberales in pauperes 66. castis seu continentes & cur 67.
Electiones tres insignores in nouo testamento 602
Electio S. Matthiæ tria habuit singularia. 603

Elias quinque singulares fauores accepit ob zelum. 321
Elimeleeh typus Adæ & quomodo. 315. & seq.
Ecclesia quid sit. 230
Ecclesiæ oratio duplex particularis, communis 229. Particularis quæ dicatur ibid. Communis 230 Communis oratio rursum duplex. ibid.
Emendatio quomodo proponenda. 690
Episcopi primitiuæ Ecclesiæ diuites & pauperes quomodo. 691
Episcopi speculatores. 714
Episcopi qui & qualis eorum functio. 3. eorum status est perfectorum 597. debent esse pauperes spiritu 694
Episcopi quidam etiam lingua amputata loquuntur, excepto vno qui fornicatus fuerat. 77
Episcopo defuncto quid faciendum 6us3
Epistola cur legatur in Missa. 183
Epistolam legens Sacerdos manus super librum ponendo quid denotet. ibid.
Episcopatus nomen quale nomen 293
Euangelium cur tot præmissis cæremonijs legatur in Missa. 183 & seq. cur Sacerdos lecto Euangelio librum osculetur 176 cur stando audiatur ibid & seq. quare signemus nos signo Crucis ante lectionem Euangelij. 176
Eucharistia vocata panis arctus & aqua brenis. 148. cur sub sacrificio diuidatur. 109
Euangelicorum operariorum quod ministerium. 292
Excusationum duo genera eorum qui vocantur. 311
Exempla eorum qui ob peccata in confessione tacita damnati sunt. 379
Exorcistæ & eorum officium 12. quare inter minores ordines recenseantur. ibid quæ illis potestas facta. ibidem.

F.

Fastradi Abbatis visio de acceptanda Abbatia Claraualli. 609
Fauores à Deo antiquis Sacerdotibus exhibiti....
Felicis Episcopi castitas ab ipsius vxore quomodo deprehensa. 71
Feriæ hebdomadis vnde sic vocentur 2[illegible]
Fides morienti variè exercenda 44[illegible]
Filij Heli vituperati, eò quòd nescierint officium suum. 1
à Festo Paschæ vsq; ad Pentecosten quid considerandum. 161. quid à Pentecoste vsq; ad Aduentum. 16[illegible]
Fœminæ cur non admittantur ad Ordines Ecclesiasticos. 10

G.

Gladij Ecclesiæ duo. 69[illegible]
Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto cur in horis Canonicis toties repetitur. 274
Gratiarum actio. 201
Gratiarum actio morienti necessaria, & ob quæ facienda. 438. & seq.
Gregorius Pontifex quantopere fugerit Episcopatum. 59[illegible]
S. Gregorius quare Christum Dominum nostrum vocarit lapidem Angularem. 29[illegible]

H.

Hæretici incorrigibiles & pertinaces non solùm excommunicandi, sed etiam occidendi & per quos. 697
Hæreticorum calliditas 6[illegible]
Hierarchia Ecclesiastica quid sit. 284. eius gradus & officia. ibid
Hiero Philosophus Christianus Eremiticam vitam deseruit vt accederet ad proximos iuuandos. 2[illegible]
Horæ Canonicæ à quib. legendæ 214. quando primùm legi inceptæ ibidem cur institutæ 215 & seq. cur canendæ 211. duobus modis dici possunt ibidem. cur alternis choris dicantur. 224. vnde iste mos ortus sit. 225. ad eas legēdas qui teneantur 237 quomodo legendæ 240. quo tempore &

quam-

quamdiu obligent. 250 in templo tota legenda coram Venerabili Sacramento 258 dicenda distinctè, continuatè, integrè & ordinatè 261. distinctè orare quid sit ibid. cur integrè dicantur. 262 & sequent. quare ex libro legenda & non memoriter. 264. res & persona pro quibus hora Canonica legenda ante oculos ponenda 270. quare cum inchoanda dicatur PATER NOSTER QVI ES IN COELIS. 271. quem in finem præmittatur quoque Angelica Salutatio. 273 tres modi breuis præparationis ad singulas horas Canonicas 271. & seq. quare tandem initio MATVTINARVM & PRIMAE præmittatur etiam symbolum Apostolorum. 273
Humero vno quomodo Deo seruiatur, & quomodo oretur. 259
Humiles quantopere fugiant dignitates. 598
Humilitas fundamentum omnium scientiarum 486. eius varia excellentia ibi. septem actus erga Deum. 487. septem actus erga homines. 489. Prælatis necessaria. 61
Hymni cur in horis dicantur. 275
Hymnus GLORIA IN EXCELSIS DEO, cur in Sacrificio Missæ legatur. 172. à quo compositus. ibid.

I.

IGnis alienus à Sacerdotibus Deo quando offeratur. 89
Ignorantia non excusat examinatores ordinandorum. 17
Incontinentia Sacerdotum quàm damnabile & graue peccatum. 75
Indigni à DEO ad ministerium Ecclesiasticum non vocantur, & qui sint. 299
Intellectus non duobus modis potest se in diuino officio eleuare. 249
Inobedientia Sacerdotum quot adferat incommoda 84
Intentio in oratione necessaria. 240. 245 est basis veræ orationis 241 virtualis & implicita, & qua 240. tres aliæ vitiosæ 241
Introitus Missæ cur ex Psalmo ferè desumatur 179
Integrè horæ dicendæ & quomodo. 262
Interruptio in horis legendis vitanda & quomodo. 261
Introitus Missæ vnde desumatur 379. quid significet. ibid.
Introibo ad altare Dei quando in sacrificio Missæ dicatur. 78
Inuitatorium cur & quomodo dicatur in Matutinis. 257
Ioab Dux ingenuus. 618
Ionas cur Niniuitis prædicare recusauerit. 563. multa in eius prædicatione obseruanda ibid & seq
Iudas cur à Christo in Apostolum electus 603
Iudicium proprium in sacerdotio ambiendo alieno subijciendum. 42
Iustitia in delictu puniendi quomodo seruanda. 744
Iuuenes ad officia Ecclesiastica à Deo raro vocantur. 306

K.

KYrie & Christe Eleison quare nouies in Sacrosancto Missæ Sacrificio repetantur. 172. quid significent. ibid.

L.

LOtio manuum in Sacrosancto Missæ Sacrificio quando fiat. 187
Lapides sanctuarij mystici qui. 711
Lectores ad duo attendunt. 11. quanti momenti sit eorum ministerium. ibid.
Lectiones sub Matutinis cur legantur. 278
Leuita ad ministerium templi vocati per carnalem generationem. 6
Liberales esse debemus erga Deum & quomodo. 263
Lignum vitæ Christus. 689
Lilij descriptio applicata præmijs Prælatorum. 726
Literatorum munus quàm honorificum & vtile

vtile Ecclesiæ 440. item 470. si nati sint quanta pernicies 473

M.

Machetis Abbatis solertia in excitandis auditoribus 562
Malus prælatus confunditur vita bonorum subditorum 76
Manipulus quid designet 172
B. Maria Virgo debet esse principium & finis nostrarum orationum & quomodo 273
S. Matthiæ Apostoli electio tria habuit singularia 603
Matrimonium Ecclesiasticis prohibitum & cur 67. repugnat præcipuo Sacerdotij ministerio. 68
Melchisedech sine Patre & sine matre cur dicatur, & quid doceat Sacerdotes 21
Minæ si sufficiant, non opus est pœna 688 iis addenda promissiones 689
Ministri Ecclesiastici qui dicantur, & quæ eorum functio 4. etiam peruersi potestatem non amittunt 300
Missa à malo Sacerdote oblata æquè bona quàm quæ à bono 114
Missæ sacrificium infiniti valoris 102. cur à filio Dei institutum 104. illo solo perficitur quicquid veteris legis sacrificia fecerunt, 106. cur in forma panis & vini institutum 110. eius multiplex excellentia 111. & seq 116 efficacitas 118. duplex effectus 124 in ea non solus Christus sed multi Angeli præsentes 115. est propitiatorium & satisfactorium 119 orationes duplicem habent excellentiam 132. quanta præparatio requiratur ad dignè celebrandum 134 in eo Christus exercet septem heroicas virtutes & quas 149 quot habeat partes 177 eam audire quàm vtile & sanctum sit. 204

Missæ Sacrificij excellentiæ.

1 Quod futurum sit perpetuum 112
2 Quod eius oblatio omnium purissima & sanctissima 113
3 Quod ipse Christus illud per Sacerdotes offerat 114
4 Quod sit idem cum eo quod Christus in cruce obtulit, licet modo diuerso 115
5 Quod in præsentia multorum Angelorum offeratur ibid.
6 Quod Deo summus honor & cultus offeratur. 116
7 Quod sit gratiarum actionis sacrificium cum infinita efficacia 117
8 Quod plurimum conferat ad impetranda bona corporalia & spiritualia 118
9 Quod sit propitiatorium & satisfactorium pro peccatis 119
10 Quod sit Deo gratissimum ibid.

Effectus.

1 Remissio peccatorum mortalium. 126
2 Remissio peccatorum venialium. 127
3 Obtentio gratiarum, virtutum & donorum spiritualium. ibid.
4 Impetratio bonorum temporalium, quatenus nobis conducunt. 128
5 Remissio pœnarum. 129
Miracula circa eos qui Missa sacrificio reuerenter astiterunt 209
Missionis Christi modus & circumstantiæ 568 quinq; perfectiones 570
Monachus quidam bona sua vocat ad inanem gloriam habentes à Dæmone irridetur 243. alius ab Angelo vna horam accipiens docebatur quomodo esset orandum 236. alterius cuiusdam defuncti apparitio 607
Monachorum apud Cassianum in legendo horis quanta grauitas & modestia 260
Morbi sunt quasi pulsus Dei 416
Morientes iuuare quanti interest 428. 58 qua virtutes necessaria 428. & seq.

N.

Natiuitas Christi secundum tempus anni Ecclesiastici 153. quinam in ea considerari debeant ibid.
Nepotes quantum impediant Ecclesiasticos à cultu Dei & perfectione Euangelica 64
Nicolaus Diaconus reprobus 16
Nicolaus Episcopus fugit Episcopatum 598 602
Nicolaitarum hæresis qua

Notitia ex confessione accepta quali cum onere transeat 373
Nouem ad benè sciendum necessaria 464
Noua & vetera quæ sint 503

O.

Obedientia Sacerdotibus necessaria 81 *qualia adferat commoda* 83. *neglecta quæ adferat incommoda* 84
Obedientia Prælati exhibenda 86
Obedientia Prælatis necessaria 739. *& seq.*
Occupati quomodo & quo tempore horas suas recitare possint aut debeant 256
Officium confessarij non temerè assumendum 345. *quantas contineat excellentias* 337
Officium diuinum quomodo recitandum 240. *& seq.* 243. *illud recitans cum distractione voluntaria non implet præceptum Ecclesiæ* 246. *illud persoluens debet Deo offerre tres panes, & quos* 253. *quo tempore persoluendum* 256
Opera bona in statu peccati facta non prosunt defuncto 374
Operarij Euangelici debent simul orare & agere 294. *sunt magistri & duces animarum* 295
Opes Christianorum quæ 692
Opes Ecclesiastica patrimonium Christi 687
Orationes Missæ duplicem habent excellentiam 132
Oratio duplex particularis & communis & quæ utraque sit 229
Oratio communis quæ & qualis esse debeat 230. *eius duæ conditiones ibid.*
Orationis varia encomia 218. *necessitas* 210 *quomodo infallibiliter imperet* 231
Orationis Ecclesiastica varia vtilitas 217
Ordo quale Sacramentum & quis eius minister 4. *complectitur septem patres. ibid. cur ita vocetur ibid. duo insignes eius effectus ibid. characterem imprimit* 5 *non datur fœminis & cur* 10
Ordinato hora sunt legenda & quomodo 264
Ostiarij officium quod 10
Oratio Ecclesiastica à negligentibus ministris recitata fructuosa est Ecclesiæ sed non ministro eam recitanti 242
Oratio morienti quomodo exercenda 445

P.

Pascha tempore quæ considerandæ 161
Pastor stultus quis 711. *eius propritates* 712
Patientia prædicatori necessaria 554. *aliquando supplet vicem miraculorum* 555. *est ornamentum omnium actuum prædicatoris* 556. *variæ eius occasiones* 557. *& seq.*
Patientia in Prælatis quæ requiratur 739
Paulini Episcopi perfectio 689
Peccata in confessione cur non culanda 376 *& seq*
Peccatum est simile puteo 80 *vermi* 378
Peccatum cum filia confessionis quorum 353
Peccata Sacerdotum difficile curantur & cur 91. *duplicis generis sunt* 92 *& seq.*
Peccatis sacerdotis quantum noceat sibi & alijs 88 *& seq.*
Peccatum est infinita iniuria in Deum 388 *infinita ingratitudo ibid. est contra Christi redemptionem* 389. *est iactura vitæ æternæ* 390. *adfert horendas angustias tempore mortis* 392. *est res fortissima ibid.*
Pentecostes tempore quæ considerandæ 163
Perfectè orare volentes quid facere debeant, & quam figuram impleant 267 *& seq.*
Perseuerantia orandi impetratura necessaria 233
Perseuerandum in Ecclesia vsque ad finem horarum 258
Perfectio Prælatorum circa paupertatem spiritus qualis esse debeat 694 *& seq.*
Philosophorum libri legendi & quemodo 485
Piscatorum quomodo & quando imitari debeat Prælatus 656
Pœnæ qualis vestis 610
Pœnitens manens in proposito iniurias vlciscendi non est absoluendus 382. *item ne*

u quinō vult vitare occasiones luxuriæ, nec alia restituere. 383
Potestatem peccata remittendi Sacerdotibus datam negantes magna iniuria Deum afficiunt. 238
Praxis Ecclesiæ cum hæreticis agendi quæ 696
Prælati & aliis comparatio. 741
Prælati quales esse debeant 567. *eorum variæ virtutes quibus præditi esse debent gemmis assimilatæ* 570. *onera & difficultates* 587. *talenta ad gubernandum necessaria* 592. *quinam fures & latrones dicantur* 601. *debent esse humiles.* 611 *patientes* 651 *pauperes spiritu.* 693
Prædicatoris officium quale. 503. *duo illi necessaria.* 512. *qualis debeat esse eloquentia* 518. *& seq. eius officium quantopere oppugnetur à Diabolo* 523. *octo præcipui actus* 528. *obedientia & fiducia in Deum & sui ipsius diffidentia necessaria.* 532. *item patientia.* 554 *laboris pretium quomodo accipere debeat.* 571
Presbyteri vnde dicti. 3
Prima Tonsura quid sit 7. *quibus conferatur ibid. eam recipientis quis debeat esse scopus ibid. quare eam recipientibus radantur crines quidam in corona.* 8
Prolixitas concionis quid adferat detrimenti 562.
Prudentia zelum temperare debet. 330. *ad gubernationem necessaria.* 595
Priuatim hora quomodo legenda. 258 & 259
Psalmi cur in horis dicantur, & de eorum præstantia seu excellentia. 276
Punitio debet fieri propter tres fines. 655
Pusillanimitas prælatis fugienda & cur. 618

Q.

Quadragesimæ tempore quæ consideranda. 157
Quatuor colores vestis Sacerdotalis Aaron quid doceant 49
Quatuor passiones Ecclesiasticorum 57
Quatuor minores Ordines qui, & quæ eorum actiones & significationes 10
Quatuor Sacerdotalis dignitatis excellentia deducta ex Sacerdotio Melchisedech. 21
Quatuor Sacerdotum ministeria. 283
Quinq; conditiones Diaconorum. 13
Quinq; causæ ob quas hora Canonica legi debeant. 215 & 218
Quinq; talenta prælatis necessaria. 592
Quotidie Sacerdotes deberent celebrare & cur 210. *tanta cum deuotione ac si primam Missam celebrarent.* 211

R.

Rasio capitis in Ecclesiastico quid significet. 5
Rationes ob quas Sacerdotes quotidie celebrare deberent 210. *cur peccata in confessione non celanda.* 376 & seq.
Reges Ecclesiæ tanquam matri obedire debent. 636
Remedia vitiorum quomodo applicanda. 412
Religiosi tenentur ad legendas horas. 258
Residentia prælatis necessaria eiusque rationes. 633
Resignatio morienti necessaria. 430
Responsoria cur sub horis dicantur 275
Reprehensio pœnitentium quomodo instituenda 394 & 552 *inchoanda non à vitijs, sed à virtutibus reprehendendis ad duplicem finem.* 687 *circa eam sex documenta.* ibid.
Rosarium non est oratio communis & quare. 250
Ruperti Tuitiensis visio de suo Sacerdotio 40

S.

Sacerdos dignè & fructuosè celebraturus
1 *Debet esse in gratia & sine peccato mortali.* 134
2 *Primum confiteri si sit in peccatis* 135
3 *Magna se puritate præparare.* ibid.
4 *Primum offerre spirituale sacrificium.* 137
5 *Orare & meditari.* 138
6 *Deuotè legere horas suas.* 214
Sacerdos peccatis obnoxius celebrans quantam iniuriam inferat Christo. 84

Sacerdos sacrificans est persona publica 125
Sacerdotis cuiusdam fornicarij horrenda pœna 77 *& seq.*
Sacerdotes debent obedire suis Episcopis 81 *debent scire Ordinationes ad se pertinentes. ibid à publicis peccatis quàm maximè abstinere* 88. *etiam improbi honorandi sunt* 96
Sacerdos degradatus si celebret exauditur, si oret non exauditur & quomodo 133
Sacerdos sacris vestibus indutus nemini caput aperire debet & cur 212
Sacerdotium quanta dignitatis semper fuerit 20 *quantopere à Deo honoratum ibid eius quatuor excellentia ex Sacerdotio Melchisedech* 21. *Christi quale & quàm perfectum* 22
Sacrificium est legis natura, eiusq; duo genera 99 *offertur soli Deo* 100. *habet duplicem actum* 101. *noui Testimenti est in ipsius valoris* 102
Sacrificium passionis à Christo oblatũ & cur 105. *& seq ultima cœna cur oblatum* 108. *& seq.*
Sacerdotis magna dignitas eò quòd iuuent animas 283. *quatuor ministeria* 285
Cyprus frater S. Ambrosij quomodo & cur factus Sacerdos 41
Salue regina post horas dicendum & cur. 200
Samaritanus quis 289
Sacerdotes sunt quasi parentes laicorum 3 *coronam non gestantes quales se esse demonstrent* 9. *sunt quasi reges* 11. *imò ex sententia Ambrosij eos præcellunt* 23. *de duobus præcipuè exultant* 24. *eorum excellentia* 29. *non solum Angeli sed etiam dij vocantur* 3. *quàm Sancti esse debeant ibid. & seq. item* 44 *qui & quales elegẽdi* 37. *non vocati tripliciu sunt genere* 36 *quanti referat vt sint sancti* 47. *à vulgo separati omni vitæ genere* 50. *eorum ministerium varium* 68. *referunt Christi personam* 72. *casti ob varias causas* 68 *& seq. pauci saluantur* 92
Saul propter humilitatẽ electus, propter superbiam reprobatus est 614
Secretum confessionis septem sigillis obsignatum, & quibus 370. *illud frangere quantum peccatum* 372
Seculares in templo debent imitari gestus
Sacerdotum, & eorũ qui sunt in choro 259
Secularium domos quando & cur confessarius intrare debeat 427
Scientiæ nomine quid intelligatur 450. *fide iuuatur & stabilitur* 451
Scientæ naturales & humaniores ad quid vtiles 455 *virtutibus fulciendæ & cur* 460
Scripturæ sacræ excellentia 452
Septem consortia quibus Christus interfuit plena mysterijs 155
Septem Dei perfectiones 163
Septem petitiones Orationis Dominicæ quid compleclantur 271
Septuagesima tertia pars anni Ecclesiastici, & quæ in eo considerandæ 156
S. Severinus pœnas passus ob horas continuatim lectas 257
Seueri presbyteri dolor de neglecta confessione morituri 431
Sex media ad vtiliter studendum 465
Silentium Prælatorum aliquando valde noxium ipsis & alijs 694
Simplicius cum vxore sua Episcopus factus continenter vixit, quod miraculo probatur 72
Somnolentia sub concione vnde proueniat. 562
Spes morienti necessaria 442. *eius obiectum gloria* 443
Subdiaconi officium 14
Stola quid designet 173
Subditi mali non deserendi sed puniendi 656
Symbolum cur in Missa legitur 185

T

Talenta quinq; ad rectè gubernandum necessaria. 192 *& seq*
Tempestiuè veniendum ad chorum antequam hora incipiantur & cur. 257
Testamentum à morituro diligenter faciendum 436
Tres considerationes faciunt communionem spiritualem. 200

Tres modi se præparandi ad horas legendas. 272
Tria sacrificiorum genera in lege antiqua 101
Tria vtilia documenta pro electuris & eligendis in Prælatos. 606
Triplex genus eorum qui non vocati aspirant ad Sacerdotium. 36
Triplex veritas. 496
Tyrones in virtute à Deo ad officia Ecclesiastica non vocantur. 305

V

VAsa Pastoris stulti qua. 711
Vestes Sacerdotales quid designent. 166. *iis Sacerdos indutus nemini debet reuerentiam exhibere & cur.* 112
Vigilare licet omnibus Christianis conueniat, est tamen Prælatorum proprium 754
Virga Aaron & Ieſſe discrimen 25. *& seq.*
Virtutes Confessarijs necessaria. 150
Vita actiua & contemplatiua aliquando coniungi possunt 290. *earum vicissitudo vnde oriatur.* 291
Vita contemplatiua tres habet actus 287. *item actiua totidem. ibid. cuius opera aliquando præferuntur operibus vitæ contemplatiuæ.* 288
Virtualis intentio qua 240
Visio S. Bernardi sub horis. 581
Visitatio Ecclesiarum necessaria. 637
Vocatio ad Sacerdotium vt plurimum à Deo procedit. 35
Vocatio ad Euangelicum ministerium planè necessaria 296 *duplex est* 298 *quinam ab ea excludantur.* 299

X.

XEnodochia visitanda à Confessario 416

Z.

ZElus iuuandi animas debet esse purus ob duos titulos 317. *tendens in bonum proximi etiam tibi vtilis est.* 318 *est gemma pretiosa.* 319 *in eo continentur octo beatitudines.* 320. *excellens* 326 *septem actus* 327 *debet habere comitem zelum propriæ salutis* 330 *prædicari necessarius.* 544. *in duobus casibus ostenditur.* 543
Zelosi quæ præmia accipiant 324 *eorum labores ibid & seq. orationem dominicam rectè orant* 317 *eorum pericula* 314
Zelus Prælati qualis esse debeat. 655. 660. 742.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ QVÆ HOC TOMO QVARTO EXPLICANTVR.

Geneſis	3.	ADAM vbi es	688
	14.	Melchiſedech Rex Salem offerens panem & vinum, erat enim Sacerdos	21
Exodi	28.	Applica ad te Aaron fratrem tuum cum filijs ſuis.	50
Ioſue	7.	Da gloriam Deo Iſrael & confitere.	377
Iudicum	7.	Adhuc populus multus tecum eſt &c.	302 & ſeq.
	7.	Columna dua, vni nomen Iachin, alteri Booz.	725
3. Regum	10.	Fecit Rex Salomon thronum ex ebore grandem.	639
Iob	20.	Qui fugit arma ferrea irruet in arcum æreum.	378
	39.	Penna ſtruthionis ſicut Herodij & accipitris.	716
Pſalmo	70.	Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias dom.	64
	71.	Erit firmamentum in terra in ſummis montium.	121
Canticorum	4.	Ibo ad montem myrrhæ & collem thuris.	247
	5.	Aperi mihi ſoror mea, &c quia caput meum plenum eſt rore. vbi & i quot verſus explicantur	308. & ſeq.
	7.	Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum.	56
	8.	Fortis vt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio.	742
Eſaiæ	11.	Habitabit lupus cum agno, &c. puer paruulus minabit eos.	613
	18.	Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina.	300
	38.	Diſpone domui tuæ, quia morieris.	432
Ieremiæ	2.	Obſtupeſcite cœli, & portæ eius deſolamini vehem.	388
Ezechiel	11.	Cum ambulabant animalia, ambulabant & rotæ.	259
	4.	Sume tibi laterem, & pone contra te.	391
	8.	Fode parietem.	376
Danielis	12.	Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplen.	324. & ſeq.
Zachariæ	3.	Vidi Ieſum Sacerd. mag. ſordidis indutum veſt.	92
Malachiæ	2.	Ad vos mandatum hoc ô Sacerdotes, ſi nolueritis.	85
		Ex nouo Teſtamento.	5
Matthæi	4.	Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem.	415
	5.	Vos eſtis ſal terræ, lux mundi.	470
	7.	Expuens tetigit linguam eius.	376
	10.	Interrogate quis in ea dignus ſit.	572
	13.	Omnis ſcriba doctus in reg. cœl. ſimilis eſt patrif.	505
Marci	9.	Habete in vobis ſal.	54
Lucæ	10.	Samaritanus autem tranſiens miſericordia motus eſt.	289
	13.	Ecce anni tres ſunt ex quo venio quærens, &c.	414
	22.	Ecce duo gladij hic	995
Ioannis	10.	Qui non intrat per oſtium, ſed aſcendit.	600
	10.	Bonus Paſtor animam ſuam ponit, &c.	625
	16.	Adhuc multa habeo vobis dicere ſed non poteſt.	508
	21.	Paſce oues meas,	694
		Cum eſſes iunior cingebas te.	626

Actorum	2.	*Omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia*	13
	6	*Conuocantes multitudinem discip. dixerunt considerate viros.*	14
Philip.	6	*Implemini Spiritu Sancto, loquentes in canticis spiritualibus.*	249
Timoth.	5.	*Manus nemini citò imposueris.*	17
Hebræorum	7.	*Sine Patre, sine Matre, sine genealogia.*	21
Apocalypsis	1.	*Vidi septem candelabra aurea.*	413

Sequentibus folijs exponuntur septem epistolæ illæ ad septem Angelos, id est Episcopos, valdè pulchrè.

	4.	*Vidi viginti quatuor senieres amictos vestibus albis.*	253
	12.	*Mulier amicta sole.*	439
Romanorum	9.	*Optabam ego anathema esse pro fratribus meis.*	741

F I N I S.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
2651

